


DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

22

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

TOMUS XXXVIII

OPERA MINORA

VI

TORNACI

TYPIS CARTUSIÆ SANCTÆ MARIÆ DE PRATIS

MDCCCCIX

DOCTORIS ECSTATICI

DIONYSII CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IMPRIMI POTEST

in festo S. Hugonis Lincolniensis, anno 1909.

Fr. Renatus-Maria, Prior Cartusiæ.

IMPRIMATUR

Tornaci, 21ª Novembris 1909.

V. Cantineau, Canonicus, Censor librorum.





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

OPERA MINORA

VI

TORNACI

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCCIX







Regnum mundi et omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi. Quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi.

℣. Dimissa sunt ei peccata multa.

℟. Quoniam dilexit multum.

Oratio. — Largire nobis, Domine, clementissime Pater, quod sicut B. Maria Magdalena Dominum nostrum Jesum Christum super omnia diligendo, suorum obtinuit veniam peccaminum, ita nobis apud tuam misericordiam, sempiternam impetret beatitudinem.

DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA MINORA

TOMUS SEXTUS

EX EDITIONIBUS COLONIÆ

SIGILLATIM IN VOLUMINE ANNUMERATIS.

OPUSCULA
HUJUS VOLUMINIS

DE REGIMINE POLITIÆ

PROŒMIUM

S*ECUNDUM judicem populi, sic et ministri ejus; et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea.* Eccli. x, 2.

In his verbis Scriptura veritatis compendiosissime docet quam fructuosi atque salubres sint populo judices et rectores, prælati ac principes justi et sapientes, quantum etiam periculosi ac nocivi sint communitati et subditis judices et rectores, prælati principesque injusti ac imprudentes. Tota namque salus, profectus et pax subditorum, ex superioribus et præsidentibus quodammodo pendent, in tantum ut Deus gloriosus per Jeremiam prophetam locutus sit : Quia stulte egerunt pastores et Dominum non quæsierunt, ideo omnis grex eorum dissipatus est. (*Jer.* x, 21.) Indiscretio ergo, negligentia et injustitia superiorum potissime causa est turbationis, ruinæ atque malitiæ subditorum. Propter quod Salomon ait : Ubi non est gubernator, corruet populus; et iterum : Princeps sapiens ædificat populum suum, princeps vero insipiens destruet eum. (*Prov.* xi. 14. *Cf. Sap.* vi, 26; *Eccli.* x, 1, 3.) Istud experientia quotidie pandit.

Itaque, si judex prudens virtuosusque fuerit, populus ejus prudens erit ac virtuosus : quia a judice suo erudietur ad discernendum inter bona et mala, dirigetur quoque ab eo ad vitandum mala et ad prosequendum bona ac justa. Conformiter, dum rectores civitatum justi et prudentes exsistunt, cives in pace agunt, et rectorum suorum prudentiam justitiamque sequuntur. Denique, inferiores communiter superiorum directionem sequuntur, et voluntatem illorum implere nituntur : idcirco, dum superiores indiscreti, injusti ac negligentes sunt, subditi ad diversa vitia inducuntur, et in magna labuntur pericula. Hinc Salomon dixit : Quum impii sumpserint principatum, gemet populus. (*Prov.* xxix, 2.)

Præterea, ad judices et rectores pertinet facta subditorum diligenter inquirere, prudenter examinare, veraciter judicare, excessus corrigere, injuriam passis succurrere et de satisfactione pro viribus providere, pravos per pœnas debitas coercere, atque communem utilitatem, pacem ac profectum subditorum et reipublicæ indesinenter cum summa diligentia quærere, procurare ac conservare. Dum ergo in actibus his vigilantes exstiterint et fideles, bene erit civitati ac populo; si autem fuerint desides et injusti, utique mali et enormes contingent excessus.

Unde, quum bonum tanto sit divinius quanto communius, bonum communitatis est præcipue appetendum et exquirendum et conservandum. Idcirco de regimine civitatum in hac editione (quantum Spiritus Sanctus conferre dignabitur) loqui intendo.

DE

REGIMINE POLITIÆ[1]

ARTICULUS PRIMUS.

De origine civitatum, et de causis fundationis earum.

UT rectores ac judices civitatum sua officia diligenter ac debite exsequantur, oportet eos in primis advertere qualiter et propter quas causas primo institutæ ac factæ sint civitates.

Itaque, sicut in libro Politicorum Aristoteles docet, et S. Thomas atque Ægidius de Roma in libris suis de Regimine regum ac principum ad regem Cypri regemque Franciæ scribunt, sex sunt causæ propter quas constructæ sunt civitates. Prima, quatenus homines pariter habitando, se invicem amplius diligant delectabiliusque convivant. Homo enim naturaliter est animal civile ac sociale : ideo in societate hominum vivere, est sibi connaturale et naturaliter delectabile. In civitatibus quoque sunt multa quæ faciunt homines jucundius vivere, quæ non reperiuntur in villis ac solitariis locis. — Secunda causa est abundantia aut sufficientia eorum quæ necessaria sunt sustentationi vitæ humanæ. Qui enim in eadem civitate morantur, sibi invicem deserviunt ac succurrunt in necessariis vitæ, dum unus abundat in isto, alter in illo ; et unus hoc habet venale, alius illud. Medicamina quoque infirmitatis humanæ magis abundant in urbibus. — Tertia causa est, ut homines suis adversariis facilius possint resistere, et se ab illorum incursu defendere, sicque securius
A habitare : quod totum aptius fit per hoc quod multi intra unius civitatis ambitum continentur ac commorantur. — Quarta causa est, ut emptiones, venditiones, mutuationes et locationes inter homines convenientius fiant, et quilibet facilius reperiat quæ placeant quibusve indigeat. Non enim omnia ab uno aut a paucis habentur : ideo congruit plurimos simul morari, ac diversa habere venalia seu commutabilia aut communicabilia ; diversos quoque inter eos esse artifices ac magistros, et
B sapientes ac officiatos, qui animarum saluti ac corporum sanitati possint consulere. — Quinta causa est communicatio sive conjunctio conjugiorum. Homines namque diversi ac plurimi pariter habitando, notitiam et amicitiam ad invicem contrahunt, sicque connubia pariter ineunt et affines mutuo fiunt : ex quo magis se diligunt commoditatesque plurimas assequuntur. — Sexta et summa causa est, ut homines virtuosius eligibiliusque convivant. Homines quippe in urbibus simul manendo, se
C invicem magis considerant, instruunt et hortantur, sicque magis morigerati ac virtuosi redduntur. In civitatibus quoque homines magis refrenantur a magnis excessibus, quoniam ibi facilius comprehenduntur maligni. Quumque hæc sexta causa sit principalis, ad eam ordinandæ sunt aliæ quinque.

Itaque ad principes, judices et rectores civitatum pertinet providere ac procurare ut hæc sex bona propter quæ institutæ

[1] Ex editionibus Coloniæ, Joannis Soteris, 1532, et Joannis Birckmanni Junioris, 1559.

sunt civitates, sint et abundent semper in A civitatibus quibus præsunt : ut scilicet cives amorose delectabiliterque convivant, et de necessariis vitæ civitates provisæ sint, præsertim dum caristia aut obsessio seu impugnatio ab hostibus probabiliter aut certo imminet ; cives quoque sibi invicem fideliter ac constanter contra hostes adsistant, atque emendo et vendendo, locando ac mutuando, dando et succurrendo, ad invicem juste, pie ac caritative se habeant ; conjugia etiam pariter contrahant, et virtuose, facete ac eligibiliter pa- B riter conversentur.

Postremo, quæ de causis constructionis civitatum prætacta sunt, de bonis civitatum constructoribus intelligi debent. Siquidem homines pravi ob alias causas ædificaverunt civitates : imo, secundum veritatem sacræ Scripturæ, civitates primo ædificari cœperunt a malignis hominibus propter causas perversas. Unde super illud

Gen. IV, 17. Genesis, Cognovit Cain uxorem suam, quæ concepit et peperit Enoch, et ædificavit Cain civitatem, et vocavit eam ex nomine C filii sui, Enoch ; dicunt doctores, quod

Ibid. 8. Cain, qui pessimus erat, postquam occidit innocentem et justum fratrem suum Abel, congregavit generatos ex semine suo, et eorum auxilio civitatem construxit, ut in ea cum suis auxiliariis ab aliis quibus injuriabatur protegeretur. Cain enim et ejus posteritas rapinis, latrociniis et variis pravitatibus insistebant. Nec aliquis ante Cain civitatem construxit.

ARTICULUS II.

Quid sit civitas, et quid respublica.

PRIMO libro de Civitate Dei inquit Augustinus : Civitas aliud non est quam concors hominum multitudo. Isidorus vero addit, dicendo : Civitas est concors hominum multitudo, societatis vinculo adunata. Quidam autem doctores clarius scribunt, dicentes : Civitas est communicatio civium propter sufficienter virtuoseque vivere, hoc est unio et associatio hominum ad convivendum sufficienter ac virtuose. Hoc autem idem est quod respublica.

Unde secundo libro de Civitate Dei recitat Augustinus quemadmodum nobilissimus ille Romanus Scipio Africanus* in libris suis de Republica scripsit ac docuit, quod sicut in cantu melodia causatur ex dissimilium vocum congrua moderatione, et ex distinctis sonis (videlicet summis, mediis ac infimis) bene contemperatis fit concors ac suavis concentus ; ita ex diversis et plurimis ac dissimilibus cohabitatoribus, animorum consensu unitis atque in unam societatem ordine convenienti redactis, constat et fit civitas : quatenus sicut in cantu se habet harmonia, ita in civitate concordia, quæ est optimum atque fortissimum vinculum omnium in civitate atque republica. Et istud intelligendum est de vera et bona concordia, quæ sine justitia esse non potest. Hinc præfatus Scipio rempublicam esse disseruit rem populi. Populum autem dixit esse non quemlibet cœtum multitudinis, sed cœtum juris consensu et utilitatis communione sociatum.

* Cicero

Ex his S. Augustinus concludit, quod nisi in multitudine hominum sit vere concordia inter superiores et inferiores, imo et inter superiores inter se, inter inferiores quoque inter se, multitudo illa non est veraciter civitas neque respublica, nec habitatores digni sunt cives vocari. Hinc illi prudentissimi Romanorum Cato et Cicero, Scipio atque Sallustius dixerunt, Romam neque civitatem neque rempublicam exstitisse, quando in ea fuit seditio civiumque D per diversa peccata corruptio atque rebellio. Modica tamen discordia et paucorum dissensio, nomen ac rationem civitatis et reipublicæ non tollit nec impedit.

ARTICULUS III.

Quales debeant esse rectores ac judices civitatum.

QUUM igitur multitudo hominum, quamvis corporaliter inter eadem mœnia commoretur, indigna sit nomine civitatis

et reipublicæ, nisi consensu juris et utilitatis communione sit colligata atque concorditer et virtuose convivat; certum est quod rectores ac judices civitatum oporteat esse excellenter justos, caritativos, stabiles ac prudentes. Primo ergo spectat ad eos ut habeant singularem præcipuumque amorem boni communis, in tantum ut utilitatem reipublicæ propriis commodis præferant, sicque diligentiores exsistant in procuratione et promotione ac conservatione pacis ac prosperitatis communitatis quam propriæ utilitatis, nec solum curent ac protegant partem reipublicæ, sed totam, ut scilicet solliciti sint pro omnium utilitate et pace, et non solum pro quorumdam. Hinc Tullius in libris de Officiis recitat quemadmodum doctissimus ille Plato duo præcepta dedit universis civitatum rectoribus atque judicibus : primo, ut utilitatem civium sic optent et curent, ut ad eam ordinent cuncta quæ agunt, propriorum commodorum obliti; secundo, ut totum corpus reipublicæ curent ac tueantur, universorum ac singulorum paci et utilitati pro viribus providendo, ne dum unam reipublicæ partem tuentur, aliæ negligantur, quia ex hoc dissensio oritur.

Porro, ut judices ac rectores urbium tales sint, oportet eos ab omni avaritia et acceptione personarum esse immunes. Insuper, quum proprius actus judicum et rectorum sit alios gubernare, informare ac judicare, necesse est eos esse eminenter prudentes ac justos, ut jura sua agnoscant ac profunde intelligant; nec solum ad verborum superficiem, sed principaliter ad legislatoris intentionem respiciant, sicque in omni judicio prudenter advertant quis sit verus suorum jurium, legum aut consuetudinum intellectus, deinde secundum jura sua sic intellecta, unicuique eis subjecto justum judicium faciant sicut tenentur, omni carnali et inordinato amore ac odio, omni quoque timore et cupiditate prorsus exclusis. Itaque ad judices ac rectores reipublicæ singulariter pertinent

A tres istæ virtutes, amor boni communis, prudentia atque justitia, per quas respublica crescit, prosperatur et stabilitur.

Hinc de antiquis Romanis loquitur Cato : Nolite putare majores nostros armis rempublicam ex parva magnam fecisse. Si enim sic esset, multo pulchriorem eam nos haberemus : armorum enim et equorum major copia nobis est. Alia fuerunt quæ illos viros magnos fecerunt, quæ nobis nulla sunt : domi industria, foris justum imperium; animus in consulendo
B liber, nec delicto neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus avaritiam atque luxuriam; publice egestatem, privatim opulentiam. Laudamus divitias, sequimur inertiam ; omnia virtutis præmia (scilicet dignitates et officia, quæ virtuosis prudentibusque debentur) ambitio possidet. Ex his verbis Catonis patet, quod sicut per amorem boni communis, prudentiam ac justitiam respublica proficit, prosperatur et permanet, ita per vitia his virtutibus tribus contraria, hoc est, per privatum
C amorem proprii commodi seu per avaritiam, et per indiscretionem seu imperitiam, ac per injustitiam, respublica decrescit, turbatur, depauperatur ac perit.

Hinc Seneca protestatur, quod Romani Imperatores ac judices, quando eorum respublica viguit, litterati fuerunt, atque ex tunc armatæ militiæ manum infirmatam, et ipsius principatus radicem quasi præcisam, ex quo in principibus languit virtus litterarum prudentiaque defecit. Hinc ait Scriptura : Principatus sensati *Eccli.* x, 1.
D stabilis erit ; et rursus : Civitates inhabitabuntur per sensum prudentium. *Ibid.* 3.

ARTICULUS IV.

Qualiter prætactæ virtutes in antiquis præclarissimis judicibus ac rectoribus reipublicæ viguerint.

QUINTO libro de Civitate Dei tangit Augustinus, quod in Gestis Romanorum plenius legitur, quemadmodum quidam

juvenis Romanus nomine Mucius, urbe Romana obsessa a rege potente dicto Porsena, petivit licentiam a Romanorum rectoribus egrediendi Romam et ingrediendi castra regis præfati, ut ipsum regem occideret, sicque populum suum Romanum ab obsidione et periculo liberaret. Denique obtenta licentia ad castra regis deveniens, et cognito ubi rex sedebat, ad thronum ejus perveniens, scribam assidentem regi pretiose vestitum regem existimans, pro rege occidit. Comprehensus autem a satellitibus regis, atque ad regis tribunal perductus, et unde esset aut cur venisset interrogatus, respondit : Romanus sum, et ut regem hostem nostrum occiderem veni. Jussitque rex eum igne torqueri, ut ab eo plus negotii extorqueret. Mucius extendens manum dexteram in aram ardentem, immobiliter tenuit eam in igne. Motus rex horrore facti, jussit eum ab igne dimitti.

Præterea, Decius consul Romanorum contra Latinos bellaturus, quum in visione nocturna novisset illum exercitum superaturum cujus princeps devoveret se morti, cum exercitu adversariorum inito bello, devovit se morti, et immiscuit se exercitui adversariorum ut occideretur ab eis, quatenus suus prævaleret exercitus. Et factum est ita. Simile huic recitat Augustinus de inclyto illo Atheniensium principe Theodoro : qui quum responsum audisset a diis, illum exercitum in bello quod imminebat victurum, cujus dux occideretur, ipse Theodorus, ut exercitui suo obtineret victoriam, in habitu peregrino ac paupere hostibus se objecit, ut primus occideretur : maluit enim mori, dummodo vincerent sui, quam vivere eis victis.

Insuper, de Marco Regulo, nobilissimo principe Romanorum, Tullius refert, quod quum Marcus ille contra Carthaginienses plura acerrima bella gessisset, et tandem ab illis captus fuisset, Carthaginienses, ut suos a Romanis captos recuperarent (multa enim millia Carthaginiensium a Romanis fuerant capta), inter legatos suos miserunt
A Marcum præfatum ad persuadendum Romanis ut pro Marco dimitterent Carthaginienses captivos, accepto juramento a Marco quod reverteretur, nisi pro ipso remitterentur ipsorum captivi. Marcus itaque Romam veniens et in senatum inductus, consuluit ut ipse remitteretur, nec Carthaginiensium captivi dimitterentur, quoniam non expediret reipublicæ Romanorum, ut pro ipso uno jam sene ac debili parumque utili, dimitterentur tot millia captivorum. Et acquieverunt senatores ejus
B consilio; et ipse Carthaginem rediit, quamvis sciret se a Carthaginiensibus atrociter occidendum.

Amplius, Alexander Magnus contra Porum regem Indiæ fortissime pugnans, quum jam de utriusque exercitu pars maxima corruisset, dixit ad Porum : Non decet reges sic perdere populum suum, sed oportet ut per se ipsum unus contra alium prælietur et suam ostendat virtutem. Stet populus tuus in una parte, et meus in altera, pugnemusque soli manu
C ad manum. Si occideris me, populus meus sit tuus ; si prævaluero contra te, populus tuus sit meus. Et factum est ita ; prævaluitque Alexander, et Porum occidit.

Multa similia de gentilibus principibus, rectoribus judicibusque leguntur. Et quamvis similia ac majora de fidelibus rectoribus atque judicibus utriusque Testamenti in Scriptura sacra ac libris historicis scripta sint, nihilo minus sancti Doctores facta gentilium fortia recitant, ut illorum exemplo præsidentes fideles provocentur
D ad meliora, atque gentilibus illis erubescant inferiores, imperfectiores injustioresque inveniri.

ARTICULUS V.

Quid sit prudentia, et de actibus ejus.

Ex quo prudentia judicibus atque rectoribus civitatum præcipue necessaria est, de ipsa prudentia, quid sit, et de actibus ejus, plenius clariusque est tangendum.

Itaque prudentia ab Aristotele dicitur A esse recta ratio agendorum ; ab Augustino autem, cognitio rerum appetendarum ac fugiendarum. Prudentia namque est virtus intellectualis illuminans rationem ad cognoscendum efficaciter quid vere expediat agere, et quid oporteat fugere ac vitare. Inter vires etenim quas Deus homini contulit, excellentissimæ sunt intellectus (seu ratio) et voluntas. Porro voluntas de se cæca est, et nisi per rationem dirigatur ac gubernetur, custodiatur et refrenetur, multipliciter atque gravissime peccat, et ruit B in præceps, tanquam equus absque freno discurrens. Nec ratio voluntatem dirigere valet, nisi et ipsa illustretur prudentia. Ad conversandum igitur virtuose, ad regendum alios fructuose, ad præsidendum atque agendum salubriter et honeste, necesse est rationem prudentia decorari. Hinc Plato rempublicam dixit beatam, quando a vere prudentibus gubernatur. Augustinus quoque quinto de Civitate Dei testatur : Illi qui vera pietate præditi sunt, si habent scientiam regendi populos, nil est felicius C rebus humanis quam si Deo miserante habeant potestatem.

Sap. vi, 26. Ideo ait Scriptura : Rex sapiens populi Ibidem. stabilimentum est ; et rursus : Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum. Unde Salomon, ut digne ac fructuose posset III Reg. iii, -9 ; v, 12. populo Israel præsidere, sapientiam a Domino postulavit. Ipse etiam sapientissimus Eccle. x, 6, 17. Salomon dixit : Væ tibi, terra cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt ; beata terra cujus rex nobilis est (id est virtuosus ac prudens), et cujus princi- D pes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, et non ad luxuriam. Hinc iterum Prov. iii, 3-15. loquitur : Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia : melior est acquisitio ejus negotiatione auri et argenti ; pretiosior est cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur, huic non valent compa- Ibid. vii, 4. rari. Dic sapientiæ, Soror mea es ; et prudentiam voca amicam tuam.

Denique Apuleius in libro de Deo Socratis ait : Si laudas virum quia dives est, hoc fortunæ debetur ; si quia fortis, ægritudine fatigabitur ; si quia nobilis, non ipsum sed parentes ejus laudas ; si quia pulcher, pulchritudo senectute recedet. Si vero laudas virum quoniam sapiens est et bonis moribus adornatus, tunc eum veraciter laudas : quia nec hoc ætate caducum est, nec casu pendulum, nec a progenitoribus hereditatum.

Præterea, actus prudentiæ sunt, aliarum virtutum actus dirigere, modum servare, quatenus omnia ordinate et honeste fiant I Cor. xiv, 40. in nobis. Ideo Salomon ait : Vir prudens Prov. xv, 21. dirigit gressus suos. Prudentia docet discretionem in cunctis tenere, et ad eam pertinet providere ut opera nostra Deo sint placita, nobis ipsis salubria et proximis exemplaria. Ad prudentem spectat fallere nolle nec facile falli posse, atque de rebus secundum veritatem judicare, exterioraque bona utiliter administrare. Prudentiæ est cavere ne aliquid leviter inchoetur, vel inchoatum ante perfectionem de facili relinquatur. Ejus quoque est inconstantiam devitare, seque in omnibus rationabiliter stabiliterque habere. Ideo Seneca ait : Si prudentiam amplecteris, ubique idem eris. Prudentis est in prosperis magis quam in adversis consulte agere ; nec solum cogitationes noxias, sed et otiosas cavere ; mentem ab inquisitione inutilium ac nimis difficilium cohibere ; causam factorum inquirere, alia ex aliis conjicere : prudens namque ex apertis obscura perpendit, ex parvis magna, ex propinquis remota, ex partibus tota, ex præsentibus futura ; et quando initium rei invenerit, de exitu cogitat. Prudentia quoque facit temeraria judicia evitare, nec nimis facile credere : quia et omnibus credere levitatis est, et nulli credere, infidelitatis.

Item prudentis est de dubiis non definire, sed suspensam tenere sententiam ; salubria, utputa beneficia Dei ac proximi, reminisci, et noxia, ut injurias, oblivisci ; moderantiam in loquendo tenere, quemadmodum scriptum est : Verba pruden- Eccli. xxi, 28.

Prov. x, 19. tium statera ponderabuntur ; et, Qui mo-
deratur labia sua prudentissimus est. Ad
prudentem pertinet non esse in sensu pro-
prio immansivum, sed docilem ac dirigi-
bilem ; nec se ipsum sapientem reputare,
nec sibi ipsi inaniter complacere, sed pro-
priam imperfectionem perpendere. Ideo
Ibid. III, 5. ait Scriptura : Ne innitaris prudentiæ tuæ;
Is. v, 21. et, Væ qui sapientes estis in oculis ve-
stris. Insuper ad prudentem pertinet in-
terdum considerationi vacare, quemadmo-
dum Seneca loquitur : Non semper in actu
sis, sed interdum animo tuo requiem da-
to ; et requies ista plena sit sapientiæ stu-
diis et cogitationibus bonis. Est quoque
prudentis correptiones gratanter suscipe-
Prov. IX, 8. re, prout Salomon ait : Argue sapientem,
Ibid. xv, 32. et diliget te ; et rursus : Qui acquiescit
increpationibus, possessor est cordis.

Postremo, prudens præterita recordatur, præsentia ordinat futuraque providet. De agendis diligenter consulit, acute inquirit; audita examinat, et his quæ non expediunt derelictis, ad operandum ordinate procedit ; atque cum congruo moderamine et ingenti cautela profert sententiam, præcipitationem et nimiam festinationem, tædiosam quoque dilationem et nocivam moram pro posse semper devitans.

ARTICULUS VI.

Quod nullus sit vere prudens nisi virtuosus; et qualiter homo fiat prudens, atque de impedimentis prudentiæ.

PRUDENTIA est virtus cardinalis ; virtutes autem tam a philosophis quam theologis connexæ dicuntur, ita quod una sine alia non habetur : nullus ergo habet veram prudentiam nisi etiam habeat justitiam, temperantiam, humilitatem, caritatem, patientiam, mansuetudinem, ceterasque virtutes. Quicumque ergo superbus est, avarus, luxuriosus, acediosus aut ceteris peccatis mortalibus inquinatus, vera caret prudentia.

Præterea, ad prudentiam pertinet bene
A judicare de agendis et de rebus et causis actibusque humanis, recte quoque consulere et apta media invenire ad obtinendum ac observandum bonum intentum ac debitum finem, qui est bonum commune, pax atque prosperitas reipublicæ aut personæ. Porro peccata passionesque animæ, ut superbia, concupiscentia carnis, ira, impatientia, invidia, avaritia, malitia, rationem excæcant, voluntatem inficiunt, et rectum pervertunt judicium : ita quod homo illis subjectus perverse insipienterque
B judicat, sequendo suas vitiosas inclinationes, non justitiæ regulas veritatisque leges, quemadmodum homo habens gustum humoribus malis perfusum, judicat dulce esse amarum, et oculus stans in fumo aut nebula, non limpide videt nec de coloribus congrue judicat. Hinc homines vitiosi et passionati non sunt vere prudentes. Et hoc Aristoteles ceterique doctores concorditer dicunt.

Denique cognitio de agendis quam habent mali, est quasi mortua atque invalida
C ad movendum voluntatem ad hoc quod cognito bono consentiat et cognito malo dissentiat ; sed cognitio de agendis quam habent boni, puta prudentia, non tantum illuminat intellectum, sed viva ac valida est, et movet voluntatem ut appetat prosequaturque bonum ac fugiat malum. — Sed his objici potest, quod aliqui homines vitiosi videntur valde prudentes in dando consilia et regendo ac præsidendo : imo quidam doctores in jure sunt vitiosi, et nihilo minus videntur prudentes atque
D idonei ad regimen communitatis. Respondendum est, quod in pravis hominibus frequenter est aliquid simile veræ prudentiæ, scilicet quædam naturalis industria aut nuda peritia ac vulpina astutia, et informis cognitio legum ac jurium, ex quibus interdum procedunt actus consimiles actibus prudentiæ ; frequentius vero ex illis procedunt actus injusti et communitati principibusque nocivi : imo homines tales vitia sua palliant et specie boni colorant, atque ex prudentia ac justi-

tia se judicare ac consilia dare confingunt, quum potius ex invidia, cupiditate et calliditate aut simili radice judicent ac consulant. Quod expertus Assuerus rex di- *Esther* xvi, 6. xit : Quidam aures principum simplices, et ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt.

Insuper est tangendum qualiter homo fiat veraciter prudens. Nunc autem de prudentia loquor prout est virtus acquisita, et ad rectores ac judices potissime pertinens. Virtutes autem acquisitæ generantur in homine ex multis actibus bonis multoties iteratis. Quemadmodum ergo ex hoc quod quis frequenter refrenat et vincit concupiscentias carnis et iracundiæ motus, generantur in eo castitas ac mansuetudo ; ita ex hoc quod quis frequenter considerat ac discernit, audit seu legit vel experitur quid expediat, quid noceat, quid sit agendum, quid vitandum, quid justum, quid injustum, generatur in eo prudentia, dummodo affectum suum conformare studeat suæ cognitioni. Itaque ad hoc quod homo fiat prudens, oportet eum ab exterioribus occupationibus et inquietudinibus sæpe vacare, et considerationibus agendorum et actuum humanorum insistere, legendo, audiendo, inspiciendo et experiendo. Hinc Plato asseruit, quod anima quiescendo fit prudens. Scriptura quoque *Eccli.* xxxviii, 25. testatur, quod qui minoratur actu, sapientiam percipiet. Sed et Salomon loquitur : *Prov.* i, 5. Audiens sapiens, sapientior erit. Hinc in *Eccli.* xxxiv, 9, 10. Ecclesiastico scriptum est : Vir in multis expertus, cogitabit multa ; et qui non est expertus, pauca recognoscit. Atque in libro *Job* xii, 12. Job legitur : In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.

Quemadmodum autem diversas mundi provincias perambulantes, multa videndo, audiendo, experiendo et considerando fiunt prudentes ; sic qui prudentissimorum virorum libros gestaque legunt, prudentes efficiuntur. Propter quod ait Scriptura : *Eccli.* xxxix, 1. Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens.

Postremo, ex his innotescit quæ sint A impedimenta prudentiæ. Siquidem impedimenta ejus sunt universa peccata mortalia, et immoderata occupatio circa exteriora, vehemens quoque sollicitudo et occupatio circa propria commoda et circa domesticos, quæ mentem impediunt a considerationibus eorum quæ pertinent ad bonum commune. Potissime autem a vera prudentia impediunt actus luxuriæ, per quam mens humana deprimitur, hebetatur ac bestialis efficitur. Similiter vitia gulæ, comessationes superfluæ, potationes, ebrie- B tates, rationem obscurant, animam inquinant, prudentiamque impediunt. Hinc ait Scriptura : Fornicatio et vinum et ebrietas *Osee* iv, 11. auferunt cor. Et Salomon protestatur : Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrie- *Prov.* xx, 1. tas ; quicumque his delectatur, non erit sapiens. Avaritia quoque amorem boni communis et veram aufert prudentiam : quia quanto quis immoderantius occupatur circa proprias commoditates et facultates, tanto minus curat de utilitate, prosperitate et opulentia reipublicæ.

C Idcirco antiqui judices ac rectores reipublicæ, non solum christiani, sed et gentiles, universa hæc prudentiæ impedimenta diligentissime abjecerunt, summoque studio intenti fuerunt prudentiæ, prout sequens declarat articulus.

ARTICULUS VII.

Qualiter antiqui judices ac rectores studuerunt sapientiæ, et avaritiam atque intemperantiam vitaverunt.

D DE victoriosissimo illo imperatore Julio, qui ingeniosus valde atque egregiæ indolis exstitit, quamvis paganus, legitur quod studiosissimus fuit ; cursumque solis investigans, dies per horas et momenta divisit, multos libros conscripsit, et quatuor epistolas simul dictasse asseritur. Præterea, teste S. Hieronymo, Ptolemæus rex Ægypti tam studiosus fuit, quod omnium gentium libros habere ac omnium nationum sapientiam discere la-

boravit. Alexander quoque rex maximus valde erat studiosus, et desiderio proficiendi in scientiis, maximis se periculis frequenter exposuit ; semper etiam tenuit secum prudentissimos viros, quorum consiliis utebatur in præliis ac arduis causis. Denique omnium gentilium imperatorum optimus Trajanus, libris diligentissime intendebat, et a suo magistro informabatur quotidie, atque tam fervide amavit scientiam, quod magistri sui Plutarchi prudentiam suæ imperiali prætulit potestati.

Insuper, de christianissimo imperatore Theodosio legitur, quod in die exercebatur in armis ac regni negotiis, et per noctes libros sollicite intuebatur : imo ad lampadem studens, propriis manibus oleum infundebat, sequens Platonem, qui interrogatus a quodam qualiter ad tantam sapientiam pervenisset, respondit : Quia de oleo plus consumpsi in lampade quam de vino in scypho. De Carolo quoque habetur, quod doctus valde exstiterit, et in studendo assiduus, libros Augustini sæpius legens : et nocturnis temporibus in lecto quiescens, considerationibus prudentiæ insistebat, quid reipublicæ expediret sollicite cogitans; quumque utile aliquid menti suæ occurreret, accenso lumine erigens se, illud mox scribebat, ne oblivisceretur. Sed et Justinianus imperator, qui legum libros composuit, in libris studiosissimus fuit.

Tantorum igitur principum exemplo provocentur et discant inferiores judices ac rectores frequenter prudentiæ operam dare, et quid expediat reipublicæ, quid jus exigat, solerter pensare.

Præterea narrat Valerius, quod dum Scipio Africanus obtinuisset Carthaginem, et multos inde obsides accepisset, inter ceteros missa est ei virgo eximii admirabilisque decoris. Quam quum cognovisset desponsatam esse cuidam nobilissimo civi Carthaginiensi, vocavit parentes puellæ, et reddidit eam illis intactam ; aurum quoque quod pro redemptione puellæ ei erat allatum, dotis nomine adjecit, ut cum illo A puella suo restitueretur sponso. Ob quam continentiam, benevolentiam liberalitatemque, sponsus puellæ corda omnium nobilium suæ gentis applicavit Romanis. Simile narrat Vegetius de Alexandro Magno : quia dum ei oblata fuisset puella pulcherrima cuidam principi desponsata, continuit se ab illa, ita quod nec eam adspexit, sed sponso suo remisit : quo facto principem illum universamque gentem ejus sibi reconciliavit.

Amplius, antiqui rectores ac judices Ro- B manorum avaritiam maxime devitaverunt, malentes rempublicam esse opulentam et rem domesticam inopem quam econtrario, commune bonum proprio præferentes. Refert namque Valerius, quod quum gens Ætolorum per legatos suos misisset Curio consuli Romanorum vasa argentea magni ponderis exquisitaque arte fabricata, quia legati illi retulerant genti suæ vidisse se vasa fictilia in consulis mensa ; jussit eos redire cum vasis suis, admonens eos ne continentiæ quasi paupertati succurren- C dum putarent. Recitat quoque Valerius de eodem consule, quia dum legati Samnitum venissent ad eum portantes magnum pondus auri, rogantes ut illud acciperet eoque uteretur, quia in lignea scutella cœnare solebat ; dixit ad illos : Supervacue mihi aurum portastis ; et Samnitibus dicite malle me divitibus imperare quam divitem fieri : ideo pretiosa hæc reportate, et scitote me auro non posse corrumpi.

Insuper, quum nobilissimus ille prin- D ceps Romanus Scipio accusaretur de pecunia apud senatum, respondit : Quum totam Africam vestræ potestati subjecerim, nihil quod meum sit inde reportavi, nisi cognomen, nec me Africanæ gazæ fecerunt avarum.

Imo quidam consules Romanorum in tanta paupertate domi vixerunt, ut mortuis eis sumptus funeris deesset et aliunde collatus sit. Quidam etiam Romanorum ab aratro quo jugera suæ terræ arabant, ad summa assumpti officia, quum victoriam

obtinuissent, officiis illis relictis, ad pristinam paupertatem elegerunt reverti, et obierunt in ea. Quidam quoque eorum ex suis officiis fuerunt ejecti, quia modicum thesaurizaverunt.

Si ergo gentiles judices ac rectores in tantum contempserunt propria commoda, avaritiam atque divitias, quatenus rempublicam facerent opulentam aptioresque essent ad vacandum prudentiæ : quanto magis christiani judices ac rectores sic agere debent ?

Postremo, de sobrietate principum clarissimorum multa leguntur. Siquidem potentissimus ille imperator Octavianus modicissimi ac vulgaris exstitit cibi, panem et caseum bubalinum, pisciculos ac virides ficus manducans. Hannibal quoque Carthaginiensium imperator, bellicosissimus princeps, tota die in regni negotiis se occupavit, ante noctem non requiescens ; et de nocte surgere consuevit atque de bono communi imperii cogitare; et in crepusculo ad cœnandum præbuit se vacantem, ciborum ac potuum oblectamenta contemnens, et somni torporem devitans.

Multa similia de sobrietate et parcitate cibi et potus excellentissimorum regum ac principum gentilium atque fidelium sunt conscripta. Quorum exemplis accendantur rectores ac judices civitatum, ne corda eorum graventur crapula vel ebrietate, sed sobrii semper sint, atque idonei ad considerandum in omni causa quid vere expediat.

ARTICULUS VIII.

Quod justitia ad judices et rectores reipublicæ maxime pertinet.

QUEMADMODUM asserit Augustinus, remota justitia quid aliud sunt regna atque imperia nisi magna latrocinia ? Sic quoque nisi in urbe servetur justitia, erit ipsa velut latronum spelunca, et nullus quod suum est pacifice possidebit. Quum

A ergo judices et rectores ad hoc constituantur, ut unumquemque conservent indemnem, et pacem communitatis procurent ac tueantur, oportet eos esse eminenter ac immobiliter justos, ut nullo tempore, nullo motivo contra justitiam agant, sed juxta inclinationem exigentiamque justitiæ in omnibus judicent : homines namque confugiunt ad judices suos tanquam ad justitiæ regulam ac præconem, et sicut ad juris patronum ac exsecutorem. Hinc Aristoteles loquitur, quod judex et princeps debet B esse quasi lex viva et animata justitia, quatenus sicut lux non novit nisi lucere, et calor non novit nisi calefacere, sic judex non noscat nisi justitiam exercere ac jura servare atque defendere.

Præterea, justitia est virtus unicuique quod suum est tribuens ; et ut aiunt viri perfecti, justitia est constans perpetuaque voluntas unicuique jus suum conservans ; atque ut Tullius scribit, primum justitiæ fundamentum est ne alicui noceatur, deinde, ut communi utilitati deserviatur. Hoc C ergo judices ac rectores politiæ indesinenter infatigabiliterque observent. Nam et gentiles præsides in observatione justitiæ ferventissimi ac tenacissimi exstiterunt, nec propriis filiis contra justitiam pepercerunt. Quum enim Romani expulissent regem suum Tarquinium Superbum, et loco regum consules substituissent, ac postea legati Tarquinii laborarent pro reductione ipsius ad regnum, duoque filii Furii * consulis Romanorum occulte tractassent pro reductione Tarquinii regis, D Furius consul, hoc cognito, ambos filios suos mox interfecit, pacem reipublicæ ac zelum justitiæ amori præferens filiorum. Torquatus quoque consul et princeps Romanorum proprium filium occidit, quoniam ipso ignorante contra hostes pugnavit, quum tamen ab adversariis fuisset provocatus ad pugnam eosque fortissime superasset.

* Junii Bruti

Insuper Zaleucus princeps, quum legem dedisset ut adulterii reus utroque oculo privaretur, et filius ejus adulterium per-

petrasset, jussit ei oculos erui. Populo autem concorditer supplicante ut parceret adolescenti, quum tandem importunitate populi vinceretur, ne derogaretur justitiæ, unum oculum fecit sibimet erui, alium filio.

Præterea Charondas princeps Thuriorum, quum ad sedandas populi seditiones jussisset ut si quis cum ferro aut gladio concionem intraret, mox eodem gladio necaretur, et ipsemet postmodum de longa rediens via concionem gladio accinctus sicut venerat introisset, et unus adstantium eum de solutione legis admonuisset; respondit : Ego illam protinus recuperabo. Statimque se proprio gladio peremit, malens pœnam institutam in se sustinere quam legem perire, quum tamen se potuerit excusare, quia ex inadvertentia legem solvit.

Si ergo gentiles judices ac rectores bonum commune et amorem justitiæ prætulerunt, non solum divitiis ac deliciis mundi, sed etiam propriæ vitæ, dilectioni quoque et vitæ carissimorum filiorum suorum : quanto magis christiani principes, judices ac rectores hoc facere debent?

ARTICULUS IX.

De his quæ requiruntur ad hoc quod rectores ac judices recte et digne ac meritorie judicent.

HOC ad omnem Christifidelem primo ac maxime pertinet, et ab ipso Deus id exigit, ut ex caritate Dei agat omne quod agit, atque ad gloriam et honorem Dei ordinet cuncta quæ facit. Propter quod ait Apostolus : Omnia vestra in caritate fiant; et iterum : Omne quod facitis, ad gloriam Dei facite. Quemadmodum enim anima est vita corporis, ita caritas Dei est vita animæ : sine qua caritate anima spiritualiter mortua est, ita quod nullum actum Deo placentem atque æternæ vitæ meritorium habet.

I *Cor.* XVI, 14.
Ibid. X, 31.

Itaque ad hoc quod judices et rectores digne ac meritorie judicent, primo exigi-
A tur ut in caritate Dei exsistant, et ex caritate Dei judicium eorum originaliter imperialiterque procedat, ut scilicet principaliter sic judicent, quia Deo sic placet, et quia ipse hoc exigit, et ut ipse glorificetur ex eorum judicio, et pax communitatis custodiatur.

Secundo requiritur ut judices sint justæ ac virtuosæ conversationis, ut ex zelo justitiæ inclinentur ad judicandum, nec per peccata mortalia reddantur ad judicandum indigni. Ideo antequam judicent alios,
B examinent semetipsos an in aliquo sint mortali peccato; et si sunt, aut judicare non audeant, aut antequam judicent de suis peccatis pœniteant, confiteri et emendare proponant, sicque ad judicandum cum humilitate et Dei procedant timore. Dictum est namque, quod judex debet esse quasi animata justitia et undique justitia adornatus, eminenterque justus ac justior ceteris. Hinc sanctus Moyses dixit ad filios Israel : Date ex vobis viros sapientes et gnaros, quorum conversatio sit probata
C in tribubus vestris, et ponam eos vobis principes ac judices. Jethro quoque naturali ac humana prudentia præditus, ait ad Moysen : Provide de omni plebe viros potentes et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam, et constitue ex eis qui judicent populum omni tempore.

art.præce
Deut. I,
Exod. XV
21, 22.

Tertio requiritur ut judices publica auctoritate fungantur, et jurisdictionem habeant super eum quem judicant, vel ratione fori aut ratione delicti in loco eorum
D commissi : quia, ut sanctus ait Gregorius, non licet falcem mittere in messem alienam, hoc est, non licet judicium exercere in non subditos.

Quarto exigitur ut judices secundum statuta et ordinem juris procedant, et legitimum modum observent, secundum allegata atque probata agendo. Hinc asserit S. Thomas, quod judex non debet in criminibus aliquem condemnare, nisi habeat accusatorem. Accusator quoque personaliter debet adesse, quum canon dicat : Per

Decret
p.II, cau
q.2, c.3.

scripta nullius accusatio suscipiatur. Quod A de accusatore absente accusationem in scriptis mittente Thomas exponit. Hinc, sicut in Actibus Apostolorum habetur, præses pro Pauli apostoli defensione dixit Judæis : Non est consuetudo Romanis aliquem damnare hominem, priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina quæ ei objiciuntur. Verumtamen publica diffamia et evidentia facti, id est sceleris perpetrati, locum supplent accusatoris : idcirco in talibus non B oportet secundum ordinem juris prætactum procedere.

Act. xxv, 16.

Quinto requiritur ut judices non cedant multitudini neque clamori multorum. Idcirco per Moysen Deus præcepit : Non sequaris turbam ad faciendum malum ; nec in judicio acquiescas sententiæ plurimorum ut a vero devies. — Sexto exigitur ut non nimis faciliter credant, sed causam quam nesciunt, cum omni diligentia inquirant atque discutiant, quemadmodum sanctus Job, judex et princeps justissi- C mus, loquitur de se ipso : Causam quam ignorabam, diligentissime investigabam.

Exod. xxiii, 2.

Job xxix, 16.

Septimo oportet ut judices non sint acceptores personarum, fovendo, palpando seu audiendo unum præ alio contra justitiam, sed ad omnes et singulos juste ac indifferenter se habeant. Ideo Moyses præcepit judicibus : Ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujusquam personam. — Octavo exigitur ut nullo timore declinent a recto judicio, imo mori malint et omnia damna pati quam injuste D judicare : præsertim quum omnis Christianus teneatur sic stare quod malit mori et omnia temporalia perdere quam mortaliter peccare ; et qui ita non stat, in mortali peccato est, quia non plus diligit Deum creatorem quam se ipsum et bona creata. Hinc ait Scriptura : Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte expavescas a facie potentis.

Deut. i, 17.

Eccli. vii, 6.

Nono requiritur ne immoderate compatiantur alicui in judicando. Propter quod Moyses loquitur : Pauperis non misereberis in judicio. Non enim miserendum est pauperibus in judicio in præjudicium partis adversæ, neque in tantum ut derogetur veritati et æquitati. Verumtamen judices exhibere se debent pios egenis, desolatis miserabilibusque personis, ut viduis, orphanis et pupillis atque pauperibus, audiendo et judicando causas eorum, quantum salvo jure fieri potest. Ideo ait Scriptura : In judicando esto pupillis misericors ut pater. Singulariter namque iniquum est et crudele opprimere tales. Ideo Salomon dicit : Non facias violentiam pauperibus, neque conteras egenum in porta. Per portam autem intelligitur locus judicii, quia in urbium portis judices antiquitus sedere ad judicandum solebant, ut facilius invenirentur ac haberentur ab omnibus. De immisericordibus et injustis quoque judicibus Deus per Isaiam prophetam conquerens, ait : Pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos.

Exod. xxiii, 3.

Eccli. iv, 10.

Prov. xxii, 22.

Is. i, 23.

Decimo oportet ut avaritiam detestentur, et munera spernant, quemadmodum Moyses loquitur : Non accipies munera, quæ excæcant etiam prudentes, et subvertunt verba justorum. In Ecclesiastico etiam scriptum est : Xenia et dona excæcant oculos judicum, et quasi frenum * in ore, avertunt * correptiones eorum. Hinc de avaris impiisque judicibus asserit Isaias propheta : Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Refert S. Bernardus de quodam judice justo ac magno, quod equum accepit a quodam viro divite ; quumque post paucos dies dives ille venisset ad judicem illum pro subventione in causa sua, judex respondit : Nesciebam te causam habere apud me ; ecce equus tuus in stabulo stat, vade et recipe illum. Unde et Tullius scripsit : Quomodo poterit aliis juste dominari aut judicare, qui propriis cupiditatibus non dominatur ? — Undecimo oportet ut nullas recipiant preces in præjudicium alterius partis aut æquitatis.

Exod. xxiii, 8.

Eccli. xx, 31.
* mutus
* avertit

Is. i, 23.

Duodecimo exigitur ut carnalem et inor- A dinatum amorem ac odium penitus deserant, quoniam talis amor et odium pervertunt judicium. Propterea Cicero dixit: Exuit personam judicis, qui induit personam amici aut inimici. Hinc Aristoteles protestatur, quod homo non est bonus judex sui ipsius, quia nimis amat semetipsum, nec etiam hostis sui, quoniam odit eum. Verumtamen intelligendum est hoc de homine imperfecto : siquidem homo in virtutibus perfectus, se ipsum spirituali diligens amore, et dono sapientiæ illustratus, B optime judicat de se ipso, nec carnali et inordinato excæcatur amore, nec odio alicujus, imo inimicos suos veraciter diligit, et bona pro malis rependit. Denique legitur quod Cambyses rex Persarum unum judicum suorum fecit vivum excoriari, quoniam judex ille quemdam ex odio condemnavit. Cutem quoque judicis excoriati jussit sedi judiciariæ superponi, filiumque excoriati in ea sedere, ut pœnam patris sui jugiter recordaretur, nec aliquem judicaret injuste. Itaque gravis- C sime peccant qui ex ira, impatientia, indignatione aut displicentia pervertunt judicium atque injustam ultionem exercent. Hoc namque est contra Dei præceptum, contra fraternam caritatem, et contra justitiam : ideo est enorme ac mortale peccatum. Judices quippe rationem sequi tenentur, non animositatis aut impatientiæ motum. Qui autem in judicando causas subditorum sua odia vel gratiam sequuntur, injuste indigneque judicant, ut ait Gregorius. — Tertiodecimo exigitur ut ve- D ra decorentur prudentia et sufficienti jurium suorum scientia, quatenus in judicando sapienter ac discrete procedant.

Postremo judicibus est cavendum ne ex his quæ audiunt, ad iram, impatientiam aut invidentiam provocentur, sicque ex impetu passionis ferant sententiam : corde enim tranquillo, maturo ac timorato est proferendum judicium. Ira autem et impatientia faciunt hominem stulto consimilem. Propter quod Salomon exhortatur : Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. *Eccle.* VII, 10. Et rursus affirmat : Qui patiens est, multa gubernatur prudentia ; qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. *Prov.* XIV, 29. Ideo Jacobus ait apostolus : Sit omnis homo tardus ad iram, quoniam ira viri justitiam Dei non operatur. *Jacob.* I, 19, 20. Unde mansuetudo omni prælato ac judici valde necessaria est.

ARTICULUS X.

Quod judices teneantur frustratorias dilationes et tædiosas ac non necessarias moras præscindere ac vitare.

NATURALE jus est, ut unusquisque faciat alteri quod sibi rationabiliter vult fieri, nec alteri faciat quod sibi non fieri optat. Ideo in Evangelio docet ac præcipit Christus : Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc eadem facite illis. *Matth.* VII, 12. Et justus ille Tobias disseruit : Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alii facias. *Tob.* IV, 16. Ad observantiam autem juris naturalis omnes maxime obligantur. Hinc ait S. Gregorius Papa : Ita nos habere debemus ad subditos nostros, sicut vellemus illos se habere ad nos, si ipsi nobis præessent. Scabini igitur ac judices ceteri ita tenentur causas sibi propositas expedire, qualiter vellent proprias causas expediri ab aliis, si illi ipsorum judices essent. Peccant ergo contra jus naturale, dum ita non agunt, sed protractiones non necessarias inserunt et innectunt. Insuper, sic agendo peccant contra jus positivum, tam canonicum quam civile. Etenim Bonifacius Papa affirmat : Cordi nobis est lites minuere, hoc est causas expedire, atque negotiis celerem terminum, quantum rationabiliter fieri potest, imponere. Et ad hoc probandum possent quamplurimæ auctoritates utriusque juris adjici. Ista quoque dilatio est contra sanctorum Patrum doctrinam. Nam S. Bernardus in libro de Consideratione ad Eugenium Papam dilationes istas vehementer vituperat. Sunt

enim in gravamen et damnum, in laborem A ac tædium pauperum seu etiam aliorum, potissime innocentium et justorum.

Præterea, regula est apud omnes theologos ac juristas, quod quicumque infert alicui damnum injuste, tenetur ei ad restitutionem. Et frequenter non sufficit restituere simplum quod injuste ablatum est, sed necessarium est ad salutem etiam satisfacere pro damno quod alter perpessus est carendo re sua : quam si habuisset, lucrum cum ea fecisset. Certumque est, quod non solum infertur alicui damnum B injuste per hoc quod res sua sibi abstrahitur, sicut in rapina et furto, sed per hoc quod debita sua sibi tempore præfixo non persolvuntur, seu ea quæ ad ipsum de jure pertinent, sibi non adjudicantur tempore debito, secundum formam atque tenorem juris naturalis atque positivi, ab his quibus ex officio judicare incumbit. Judices ergo qui per dilationes et protractiones irrationabiles et injustas, hoc est non necessarias, sed frustratorias et vexatorias, sunt aliis causa damni, ad restitutionem C damni eis coram Deo tenentur. Et ultra hoc graviter peccant, aliis gravamen, tristitiam, tædium et laborem irrationabiliter inducendo. Imo justum contristare injuste tam grave est peccatum, ut Deus in Eze-
Ezech. xxii, 7. *Ibid.* 3 et seq. chiele propheta enumeret hoc inter idolatriam, homicidium, violationem propriæ sororis, ac similia scelera maxima.

Postremo, judiciaria potestas superiorum ordinatur ad bonum commune reipublicæ, scilicet ad mutuam amicitiam, pacem et utilitatem plebis ac civium. Judices igitur D et rectores sua potestate judiciali uti tenentur secundum quod expedit pro mutua amicitia, pace utilitateque populi ; sed ex præfata dilatione oriuntur aversiones et displicentiæ, turbationes et damna in plebe : idcirco omnino vitanda est. Si autem (quod absit) scabini seu judices dilationes inducerent ex mala radice, videlicet non solum ex negligentia, dubitatione seu ignorantia juris, sed ex ultionis affectu, ex impatientia, invidentia aut displicentia alicujus ; tunc esset ineffabiliter enorme ac mortale peccatum, subversio juris atque abusio judiciariæ potestatis, et contra caritatem fraternam.

Judices ergo causas sibi propositas, præsertim causas pauperum et religiosarum ac miserabilium personarum, celerius quo congruenter queunt, expediant. Ideo namque per Moysen Deus præcepit populo Israel, Judices constitues in portis urbium *Deut.* xvi, 18.
tuarum, quatenus omnes causam habentes promptissime judices invenirent celeremque expeditionem acquirerent. Salomon quoque ait : Vidisti hominem velocem *Prov.* xxii, 29.
in opere suo ? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles. Judices ergo juste atque velociter quod justum est prosequentes, digni sunt coram regibus et principibus apparere : imo summo Judici, Deo altissimo, certum est eos placere. Et sicut, juxta Apostolum, hilarem datorem diligit *II Cor.* ix, 7.
Deus ; ita et celerem debiti solutorem ac juris exsecutorem velocem diligit Altissimus.

ARTICULUS XI.

Quod illi qui in magnis peccatis sunt, indigni sunt judicare eos qui in iisdem aut in minoribus sunt peccatis.

ORDO caritatis atque justitiæ exigit, ut qui alium vult purgare, judicare aut castigare, primo purget, judicet ac castiget se ipsum : quia post Deum homo tenetur maxime diligere semetipsum. Indignus quoque est esse publicus minister justitiæ, et sedere in solio æquitatis ac juris exsecutor exsistere, qui per vitam vitiosam quotidie justitiam violat, leges divinas transgreditur, et contra naturale ac positivum jus agit. Talis autem est omnis homo qui præcepta Dei et Ecclesiæ non observat, qui aliis facit quæ sibi fieri non vult.

Hinc sancti patres Ambrosius atque Chrysostomus dicunt, quod illi qui sunt in magnis seu mortalibus vitiis, indigni sunt judicare illos qui in iisdem aut mino-

ribus culpis sunt; et si judicent illos, præsumptuose faciunt, atque se ipsos majori damnationi reddunt obnoxios. Nam, ut ait
Rom. II, 1. Apostolus, in quo alios judicant, se ipsos condemnant, eadem enim faciunt. Ideo
Ibid. 21. rursus dicit Apostolus : Qui alium doces, te ipsum non doces. Itaque, si judices essent adulteri, aut concubinarii, aut usurarii, aut similibus magnis sceleribus inquinati, non liceret eis aliquem judicare seu condemnare pro furto, quum adulterium et usura ac concubinatus consuetudinalis sint multo graviora peccata quam furtum, quamvis secundum humanas leges minus puniantur quam furtum. Et ista, ut S. Thomas scribit, potissime vera sunt quando peccata judicum publica sunt : quia tunc scandalum oriretur, si judicarent. Si vero occulta sint et judicandi necessitas instet, possunt propter officium cum humilitate ac Dei timore judicare, dummodo ex corde pœniteant et emendationem firmam proponant.

Ex his innotescit quam periculosa atque damnabilis sit vita judicum et rectorum communitatis qui in manifestis ac gravibus sunt peccatis, ut sunt adulteri, usurarii, fornicatores, ebriosi, et similes : qui prorsus indigni sunt præesse et judicare; nec in urbibus boni regiminis præesse sinuntur. Unde de multis virtuosis atque prudentibus regibus ac principibus legitur, quod tales homines publice vitiosos nequaquam ad officia promoverunt, nec in suis reliquerunt officiis, nisi se protinus emendassent.

ARTICULUS XII.

De variis causis ob quas judices et rectores dare se debent ad conversationem justam, virtuosam et exemplarem.

Luc. XII, 48. SALVATOR noster in Evangelio ait : Cui plus datum est, plus requiretur ab eo. Itaque judices et rectores communitatum quanto sibi præ ceteris civibus plura atque majora dona a Deo cognoscunt collata, id est majorem prudentiam, nobilitatem, opulentiam, potestatem et eminentiam, eo ad ampliorem perfectionem justitiæ ac virtutum tenentur; et quo plura desuper bona sortiti sunt, eo plus obligantur Deo esse subjecti et grati, hoc est magis humiles, devoti ac timorati.

Præterea, judices et rectores tenentur ad vitam virtuosam non solum in quantum sunt christiani, sed insuper ratione sui officii, quod (sicut frequenter prætactum est) digne et absque grandi periculo ac peccato exercere non valent nisi (art. III, VIII, IX, XI.) sint vere justi atque prudentes, nec eadem nec majora peccata committant quam sunt quæ judicant et condemnant in aliis.

Insuper, in exordio hujus tractatus ostensum est, quod ex prudentia, justitia et diligentia judicum et rectorum, dependet pax, amicitia et prosperitas, virtus et bonitas communitatis; ex imprudentia vero, injustitia et negligentia judicum et rectorum, sequuntur et oriuntur diversa et gravia mala et damna ac vitia in republica. Itaque, quanto major fructus oritur ex vita virtuosa ac justo regimine judicum ac rectorum, tanto diligentius dare se debent ad conversandum ac præsidendum et judicandum juste et virtuose; quanto etiam plura et majora mala sequuntur in communitate ex eorum vita et præsidentia injusta ac negligenti, tanto ferventius vitare debent omnem iniquitatem, negligentiam et indiscretionem.

Amplius, ad idem induci debent ex consideratione ineffabilis magnitudinis felicitatis et gloriæ quam a Deo suscipient si virtuose et juste se habeant, itemque ex consideratione inæstimabilis damnationis et pœnæ infernalis quam acquirent si injuste vitioseque vixerint. Quum enim bene se habendo sint causa multiplicis boni in communitate, atque injuste se habendo sint causa multiplicis mali in ea; constat quod pro omni bono quod in communitate ex eis fit, præmiabuntur a Deo, et pro omni malo quod ex ipsorum injustitia et negligentia provenit populo, punientur.

Denique ad vitam timoratam ac virtuosam inducere debet judices et rectores consideratio metuendi ac districtissimi judicii Dei quod imminet eis; quemadmodum scriptum est in libro Sapientiæ : Audite et intelligite, judices terræ, quoniam data est vobis a Deo potestas, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes vestras scrutabitur : quoniam quum essetis ministri regni illius, non recte judicastis neque custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis, horrende et cito apparebit vobis; quoniam judicium durissimum in his qui præsunt fiet. Judices ergo et rectores quotidie profunde advertant quia in brevi oportebit eos præsentari ante tribunal Regis ac Judicis summi, et judicari ab eo de omni judicio quod judicaverunt in mundo. Et quid faciet Judex ille altissimus de injustis judiciis, qui ipsas quoque justitias judicabit, qui male judicata rejudicabit et nil indiscussum relinquet?

Sap. VI, 2, 4-6. — *Ps.* LXXIV, 3.

Postremo, quamvis quilibet Christianus teneatur proximis suis bonum exhibere exemplum et vitare ne aliquem scandalizet, unde curare debet ut bonæ sit famæ, non ob propriam laudem, sed ad gloriam Dei ædificationemque proximi, quatenus Deus in servis laudetur suis et glorificetur; judices tamen et rectores ac omnes qui præsunt, tenentur præcipue exemplares exsistere et scandala evitare. Dum etenim superiores impie vivunt, inferiores securius peccant : imo culpa in imitationem vehementer trahitur, quando transgressor propter potestatem sive officii dignitatem honoratur, ut ait Gregorius. Enormiter ergo peccant in officiis constituti qui gravia peccata committunt, quum asserat Augustinus : Qui in conspectu populi male vivit, quantum in ipso est, eos a quibus attenditur, occidit : imo tot mortibus, tot æternis damnationibus dignus est, quantis exempla perditionis ostendit ac præbet. Hinc ait Salvator : Væ homini illi per quem scandalum venit; et iterum : Qui scandalizaverit unum ex A his pusillis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Quanta ergo damnatio erit eis qui totam communitatem scandalizant?

Matth. XVIII, 7. — *Ibid.* 6.

ARTICULUS XIII.

De aliquibus documentis ad judices ac rectores reipublicæ pertinentibus.

LEX Christi est lex totius caritatis ac B pietatis. Ideo christiani judices et rectores, quamvis interdum propter bonum commune teneantur circa maleficos rigorem justitiæ observare, hoc tamen facere debent non ex crudelitate, sed ex caritate sincera et zelo justitiæ, ut iniqui in hoc sæculo pro suis excessibus puniantur, sicque purgentur, ne æternaliter condemnentur. Judices itaque et rectores in reorum cruciatibus delectari non debent, sed potius condolere : possunt tamen gaudere de observatione justitiæ, et quod paci com- C munitatis providetur, et impietati finis imponitur.

Præterea, quum omnes prælationes, dignitates, principatus atque officia christianæ religionis sint quædam obsequia in bonum subditorum ordinata, et ad communitatis utilitatem, non ad propria commoda præsidentium, referenda; idcirco judices et rectores politiæ superbire non debent, nec sibi ipsis inaniter complacere aut ceteros aspernari, sed servos ceterorum se reputare : præsertim quum sum- D mus omnium Christianorum pater, prælatus, rector et judex, videlicet dominus Papa, servum servorum Christi se scribat ac nuncupet. Imo, quia prædictum est quod judicibus atque rectoribus districtius judicium instat quam aliis, et quod quanto pluribus præsunt, tanto majoribus periculis exponuntur et onere graviori premuntur, atque ad majorem perfectionem virtutum et pleniorem observationem justitiæ obligantur; hinc præ ceteris hominibus debent esse timorati ac humiles,

art. præced. — *Sap.* VI, 6.

custoditi et coram Deo solliciti ac devoti. A Et sicut volunt sua præcepta a subditis observari, sic et multo plus debent ipsi præcepta Dei et Ecclesiæ adimplere, tempus suum fructuose expendere, divina Officia frequentare, nec solum unam Missam audire, sed etiam quantum bono modo possunt Matutinas ac Vesperas et ceteras Horas, dum vacat eis, devote quotidie visitare ; et nequaquam potationibus et confabulationibus vanis ac vitiosis insistere : qui enim hoc faciunt, innumerabilia vitia incidunt ; nec diu vitare possunt peccata B mortalia qui non sunt solliciti venialia vitare peccata.

Postremo, concubinam habere prorsus damnabile est, et quælibet incontinentia excæcativa ac indurativa est cordis humani. Potissime autem adulterium gravissimum est peccatum multipliciterque mortale. In ipso namque est fractio voti, id est violatio fidelitatis quam conjugati sibi invicem promiserunt, videlicet ad aliam non accedere personam ; fractio autem voti, secundum doctores, est gravius pec- C catum quam perjurium : sicque adulter est pejor perjuro. In adulterio quoque est sacrilegium, id est abusus rei sacræ. Quum enim Matrimonium sit sacramentum Ecclesiæ, matrimonium contrahentes consecrantur ac benedicuntur : et sic corpora eorum ad virtutum opera deputantur et ordinantur, ut scilicet unus alteri debitum reddat, et ad hoc invicem se cognoscant, ut prolem acquirant educandam ad cultum Dei, in qua prole fides et obsequium Christi augeantur. Dum ergo vir aut uxor D alteri commiscetur, corpore suo abutitur, et sacrilegii crimen illabitur. Insuper in adulterio est furtum et rapina : quia, ut

I *Cor.*VII,4. ait Apostolus, vir corporis sui potestatem non habet, sed mulier, et econtrario. Dum ergo vir alteri commiscetur, subtrahit conjugi suæ quod ei debetur : et si facit hoc clam, furtum est; si palam et uxore invita, rapina est. Ex his elucescit quam enorme quamque multipliciter mortale crimen sit

art. præced. adulterium. Præterea tactum est quam magnum peccatum sit alium injuste contristare ac scandalizare. Per hoc autem quod vir uxori suæ fidem non servat, valde eam contristat, et occasionem adulterandi præbet eidem. Idcirco enormiter peccat, potissime si eam omnino expellat, causa fornicationis excepta : ob quam tamen non licet marito adultero uxorem pellere, quum ipse in eodem sit crimine.

Denique, in conjugatis debet esse continentia conjugalis, ut temperate invicem se utantur, videlicet causa reddendi debitum, vel amore prolis ad Dei obsequium educandæ, et tunc actus ille conjugalis non est peccatum ; vel causa vitandi fornicationem : et si fiat causa fornicationis vitandæ in contorali, non est peccatum ; si vero fiat causa fornicationis vitandæ in se ipso, dicunt aliqui quod sit veniale peccatum. Porro, si vir cognoscat uxorem ex concupiscentia prædominante, id est tam magna, quod eam cognosceret quamvis non esset uxor sua, est mortale peccatum : quia non maritali sed adulterino affectu eam accedit. Unde ait S. Hieronymus, quod omnis amator ferventior, est adulter. Et idem est, si uxor ex concupiscentia prædominante jungatur marito. Si autem conjugati cognoscant se ex concupiscentia non prædominante, sed infra limites matrimonii stante, ita quod non cognoscerent se nisi matrimonialiter essent juncti, tunc est veniale peccatum. Hæc nunc breviter tango, quia in aliis opu- *Cf.* sculis plenius ea scripsi. t. XXXVII, p. 273 B et s., 420 A' et s.

Postremo, ad correptionem fraternam omnes Christiani tenentur, in quantum correptio delinquentis est actus caritatis. Judices autem et rectores ultra hoc tenentur ad delinquentium correptionem, in quantum correptio ista est actus justitiæ. Idcirco dum vident aut sciunt aliquem excedentem et contra bonum commune agentem, seu aliis injuriantem, debent eum corripere. Filios quoque suos et filias debent educare, et in bonis moribus formare, atque dum peccant, corrigere. Sed et familiam et operarios corripere obli-

gantur, dum in verbis aut factis excedunt, quum asserat Augustinus : Si neglexeris corripere, pejor efficeris illo qui peccavit. Et ut homo sit dignus corripere alios, debet in primis corripere ac emendare se ipsum. Porro, ut Tullius protestatur, in vindicando seu corrigendo, hæc tria lex secuta est, quæ princeps quoque et judex sequi debet : ut aut eum quem punit emendet, aut pœna ejus ceteros meliores reddat, aut ut malis sublatis, ceteri securius vivant.

ARTICULUS XIV.

Qualiter sit consulendum.

Ad judices et rectores communitatis præcipue pertinet consulere, id est inter se inquirere et conferre quid expediat agere et quid vitandum sit, aliis quoque dare consilium, id est insinuare quid eis expediat.

Ad hoc ergo quod aliquis sit bonus consiliarius, primo oportet quod sit prudens et bene considerativus ; multum quoque prodest experientia. In consiliis namque oportet universa considerare, et pro utraque parte motiva adducere, et quæ majoris sunt ponderis bene attendere, atque futura pericula præcavere, et quæ accidere valeant prævidere ; omnibus quoque hinc inde pensatis, id quod certius et facilius atque utilius est eligere, definire, agere, aut vitare. Quum ergo omnia ista in consulendo sint attendenda et peragenda, recte Aristoteles dixit, quod oportet diu consultare (videlicet cum maturitate et bona deliberatione), sed bene consultata velociter exsequi. Hinc præcipitatio et nimia festinantia contrariantur consilio.

Secundo, ad hoc quod aliquis sit bonus consiliarius, oportet quod sit justus, ita quod non quærat inaniter alicui complacere, nec sit adulator, nec cupiat sapiens apparere vel reputari, sed quærat bonum commune, nec aliud quam veritatem et æquitatem intendat. Oportet ergo ut con-

A siliarii civitatum sint viri constantes, non leves, et potius cupiant bonum commune quam propria commoda, nec ex aliqua cupiditate, rancore aut inordinato amore a veritate et æquitate declinent.

Præterea, in consulendo omnia ordinate sunt facienda, ut unusquisque consiliariorum suo loco et tempore libere et mature loquatur, diligenter quoque, patienter atque pacifice audiatur. Nec aliquis suum sentire pertinaciter defendere debet, sed quod majori ac saniori parti consiliario-
B rum rectius utiliusque videtur tenendum est. Quum itaque in consulendo indigeat homo multiplici et acuta consideratione, valde vitandæ sunt tempore consilii ira et impatientia, clamor confusus et omnis turbatio : quia per hæc ratio excæcatur, consideratio impeditur, discordia generatur, utilitasque consilii tollitur, et bonum reipublicæ periclitatur. Hinc mansuetudo consiliariis necessaria est. — Insuper, ut Aristoteles docet, moderatus timor facit hominem bene consiliativum : quoniam
C timor sollicitudinem ac diligentiam gignit ; diligentia autem providentiam causat, et facit hominem multa vitare pericula, sicque coadjuvat ad consulendum idonee.

Præterea, quam utilissimi ac saluberrimi sint communitatibus consiliarii boni, sacra Scriptura copiosissime contestatur.
Salomon enim effatur : Erit salus ubi *Prov.*
multa consilia sunt ; itemque : Dissipan- xxiv, 6. *Ibid.* xv, 22.
tur cogitationes ubi non est consilium, ubi vero sunt plures consiliarii, confirmantur. In Ecclesiastico quoque scriptum
D est : Fili mi, sine consilio nihil facias, *Eccli.*
et post factum non pœnitebis. Hinc To- xxxii, 24.
bias dixit ad filium suum : Consilium sem- *Tob.* iv, 19.
per a sapiente perquire. Nam, ut Salomon
loquitur, consilia impiorum sunt fraudu- *Prov.* xii, 5.
lenta.

Postremo, prudentia sive consilium plus valet et expedit urbibus quam fortitudo et apparatus armorum, quemadmodum Salomon ait : Civitas parva, et viri pauci in *Eccle.* ix,
ea ; venit contra eam rex magnus, et val- 14-16.
lavit eam ; inventusque est in ea vir pau-

per et sapiens, et liberavit eam per sapientiam suam : et dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine. Ideo rursus in libro Sapientiæ scriptum est : Melior est sapientia quam vires, et vir prudens quam fortis. Unde de Romanis in primo Machabæorum libro habetur, quod obtinuerunt omnia loca consilio suo. Tullius quoque affirmat : Parva foris sunt arma, nisi consilium domi sit. Et Seneca asserit : Melius vincit homo consilio quam iracundia.

Sap. VI, 1.

I *Mach.* VIII, 3.

ARTICULUS XV.

De aliquibus documentis magistri Henrici de Hassia, pertinentibus ad bonum regimen civitatum.

DOCTOR ille præcipuus ac virtuosus, magister Henricus de Hassia, ad instantiam consulum et rectorum ac civium civitatis Viennensis tractatum de Contractibus compilavit, in quo plura inseruit documenta ad regimen urbium valde utilia : inter cetera dicens, quod una causa caristiæ sive penuriæ in politiis est ex impropitio cursu naturæ, quo Deus immittit famem seu rerum caristiam in pœnam vitiorum populi, terræ seu communitatis : et ista caristia patienter est toleranda tanquam Dei flagellum, atque per pœnitentiam placandus est Deus. Aliæ causæ caristiæ sunt, desiderium divitiarum, amor carnalium deliciarum et appetitus honorum, ac otiositas plurimorum. Ex desiderio namque divitiarum contingit quod aliqui de bonis utilibus tanta accumulant ac reponunt, quod ceteri ex hoc patiuntur defectum. Multitudo quoque voluptuosorum ac superborum multa inutiliter ac immoderanter consumentium, facit in communitate esse paucitatem rerum venalium, sicque inducit caristiam. Item ex multitudine otiosorum et impeditione eorum qui res de loco ad locum deferre solent, et ex bellis atque ex paucitate ac perturbatione laborantium in rure, contingere potest caristia.

Verumtamen ubi et quando modo præfato contingit caristia, præsides et rectores civitatum succurrere possunt ac debent communitati variis modis, utputa : pretium rationabile secundum exigentiam rerum quæ habentur taxando, fraudes mensurarum ac ponderum puniendo, divites avaros ad vendendum superflua compellendo, mercatores ad abundantes regiones mittendo, abductores rerum de civitate vel regione prohibendo, imo civibus ne abductoribus vendant jubendo ; insuper inutiles de civitate (si congrue fieri potest) ejiciendo, otiosos ad labores utiles compellendo victuique necessarios exercendos.

Hinc potest perpendi quam perverse ac impie agunt civitatum rectores qui tempore caristiæ non procurant ut necessaria vitæ adducantur aliunde, imo prohibent ea adduci, ut sua ad libitum possint carius vendere. Quis horum impiissimam avaritiam et iniquitatem valeat æstimare, qui indigentes quos toto posse relevare tenentur, indigentiores efficiunt, et ut se ipsos superflue ditent, egenos ad extremam perducunt inopiam ? Isti non præsunt ut bonum commune procurent, sed ut proprium bonum nequiter cum aliorum incommodo miserabilique defectu accumulent.

Pensent ergo cur homines in urbibus sub certis rectoribus communitatis congregentur : nonne idcirco ut quilibet civium per diligentiam rectorum sufficientius secundum suum statum de vitæ necessariis habeat, pace gaudeat, felicius vivat ? Quid namque est politice gubernare, nisi populum ad hæc obtinenda et conservanda dirigere ? Unde qui ita non regunt ac præsunt, non merentur dici reipublicæ directores ac politiæ rectores, sed destructores : quorum avaritia et injustitia frequenter parit seditiones et insurrectiones populi contra ipsos. Audiant hæc impii quidam qui præsunt ut sibi provideant : qui non curant quid alii patiantur, dummodo ipsi ditentur ; qui sumptis muneribus, permittunt unumquemque vendere quam care vult ; qui pauperes permittunt iniquis gravari contractibus ; qui fraudes mensura-

rum ponderumque non puniunt; qui quos- A libet avaros ac divites necessaria vitæ claudere sinunt; qui statuta sibi, non communitati, utilia faciunt; qui juxta exigentiam defectus vel abundantiæ aut mediocritatis rerum utilium, pretium rationabile rebus venalibus non imponunt; qui non student omni industria providere necessitatibus populi præsentibus ac futuris. Istis atque similibus modis fieri solet sive augeri caristia seu fames per eos, quorum providentia communis indigentia relevari debebat : quo revera nihil detestabilius B damnabiliusque consistit. Itaque civitatibus præsidentes nec propter munera, nec ex negligentia aut imperitia permittant pro arbitrio aut cupiditate ementium atque vendentium crescere et decrescere pretium rerum venalium, neque quantificent illud ad propriam utilitatem, sed communitatis.

Insuper doctor iste multipliciter probat et asserit, quod emptio et venditio reddituum ad vitam, civitatibus et reipublicæ plurimum obest : quia, ut ait, licentia ge- C neralis emendi redditus ad tempus, otiosos, qui reipublicæ inutiles exstant, multiplicat; pauperes gravat, hereditates onerat et tandem alienat; avaritiam quoque amplificat, et pecuniarum facit caristiam, dum multi colligunt eas ut redditus emant ad vitam. Ideo communitatum rectores non debent sine causa multum rationabili vendere redditus tales, præsertim quia qui solvunt hujusmodi redditus, cupere solent mortem eorum quibus eos annuatim persolvunt, et gloriari dum illos obisse co- D gnoscunt : quod est enorme et valde mortale peccatum, quoniam unusquisque tenetur multo plus proximum suum et vitam ipsius diligere quam omnia ista exteriora, temporalia et terrena. Judices ergo et rectores urbium nequaquam cupiant mortem illorum quibus tenentur; nec agnita illorum morte intimorate lætentur, exclament aut rideant, sed orent pro illis : nihilo minus gaudere possunt modeste de relevamine suo aut communitatis.

ARTICULUS XVI.

Qualiter Judæi permittendi sunt habitare inter Christianos.

DOCTOR præfatus in tractatu præallegato multa conscribit de cohabitatione Judæorum inter Christianos, inter cetera dicens : Quando Judæi propter scelera sua de propria regione expellebantur, atque in universis gentium regionibus vendebantur, in nullo populo tantam pietatem et humanitatem experiebantur sicut in populo christiano. Judæi namque qui olim a gentilibus principibus tenebantur captivi, gravioribus subdebantur ac fatigabantur laboribus quam alii homines, et nullatenus permittebantur vivere otiosi ex usuris, ut nunc a quibusdam Christianorum principibus seu rectoribus male consultis vivere permittuntur. Nec olim, fervente adhuc in populo christiano terrenorum contemptu, sic tenebantur; sed ex avaritia christianorum præsidentium modus iste processit : et quoniam homines cupiunt vivere otiose, et absque labore omnibus necessariis abundare, idcirco Judæi in quibusdam Christianorum urbibus ultra modum multiplicati sunt, Christianorum bonis impinguati atque ditati.

Verumtamen populus christianus electus perfectæ caritatis ac pietatis, ob varias causas permisit sibi cohabitare Judæos. Primo, propter conversionem ipsorum. Secundo, propter recentiorem Christi memoriam et fidei confirmationem. Dum enim a Christianis quotidie inspiciuntur Judæi, qui ideo dispersi sunt quoniam Christum occiderunt, Christiani roborantur in fide. Tertio, ut certissime constet sacras Scripturas populo Israelitico olim traditas, integre a Christianis haberi. Quarto, propter reverentiam Patriarcharum ac Prophetarum. Quinto, quia (ut ait Salvator) salus ex Judæis est. *Joann.* IV, 22. Christus namque et sancti Apostoli ex semine Judæorum sunt nati. Sexto, propter adimpletionem præcepti caritatis, quod christianus populus implet

dum adversarios suos Judæos sibi cohabitare permittit; si tamen permittantur cohabitare per modum quo non fiant pejores, et qui liceat Christianis. A

Denique tribus modis Judæi a Christianis teneri consueverunt, videlicet, in statu laboratorum tantum, et in statu usurariorum tantum, et in statu ex utroque permixto. Primus modus convenientissimus est : quia si Judæi laborarent in agris, silvis et aquis ac ceteris mechanicis operibus, facilius converterentur, vexatione intellectum eis præstante ; et conversi, de suis laboribus ac bonis prioribus licite sustentarentur ; a Christianis quoque plus amarentur, eo quod cum eis ferrent onus laborum ac reipublicæ deservirent, essentque civiliores ; nec sic plerumque a furente contra eos populo christiano occiderentur ; nec tantum peccarent, quia ex otio varia oriuntur peccata. Unde secundus modus quo Judæi inter Christianos vivunt, est pessimus, et saluti Judæorum summe contrarius, et christianis præsidentibus valde periculosus, qui ex avaritia propter pecuniam tenent et fovent Judæos in statu illo usurariorum damnabili. Nam ex quo Judæi in laboribus hominum non sunt, nec cum hominibus flagellantur, ideo (sicut ait Propheta) tenet eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua, et prodit quasi ex adipe iniquitas illorum. Atque ex isto modo vivendi in otio ex usuris, quotidie plus et plus elongantur a vera salute et indispositiores fiunt ad conversionem. Quum enim assueti sint vivere delicate, et non habeant nisi bona injusta, id est per usuram adepta, quæ omnia oportet eos deserere dum convertuntur ; ideo converti abhorrent. — Ex his doctor præfatus concludit : Qui usurarios Judæos vel Christianos fovent aut defendunt propter lucrum, mortaliter peccant, et plurimis causa damnationis exsistunt.

Is. XXVIII, 19. — B — *Ps.* LXXII, 5. — *Ibid.* 6, 7. — C — D

Postremo, in Jure districte præcipitur ut fideles non sint servi aut ancillæ Judæorum ; estque valde dolendum quod contra præceptum hoc agitur.

Decretal. lib. V, tit. 6, c. 13.

ARTICULUS XVII.

De obedientia ac reverentia quas communitas superioribus suis tenetur.

ARISTOTELES ait, quod optimum in rebus est ordo, id est congrua habitudo ac ordinatio inter diversa, præsertim inter superiores ac inferiores, ita ut superioribus inferiores obediant debitamque reverentiam semper impendant, sic ut unicuique superiori obediatur in licitis et honestis, quantum ad illa ad quæ se ejus jurisdictio superioritasve extendit. Principi etenim terræ, ut regi, duci aut comiti, plus et in pluribus obediendum est quam alicui ex officialibus ejus. Principi quoque militiæ obediendum est ab his quibus præest, in his quæ ad res bellicas atque ad suum officium pertinent. Similiter judicibus atque rectoribus urbium obediendum est a civibus in his quæ ad illorum spectant officium, ut sunt ea quæ ad pacem et prosperitatem civium attinent. Unicuique etiam patrifamilias obedire debent domestici ejus, ut uxor, soboles et familia, prout ad singulos pertinet.

Hæc autem obedientia tam necessaria est, ut (teste S. Hieronymo) nulla domus, nulla communitas sine ea diu aut bene subsistere possit. Siquidem ubi non est obedientia, non est concordia, sed discordia. Vereque dixit Sallustius, quod sicut parvæ res crescunt concordia, sic per discordiam res maximæ dilabuntur. Propter quod ait Salvator : Omne regnum in se *Luc.* XI, 17.
ipsum divisum desolabitur. Simili ratione urbs in se ipsam divisa mox desolatur. Itaque, ut bene ac prospere stet in civitate, oportet ut domestici obediant patribusfamilias, et cives judicibus, magistratibus ac rectoribus suis, ipsique judices et rectores simul cum communitate obediant principi terræ, cui tota provincia obedire tenetur in his quæ ad principis præsidentiam jurisdictionemque pertinent. Etenim princeps terræ potissime obligatur respicere ad generalem pacem ac pro-

speritatem totius patriæ suæ, hostibus pa- A triæ resistendo, maleficos exstirpando, ut unusquisque in patria secure atque indemniter ambulet. Unde, si princeps in his negligens fuerit, tenetur ad restitutionem his qui in sua patria spoliantur, ut asserit S. Thomas : quoniam redditus principum sunt stipendia ad hoc instituta et assignata ac data, ut principes suam patriam ab incursu hostili ac malefactoribus tueantur. Deinde princeps intendere habet ac obligatur bono communi cujuslibet civitatis sibi subjectæ, et ut ci- B vitates dominii sui inter se bene concordes sint, judices quoque et rectores omnesque officiati juste et prudenter sua exsequantur officia, et ne impotentiores ac pauperes a potentioribus impiisque graventur.

Præterea, quoniam populus christianus non solum civili ac sæculari, sed etiam spirituali et ecclesiastica regitur potestate, quæ tanto dignior atque sublimior est sæculari potestate quanto anima est nobilior corpore ; idcirco bonum commune civita- C tis veraque pax et prosperitas ejus in hoc præsertim consistit, ut populus in cultu et honorificentia Dei bene se habeat, divina præcepta observet, pastoribus ac prælatis suis obediat, oblationes ac decimas fideliter prompte et devote persolvat. In hoc quoque superiores debent se inferioribus exemplares præbere.

Denique, sæculari potestati esse obediendum, Christus verbo docuit et exemplo. Dixit namque : Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. *Matth.* XXII, 21. Tributum quoque solvit pro D se et pro apostolo Petro. *Ibid.* XVII, 26. Insuper Paulus apostolus jubet et ait : *Rom.* XIII, 1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, id est, omnis homo prælatis et principibus, judicibus et rectoribus suis obediat in his in quibus sublimiores sunt et in quibus præcipere licite possunt. Et potius ait Apostolus, Omnis anima, quam, omnis homo, ad designandum quod non tantum corporis motu, sed vere ex animo atque spontanea voluntate obediendum sit. Quod probat Apostolus, dicens : Non est enim potestas nisi a Deo ; quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt (id est sapienter et rationabiliter instituta). *Rom.* XIII, 1. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit (hoc est, qui superiori potestatem præsidentialem habenti obedire contemnit, quando non præcipit aliquid Deo aut veritati vel æquitati contrarium, nec terminos suæ jurisdictionis transcendit, talis et rebellis est Deo et dispositioni ac legi divinæ) ; *Ibid.* 2. qui autem resistunt (superioribus suis), ipsi sibi damnationem acquirunt : *Ibidem.* quia mortaliter peccant, et pœnam merentur æternam. Frequenter etiam in hac vita male accidit eis pro sua rebellione, quæ ex superbia, impatientia ac indiscretione procedere solet. Imo, quemadmodum optimum in communitate est vera obedientia, ita pessimum in ea exsistit rebellio.

Amplius, quam prompte ac reverenter debeant Christiani suis principibus ac superioribus obedire, constat ex eo quod etiam gentiles suis principibus tam maxime obedierunt. Legitur enim in Genesi, quod dum Pharao rex Ægypti constituisset castissimum ac providissimum Joseph præpositum super universum regnum Ægypti, dixit ad eum : Absque tuo imperio nullus movebit manum aut pedem in tota terra Ægypti ; *Gen.* XLI, 44. et rursus : Ad oris tui imperium cunctus obediet populus. *Ibid.* 40. Jubente quoque Pharaone, circumductus est Joseph, sedens in curru, per totam Ægyptum, et juxta regis edictum, universi Ægyptii coram Joseph genu flectebant. *Ibid.* 43. Ex quibus ostenditur quam vehementer obedierunt Ægyptii non tantummodo suo regi, sed et officialibus suis. Legitur quoque in libro Esther, quod dum Assuerus rex præcepisset summo principi suo Aman ut Mardochæum fidelem Judæum regalibus vestibus indueret, ac regio superponeret equo, ipsumque equum per civitatem deduceret atque clamaret, Hoc honore dignus est quemcumque rex voluerit honorare ; *Esther* VI, 6-11. audito præcepto, Aman mox obedivit, nil contradicere audens, quamvis Mardochæ-

um vehementissime sperneret ac odiret. A Insuper, quum Joab princeps militiæ regis David vicisset adversarios David, nullus de exercitu Joab audebat ire ad annuntiandum regi David illum triumphum, nisi obtenta a Joab licentia. Quum ergo lex Christi sit perfectissima, populus christianus maxime obligatur suis superioribus obedire. Superiores quoque debent se moderate, caute ac juste habere in præcipiendo, nec absque rationabili causa multiplicare præcepta.

II *Reg.* XVIII, 19-23.

ARTICULUS XVIII.

De multis bonis quæ civitates consequuntur obediendo fideliter principibus et officiatis ac magistratibus suis.

QUEMADMODUM nonodecimo libro de Civitate Dei asserit Augustinus, optimum bonum in civitatibus pax est : nam et omnia bella tendunt ac ordinantur ad hoc, ut hostibus civitatis devictis communitas vitam ducat pacificam. Paci autem C multo plus contrariatur dissensio sive rebellio contra proprium principem quam contra extraneos. Itaque civitates proprio principi obediendo merentur ut bene succedat eis in temporalibus ac spiritualibus bonis. Princeps namque qui vere et digne princeps vocatur, intendit ac nititur plebem suam a peccatis retrahere, ad virtutes dirigere, ad pacem ac felicitatem perducere. Hinc cives dum principi suo taliter se habenti obediunt, quietem, pacem ac statum laudabilem sortiuntur, in D temporalibus prosperantur, extraneis hostibus prævalere merentur, et sua securius exercent officia. Multipliciter vero turbantur, sollicitantur ac metuunt, dum ab ipso dissentiunt aut ei resistunt. Ideo Aristoteles loquitur, quod stultius atque iniquius agunt qui principis sui justa aspernantur præcepta, quam ægri qui medicorum vilipendunt consilia. Porro, si princeps irrationabilia aut injusta præciperet, dicendum ei esset a subditis quod beatissimus princeps Apostolorum dixit principibus Judæorum : Obedire oportet magis Deo quam hominibus. *Act.* V, 29.

Insuper, ira principis valde vitanda est subditis, quum Salomon dicat : Sicut fremitus leonis, ita et ira regis ; et sicut ros super herbam, ita et hilaritas ejus. Et iterum ait : Sicut rugitus leonis, ita et terror regis ; qui provocat eum, peccat in animam suam. Indignatio regis, nuntius mortis ; et vir sapiens placabit eum. Et quod Salomon ait de rege, de ceteris quoque B principibus est intelligendum. Præterea, ira est appetitus vindictæ, consurgens ex hoc quod aliquis videt aut percipit se aut pertinentia ad se ab aliquo vilipendi aut male tractari : ideo principes irascuntur, si eis aut pertinentibus ad ipsos irreverentia aut injuria irrogetur. Et quoniam omnes qui in principatu principis commorantur, sunt subditi ac ministri ipsius suæque gubernationi ac protectioni commissi, ideo forefacit principi quicumque forefacit alicui sub ejus dominio habitanti. Subditi ergo cavere debent ne suo forefaciant principi in propria ejus persona, vel in aliquo ad ipsum pertinente.

Prov. XIX, 12.

Ibid. XX, 2; XVI, 14.

Postremo, fidelitas subditorum ad principem suum specialiter commendatur et multis exemplis laudatur. Quum enim rex quidam alium regem captum haberet, et die sequenti illum vellet occidere, unus militum regis volentis illum occidere, qui miles antea servus ac subditus natus regis illius capti fuerat, suum cupiens dominum liberare, stramenta lecti ejus colligavit, et capiti ac humeris regis sui illius capti superposuit ea, percutiendoque illum cum baculo expulit eum extra palatium, quasi servus suus fuisset : nam et vestes servi sui induerat regem illum, et expellendo alloquebatur eum tanquam proprium servum. Idcirco custodes portarum permiserunt regem illum transire, putantes quod militis servus esset. Die sequenti, quum rex ille qui alium habuit captum, inquisitione facta, veritatem hujus facti cognosceret, interrogavit a consiliariis at-

que nobilibus suis qua morte puniendus esset miles et servus suus, qui hostem suum sic dimiserunt. Quumque unus diceret, vivos esse excoriandos, alius comburendos, tertius decollandos; rex juravit et dixit : Per summum Deum, nulla morte, sed omni honore sunt digni, qui domino suo tam fideles fuerunt.

Legitur quoque in vita Alexandri Magni, quod dum unus militum Darii regis in bello valide percussisset vulnerassetque Alexandrum regem, et milites Alexandri militem illum invaderent, Alexander prohibuit eos, dixitque militi illi : Quis es tu, o strenue vir, et cur hoc fecisti ? Respondit : Servus sum Darii regis, et idcirco hoc feci, ut dominum meum facerem tuum victorem. Quo audito, Alexander militem illum magnifice collaudavit, proposuitque eum suis militibus in exemplum, dicens : Talem fidelitatem decet omnem militem ac subditum exhibere suo principi. Hinc Alexander non permisit militem illum occidi, sed tenuit eum apud se et exaltavit. Quum enim princeps terræ sit publica persona, boni communis amator, procurator atque defensor præcipuus, unusquisque nobilium et officiatorum ac ministrorum ipsius cum tanta fidelitate debet principem suum diligere ac juvare, ut pro defensione ipsius propriam vitam exponat et mori paratus sit.

ARTICULUS XIX.

Quid agendum sit communitati, si princeps tyrannizet.

IN libro de Regimine regum scribit S. Thomas : Curandum est, si princeps in tyrannidem diverteret, qualiter posset occurri. Et quidem si non fuerit magnus excessus tyrannidis, utilius esset remissam tyrannidem tolerare ad tempus, quam contra tyrannum consurgendo multis implicari periculis ipsa tyrannide gravioribus. Potest namque contingere ut qui contra tyrannum agunt, prævalere non possint,

A sicque provocatus tyrannus magis desæviat. Quod si prævalere quis possit contra tyrannum, ex hoc frequenter proveniunt gravissimæ dissensiones in populo, sive dum in tyrannum insurgitur, sive post ejus dejectionem, dum circa ordinationem regiminis multitudo populi separatur in partes. Contingit quoque interdum ut dum multitudo alicujus auxilio tyrannum expellit, ille auxiliator potestate accepta tyrannidem arripiat, et timens pati ab alio quod ipse in alium fecit, graviori ser-
B vitute subditos opprimat. Sic enim in tyrannide posterior gravior fieri solet quam præcedens. Unde in Syracusis mortem Dionysii tyranni cunctis optantibus, vetula quædam quotidie exorabat ut sanus et sibi superstes maneret. Et interrogata a tyranno cur hoc faceret, respondit : Quum gravem tyrannum haberemus, alium principem optavimus ; quo interfecto, durior successit, sicque dominationem ejus finiri, magnum existimavimus ; deinde te molestiorem cœpimus habere rectorem :
C vereor ergo quod te sublato, deterior in locum tuum succedet.

Si autem sit intolerabilis excessus tyrannidis, quibusdam visum est ut ad virorum fortium virtutem pertineat tyrannum occidere, et se pro liberatione populi periculis mortis exponere. Sed hoc apostolicæ doctrinæ non congruit. Docet enim
nos Petrus apostolus, non solum bonis et I *Petr.* II, 18.
modestis, sed etiam dyscolis dominis re-
verenter subdi debere. Hæc est enim (in- *Ibid.* 19.
quit) gratia, si propter conscientiam Dei
D sustineat quis tristitias, patiens injuste. Unde, quum multi Romanorum Imperatores persequerentur fideles tyrannice, magnaque multitudo tam nobilium quam populi Romani esset ad fidem conversa, non restiterunt illis tyrannis, sed de hoc quod mortem pro Christo patienter tulerunt, laudantur. Unde etiam in veteri Testamen-
to leguntur fuisse occisi qui Joas regem IV *Reg.* XII, 20, 21; XIV, 5.
Juda, quamvis a cultu Dei recedentem, interfecerunt. Esset quoque multitudini et ejus rectoribus periculosum, si privata

præsumptione aliqui attentarent necem A præsidentium, quamvis tyrannorum. Plerumque enim hujusmodi periculis magis exponunt se mali quam boni. Malis autem solet esse grave dominium, non minus principum justorum quam tyrannorum : *Prov.* xx, 26. quia, secundum sententiam Salomonis, dissipat impios rex sapiens. Ex hujusmodi ergo præsumptione magis immineret periculum reipublicæ de amissione principis boni, quam remedium de subtractione tyranni.

Ideo contra sævitiam tyrannorum non B privata præsumptione aliquorum, sed potius auctoritate publica procedendum videtur. Primo quidem, si ad jus multitudinis alicujus pertineat sibi providere de principe, non injuste ab eadem princeps institutus potest destitui, vel refrenari ejus potestas, si ea tyrannice abutatur. Nec putanda est multitudo talis infideliter agere principem destituendo, etiam si se in perpetuum ei subjecit : quoniam ipse male se gerendo, promeruit ut sibi pactum a subditis non servetur. Sic Romani Tarquinium regem C suum ejecerunt. Sic quoque Domitianus imperator ob suam tyrannidem a senatu occisus est. Si vero ad superiorem pertineat communitati de principe providere, expetendum est ab eo remedium contra tyrannum. Quod si contra tyrannum haberi non posset humanum auxilium, recurrendum esset ad regem omnium Deum, *Ps.* IX, 10. qui est adjutor in opportunitatibus, in tribulatione : qui potest cor tyranni crudele in mansuetudinem vertere, et tyrannos reprobos potest per mortem auferre, vel D ad infimum gradum dejicere. Sed ut hoc beneficium populus a Deo consequi mereatur, debet a peccatis cessare, quia in ultionem peccati divina permissione impii accipiunt principatum, dicente Domino *Osee* XIII, 11. per Osee prophetam : Dabo tibi regem in furore meo. Et in libro Job scribitur : *Job* XXXIV, 30. Deus regnare facit hypocritam propter peccata populi. Cesset ergo culpa, ut cesset tyrannorum sævitia. — Hæc omnia scribit Thomas libro prætacto.

Quibus consonat quod in libro de Regimine principum scribit Ægidius de Roma, dicens : Si consideretur quanta bona eveniant urbibus ex hoc quod principi suo obediunt, debent ei libenter obedire ac subdi, non solum si bonus virtuosusque fuerit, sed etiam aliqualiter tyrannizet : quoniam tolerabilior est tyrannizatio aliqualis quam malum quod ex inobedientia et resistentia contra principem oritur.

Verumtamen his objici potest, quod Tullius in libris de Officiis laudat eos qui Julium Cæsarem occiderunt, eo quod sibi jura imperii quasi tyrannus usurpavit. Item S. Thomas in Scripto suo super secundum librum Sententiarum commendat dist. XLIV, sententiam Tullii, dicens quod Tullius lo- q. II, a. 2. quitur in illo casu quando aliquis dominium sibi per violentiam subripit, nolentibus subditis vel ad consensum coactis, et quando non est recursus ad superiorem per quem judicium de invasore fieri possit : tunc enim qui propter liberationem patriæ tyrannum occidit, laudatur et præmium accipit. Hæc sunt verba Thomæ. — Ad hoc respondendum videtur, quod (ut idem S. Thomas affirmat) qui per violentiam dominium subripit, non efficitur verus dominus, nec prælatus, nec princeps : idcirco, quum adest facultas, potest aliquis dominium tale repellere, nisi postmodum verus dominus sit effectus, vel per consensum subditorum, vel per superioris auctoritatem. Prædicta autem intelligenda sunt de tyranno qui vere est princeps quantum ad jus principandi, quod stat cum malitia vitæ.

Postremo inquiritur, quid agendum sit communitati, dum princeps ejus intolerabiliter tyrannizat, et tamen ex nativitate seu hereditaria successione sibi competit principatus.

Respondetur, quod in Ecclesia Dei est unus Pontifex summus, videlicet dominus Papa, in quo est utriusque potestatis atque dominii plenitudo et apex, hoc est tam spiritualis quam sæcularis potestatis : idcirco jurisdictionem et dispositionem ha-

bet super omnia regna et principatus fidelium, non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, dum rationabilis causa requirit. Nam et Imperatorem potest deponere, et reges, si vitia eorum id mereantur, regnis suis privare, eaque dignis ac sufficientibus tradere, sicut quidam summi Pontifices fecisse leguntur. Hinc in Summis doctorum habetur, quod quandocumque princeps sæcularis fuerit negligens et inutilis circa regnum seu principatum atque justitiam, vel circa hæresum exstirpationem, potest per Papam deponi. Unde Zacharias Papa deposuit Ludovicum regem Francorum, et Innocentius III, Othonem imperatorem, et Innocentius IV, Fredericum imperatorem. Communitas ergo non debet propria auctoritate prælatum aut principem suum abjicere, sed potius ad Pontificem summum recurrere, et ei causam insinuare judiciumque committere. Rursus, quum tota communitas sub uno principe vivens, sit quasi unum corpus, ideo civitates ejusdem principatus debent mutuo esse confœderatæ in bono atque succurrere mutuo, sicut in corpore naturali humano unum membrum subvenit alteri. Idcirco, si princeps aut ejus officiati seu nobiles exercerent tyrannidem nimiam, urbes abusui potestatis deberent resistere, jura sua defendere, atque oppressis aut opprimendis succurrere: nec tamen ob hoc deberent se a principe suo omnino avertere, nec contra eum inordinate procedere.

ARTICULUS XX.

De differentiis inter regem et tyrannum.

ARISTOTELES aliique doctores inter regem et tyrannum distinguentes, per regem intelligunt omnem principem justum et pium; per tyrannum vero, omnem principem impium et crudelem.

Horum ergo prima differentia est, quod rex primo ac principaliter respicit, intendit et quærit atque pro posse suo procurat

A bonum commune totius populi sui, deinde quærit proprium bonum; tyrannus autem primo ac maxime intendit proprium bonum, videlicet suas delicias, lucra et commoda, propriam libertatem atque divitias.

Secunda differentia est, quod rex quærit bonum honestum, videlicet opera virtuosa honore digna, ut per ea cives ac subditos suos faciat virtuosos; tyrannus vero quærit pecuniam.

Tertia differentia est, quod rex in suis actibus sequitur rationem; tyrannus autem
B sequitur voluntatem, et impetum iræ, impatientiæ, animositatis aliarumque affectionum sensualitatis. Porro, voluntatem sequi, tyrannicum est, nisi voluntas ratione regatur: ideo principum est, semper attendere an voluntas rectæ rationi concordet; alias eam refrenent.

Quarta differentia est, quod rex magis confidit proprio populo quam extraneis, et potius vult custodiri ab intraneis quam alienis, quia populo suo fuit caritativus, fidelis ac utilis; tyrannus autem, quoniam
C populo suo fuit molestus, odiosus atque nocivus, magis confidit extraneis, et vult custodiri ab illis.

Quinta differentia est, quia rex intendit subditos suos moderanter ditare, concordes unanimesque efficere, ut inter se pacifice vivant, et contra hostes ac impios sibi adsistant; tyrannus vero studet subditos spoliare et discordes efficere, ne simul contra ipsum insurgant. Hinc per Isaiam prophetam Deus tyrannicis dominatoribus loquitur: Quare atteritis popu- *Is.* III, 15, 14.
D lum meum, et facies pauperum commolitis, et rapina pauperum in domo vestra est? De quibus etiam per Michæam prophetam conqueritur: Comederunt carnem *Mich.* III, 3.
populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt. Unde patet quam iniquæ atque vitandæ sint exactiones irrationabiles et immoderatæ, præsertim ab egenis et competentiam strictam habentibus.

Sexta differentia est, quoniam rex et omnis juste præsidens, angelicis potestatibus assimilatur, Deo cooperatur, divinus

efficitur æternaliterque salvatur; tyrannus autem non solum bestiis, sed et dæmonibus conformatur, homines secum ad vitia et ad æternam damnationem trahendo, eosque turbando, gravando, contristando, fallendo et depauperando. Propter quod *Prov.* xxviii, 15. Salomon ait : Leo rugiens et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem. Tyrannis namque et eorum fautoribus potissime competit quod iterum *Ibid.* xxx, 14. Salomon dicit : Est generatio quæ pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, B et pauperes ex hominibus.

Septima differentia est, quod rex est clemens in subditos suos, etiam dum offendunt, et fortis, velox ac agilis contra extraneos hostes ; tyrannus autem est crudelis in suos, et deses, ignavus ac negligens circa hostes extraneos. Itaque rex non parcit pecuniæ pro defensione patriæ suæ, nec amore deliciarum negligit laborare ferventer ac strenue pro bono communi populi sui.

Postremo, ad principem pertinet omnibus se exhibere personam reverendam, discretam, gravem, maturam, non nimis terribilem et severam, nec etiam nimis familiarem ; item, urbes, castra ac fortalitia sui principatus conservare, meliorare, munire, augere absque aliorum oppressione et iniquitate ; jura quoque dominii sui custodire, et urbibus suis fidelitatem atque promissa ac rationabilia privilegia inviolabiliter conservare, atque a subditis malle diligi quam timeri, quamvis utrumque necesse sit et optandum : imo tam D amabilem, gratiosum et benevolum exhibere se debet populo suo tempore pacis, ut tempore præliorum et tribulationum ei prompte fortiterque adsistant.

Dicit quoque Ægidius de Roma, quod si rex aut princeps avarus sit et thesaurizet, tyrannus est. Verumtamen hoc non est sic intelligendum quasi principibus non liceat moderate thesaurizare : imo, ut Aristoteles scribit, decet principem facultatibus abundare, et bonam facere provisionem, ut si sibi ingruerit bellum, habeat unde bellatores sustentet, ut etiam (sicut prætactum est) urbes, castra et fortalitia sui conservet, emendet augeatque dominii, et pro condecentia in nuptiis suæ sobolis exhibenda, ut etiam ecclesias et cultum Dei in suo augeat principatu, et liberalitatem congruam valeat exercere, atque pauperibus largiflue dare.

ARTICULUS XXI.

De variis causis quæ unumquemque principem movere atque accendere debent ad hoc ut studeat semper pacem habere cum civitatibus et subditis suis.

Quemadmodum Aristoteles ait, princeps est imago Dei in terra : ideo debet esse omnino vir divinus, in sapientia virtutibusque perfectus, ut sicut sol lucet in cœlo et ceteris astris ac planetis splendidior est, sic princeps in toto populo suo splendeat vera discretione, sapientia virtuosa, exemplarique vita et fama C honesta ; quantum etiam ceteros præcellit in potestate, dignitate ac jurisdictione, tantum eos excedat sapientia omniumque virtutum perfectione. Perfectio autem maxime consistit in Dei amore : ideo princeps præ ceteris in caritate debet esse ferventior, præsertim quum lex Christi sit lex perfecti amoris ac sincerissimæ caritatis. Imo, quantum lex Christi aliarum gentium leges in perfectione transcendit, tantum decet principes christianos præ ceteris principibus esse virtuosiores et in Dei amore perfectiores.

Insuper, quanto plura a Deo dona majoraque bona princeps suscepit, tanto plus debet Deum diligere, gratias agere, et vicem ei rependere, optando et procurando Dei honorationem in omnibus. Quum igitur Deus per peccata maxime offendatur et inhonoretur, atque per opera virtuosa potissime honoretur ; hinc princeps primo moveri ac inflammari debet ex Dei amore ac zelo honoris ipsius, ut populus suus secum habeat pacem, ne per rebellionem

et inobedientiam ac cetera vitia quæ inde A nascuntur, populus suus Deum offendat ac inhonoret, et ne ipse sit aliquo modo tantorum causa malorum. Si enim grande peccatum est inobedientia et rebellio unius personæ, quis eloqui valeat quam enorme multiplexque peccatum sit inobedientia et rebellio et turbatio communitatis? Tantum igitur malum princeps cum summa diligentia vitet, et ex Dei amore illud jugiter vitare tenetur. Quod si communitas fuerit tantæ benevolentiæ ac beneficentiæ principis sui ingrata, nihilo minus princeps Dei B intuitu ac amore et zelo divini honoris agere debet ut dictum est; nec vinci debet malitia, improbitate aut ingratitudine subditorum, sed sua bonitate illorum vincere pravitatem, seque tantum humiliare propter Deum, ad ejus honorem. Hinc tertio libro Regum legitur, quod quum filii Israel dixissent ad Roboam filium regis Salomonis, Pater tuus durissimo jugo gravavit nos, tu releva illud; Roboam rex petivit consilium a senioribus et sapientissimis suis, quid responderet. Qui dixerunt : Si C clementer locutus fueris et verbis clementibus lenieris eos, servient tibi omni tempore. Unde constat, quod quamvis subditi interdum perverse et imprudenter loquantur, princeps tamen juxta mansuetudinem se decentem, debet pia responsione illorum imperitiam vincere. Propterea Salomon loquitur : Responsio mollis frangit iram; sermo durus suscitat furorem. Et iterum ait Scriptura : Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos.

III *Reg.* XII, 3-7.

Prov. XV, 1.

Eccli. VI, 5.

Secundo ad ista inducere principem de- D bet amor præcipuus et sincerus quem ad subditos suos habere tenetur. Quamvis etenim omnem proximum diligere obligetur, subditos tamen suos tanto specialius paternaliusque tenetur diligere, quo amplius (Deo disponente) suæ gubernationi commissi sunt, et quo subditi ejus sibi sæpius ac promptius deservierunt, et adhuc tempore necessitatis servirent, etiam in arduissimis causis, et usque ad pericula mortis. Ex hoc spirituali subditorum amore princeps summe curare providereque debet ne subditi sui ad gravia vitia, ut sunt inobedientia, rebellio et mala inde sequentia, ruant : idcirco cum omni caritate, pietate, humilitate, discretione ac patientia illis occurrere debet, et per se ipsum ac alios sapientes illis consulere ne fiant rebelles. Imo, quum tota communitas sit quasi unum corpus cujus caput est princeps, debet unumquemque subditorum quasi proprium membrum diligere. Et cur dico, Quasi proprium membrum, quum juxta Christi doctrinam, quilibet Christianus obligatus sit plus diligere unumquemque proximorum suorum quam proprium corpus? Princeps ergo plus amare tenetur salutem et pacem cujuslibet proximi sui, quam corporis sui vitam et exteriora omnia bona. Quam ardentissime ergo et maxime tenetur optare, diligere, quærere et pro viribus procurare salutem et pacem totius populi sui atque cujuslibet urbis suæ? Idcirco cum infatigabili studio ab omni rebellione et inobedientia eos retrahere debet; et si videat eos duros ac improbos, compati eis debet, nec cessare a studio reducendi illos ad pacem.

Matth. XXII, 39.

Tertio ad hoc princeps moveri debet ex debito sui officii, ex quo subjectorum paci et prosperitati intendere omni modo sibi possibili obligatur.

Quarto ad idem inclinet principem consideratio districtionis divini judicii. Quum enim, ut dictum est, durissimum fiet judicium in præsidentibus, ita quod principes durissime judicabuntur a Deo; ob id vehementissime debent metuere ne per suam indiscretionem, negligentiam aut aliam culpam, sint subditis suis causa rebellionis, multiplicisque ruinæ atque periculi, sicque omnia illorum peccata redundent in ipsos, et condemnentur æternaliterque puniantur pro universis illis subditorum suorum peccatis. Idcirco princeps sit semper timoratus atque sollicitus. Nec incaute aut immoderate excuset se ipsum : quia, ut sanctus ait Gregorius, Deus interdum occulto ac justo judicio

art. XII, XIII. *Sap.* VI, 6.

permittit subditos quædam incidere mala propter superiorum suorum peccata.

Quinto princeps hæc faciat propter ineffabilem æternæ felicitatis mercedem quam sortietur a Deo, si pro communitatis pace et felicitate laboraverit ita : quoniam subditorum suorum merita redundabunt in ipsum, et pro omnibus illis coronabitur atque lætabitur in æternum.

Sexto ad idem princeps provocetur eo quod intestina dissensio atque rebellio sit tam ineffabiliter periculosa, vitiosa, nociva, tam communitati quam principi, prout ante declaratum est plenius. (art. XVII, XVIII.)

Septimo ad hæc princeps debet accendi propter multiplicem utilitatem et fructum, quos etiam in hac vita consequitur habendo pacem et concordiam cum subditis suis : quia ex hoc multum amatur a subditis. Amicitia autem inter exteriora bona habet primatum, quum scriptum sit : Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri vel argenti contra bonitatem fidei illius. (*Eccli.* VI, 15.) Ex hoc etiam fit ei major copia divitiarum, et securius atque jucundius vivit, necessitatisque tempore majorem a subditis adsistentiam habet. Est quoque principi honor et causa famæ præclaræ, quod cum subditis pacem habet, amicitiam atque concordiam; et hoc ipsum est aliis exemplare.

Postremo, quamvis princeps culpam non haberet in discordia et rebellione civium contra se, nihilo minus res ipsa prima fronte speciem habet mali, multique culpam imputant principi, et scandalizantur ac detrahunt ei : idcirco, ut dictum est, omnibus modis debet conari ut cum urbibus suis ac subditis habeat pacem.

ARTICULUS XXII.

An expediat urbibus innovare patrias leges et consuetudines suas, potissime si novæ sint meliores.

QUÆSTIONEM hanc Aristoteles in Politicis movet, et pro utraque arguit parte. Quod enim immutatio seu innovatio A legum expediat, hinc apparet quod aliquæ leges sunt injustæ atque barbaricæ; posteriores quoque interdum sunt prudentiores prioribus legislatoribus, et plura considerant quæ illi non consideraverunt. Insuper, quando posteriores magistri in scientiis aliqua veriora inveniunt quam præcedentes, dicta posteriorum servantur, et præcedentium dicta abjiciuntur. Ergo, si posteriores rectores communitatum inveniant aliqua utiliora ad observandum, videntur leges prius ordinatæ delendæ. B Præterea, secundum diversitatem locorum ac temporum, personarum ac circumstantiarum, diversa expediunt : ergo secundum hoc leges sunt immutandæ.

Ad hanc quæstionem est respondendum, quod leges positivæ humanæ, si vere sint leges, legi naturali innituntur atque in ea fundantur, et particularia hominum facta determinant. Idcirco, si leges positivæ sunt legi naturali et rectæ rationi contrariæ, non sunt dignæ leges sed legum corruptiones et abusiones vocari. Nam, ut ait Isidorus, C lex positiva humana debet esse honesta, ut religioni conveniat; justa, ut secundum rationem procedat; possibilis, ut a communi populo possit impleri; loco quoque ac tempori debet congruere. Porro, si leges positivæ non sunt rectæ rationi naturalique legi contrariæ, sunt servandæ, nec sunt faciliter immutandæ, ut Aristoteles docet.

Hinc Ægidius de Roma Aristotelem sequens, ait : Patrias leges mutare et novas inducere, est civitatibus et regno atque D provinciis valde periculosum, quia assuescere novas leges inducere, est assuescere et legibus non obedire. Leges etenim positivæ ex consuetudine ac temporis diuturnitate magnam vim habent, atque præcipuam efficaciam sortiuntur : quia difficulter homines inducuntur ad faciendum contra id quod diu est observatum. Unde et quamvis leges positivæ sint defectivæ, ita quod non plene determinant quid in particularibus quibusque negotiis sit agendum, dato quod occurrant leges meliores et magis

sufficientes, adhuc tamen non est assue- A scendum novas inducere leges. Primo, quia interdum homines falluntur circa eas, ita ut meliores ac sufficientiores credantur, quæ insufficientiores sunt ac pejores. Et dato quod novæ leges essent in aliquo sufficientiores, nihilo minus leges antiquæ ac patriæ sunt servandæ : quia quantum ex una parte quis prodest novas leges dando, tantum ex alia parte nocet, consuetudinem et temporis diuturnitatem, per quas leges magnam vim habent, tollendo. Nec est simile de legibus atque B scientiis. Scientiæ namque totam vim suam habent ex ratione ; leges autem positivæ magnam efficaciæ suæ partem habent ex temporis diuturnitate et assuefactione. — Ex his verbis concludit Ægidius : Decet ergo reges ac principes observare consuetudines bonas territorii sui, nec leges patrias immutare, nisi fuerint naturali legi ac rationi contrariæ.

Denique, his verbis satis concordat responsio S. Thomæ, dicentis : Ipsa legis mutatio secundum se inducit detrimentum C communis salutis, quia ad observantiam legis plurimum confert consuetudo. Propterea lex non est mutanda, nisi ex alia parte ex ejus mutatione nascatur ad minus tanta utilitas quantum incommodum inducit ejus mutatio. Hoc autem non est, nisi valde magna et evidentissima utilitas aut necessitas oriatur ex legis mutatione : ut si lex antiqua manifestam iniquitatem includat, aut multis nociva sit. Ideo jurisperitus Ulpianus affirmat : In rebus novis constituendis evidens debet esse utilitas, D ut recedatur ab eo quod diu æquum visum est. Videmus namque, quod ea quæ contra consuetudinem fiunt, quamvis sint leviora, tamen graviora videntur. Consuetudo enim est quasi altera natura, facitque hominem prompte ac delectabiliter operari.

Summ. th. 1a 2æ, q. xcvii, a. 2.

Hinc princeps non debet civitatibus suis leges antiquas et consuetudines approbatas infringere aut auferre, potissime quia ex hoc etiam oriri solent dissensiones ac scandala, magna quoque pericula, tam communitati quam principi : propter quæ mala vitanda, etiam aliqua bona sunt ad tempus dimittenda, illa videlicet quæ non sunt de necessitate salutis, nec cadunt sub præcepto, ut asserit Augustinus. Nam et Christus in Evangelio loquitur : Væ homini per quem scandalum venit.

Matth. xviii, 7.

ARTICULUS XXIII.

Quid videatur agendum, dum inter principem et communitatem seu urbem aliqua oritur dissensio propter patriarum legum seu consuetudinum approbatarum immutationem aut destructionem ; et quomodo ad principem terræ pertineat leges instituere, dare, interpretari, et dispensare in eis.

SUPRA jam tactæ sunt variæ causæ ob quas princeps studere debet, ut pacem atque concordiam habeat semper cum subditis suis. Item ostensum est quam utile ac salubre sit communitati ac urbibus pacem habere cum principe suo ; quam multipliciter etiam periculosum atque nocivum sit, tam principibus quam eorum urbibus, mutuo dissentire et contra se invicem machinari. Ostensum est quoque, quod non expediat leges patrias immutare, nisi sint naturali legi rectæque rationi contrariæ.

art. xxi. art. xviii. art. xvii, xviii. art. præced.

Si itaque inter principem et communitatem lis aut dissensio oriatur, eo quod princeps civitatibus suis earum jura, leges aut consuetudines bonas non servet, non occurrit melior modus reconciliationis, quam ut princeps a viris magnis ac sapientibus instruatur plenarie in primis, quemadmodum liceat et non liceat principi paternas leges consuetudinesque mutare. Deinde proponantur ipsi prudenter prætactæ causæ, propter quas quilibet princeps semper conari debet habere pacem cum urbibus ac subditis suis. Similiter informetur communitas quam grave et periculosum ipsi sit suo resistere principi. Sicque utraque pars admoneatur ad pacem atque concordiam, et ne aliqua earum sit

pertinax in proprio sensu, quum hoc sit A maxime contra veram prudentiam, cujus prima pars exsistit docilitas. Et quoniam ad prudentiam pertinent memoria præteritorum, consideratio præsentium et providentia futurorum, exhortanda est sapienter utraque pars ut ad memoriam revocet quanta damna, pericula et peccata multi principes et communitates ex mutua dissensione et compugnatione incurrerunt. Imminentia quoque eis mala considerent, ac futura provideant; nec animositatem, iram aut impatientiam sequantur, sed sana B consilia audiant, caute et sine præcipitatione procedant, atque iniquorum suggestiones perpendant ac fugiant.

Præterea, princeps et principales communitatis conferre et simul tractare possunt, si forte valeant concordare. Et in tali colloquio ac tractatu communitas principi suo reverenter occurrere, humiliter loqui, atque in cunctis (quantum salvo suo jure potest) deferre debet, et postulare ut jura sua sibi serventur. Princeps autem, quem præ ceteris oportet bonitate, C pietate, discretione, caritate, sapientia ac mansuetudine præfulgere, communitati ac subditis suis debet cum omni caritate, pietate ac discretione occurrere, non solum ut servis, sed etiam tanquam filiis suis, et ut populo suo sibi a Deo commisso, pro *Hebr.* XIII, 17. quo daturus est rationem in divino judicio, et pro cujus salute ac pace obligatur propriam vitam exponere. Sic ergo debent se invicem diligenter, patienter, pie et caritative audire, et de pace tractare, omnemque iram, turbulentiam, superbiam ac D ceteras passiones in colloquendo vitare, eos quoque a suis colloquiis consiliisque excludere quos viderint sano consilio et utilibus adinventionibus, pactionibus, ordinationibus et concordationibus malitiose ac callide insidiari, et propria commoda sequi. Porro, si princeps ac populus ejus taliter inter se concordare nequiverint, videtur expediens ut causæ suæ examinationem, discussionem ac determinationem committant viris sublimibus, timoratis ac sapientibus, qui cum doctissimorum virorum informatione atque consilio definiant quod est justum; vel superiori judici causa est committenda.

Insuper, quamvis principi competat subditis suis constituere leges, non tamen licet ei hoc facere pro libitu suo; sed leges quas condit, debent naturali legi rectæque rationi esse concordes, nec antiquis patriis legibus bonis erunt contrariæ.

Amplius, leges humanæ quantumcumque sint exquisitæ, tamen non possunt semper servari secundum superficialem sensum verborum, sed secundum intentionem legislatoris. Idcirco ad prælatos ac principes præcipue pertinet leges interpretari sive exponere, hoc est declarare et judicare qualiter sint intelligendæ et quomodo sint servandæ. Et sic spectat ad eos dispensare in legibus, hoc est rigorem juris relaxare ex rationabili causa, dum observatio juris ad litteram esset contra intentionem legislatoris, ut dicunt doctores.

Postremo, ut S. Thomas testatur, interdum licet cuilibet etiam subdito legem interpretari et dispensare in ea. Quum enim lex ordinetur ad bonum commune, quando in casu aliquo observatio legis ad litteram est bono communi damnosa, tunc lex non est observanda secundum tenorem verborum, sed juxta intentionem legislatoris. Et si periculum ex legis observatione imminens sit subitum et apertum, tunc necessitas habet dispensationem annexam, et licet cuilibet legem interpretari: ut si civitas aliqua sit obsessa, et jussum sit ut nullus civium portas ejus aperiat, contingat autem adversarios insequi aliquem civium civitatis obsessæ, ex cujus vita atque consilio bonum civitatis dependeat, custosque portæ consideret quod si aperuerit portam, civis ille effugiet; tunc custos portam licite poterit aperire, quia non facit contra intentionem legislatoris. Iterum, si in urbe aliqua sit jussum ut post decimam horam noctis nullus discurrat aut clamitet per plateam, contingat autem in-

Summ. th. 1a 2æ, q. XCVI, a. 6.

cendium post horam illam in urbe, tunc lex illa juxta tenorem verborum servanda non est. In actibus enim negotiisque humanis tot circumstantiæ et diversitates ac variabilitates particulares occurrunt, quod legislator humanus universas prævidere et exprimere nequit : idcirco nec legem potest statuere quæ in nullo casu patiatur instantiam, vel quæ in omni eventu secundum tenorem verborum implenda sit. Hinc legislatoris intentionem oportet adspicere.

ARTICULUS XXIV.

De imperfectione legis humanæ.

LEGES humanæ ad hoc sunt institutæ, ut per eas homines cohibeantur a vitiis per quæ impeditur bonum communitatis, atque ad illa opera bona inducantur per quæ bonum communitatis acquiritur. Porro bonum communitatis est conversatio hominum ad invicem pacifica, secura et virtuosa : et quia hoc bonum potissime impeditur per homicidia, rapinas, furta, violentas læsiones et apertas injurias, ac alienæ hereditatis vel possessionis invasiones injustas ; ideo talia mala potissime prohibet lex humana.

Lex autem humana intendit homines facere virtuosos ac justos secundum modum communitati proportionatum, hoc est secundum quod homines communiter satis capaces sunt atque dispositi. Et quia major pars hominum est multum imperfecta atque ad magna vitia prona, et perfectionis difficillime capax, ideo lex humana non solum permittit aliqua parva mala, sed etiam vitia quædam magna, ut sunt simplex fornicatio meretricia et usura : quia si lex humana hæc omnia prohiberet, pejora committerentur peccata ex nimia hominum corruptione et incontinentia ; nec vulgus permitteret se a rectoribus communitatis cohiberi ab his, sed potius contra eos insurgeret. Hinc etiam lex humana permittit in emptionibus ac venditionibus fieri deceptiones, dummodo ultra mediam justi valoris partem non fiat deceptio. Ideo

A quoque dicitur lex humana ista permittere, non quia approbat ea, sed quia ea non punit : juxta quem modum permittit ut vir occidat adulterum quem cum conjuge sua invenit fornicantem. Lex autem divina, quum sit perfecta, prohibet omne peccatum, et reprobat illud ac punit, quoniam displicet Deo et contrariatur justitiæ, atque ab æternæ beatitudinis adeptione impedit homines.

Præterea in hoc patet imperfectio legis humanæ, quod non infligit pœnam juxta B gravitatem culpæ. Imo aliqua graviora peccata deserit impunita, et minus gravia peccata gravissime punit : ut patet de furto, quod est minus peccatum (secundum doctores) loquendo in generali, quam adulterium ; et tamen lex humana multo gravius punit furtum quam adulterium, quia per furtum præcipue impeditur secura ac socialis hominum vita ad invicem. In veteri autem Testamento gravius puniebatur adulter quam fur : nam adulteri tunc lapidabantur, *Lev.* xx, 10. id est, ictibus lapidum occide- C bantur ; fures autem quadruplum aut circiter reddiderunt. *Exod.* xxii, 1.

ARTICULUS XXV.

Utrum licitum sit principibus ac judicibus relaxare reis ac criminosis debitam pœnam.

PRINCIPI terræ commissa et data est plena potestas reipublicæ constitutæ sub eo, tamen secundum mensuram sui principatus ac status, hoc est quantum ad D ea quæ ad suam præsidentiam pertinent. Hinc multa principi licent, quæ non licent judicibus ei subjectis. Princeps namque potest reo pœnam dimittere totaliter seu in parte, prout discretioni ac pietati suæ placuerit, dummodo viderit hoc bono communi non derogare, neque reipublicæ esse nocivum. Interdum vero non solum reus peccavit in principem, sed etiam alteri fecit damnum sive injuriam : et tunc princeps, qui est publica persona, ad quam pertinet unicuique dare jus suum et adju-

dicare ei quod sibi debetur, non debet nec A licite potest reo pœnam sic relaxare quin compellat eum satisfacere ei in quem peccavit. Porro, si ex misericordia principis reus sumeret peccandi audaciam, aut verisimile esset quod misericordiam consecutus atque dimissus, esset reipublicæ nociturus, dimittendus non esset: providendum est namque paci communitatis.

Præterea, quum judex sit medius inter accusatorem et reum, inter quos habet judicare publica auctoritate, videlicet auctoritate principis sui, cujus vice fungitur; B idcirco duobus modis fit ei illicitum pœnam reo dimittere. Primo, ex parte accusatoris : ad cujus jus aliquando pertinet ut reus puniatur propter injuriam accusatori illatam. Secundo, ex parte publicæ auctoritatis qua fungitur et cui subjicitur. Quum ergo subjectus sit principi suo, uti debet auctoritate sibi commissa secundum dispositionem et commissionem illius : idcirco non sine licentia aut dispositione sui principis debet reo relaxare debitam pœnam. Misericordia vero judicis locum habet in C his quæ suo arbitrio relinquuntur : in quibus boni viri est pœnam minuere, ut Aristoteles ait. Judex enim, quantum in se est, pronus ad misericordiam esse debet. — Hæc est responsio S. Thomæ et aliorum doctorum. Summ. th. 2a 2æ, q. LXVII, a. 4.

ARTICULUS XXVI.

An judex debeat ferre sententiam contra veritatem quam novit.

UT sanctus asserit Augustinus, bonus D judex nihil facit ex suo arbitrio, sed secundum jura et leges judicat ac procedit. Porro secundum leges ac jura procedere, est secundum proposita atque probata sententiam ferre. Quamvis ergo judex ut singularis persona sciat aliquem innocentem, si tamen innocens ille juridice convincitur, hoc est, per testes ac testimonia superatur, judex secundum juris formam habet procedere, præsertim quoniam judici competit judicare non ut est privata et particularis persona, sed in quantum fungitur publica auctoritate : ideo judicare debet non secundum ea quæ novit ut privata persona, sed secundum illa quæ scit ut persona publica, hoc est secundum leges et jura, atque secundum ea quæ coram ipso per instrumenta et testes ac alia documenta probantur, quamvis ut singularis persona sciat oppositum. Verumtamen per ea quæ scit ut certa et singularis persona, juvare se debet laborando pro liberatione innocentis, discutiendo districtius probationes inductas, vel testes informando ut cessent.

Hoc doctores communiter dicunt. Et dominus Guillelmus Antisiodorensis ait in Summa sua, quod si rex aut princeps præcipiat alicui judici suo occidere aliquem quem judex scit innocentem, tunc ei judex obedire tenetur : sic tamen ut regi vel principi suo prius insinuet innocentiam occidendi. Et si princeps in sua sententia perseveret, judex debet parere, aut officium resignare, si potest : aliter periret obedientia in hierarchia humana, quoniam inferioris non est cognoscere an sententia superioris sit justa an non, quia si hoc posset cognoscere, posset semper in talibus casibus dicere, Prius cognoscam an superioris sententia justa sit ; sicque obedientia periret humana.

ARTICULUS XXVII.

Quod propter peccata hominum civitates, regna ac principatus destruuntur, gravantur aut transferuntur, sed propter virtutes hominum stabiliuntur ac prosperantur.

SALOMON ait : Justitia elevat gentem ; Prov. XIV,
miseros facit populos peccatum. Ex 34.
hoc doctores concludunt, quod propter vitia hominum Deus sic ordinat, quod civitates et regna sive provinciæ destruuntur totaliter aut in parte, sed propter justitias hominum prosperantur. Hinc rursus ait Scriptura : Regnum a gente in gentem Eccli. X, 8.
transfertur propter injustitias, injurias,

contumelias et diversos dolos. Omnia namque providentiæ divinæ subjecta sunt, et universa Deus juste disponit. Unde Deus per unum populum punit peccata alterius : quemadmodum per Chaldæos diversa regna terrarum vastavit atque plagavit ; deinde, dum completa fuisset iniquitas Chaldæorum, destruxit regnum Chaldæorum per Persas et Medos ; et illorum regnum propter eorum superbiam ac diversa facinora destruxit per Græcos ; postmodum vero regnum Græcorum dejecit per Romanos ; Romani quoque propter sua peccata frequenter debellati fuerunt.

Sed inter hæc quæri potest, an sicut urbes et regna quæ vastantur, propter sua peccata hoc patiuntur, sic civitates et regna quæ prævalent, propter suas virtutes victoriam sortiantur. Ad hoc respondendum est, quod interdum sic accidit, et quandoque aliter contingit. Frequenter namque in veteri ac novo Testamento legitur Deus concessisse victoriam quibusdam principibus ac populis propter eorum virtutes, et quoniam speraverunt in eo invocaveruntque eum in prælio. Multoties quoque legitur Deus populum suum in veteri ac novo Testamento vastasse ac castigasse per infideles, crudelissimos atque pravissimos principes eorumque populos : qui nequaquam propter suas prævaluerunt virtutes, sed ipsi fuerunt quasi flagellum divinæ justitiæ ad ulciscendum aliorum peccata. Nam et Deus per reprobos sæpe castigat suos electos. Hinc per Isaiam prophetam Deus vocat regem Assyriorum virgam ac baculum suæ iræ. (*Is.* x, 5.) Sæpe quoque vitiosi sunt tam qui vincunt quam qui vincuntur; sed qui vincunt, nondum vitiorum suorum cumulum impleverunt, idcirco facit eos Deus prævalere contra eos quorum peccata completa sunt, ita quod Deus non vult amplius sustinere excessus eorum, quemadmodum Jeremias dixit perversis impiissimisque Judæis : Non poterat vos Dominus ultra sustinere propter malitiam studiorum vestrorum. (*Jer.* XLIV, 22.)

Præterea Deus quibusdam gentibus interdum concessit victoriam, quia licet non fuerunt vere atque simpliciter virtuosi, fuerunt tamen aliis gentibus meliores, et aliqualiter virtuosi fuisse leguntur. Unde B. Hieronymus ait, quod Deus concessit Romanis triumphum ac monarchiam propter eorum virtutes. Et loquitur Hieronymus de Romanis gentilibus qui ante Christi adventum fuerunt totique mundo imperaverunt. De hoc quinto libro de Civitate Dei multa loquitur Augustinus, recitans qualiter Romani illi delicias atque divitias amore reipublicæ contempserunt, et bonum commune propriis commodis, imo et vitæ propriæ prætulerunt. Verumtamen Augustinus docet illos non fuisse veraciter virtuosos, quoniam laudis humanæ et mundani honoris avidissimi exstiterunt, libertatem ac dominationem vehementer optantes. Unde pro obtinenda monarchia gravissima bella atque innumerabilia subierunt pericula ; nec æstimaverunt hoc esse peccatum, sed ad virtutem potius pertinere.

ARTICULUS XXVIII.

De variis causis propter quas rectores ac judices civitatum, imo et cives communiter, conari debent ut devotæ ac religiosæ personæ utriusque sexus abundent ac multiplicentur in urbibus, et ut sacerdotes atque claustrales ac ceteri ad spiritualem statum pertinentes, reformentur, et vere devote ac spiritualiter vivant.

QUUM sapientissimus Salomon dicat, Benedictione justorum exaltabitur civitas, et ore impiorum subvertetur ; (*Prov.* XI, 11.) patet quod preces et merita devotorum ac spiritualium Deo placentium maxime prosunt ad conservationem, protectionem et meliorationem civitatum ac territoriorum.

Præterea, sicut in Genesi legitur, quum Deus vellet subvertere Sodomam urbem magnam, Abraham patriarcha oravit pro urbe illa. (*Gen.* XVIII, 20-32.) Et primo oravit Deum ut parceret urbi illi, si in ea invenirentur quin-

quaginta justi; responditque Deus quod faceret ita. Deinde Abraham exoravit Dominum ut non subverteret civitatem, si essent in ea quadraginta quinque justi; et in hoc rursus Deus ipsum Abraham exaudivit. Deinceps Abraham paulatim descendens, devenit usque ad decem, deprecans Deum ut parceret urbi, si invenirentur in ea decem justi. Respondensque Dominus, dixit : Non delebo urbem, si in ea fuerint decem justi. Et quia in ea non erant tot justi, subversa est. Unde ostenditur quantum prodest urbibus multitudo justorum in ea et circa eam morantium. Hinc per Ezechielem prophetam
Ezech. xxii, 30, 31. loquitur Deus : Quæsivi virum qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, et non inveni; et effudi super eos indignationem meam.

Denique, ut asserit Augustinus, preces multitudinis sunt maxime efficaces. Idcirco, dum multi devoti et vere religiosi concorditer invocant Deum, non contemnun-
Matth. xviii, 20. tur, præsertim quum dicat Salvator : Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Hinc itaque cives libentissime habere debent, quod congregationes devotæ, claustra et ecclesiæ cultusque Dei augentur in urbibus suis, et cooperari debent ad hoc, ut omnium bonorum quæ inde provenient, fiant participes. Nec putent ex hoc gravari rempublicam : imo tam in temporalibus quam in spiritualibus ac interioribus bonis crescit et prosperatur communitas inde. Tales namque devotæ ac religiosæ personæ indesinenter die ac nocte invocant Deum, et orant pro bono communi atque pro singulis Ecclesiæ statibus ac hominum gradibus.

Insuper, ad judices ac rectores civitatum pertinet cives facere virtuosos, ut pacifice, honeste ac juste invicem conversentur : ad quod præcipue conferunt exemplaris conversatio, devota oratio, fervens exhortatio, sermocinatio, informatio sacerdotum et prælatorum ac spiritualium
A personarum, eorum potissime qui præsunt aut prædicant. Verumtamen, quoniam personæ hujusmodi tantum nocent male ac scandalose vivendo, quantum prosunt bene et exemplariter conversando, cives et potissime superiores ac potentiores civitatis omnem suam diligentiam ac possibilitatem facere debent, ut religiosi qui inter eos sunt, Ordines suos digne observent, et maxime Mendicantes, qui publice prædicant confessionesque audiunt; sacerdotes quoque et canonici ac ceteri ad spi-
B ritualem statum pertinentes, virtuose et exemplariter vivant. Et quamvis sæculares non habeant jurisdictionem super spirituales, nec eos corrigere habeant per inflictionem pœnarum, aut per vim coactivam eos ad reformationem ac emendationem inducere; possunt tamen eos ad hoc exhortari, et caritative corripere, instanter humiliterque monere, et insuper industriose practicare ut a suis superioribus ac prælatis reformentur, atque (si opus fuerit) per rigorem justitiæ corrigan-
C tur et emendentur. Unde in quibusdam civitatibus boni regiminis non permittuntur habitare religiosi, nisi Ordinem suum observent; nec sacerdotes et clerici audent ibidem publice vivere scandalose.

Postremo, quam multæ religiosæ personæ utriusque sexus consueverunt in urbibus commorari, constat ex eo quod S. Hieronymus in primo libro Vitaspatrum scribit se venisse cum suis ad civitatem quamdam christianam in regione Thebaide, in qua civitate habitaverunt religiosæ
D personæ usque ad triginta millia : virginum namque monialium viginti millia, monachorum vero decem millia exstiterunt. Magistratus quoque et principales civitatis ac reliqui cives tam devoti fuerunt et operibus misericordiæ tam ferventer intenti, quod per singulas portas posuerunt ministros ad observandum si quis peregrinus aut pauper veniret, ut illum secum adducerent. Quumque aliquis talis adveniebat, certatim currebant, ut unusquisque ipsorum illum ad domum do-

mini sui adduceret; adductum vero paterfamilias cum omni caritate et pietate gaudioque suscipiebat, et necessaria abundanter ac gratis exhibebat. Hieronymum vero et socios ejus ita hinc inde invitantes trahebant, quod eorum pallia scindebantur.

Ecce qualiter olim in Christianis etiam conjugatis ac sæcularibus viguit christiana religio, fervor caritatis Dei ac proximi, operatio misericordiæ. Illos igitur imitentur Christiani temporis hujus; et si non ponant ministros ad urbium portas, ad observandum si quis peregrinorum aut pauperum veniat, sponte tamen venientes pie suscipiant, tractent ac hospitent gratis propter Deum.

ARTICULUS XXIX.

Quod aliqui civium debeant artis bellicæ esse periti et ad pugnandum idonei.

art. 1. CIRCA exordium hujus tractatuli tractatum est quemadmodum una causarum propter quas homines in una colliguntur ac commorantur civitate, est ut invicem sibi adsistant contra adversarios suos. Dum ergo rationabilis exigit causa, parati esse debent ad prælia, etiam in succurrendo principi suo, et pro defensione patriæ et urbium ejus ac personarum.

Porro bellicum opus periculosissimum arduissimumque consistit, quia circa pericula mortis, quæ omnium terribilium in hac vita terribilissimum est, versatur. Hinc circa bella gerenda opus est maxima industria, experientia atque peritia, utputa : quomodo sit pugnandum, qualiter bellatores sint disponendi ac ordinandi in exercitu, in itinere et in pugna. Ut enim ait Vegetius in libro de Re militari, ad prævalendum in prælio plus confert bellandi industria atque pugnantium dispositio ordinata, quam multitudo eorum aut fortitudo : imo inordinatus exercitus multitudoque imperita non est nisi hostium victima.

Itaque periculosum est illis ire ad bella A qui bellandi carent peritia. Idcirco, dum pax est et antequam instent bella, est ars bellandi discenda, ut ait Ægidius de Roma. Nam, ut protestatur Vegetius, nullus facere metuit quod se bene didicisse confidit. De his igitur rectores civitatum provideant; et ipsi rectores sint in prædictis magis periti, ut tempore opportuno possint cives inferiores de necessariis informare, eosque caute deducere ac prudenter disponere.

Præterea, sicut in libro de Regimine B principum ait Ægidius, inter cives mechanicis artibus occupatos, quidam præ aliis sunt ad pugnandum aptiores et præeligendi. Nam fabri ferrarii et carpentarii ad pugnandum sunt apti, quia ex artis suæ exercitio habent brachia ad percutiendum assuefacta; macellarii quoque, quia non horrent sanguinis effusionem, quum sint assueti bruta mactare. Similiter venatores aprorum atque cervorum ad bellandum sunt apti, quoniam magnæ audaciæ est invadere aprum, et laboriosum, insequi C cervum. Barbitonsores autem et sutores, quantum est ex parte ipsorum artis, reputantur ad pugnam inutiles, quum non sint ad labores bellicos assueti. Quæ enim proportio acus ad lanceam, aut rasorii ad ensem? Hæc autem intelligenda sunt communiter sic se habere; sed interdum in aliquibus hominibus ex naturali dispositione vel exercitatione aut peritia contingit oppositum.

ARTICULUS XXX.

D *De octo proprietatibus quas bellatoribus decet inesse.*

AD bellatores in primis pertinet fortitudo corporalis, ut possint portare ac ferre magnitudinem ponderis armorum, et ut armati possint incedere ac laborare, et dum opus fuerit, currere et saltare atque pugnare. — Secundo spectat ad eos agilitas, ut tempore prælii valeant sufferre et exercere continuas motiones ac circumductiones membrorum : aliter possent fa-

ciliter ac graviter vulnerari. Oportet ergo ut assidue se movendo effugiant læsiones, quemadmodum signum si moveatur vix tangi poterit a sagitta. — Tertio, parcitatem victus æquanimiter sustinere, præsertim quum nimia ventris impletio impediat efficaciam præliandi. Moderata autem refectio est tenenda, si victualia adsint. — Quarto, non curare de inconvenientibus locis ad jacendum, dormiendum sive pausandum : quia multoties oportet bellatores die ac nocte esse in armis. — Quinto, propriæ vitæ corporali præferre justitiam et bonum commune, paratumque esse pro justitia et communi utilitate occidi. Ideo timidi non sunt ad pugnam idonei. Unde

Deut. xx, 2, 8.

filiis Israel Deus præcepit ut ante congressum unus eorum staret ante exercitum et clamaret : Quis est homo formidolosus? revertatur, ne pavere faciat fratres suos. Hinc de optimo illo bellatore Juda

II *Mach.* xv, 30.

Machabæo scriptum est : Judas per omnia corpore et animo mori pro civibus paratus erat. — Sexto, non horrere sanguinis effusionem in bello, quando justitia hoc requirit, et pax aliter nequit acquiri. — Septimo, habere artem se protegendi ab ictibus percutiendique hostem. — Octavo, abhorrere et maxime erubescere turpem fugam.

Ex his infert Ægidius, quod rurales sunt ad bella pedestria aptiores : quia sunt corpore fortiores, et ad labores ac onera sustinenda plus assueti. Urbani vero ac nobiles ad bella equestria magis sunt apti : quia equorum robur supplet in eis defectum fortitudinis corporalis. In talibus quoque pugnis maxime prodest peritia præliandi et erubescentia fugiendi, quæ in nobilibus et urbanis magis abundant. Itaque homines deliciosi, molles et effeminati non sunt apti ad bella, quoniam valde metuunt suæ pelli.

Postremo, præcipue pertinet ad bellatores habere peritiam ad res bellicas pertinentem. Scientia namque et exercitatio in omni negotio præstant fiduciam, et faciunt expeditum, dicente Valerio : Natura facit habilem, ars facilem, usus potentem.

A Hinc pugnatores instruendi et exercitandi sunt ad incedendum simul, dum opus est, gradatim et passim, ut in suo se quilibet ordine servet : quia si acies inordinate incedat, duo inde mala sequuntur. In una siquidem parte erit acies nimis sparsa ac pervia, sicque ab hostibus poterit facilius penetrari, debilitari, dividi et occidi ; porro in alia parte erit valde stricta et arcta, sicque dum unus comprimit alium, impedit illum a sui ipsius protectione ac hostium prostratione, quoniam brachia sua

B libere non valet movere. — Insuper exercitandi sunt pugnatores, tam pedites quam equestres, ad cursum ac velocem præcursum : quod valet ad præoccupandum et obtinendum locum aptiorem, ad explorandum facta et machinas hostium, ad apprehendendum fugientes. Verumtamen præcurrendum est caute, ne præcurrentes a suis longius separati, incidant manus hostium et percutiantur. — Tertio exercendi sunt ad saltum, si forsan foveæ occurrant aut fluvii.

C Præterea militares ac nobiles satis tempestive sunt instruendi de arte et industria præliandi, et assuefaciendi ad exercitationem armorum, ut tempore necessitatis possint rempublicam defensare, et pro justitia, pro fide, pro bono communi salubriter dimicare. Bellorum etenim casus et damna sunt quasi irremediabilia, secundum quod Cato dixit : In aliis negotiis si quid erratum sit, potest postea corrigi ; delicta vero præliorum emendationem non capiunt, sed pœna errorem mox sequitur :

D quoniam imperite pugnantes aut protinus pereunt, aut in fugam versi, tam pavidi fiunt, quod raro vel nunquam audent contra suos pugnare victores.

ARTICULUS XXXI.

De quibus materiis sit consequenter in isto libello tractandum, et de quibus non.

VEGETIUS in libro de Re militari, atque Ægidius de Roma illum in plurimis sequens, multipliciter docent et probant,

quod quia bella sunt circa pericula mortis, ideo omnis cautela est adhibenda circa bellatores ante congressum, in congressu, et etiam bello durante. Verumtamen tota illorum doctrina de ista materia pertinere videtur ad corporalis vitæ conservationem ac temporalem victoriam. Sed quum incomparabiliter magis curandum sit ne anima æternaliter condemnetur, ne æterna felicitate privetur, idcirco circa bellatores summa et incomparabilis diligentia in primis est adhibenda, ut ante certamen animabus suis de necessariis ad salutem provideant, hoc est, ut absque mortali peccato accedant ad prælium, et in caritate ac gratia Dei exsistant ac moriantur. Itaque, quoniam viri præallegati parum aut nil scribunt de spirituali præparatione ad pugnam, idcirco de illa deinceps potissime loqui intendo, videlicet de his quæ ad animarum salutem in pugnatoribus pertinent.

Nihilo minus principibus, et omnibus militaribus ac bellatoribus, et præsertim eorum rectoribus, valde perutile est scire ea quæ Ægidius in libro de Regimine principum, atque Vegetius in libro de Re militari, alii quoque doctores, scribunt de re bellica, de industriis præliandi, de modo disponendi exercitum, et de variis rebus ad materiam istam spectantibus. De talibus ergo informari plenarie cupientes, ad libros præfatos remitto : quoniam ea prosequi meum non condecet statum, sed ea magis quæ in sacra Scriptura de materia ista habentur, et animarum concernunt salutem. Attamen de omnibus his in alio quodam tractatu diffusius scripsi : ideo hic non nisi pauca perstringam.

Cf. t. XXXVII, p.477 B' et s.

ARTICULUS XXXII.

De duplici præparatione ad bellum ; et quod bello durante, cor sit elevandum ad Deum.

QUANTO rationalis anima nobilior est corpore suo, et quanto æterna damnatio fugibilior, pejor ac terribilior est

A morte corporali ac brevi, tanto insipientiores sunt qui anima non præparata, non armata, sed nuda ac debili, accedunt ad prælium, quam qui corpore nudo illud accederent. Porro, sicut corporis arma sunt lorica, gladius, thorax et galea ; sic animæ arma sunt caritas Dei et proximi ceteræque virtutes, et dona Spiritus Sancti ac opera virtuosa : quibus omnibus anima decoratur, vestitur, armatur, firmatur, Deo cara efficitur, et hostibus suæ salutis feliciter reluctatur. Absque his armis anima
B turpis et debilis est, Deoque displicet, et a dæmonibus undique superatur, quousque ad æternam miseriam, quæ est mors infernalis, trahatur.

Quum itaque accedentes ad prælium corporali se exponant morti, post quam nullus de lege communi redire potest ad gratiam aut veniam promereri qui in mortali obiit culpa, ideo bellatores ante certamen spiritualiter præparare atque armare se debent per veram et puram confessionem, per cordialem contritionem, et
C satisfactionem et restitutionem, ac dispositionem rerum suarum. Imo ad hoc tenentur ex præcepto Ecclesiæ. Quamvis namque præceptum sit ut quilibet Christianus confiteatur ad minus semel in anno circa Pascha, in multis tamen casibus tenentur Christiani sæpius confiteri : sicut quum tam graviter infirmantur, quod morituri ex infirmitate illa putantur ; et dum per maria navigant in quibus pericula imminent mortis ; et dum aliquod sacramentum Ecclesiæ sunt sumpturi, et dum ad
D prælium sunt ituri. Dum autem sic præparati ad pugnam accedunt, ipsa pugnatio est eis valde meritoria et plurium actus virtutum, videlicet obedientiæ, fortitudinis, justitiæ, imo et caritatis, dum justam habeant causam pugnandi, et recta sit ipsorum intentio, ut scilicet pugnent pro justitia, pro bono communi, et magis id faciant ad complacendum Deo et propter salutem æternam, quam ad complacendum hominibus, aut propter temporalem honorem, laudem vel utilitatem. Amplius, qui

ante bellum bene confessi sunt, et juxta A modum prætactum spiritualiter bene parati, securiori animo præliantur, et jucundioris sunt cordis meliorisque spei, et fortius pugnant.

Insuper, bello durante, pugnatores cor suum debent semper ad Deum levare, ejus adjutorium et protectionem cordialiter invocando, et ei suas animas commendando, quemadmodum de quibusdam fidelibus ac
II *Mach.* xv, 26, 27. robustis præliatoribus scriptum est : Judas Machabæus et qui cum eo erant, manu quidem pugnabant, Deum autem cordibus B exorabant. Talis etiam exstitit Theodosius imperator, qui orationibus, jejuniis ac aliis actibus devotionis, magis quam potestate exercitus aut virtute armorum, hostes suos prostravit. Siquidem pugnaturus in die, tota nocte præcedente precibus institit lacrimose.

Præterea, durante prælio summe cavendum est omni pugnanti, ne contra aliquem adversariorum rancorem concipiat aut vitiose irascatur, quantumcumque lædatur ab eo. Tunc enim esset in mortali pec- C cato ; et si taliter moreretur, æternaliter damnaretur. Omnis etenim Christianus ex
Matth. v, 44. divino præcepto tenetur quemlibet hominem, quantumlibet inimicum, spirituali amore diligere et ejus salutem optare. Unde pugnator nullum debet in prælio ex rancore percutere, neque ex affectu vindictæ, sed potius ex zelo justitiæ percutientem se repercutere ; et si quem occidat, illius salvationem debet appetere ; estque multum laudabile si oret pro illo.

Postremo, si quis in tantum fuerit ne- D gligens animæ suæ et intimoratus, quod inconfessus accesserit ad prælium, nec prælio imminente valeat confiteri, non tamen desperet de sua salute, sed de tanta sua negligentia ac inobedientia ceterisque peccatis cordialiter doleat, confiteri ac emendare proponat, si vivus evaserit ; et tunc Deus piissimus ejus affectum suscipiet pro effectu. Verum ineffabiliter periculosum est confessionem tam diu differre.

Patet etiam ex prædictis, quod mulierculæ impudicæ sunt ab exercitu repellendæ. Devoti vero presbyteri debent adesse ad exhortandum salubriter, et pro confessionibus audiendis ac celebrandis divinis.

ARTICULUS XXXIII.

Quod bellatores spem suam in Deo ponere debent, et eventum et exitum belli ei fideliter finaliterque committere.

OMNIA divinæ providentiæ subjiciuntur, et ab infinita sapientia Dei universa provide disponuntur. Verumtamen actus hominum specialiter curantur ac moderantur a Deo, nec absque præordinatione divina prosperitates et adversitates hominibus accidunt. Sed hoc aliqui pugnatores non advertentes, ita in armis ac viribus suis confidunt, ita de multitudine sua præsumunt, quasi non esset providentia Dei cuncta disponens ; sed hujus oppositum copiose ac apertissime docet sacra Scriptura. Nam sanctus David rex ait : Non salvatur rex per multam virtutem, et *Ps.* xxxi
gigas non salvabitur in multitudine vir- 16, 17.
tutis suæ ; fallax equus ad salutem. Salomon quoque testatur : Equus paratur ad *Prov.* xx
diem belli ; Dominus autem salutem tri- 31.
buet.

Hinc, sicut primo libro Regum habetur, Jonathas filius Saulis regis dixit armigero I *Reg.* xiv
suo : Veni, transeamus ad stationem incir- 6 et seq.
cumcisorum istorum Philistinorum, quia non est difficile Domino salvare vel in multis vel in paucis. Cum hac fiducia Jonathas cum solo suo armigero aggrediens Philistæos, multos ex eis prostravit.

Denique, Asa rex Juda, pugnaturus con- II *Par.* xiv
tra regem Æthiopum, in cujus exercitu fu- 9-13.
erunt decies centena millia, totam spem suam in Deo constituit, eumque invocans, dixit : Domine, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris aut in pluribus ; adjuva nos, Domine Deus noster : in te enim et in nomine tuo habentes fidu-

ciam, venimus contra hanc multitudinem. A Et ecce propter hanc spem Asa regis Deus perterruit corda Æthiopum, et fugerunt : quos persequens Asa rex interfecit.

II *Par.* xx, 1 et seq. Præterea, Josaphat rex, filius regis præfati, quum audisset contra se convenisse tres gentes innumerabiles atque fortissimas, utputa Moabitas, Ammonitas ac Idumæos, valde perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum, et populo suo indixit orationes, vigilias, indutionem ciliciorum atque jejunium; Deumque devotissime invocavit, dicendo : *Ibid.* 6, 12. Domine Deus B patrum nostrorum, tu es Deus in cœlo, et dominaris cunctis regnis gentium, nec quisquam potest tibi resistere. In nobis quidem non est tanta fortitudo ut possimus resistere multitudini huic quæ irruit super nos; sed quum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Et propter tantam hujus virtuosi regis devotionem ac spem, Deus concessit ei victoriam, prout secundo libro Paralipomenon legitur. C

Ibi etiam scriptum est quemadmodum unus Prophetarum dixit ad Amasiam regem, *Ibid.* xxv, 7 et seq. qui conduxit centum millia robustorum virorum ex Israel ad pugnandum contra Idumæos : O rex, ne egrediatur tecum exercitus Israel; non est enim Dominus cum Israel. Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Dominus ab hostibus : Dei namque est adjuvare et in fugam convertere. Quumque Amasias rex acquievisset verbis Prophetæ, cum solo populo suo prævaluit, et decem D millia hostium trucidavit.

Multa similia leguntur in veteri novoque Testamento. Hæc tamen non ita sunt intelligenda quasi præliaturi non debeant sibi providere de humano auxilio, nec facere diligentiam suam et quidquid licite possunt per humanam industriam : hoc equidem esset tentare Deum. Sed quum fecerint quidquid in ipsis est, nihilo minus Deum cordialiter invocare atque in ipso summe confidere debent : quoniam Deus diversimode largitur victorias secundum merita et demerita hominum, et propter causas interdum occultas. Hinc Ezechias rex sanctus quum audisset adventum regis Assyriorum adversum se, totam spem suam IV *Reg.* xix, 14-19. fixit in Deo, invocans eum continuo : et tamen fecit contra regem Assyriorum quidquid potuit humana potestate atque industria, prout secundo Paralipomenon plenius recitatur. Nam obturavit fontes et II *Par.* xxxii, 3 et seq. rivum Jerusalem, ne venientes Assyrii, invenirent abundantiam aquæ; et murum Jerusalem instauravit, ac turres desuper fecit.

Præterea, quamvis bellatores possint optare triumphum et eum a Domino postulare, exitum tamen belli debent finaliter Deo committere, quatenus ipse ita disponat in bello sicut est pro honore et gloria nominis sui, et ut ipse novit amplius expedire saluti animarum eorum qui bellant. Victoria namque est de numero rerum quæ possunt saluti prodesse atque obesse. Ideo non est absolute petenda a Deo, sed cum conditione explicita, aut certe implicita, scilicet si et in quantum est pro Dei honore et animarum salute : juxta quem modum possumus Deum rogare pro corporis sanitate, pro damnorum evitatione. Et commissio qua homo se ita committit Deo, est valde virtuosa, Deoque placens ac meritoria, et sæpe meretur triumphum. Hinc Judas Machabæus ad prælium processurus, verba orationis et exhortationis ita conclusit : Sicut fuerit I *Mach.* iii, 60. voluntas in cœlo, sic fiat. Joab quoque princeps militiæ David regis, contra gentes robustissimas pugnaturus, dixit fratri suo Abisai : Esto vir fortis, et pugnemus II *Reg.* x, 12. pro populo nostro, et pro civitate Dei nostri; Dominus autem quod bonum est in conspectu suo faciet.

Porro quædam sunt bona quæ non possunt nisi prodesse ex sua natura, et necessaria sunt ad salutem, sicut virtutes : idcirco pro talibus bonis debemus Deum absolute rogare ut conferat ea. Pro malis vero oppositis, scilicet pro peccatis,

quæ ex se non possunt nisi obesse, orandum est absolute ut Deus tollat ea a nobis.

ARTICULUS XXXIV.

Quod cum magnanimitate et bono animo sit pugnandum pro causa justa.

TIMOR nimius et mentem et corpus debilitat; magnanimitas vero totum corroborat hominem, facitque eum et magna et ardua viriliter aggredi. Hinc bellatores immoderatum timorem in congressu debent abjicere et magnanimitatem assumere. Moderatus tamen et modicus timor bellatoribus utilis perhibetur, quum faciat hominem bene consiliativum, et ad vitandum pericula cautum ac diligentem. Bellatores quoque non debent adversarios suos nimis contemnere, ne improvise lædantur ab eis, dum se contra illos non muniunt nec satis custodiunt. Magnanimiter ergo, non præsumptuose aut ex elatione, inchoandum ac prosequendum est prælium, ut sit actus virtutis, non vitii.

Quumque pro causa rationabili præliari sit opus virtutum, cum delectatione fieri debet. Virtutes namque habent delectationes sibi annexas : unde, secundum Aristotelem, signum virtutis est delectatio fiens in opere. Præterea, pro causa justa pugnare, est multarum opus virtutum, ut dictum (art. XXXII.) est : idcirco est meritorium vitæ æternæ ; et qui taliter pugnans occumbit, salvatur. Idcirco secura lætaque mente pugnandum est. Propter quod ait Scriptura : Usque ad (*Eccli.* IV, 33.) mortem certa pro justitia. Hinc Judas Machabæus bellatoribus suis dixit : Accingimini, et estote filii potentes, quoniam melius est nobis mori in bello, quam videre mala gentis nostræ. (I *Mach.* III, 58, 59.)

Postremo, universis pugnatoribus, principibus atque militibus advertendum atque pro posse sectandum est quod de victoriosissimo illo Juda et adjutoribus ejus primo Machabæorum libro sic legitur : Surrexit Judas Machabæus pro patre (*Ibid.* I-9.) suo ; et adjuvabant eum omnes fratres ejus, et qui se conjunxerant patri ejus, et præliabantur prælium Israel cum lætitia. Et dilatavit gloriam populo suo ; et induit se loricam ut gigas, et succinxit se arma bellica sua in præliis, et protegebat castra gladio suo. Similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugiens in venatione. Et persecutus est iniquos, perscrutans eos, et eos qui conturbabant populum suum succendit flammis. Et repulsi sunt omnes inimici ejus præ timore ipsius, et omnes operarii iniquitatis conturbati sunt, et in sæculum memoria ejus in benedictione. Et perambulavit civitates Juda, et perdidit impios ex eis, et nominatus est usque ad novissimum terræ. Tales utique multi fuerunt in veteri novoque Testamento : quorum virtutes et gesta cunctis bellatoribus in exemplum clarissimum proponuntur.

ARTICULUS XXXV.

Quæ requirantur ad hoc quod bellum sit justum; et de diligentia inquirendi an bellum sit justum, antequam pugnetur aut succurratur.

AD hoc quod bellum sit justum, tria exiguntur, secundum doctores. Primum est auctoritas principis. Non enim licet privatæ personæ sua auctoritate bellum movere : quia jus suum in superioris sui judicio prosequi potest ac obtinere; nec ad personam privatam pertinet multitudinem convocare, quod ad bellum requiritur. Unde super id quod ait Salvator, Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit, loquitur Augustinus : Ille accipit (*Matth.* XXVI, 52.) gladium, qui absque superiori et legitima potestate hoc agit. Quum ergo principibus cura reipublicæ sit commissa, intestinos atque extraneos hostes tenentur reprimere : quod sæpe per prælia fieri est necesse. Princeps quoque seu judex vel minister juste occidens hominem, non est homicida dicendus, quum asserat Augustinus : Quum homo juste occiditur, lex occidit, non tu

homo judex. Secundo exigitur justa causa: ut paternæ aut debitæ hereditatis adeptio, communitatis defensio, fidei seu justitiæ tuitio sive defensio. Tertio requiritur recta intentio, quatenus bellum ad finem ordinetur honestum ac licitum, ut ad pacem communem, ad veram salutem, ad Dei honorem. Hinc a principis bellatorumque animo removendæ et prorsus abjiciendæ sunt nocendi cupiditas, ulciscendi ferocitas, implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, intentio opprimendi.

Præterea constat ex his, quod penitus illicita, vitiosa atque damnabilis sit illa consuetudo qua, aliquo illicite læso aut occiso, mox ejus propinqui se colligunt, et propria auctoritate pergunt ad ulciscendum quod factum est, vel in eo qui fecit hoc, vel in propinquis ipsius. Non enim sunt judices ejus qui forefecit, nec propinquorum ejus : ideo non secundum propriam voluntatem, sed juxta formam juris debent procedere, causamque suam judicibus ac superioribus suis proponere et expediendam committere. Præfatam ergo consuetudinem vitiosam principes a terris suis exstirpare tenentur : quia revera summe periculosa est, atque utriusque partis saluti omnino contraria. Nam magna inter eos invidia oritur, et quidam hinc inde improvise et imparati necantur : imo aliquando qui occidere optant ac satagunt, occiduntur æternaliterque damnantur. Denique ad omnem pertinet Christianum implere quod in Evangelio docet ac præcipit Christus : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. (*Matth.* v, 44.) Læsus igitur et cognati ejus tenentur vero et spirituali amore læsorem et ejus cognatos diligere : ideo obligantur culpam ejus dimittere. Debitam vero pœnam seu satisfactionem possunt secundum tenorem ac seriem juris exigere, ut observetur justitia, et in quantum expedit animæ ejus qui forefecit, ut in vita hac castigetur, et ne alii audeant talia perpetrare, A atque ut paci reipublicæ provideatur.

Insuper, quum unus multipliciter involvatur, communicet seu particeps fiat peccati alterius, præsertim si ei in re injusta adsistat, consentiat aut succurrat : idcirco antequam subditi adjuvent principem suum in prælio, seu antequam communitas una aliam juvet aut principem ejus, provide sciscitentur ac pensent an is cui succurrere volunt justam habeat causam ; et tunc non ex carnali amore, aut ex adversariorum rancore, aut cupiditate prædæ B vel lucri, sed ex spirituali amore ac zelo justitiæ seu ex pietate succurrant. Quum etenim non solum sit mortale peccatum quidquid caritati Dei et proximi contrariatur, sed etiam quidquid directe repugnat justitiæ, et tanto peccata in proximum sint majora, quanto pluribus nocumenta inferuntur et quanto nocumenta sunt graviora : quis ergo queat effari quam grave peccatum sit, aliorum terram injuste invadere, deprædari, destruere, adipisci, totam communitatem contra Deum ac rationem C turbare, infirmos pauperesque opprimere, contristare, et quasi ad desperationem blasphemiamque inducere, justos quoque affligere ?

Præterea, dominus Guillelmus Antisiodorensis dicit, quod si rex aliquis jubeat populo suo expugnare aliquem quem populus scit esse innocentem, populus obedire tenetur, postquam judicatum est ab illis quorum est in regno judicare, videlicet a patribus, quod iste debeat expugnari : alias populus non tenetur. Verumtamen D mihi videtur, quod si regis seu patrum aut quorumlibet aliorum judicium contineat manifestum inexcusabilemque errorem, subditi obedire non obligantur, nec debent. Alias excusarentur qui ex præcepto tyrannorum sanctos martyres occiderunt, imo et illi qui ex præcepto superiorum suorum Christum multipliciter afflixerunt ac crucifixerunt. Hinc S. Thomas testatur, quod subditi superiori suo obedire non tenentur uno modo propter præceptum potestatis majoris in contrarium. (Summ. th. 2a 2æ, q. civ, a. 5.)

ARTICULUS XXXVI.

An liceat in bello uti insidiis; et utrum liceat diebus festis pugnare.

IN veteri legitur Testamento, videlicet in libro Josue et in libro Judicum, quod (*Josue* VIII, 2; *Judic.* XX, 28, 29.) Deus præcepit populo Israel ponere insidias urbi Hai ac filiis Benjamin. Sed quum insidiæ ordinentur ad hostium deceptionem, quos oportet diligere, mirum alicui videri potest qualiter liceat in bello justo uti insidiis. Ideo advertendum quod dupliciter fallitur homo sive in verbo sive in facto. Primo, dum ei falsum quid dicitur, aut promissio non servatur. Et istud illicitum est, quia (ut in libro de Officiis ait Ambrosius) etiam inter hostes sunt pacta et fœdera observanda. Secundo quis fallitur, quia propositum seu conceptus aut opus alterius ei non panditur. Et istud interdum est licitum. Quemadmodum enim, (De Eccl. hier. c. I; de Divin. nom. c. I. *Matth.* VII, 6.) juxta doctrinam magni et divini Dionysii, in sapientia fidei christianæ quædam secreta fidei incredulis occultantur, ne sanctum canibus detur; ita in arte rei militaris præcipuum est, ne consilia hostibus revelentur.

Præterea, si bellum convenienter differri non valeat, licitum erit diebus festivis justum prælium agere : alias pagani et impii diversa damna inferrent justis atque fidelibus festis diebus. Hinc primo libro (I *Mach.* II, 41.) Machabæorum habetur quemadmodum Judæi inter se statuerunt hostibus repugnare, si die sabbati, qui apud eos celebris fuit, invaderentur ab eis. Nam et festis diebus licet propriam vitam pugnando defendere, medicis quoque tunc licet mederi.

ARTICULUS XXXVII.

De cautelis circa bellatores et in prœliis provide observandis.

PUGNATURI contra se invicem varias vias excogitant et callidissimas subtilitates inveniunt, quibus adversarios suos circumvenire, dejicere ac sibi subjicere

A possint. Idcirco, ut ait Ægidius, expedit ut dux exercitus habeat descripta itinera regionum et intervalla locorum, qualitates quoque viarum, compendia, deverticula, montes, paludes et flumina exsistentia in viis per quas ducetur exercitus : imo melius esset quod universa præfata, quantum possibile est, haberet depicta, et sic quasi oculis ea adspiceret, ut exercitum suum tutius duceret. Insuper cautum est habere conductores viam bene scientes. Circa quos diligentia summa est adhibenda ne B fallant : nam quidam principes cum exercitibus suis leguntur per conductores decepti. Hinc comminanda est eis mors, si se fraudulenter habuerint, et custodes circa eos ponendi sunt.

Præterea, ad ducem exercitus pertinet providere ne cum populo suo diu incedere seu morari cogatur in locis inaquosis seu aridis, ubi ex aquæ defectu, exercitui aut jumentis posset mors aut grande periculum imminere : quemadmodum quarto libro Regum legitur accidisse Josaphat regi (IV *Reg.* III, 9-20.) C Juda, et Joram regi Israel, regique Edom, qui per desertum pergentes contra Moabitas, ex aquæ perissent penuria, nisi Deus eis miraculose subvenisset per Eliseum prophetam.

Amplius, adversarii victi, non sunt nimis angustiandi atque arctandi, præsertim quamdiu adhuc resistere valent : quia multoties accidit quod homines adversitatibus fracti pusillanimesque effecti, quum se conspiciunt nimis urgeri aut non posse evadere, resumunt audaciam, magnanimes D fiunt atque fortissime præliantur. Hinc Abner princeps militiæ regis Israel, fugiens exercitum David regis, dixit ad Joab principem militiæ David : An ignoras quod (II *Reg.* II, 26.) periculosa sit desperatio? Usquequo non dicis populo ut omittat persequi fratres suos? Propterea, secundum doctores de materia ista scribentes, dum princeps conspicit se potentiorem, et suo exercitu se posse hostes includere, non sic eos includere debet ut nullam fugiendi eis aperturam relinquat, ne forsitan desperationis

occasione animentur ad resistendum, plurimosque occidant. Hinc ait Ægidius : Pusillanimes dum valde formidant nec credunt se posse effugere, invadunt alios, fiuntque probi. Unde communiter dicitur : Qui nimis fugat timidum, vi cogit eum esse audacem. Sic et bruta communiter timent hominem, et nisi timerent ab homine lædi, raro aut nunquam invaderent eum, nisi fame forsan hoc facerent.

Præterea, justo Dei judicio sæpe contingit ut victores qui hostibus suis a se victis nimis feroces sunt, ab aliis ferociter opprimantur : sicut in libro Judicum Adonibezec rex, quum filii Israel amputassent sibi summitates manuum et pedum, dixit : Septuaginta reges, amputatis manuum et pedum summitatibus, sub mensa mea colligebant micas ; sicut feci, sic reddidit mihi Dominus. (Judic. I, 6.)

Insuper, bellatores non debent se nimis ab invicem separare, ne adversarii improvise irruant super eos, et antequam se mutuo possint juvare, percutiantur ab hostibus. Legitur de quodam strenuo ac provido pugnatore, quod quum post stragem suorum impugnaretur a tribus, cernens se illis tribus non posse simul resistere, simulavit se fugere, ut illos tres ab invicem separaret. Quumque unus illorum eum ceteris velocius insequeretur, convertens se, illum subito interemit. Rursusque fugam arripiens, secundum illorum præcurrentem eadem calliditate occidit. Postremo congressus cum tertio, illum etiam necavit. Idcirco qui alios insequuntur, prudenter currant, nec tantum a suis adjutoribus se elongent, ut ab eis satis tempestive juvari non queant si indiguerint.

Denique aptitudo loci multum prodest ad obtinendum triumphum. Observanda est quoque congruentia temporis, ne dux exercitus tunc ineat prælium dum habiturus esset ab opposito splendorem solis, aut ventum pulveres seu arenas contra suum exercitum excitantem. Hinc secundo libro Regum describitur quemadmodum inter exercitum David et inter exercitum filii ejus Absalonis commissum est prælium in saltu, et multo plures fuerunt de exercitu Absalonis quos saltus consumpsit, quam hi quos gladius voravit. (II Reg. XVIII, 6. — II Reg. XVIII, 8.) Hinc ait Ægidius, quod equites melius se defendunt in campis, pedites vero in locis montuosis atque silvestribus.

Amplius, princeps et ejus exercitus non faciliter credere debent venienti de parte adversariorum et promittenti adsistentiam sibi. Sic enim David rex decepit Absalonem et ejus exercitum, mittendo ad illos amicum suum Chusai, ut promitteret adsistentiam illis : cujus consilio Absalon ejusque populus acquiescentes, devicti sunt, prout secundo Regum scribitur libro. (Ibid. XV, 32-37 ; XVI, 16-19 ; XVII, 5 et seq.)

Iterum legitur, quod quodam tempore Francorum exercitus Longobardiam ingrediens, et ad Longobardorum tentoria tandem perveniens, invenit ea hominibus vacua, sed omnibus bonis et maxime vino plena ; existimantesque Franci Longobardos ob timorem ipsorum fugisse, ingressi tentoria, repleverunt se cibo et potu, ac dormierunt. Porro Longobardi, qui callide simulaverant fugam, redeuntes et super Francos improvise ruentes, pene omnes trucidaverunt. Hanc calliditatem advertit Joram rex Israel, quum audiret tentoria hostium suorum Syrorum hominibus vacua, sed victualibus ac divitiis plena esse inventa, ut quarto Regum libro habetur. (IV Reg. VII, 12.)

Postremo, Vegetius inter cautelas quibus utendum est contra hostes ponit et hanc, scilicet : seminare discordiam inter adversariorum exercitum, quatenus inter se discordando, debiliores fiant ad resistendum. Sed cautelam istam non commendat Ægidius, asserens eam bonis moribus repugnare. Verumtamen hoc non videtur satis resolute probatum. Non enim semper illicitum est inter alios seminare discordiam, quum beatissimus Paulus apostolus inter Pharisæos ac Sadducæos discordiam seminare legatur in Actibus Apostolorum. (Act. XXIII, 6-10.) Idcirco sciendum, quod sicut illicitum est inter bene concordes discordiam seminare, sic licitum est inter male

concordes seminare eamdem, ne id in quo A male concordant sortiatur effectum.

Ex his innotescit quanta cautela, quanta diligentia atque prudentia necessariæ sint in bellis. Et si hoc ita se habet in corporalibus præliis pro corporum vita servanda, quanto magis in bello spirituali contra invisibiles hostes opus est diligentia summa, ad evadendum mortem æternæ miseriæ, atque ad obtinendum vitam gloriæ sempiternæ? Ad laudem et honorificentiam Regis universorum adorandi, gloriosi ac omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS LIBRI DE REGIMINE POLITIÆ.

DE LAUDABILI VITA
CONJUGATORUM

PROŒMIUM

DIXIT *Dominus Deus : Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam ; quumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et ædificavit* eam *in mulierem, et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Gen. II, 18, 21-24.

In his verbis, quæ scripta sunt in Genesi, sanctus Moyses describit ac docet qualiter Deus primos parentes generis humani produxit, atque in paradiso ante primorum parentum transgressionem matrimonium instituit. Primo namque Deus creavit virum, videlicet Adam, extra paradisum ; deinde de costa viri in paradisum translati, condidit mulierem in paradiso, deditque eam Adæ sociam et uxorem.

Sed circa hæc quæri potest, cur Deus non fecit Adam et Evam simul, hoc est eodem loco et tempore uno, sicut in aliis animalibus simul produxit marem et feminam ; cur etiam Deus fecit Evam potius de costa viri quam de alia ejus corporis parte. — Ad primum horum dicendum est, quod ideo Deus primo creavit virum, quoniam vir dignitate sexus, prudentia rationis et robore corporis mulierem excedit. Ideo dicit Apostolus, quod mulier facta est propter virum, ita quod vir est quasi finis mulieris. Propter quod rursus Apostolus ait : Vir est imago et gloria Dei, mulier autem gloria est viri. Formata namque est mulier in adjutorium viri, quia ad propagationem educationemque sobolis, ad gubernationem domus, ad necessariorum præparationem ac provisionem, vir indiget muliere. Ideo dixit Deus : Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi. — Præterea Deus formavit mulierem ex costa viri, ut vir cordialius semper diligat suam uxorem, et ei magis adhæreat, nec eam contristet accedendo ad aliam. Idcirco duodecimo libro de Civitate Dei loquitur Augustinus : Quod ex latere viri facta est mulier, signat quam cara debeat esse conjunctio mariti atque uxoris. Hinc iterum sanctus asserit Augustinus : Animalia bruta, tam ea quæ solitudinem amant quam ea quæ in gregibus vivere malunt, Deus non ex singulis propagavit, sed plura simul jussit exsistere. Hominem vero, quem inter angelos bestiasque condidit medium, ex uno voluit multiplicari, ut commendaretur eidem societatis unitas, vinculum concordiæ, cognationis affectus. Porro mulierem fecit Deus non de capite viri, ne vir habeat conjugem suam ut dominam ; neque de pedibus viri, ne vir habeat eam quasi ancillam ; sed de latere viri, ut habeat eam tanquam comparem atque consociam et juxta se collocandam. In aliquibus tamen vir est muliere superior, sicut infra dicetur.

I Cor. XI, 9.
Ibid. 7.
Gen. II, 18.

Sed quum vir sit dignior, prudentior ac fortior muliere, cur Deus fecit mulierem in paradiso, virum autem extra paradisum? Dicendum, quod Deus in hoc honoravit sexum femineum primamque feminam, quatenus viri exemplo Dei, uxoribus suis honorem cum discretione impendant.

Insuper, quoniam quilibet Christianus digne Deo vivere debet secundum exigentiam *Ephes.* IV, 1, 2. sui status, quemadmodum hortatur Apostolus, Obsecro vos in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate; status vero conjugalis est status specialis, ad quem multa specialiter pertinent : ideo in conjugio constitutos, si Deo placebunt, illa omnia quæ ad suum pertinent statum, scire et observare oportet. Quæ autem sint illa, et ad qualem conversationem teneantur conjugati, in hoc libello declarare intendo, videlicet : qualiter habere se debeant in observationibus præceptorum Dei atque Ecclesiæ; quomodo vir habere se debeat ad conjugem suam, et illa ad suum maritum, et qualiter ambo simul habere se debeant ad filios suos ac filias, itemque ad suam familiam et ceteros homines, et in officiis quæ exercent; et qualiter tempus suum quotidie expendere obligentur, ut absque mortali vivant peccato. Siquidem de hac materia aliquid scribere, ab aliquibus viris in matrimonio positis, notabilibus, eruditis et multum dilectis frequenter rogatus sum.

DE LAUDABILI VITA CONJUGATORUM[1]

ARTICULUS PRIMUS.

Quod Matrimonium est unum de septem sacramentis Ecclesiæ.

MATRIMONIUM, ut dicunt doctores, est legitima conjunctio maris et feminæ, individuam vitæ consuetudinem retinens. Hæc autem conjunctio matrimonialis non solum est in officium naturæ, videlicet ad generationem prolis, sed etiam in remedium culpæ, videlicet ad vitandam fornicationem et omnem illicitam commixtionem. Idcirco Matrimonium est sacramentum. Sacramenta namque Ecclesiæ sunt remedia homini contra peccatum exhibita per sensibilia signa : sicut Baptismus est remedium contra originale peccatum, Confessio contra vitium actuale. Præterea, sacramentum est sacræ rei signum. Matrimonium ergo est signum alicujus rei sacræ. Significat enim conjunctionem Christi et Ecclesiæ, Dei quoque et mentis devotæ : Christus siquidem est sponsus Ecclesiæ, et omnis anima vere devota Dei est sponsa. Est etiam signum conjunctionis naturæ humanæ cum natura divina in Filio Dei.

Insuper, sacramenta Ecclesiæ continent gratiam et conferunt eam. Idcirco matrimonium secundum quod in fide Christi contrahitur, confert gratiam per quam conjugati possunt actus illos ad quos matrimonium ordinatur, convenienter atque A salubriter exsequi, cognoscendo se invicem sicut decet, desiderio prolis educandæ ad cultum Dei, vel ob aliam rationabilem causam, ut infra dicetur. Hanc autem gratiam Deus principaliter præstat, et per eam concupiscentia carnis debilitatur. Sed ad hoc quod contrahentes conjugium suscipiant gratiam istam, oportet ut ad gratiam se disponant et aptent, non ponendo impedimentum seu obicem gratiæ per peccatum mortale, sed pœnitendo de suis peccatis : ideo confiteri debent antequam B contrahunt, vel antequam consecrantur seu benedicuntur ; et quanto purius confitentur devotiusque accedunt ad contrahendum conjugium aut ad benedictionem nuptialem, tanto majorem a Deo gratiam sortiuntur.

Non ergo libidinis causa aut voluptatis amore, sed posteritatis affectu, in qua obsequium Dei, fides atque religio christiana conserventur et augeantur, est contrahendum conjugium, quemadmodum Tobias junior dixit ad Deum : Domine Deus *Tob.* VIII, 7, 9. C patrum nostrorum, tu scis quia non luxuriæ causa suscipio conjugem meam, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum. Angelus quoque Raphael ad eumdem dixit Tobiam : Audi me, et ostendam tibi *Ibid.* VI, 16, 17, 22. qui sunt quibus prævalere potest dæmonium. Hi quidem qui conjugium ita suscipiunt, ut suæ libidini vacent sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet

[1] Ex editionibus Coloniæ, Joannis Soteris, 1532, et Joannis Birckmanni Junioris, 1559.

super eos dæmonium potestatem. Tu autem accipies conjugem cum timore Dei, amore filiorum magis quam libidinis, ut benedictionem in filiis consequaris. Porro in matrimonio constituti qui tam sincera intentione ut tactum est non contraxerunt conjugium, de sua pœniteant culpa, et deinceps sincera intentione in suo perseverent connubio.

Postremo clandestina conjugia exstant prohibita. Ideo manifeste et cum debita solennitate, juxta ordinationem ac jussionem Ecclesiæ, sunt matrimonia contrahenda, ut contrahentes gratiam consequantur. Et quoniam Matrimonium est sacramentum, idcirco ob reverentiam sacramenti se mutuo honorare debent maritus et uxor, atque ab aliis quodammodo honorandi sunt, et honeste ac virtuose vivere debent.

ARTICULUS II.

De commendatione matrimonii.

MATRIMONIUM primo laudabile est quoniam ipsemet Deus instituit illud. *Gen.* II, 21-24. Hinc de conjugatis loquitur Christus : Quos Deus conjunxit, homo non separet. *Matth.* XIX, 6. Secundo, quia in paradiso est institutum. Tertio, quia in exordio mundi Deus illud instituit. Quarto, quia in statu innocentiæ institutum est antequam Adam peccavit. Quinto, quoniam tempore diluvii non sunt salvati nisi conjugati, videlicet Noe et conjux ejus, et tres filii Noe atque uxores eorum. *Gen.* VII, 7, 23. Sexto, quia beatissima virgo Maria desponsata est viro, et ex ea sic desponsata Filius Dei nasci elegit. *Matth.* I, 18. Septimo, quoniam ipsemet Christus ivit ad nuptias factas in Cana Galilææ, in quibus etiam piissima Mater ipsius fuit. *Joann.* II, 2. Octavo, quia in nuptiis illis Christus fecit primum suum manifestum miraculum, convertendo aquam in vinum. *Ibid.* 3-11. Nono, quoniam matrimonium contrahentes tam solenniter benedicuntur a sacerdote juxta altare, tempore Missæ, in præsentia corA poris Christi. Decimo, quoniam pretiosissimus fructus ex matrimonio oritur, scilicet filii et filiæ, ex quibus Ecclesia militans quotidie augmentatur et conservatur, regnum quoque cœlorum impletur atque angelica reparatur ruina. Unde, si commendabiles sunt ager et arbor fructum plurimum afferentes, multo magis matrimonium, quum unus infantulus pretiosior sit omnium agrorum ac arborum fructibus. Undecimo, quia est unum de septem sacramentis Ecclesiæ, prout præB cedenti dicebatur articulo. Duodecimo, quia per ipsum copula carnalis a peccato excusatur, quæ alias mortale esset peccatum. Tertiodecimo, quia per ipsum amicitia inter homines maxime dilatatur et conservatur, etiam inter multos, videlicet inter consanguineos viri ac feminæ. Quartodecimo, quia per ipsum maxime inimicitiæ, etiam regum et principum, exstinguuntur, turbationes sedantur, discordiæ concordantur, et totæ provinciæ a multis periculis eruuntur, et hereditaria bona ad C veros reducuntur heredes. Quintodecimo, quia per hoc ipsum quod conjugati inseparabiles sunt, proles eorum diligentius enutritur, instruitur, custoditur ac providetur. Per matrimonium quoque homines a variis retrahuntur excessibus, pristinas levitates ac vanitates relinquunt, prudentes, maturi atque solliciti fiunt.

ARTICULUS III.

De aliquibus malis statui conjugali adjunctis.

D QUAMVIS matrimonium in se bonum sit et necessarium, atque divinitus institutum, multa tamen mala, tam mala pœnalia (videlicet tribulationes, afflictiones, sollicitudines, inquietudines, onera, labores ac servitutes) quam mala culpabilia, ei ex latere conjunguntur. Hinc de conjugatis dicit Apostolus, quod tribulationem carnis habebunt. *I Cor.* VII, 28. Siquidem in providendo ac procurando necessaria sibi ac

soboli suæ, in custodiendo res suas, in vitando damna atque pericula, in regimine suæ domus, in acquirendo sua debita, in exercendo sua officia, graves ac varias habent curas, timores, inquietudines et labores. Frequenter etiam contingunt conjugatis adversa in se ipsis, in filiis ac filiabus, in rebus et possessionibus, in propinquis atque amicis ; et tunc multipliciter affliguntur. Contingit quoque multoties quod male concordant sæpeque litigant, et paulatim magnam displicentiam contra se invicem concipiunt, ita quod tandem mirabile atque gravissimum odium oritur inter eos ; et tunc amaram vitam pariter ducunt, et tanto molestiorem, quo quotidie amplius conveniunt in domo, in mensa, in lecto, in colloquiis atque operibus. Interdum quoque conjugati solliciti sunt quomodo sibi invicem placeant. Et per omnia ista impediuntur ab obsequio Dei, ab integra adhæsione mentis cum Creatore, a devotis orationibus, a divinis contemplationibus, a cordis custodia, a mentis munditia : sicque difficile eis est vitare semper peccata mortalia. Hinc dicit Apostolus : Vir sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et mente divisus est ; similiter mulier sollicita est quomodo placeat viro. Et ita non tota mente Deo adhærent. Verumtamen sollicitudo sibi invicem complacendi, si sit moderata et ad bonum finem relata, videlicet ne inter eos oriatur displicentia sive discordia, et ne quis eorum conjugalem violet fidem, non est vitiosa et mala, sed bona.

I Cor. VII, 33, 34.

Præterea, vir et mulier ante conjugium habent quamdam sui corporis libertatem ; sed contracto conjugio, in mutuam rediguntur servitutem, atque in multis fiunt sibi debitores. Idcirco, secundum Apostolum, vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier, et econtra. Iterum, sæpe contingit quod uxores suspicantur malum de suis maritis, similiter viri de suis conjugibus.

Ibid. 4.

Insuper, quamvis actus matrimonialis possit fieri absque peccato, sicut infra dicetur, est tamen conjugatis non parum difficile non immoderanter se habere neque excedere in actu illo : imo, ut dicunt doctores, hoc difficilius est quam penitus continere. Voluptas namque carnalis quo magis experitur, eo plus accendit et desideratur. Unde in libro de Bono conjugali loquitur Augustinus : Multi hodie facilius se tota vita ab omni concubitu abstinent, quam modum teneant, si matrimonio copulentur. Et iterum ait : Multi facilius se abstinent ut non utantur, quam temperant ut bene utantur. Sicque statui matrimoniali multa miscentur peccata, præsertim circa copulam carnalem, prout infra scribetur.

Postremo, quædam feminæ viris suis molestæ sunt, etiam tempore noctis, per vana et querulosa colloquia, dicendo : Illa ornatior procedit in publicum ; hæc honoratur ab omnibus, ego infelix in conventu feminarum despicior. Cur adspiciebas vicinam ? Quid cum ancilla loquebaris ? De foro veniens quid attulisti ? Alterius amorem, sui odium suspicatur.

Hæc de malis matrimonio adjunctis tanguntur, ne quis inconsulte conjugium contrahat. De remediis autem contra præfata mala, inferius dicam.

ARTICULUS IV.

Quod non solum castitas virginalis, sed etiam continentia vidualis præferenda est matrimonio.

PROPTER prætacta mala statui conjugatorum annexa, Apostolus docet et consulit potius in virginitate manere quam nubere : quia in virginitate manere intuitu et amore Dei, salubrius est magisque meritorium, eo quod varia divini obsequii impedimenta matrimonio sint conjuncta. Qui autem in virginitate aut etiam viduali castitate permanet, aptior est ad exercitia virtuosa, ad puritatem internam, ad mentis quietem ac pacem, ad spiritus libertatem in Deo, ad spiritualem Dei ac proximorum amorem, ad orationes ferventes, ad

I Cor. VII, 8, 38.

meditationes sanctas, ad contemplationes divinas. Quo etenim mens humana amplius ac multiplicius occupatur, distenditur ac partitur circa exteriora, temporalia atque carnalia, eo ineptior debiliorque consistit ad spiritualia ac divina. Voluptas quoque carnalis matrimoniali actui conjuncta deprimit cor humanum et obtusum efficit ad tempus, ita quod ad vacandum divinis ineptum efficitur. Hinc dicit Apostolus, quod virgo cogitat quæ sunt Dei, ut sit sancta et immaculata mente et corpore. (I *Cor.* VII, 32, 34.)

Denique, Christus in Evangelio consulit continentiam virginalem, et ait : Semen cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. (*Luc.* VIII, 8 ; *Matth.* XIII, 8.) Ubi per fructum centesimum intelligitur castitas virginalis, per fructum sexagesimum castitas vidualis, per fructum tricesimum continentia conjugalis. Unde constat quantum castitas virginalis præcellit, deinde castitas vidualis. Insuper, virgines Christo virgini et ejus virgineæ Genitrici sanctisque angelis singulariter assimilantur. Et sicut ait B. Hieronymus, in carne non carnaliter sed virginaliter vivere, angelica vita est, non humana. Virginibus quoque, quemadmodum martyribus, datur aureola in regno cœlorum. Verumtamen virginitas sine humilitate non prodest; et in virginitate volens salubriter permanere, debet ceteris virtutibus inhærere, atque ab omni illicito abstinere affectu.

De laudibus autem virginitatis et continentiæ vidualis multa dici possent, sed hæc congruentiorem alibi habent locum.

ARTICULUS V.

An actus matrimonialis possit exerceri sine peccato ; et quando actus ille sit culpabilis venialiter, et quando mortaliter.

HÆRETICI quidam, ut ceteris hominibus viderentur ac reputarentur spiritualiores ac puriores, dixerunt actum matrimonialem exerceri non posse sine peccato. Ideo matrimonium reprobaverunt, quum tamen Apostolus apertissime dicat : Virgo si nupserit, non peccavit. (I *Cor.* VII, 28.) Fuerunt ergo et alii hæretici, quibus matrimonium in tantum complacuit, quod illud virginitati adæquaverunt. Contra quos est quod ait Apostolus : Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit ; et qui non jungit, melius facit. (*Ibid.* 38.)

Inter hos igitur duos errores sancta mater Ecclesia et fides catholica medium tenet, videlicet quod actus matrimonialis absque omni culpa fieri potest, nihilo minus virginitas est conjugio præferenda. Apostolus namque clarissime dicit, docet et præcipit : Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro. (*Ibid.* 3.) Ubi per debitum intelligitur cognitio qua conjugati carnaliter mutuo se cognoscunt. Ergo tenentur ad hoc, dum ab invicem id requirunt. Reddere autem debitum, est actus justitiæ, quæ est virtus præclara. Iterum ait Apostolus : Volo juvenculas * nubere, filios procreare. (I *Tim.* V, 14. * juniores) Sed hoc non voluisset Apostolus, si procreatio filiorum non posset fieri sine peccato. Præterea, omnipotens, justus ac sapiens Deus sic ordinavit atque ad hoc Matrimonium instituit, ut per copulam conjugalem homines generentur : idcirco irrationabile fatuumque consistit, asserere quod actus hujusmodi absque peccato nequeat exerceri.

Itaque, sicut doctores super quartum librum Sententiarum concorditer dicunt, (dist. XXVI.) actus hic conjugalis potest fieri sine peccato omni, mortali ac veniali, tripliciter. Primo enim potest esse actus justitiæ, quando videlicet uno conjugatorum petente, alter exercet : dummodo exerceat principaliter ex inclinatione justitiæ ob comparis sui instantiam, non voluptatis amore. Secundo potest actus matrimonialis esse actus virtutis quæ latria nuncupatur, per quam Deo cultus impenditur. Dum ergo conjugati se cognoscunt desiderio prolis ad Dei obsequium educandæ, in qua christiana fides et honor Altissimi auge-

antur, cognitio illa conjugalis est latriæ actus. Tertio potest esse actus pietatis, dum fit propter fornicationem vitandam in compare : ut si viro constet quod uxor sua ex verecundia aut alia causa debitum ab ipso non exigat, atque ob hoc vereatur de ruina illius, petatque debitum ne illa cadat, opus est pietatis. Similiter, si conjugi constet de viro quod ex perversitate, vel quia ad alias feminas magis afficitur, ab ea non exigat debitum, vel quia sine peccato vir non potest illud exigere, ut si ante contractum conjugii fecit votum continentiæ simplex; et tunc uxor blandiatur viro honeste et debitum petat ab illo, ne cum alia femina peccet aut vitiosam inquinationem incidat, opus est pietatis. Insuper, quoniam caritas est summa virtus, omniumque virtutum imperatrix ac motrix, in prædictis tribus modis potest actus matrimonialis esse opus caritatis seu spiritualis amoris : siquidem omnia opera bona fieri debent ex spirituali et divino amore. Prætactis igitur modis actus matrimonialis non solum caret peccato, sed opus est virtutis : si tamen conjugati sint in caritate et gratia Dei, viventes absque peccato mortali, et cognoscant se congruo loco et tempore, recta intentione convenientique modo.

Porro, dum actus matrimonialis procedit ex concupiscentia seu desiderio voluptatis, tunc est peccatum. Et si concupiscentia fuerit omnino immoderata atque prædominans, id est rationi nequaquam subjecta, nec infra limites matrimonii sistens ; tunc est mortale peccatum : sicut dum vir ex tanta concupiscentia accedit uxorem, quod eam accederet quamvis sua uxor non esset. Tunc enim non maritali sed adulterino eam accedit affectu. Propter quod ait S. Hieronymus, quod omnis amator ferventior, est adulter, quia sic peccat sicut adulter. Simile quoque judicium est de uxore, si ex concupiscentia prædominante misceatur marito. Si autem actus matrimonialis procedat ex concupiscentia non prædominante, sed rationi subjecta, ita

A quod conjugati non se cognoscerent nisi matrimonialiter juncti essent, tunc est veniale peccatum.

Sed quæri potest, an actus matrimonialis sit peccatum in viro, quando conjugem suam cognoscit ad vitandam fornicationem seu aliam inquinationem in se ipso ; item, an sit peccatum in conjuge, dum ipsa miscetur marito debitum petens ab illo ad vitandam fornicationem in se ipsa, videlicet ne ipsa adulterium aut inquinationem aliam incidat. Ad hoc S. Thomas (Sent. IV, dist. xxxi, q. ii, a. 2 ad 2um.)
B respondet, quod in isto casu actus matrimonialis sit veniale peccatum, quia tunc in eo est superfluitas quædam. Aliis vero apparet, quod ex quo matrimonium institutum est in remedium contra culpam, si in casu præfato maritus aut uxor non intendat voluptatem, sed solum fornicationis aut alterius inquinationis vitationem in propria persona, non peccet.

Denique, sacris temporibus et diebus festivis, diebusque jejuniorum ac processionum, præsertim quando communicandum est, non licet petere debitum conju-
C gale : quia tunc specialiter vacandum est orationi ac devotioni et elevationi mentis ad Deum, a quibus carnalis voluptas impedit hominem, deprimendo ipsius mentem. Et si vir tunc debitum deposcat, uxor (si congrue potest) deberet eum bono modo avertere, non tamen importune : imo reddere debet, si maritus petat instanter; nec peccat reddendo, dummodo (quantum in se est) mallet non reddere. Similiter habere se debet maritus, si præfatis diebus
D mulier debitum petat. Verumtamen, ut S. Thomas et alii dicunt, non est peccatum (Ibid. dist. xxxii, q. i, a. 5.) mortale præfatis diebus debitum petere, nisi ex concupiscentia prædominante petatur.

Insuper, ut ait S. Ambrosius, quando imprægnata est uxor, non decet ab ea petere debitum, præsertim dum propinquat ad partum : non tamen videtur mortale peccatum tunc petere. Nocet autem non parum fetui concepto, post imprægnationem matris cognoscere eam, ut ait Ambrosius.

Postremo, conjugati in petendo atque reddendo debitum conjugale æquales sunt, id est paris auctoritatis ac potestatis, nec in hoc vir uxori præfertur : quia per matrimonialem contractum corpus unius transfertur in potestatem alterius.

ARTICULUS VI.

De tribus bonis quæ excusant matrimonii actum ab omni peccato et eum honestant.

art. præced. QUAMVIS, sicut prædictum est, actus matrimonialis possit exerceri absque peccato, multa tamen consequuntur ad actum illum, per quæ ratio hominis impeditur a contemplatione divinorum, a vita quieta, exercitiisque virtutum. Nam voluptas illa carnalis rationem deprimit et absorbet, et statui conjugali multiplex cura incumbit. Iterum, copula illa carnalis conjugatorum quoad esse naturæ non differt a copula solutorum. Hinc doctores ponunt esse tria bona per quæ actus matrimonialis ab omni culpa excusatur ac honestatur, videlicet : proles ad Dei obsequium educanda ; fides quoque, id est fidelitas quam conjugati sibi invicem servant non accedendo ad alias personas ; et sacramentum, quia Matrimonium est sacramentum designans unionem Christi et Ecclesiæ, et ex hoc actum conjugalem honestat.

Si ergo conjugati cognoscant se non intendendo prolem, nec debiti redditionem, sed voluptatem dumtaxat, peccatum est. Et dixerunt quidam hoc esse peccatum mortale. Sed S. Thomas contradicit, et dicit quod si intendant voluptatem infra honestatem ac limites matrimonii, ita quod non quærerent hujusmodi voluptatem nisi matrimonialiter juncti essent, sic quod ibi non est concupiscentia prædominans, tunc est veniale peccatum ; si autem intenderent et quærerent voluptatem extra terminos et honestatem conjugii, ex concupiscentia prædominante, ita quod se cognoscerent quamvis non essent conju- (Sent. IV, dist. XXXI, q. II, a. 3.)

A gio sociati, tunc esset mortale peccatum. Et istud etiam S. Augustinus affirmat, dicens : Conjugalis concubitus qui fit causa satiandæ concupiscentiæ, habet culpam, tamen propter fidem tori venialem. Et iterum dicit, quod computatur inter quotidiana peccata, pro quibus in Oratione dominica dicimus : Dimitte nobis debita nostra. (Matth. VI, 12.)

Verumtamen, sicut in aliis peccatis quæ in se venialia sunt, frequenter peccat homo mortaliter per nimiam frequentiam et B complacentiam ac usum in illis ; ita conjugati propter voluptatem se cognoscentes, si hoc in consuetudinem ducant, et incustodite se habeant, cito atque faciliter ac frequenter incidunt in mortale peccatum. Igitur conjugati Deum præ oculis semper habentes, nequaquam se brutaliter habeant, voluptati irrefrenate vacando ; omnem quoque indecentem lasciviam et carnalem mollitiem in tactibus, osculis, situque corporis, verbis, signis adspectibusque devitent, quemadmodum hortatur C Apostolus : Honorabile connubium sit et torus immaculatus. (Hebr. XIII, 4.) Unde per Amos prophetam Dominus loquitur : Væ vobis qui lascivitis in stratis vestris. (Amos VI, 4.) Talia quippe nequaquam ad conjugalem copulam, sed ad meretricias spectant blanditias, sicut beatus instruit Augustinus. Et ut sanctus testatur Hieronymus, in talibus carnalitatibus sæpe consistit peccatum mortale.

Postremo, sicut patet ex dictis, corpus viri est in conjugis potestate, et econverso, quantum ad debitum tori : idcirco dum D unus petit ab alio debitum, ille tenetur reddere ex præcepto divino ; et si importune irrationabiliterque negaret, peccaret mortaliter, transgrediendo divinum præceptum et contra justitiam peragendo, præsertim quum matrimonium sit peccati remedium. Ergo dum alter conjugum concupiscentia infestatur, non est ei (si petat) debitum denegandum. In hoc tamen quædam personæ conjugatæ, quasi sub specie boni, incaute et insipienter, imo injuste se habent, compari suo debitum negando, aut (art. III. I Cor. VII, 4.)

non satis prompte reddendo : per quod comparem suum exponunt interdum grandi periculo. Siquidem concupiscentia inflammatus, in tali negatione aut dilatione posset aliam inquinationem incidere, vel indignationem gravem aut odium contra contoralem concipere, vel adulterium affectare sive proponere ; et peccatum ejus redundaret in contoralem. Verumtamen, quum semen quod est materia redditionis debiti, sit superfluum alimenti, nec necessarium ad conservationem suppositi, si uxor petat a viro suo debitum immoderate, hoc est plus quam superfluum alimenti se extendit, non tenetur vir reddere : imo tunc non esset justa petitio, sed injusta exactio ; talisque femina potius se haberet ut meretrix quam ut uxor.

Dicunt quoque doctores, quod vir non solum tenetur debitum reddere conjugi quando illa expresse hoc petit per verba, sed etiam si interpretative id petat per signa. Ideo S. Thomas affirmat : Quando vir percipit per aliqua signa, quod uxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet, tenetur uxori reddere debitum, si expressa signa appetitionis debiti in uxore percipiat. Hujus autem potissima ratio est, ut succurratur ac provideatur infirmitati humanæ, ne in graviora labatur peccata, ut etiam beatus scribit Ambrosius. (Sent. IV, dist. XXXII, q. I, a. 2.)

Interdum quoque mulieres sunt in tali dispositione, quod non licet eis debitum petere : quoniam illa dispositione durante, concipiuntur fetus monstruosi, cæci, claudi, leprosi, membris privati. Sed hoc ex causa clarius non describo, quamvis utile esset quod viri discreti de hoc essent edocti. Certum est etiam quod propter corporalem infirmitatem conjugati a redditione debiti excusantur.

ARTICULUS VII.

De his quæ viri debent suis uxoribus.

PRIMO mariti tenentur uxores suas magno ac speciali amore diligere. Ait namque Apostolus : Viri diligere debent (Ephes. v, 25.) A uxores suas sicut corpora sua. Quum enim homines diligant specialiter consanguineos suos propter naturalem propinquitatem, multo plus viri diligere debent conjuges suas propter quamdam identitatem, quoniam de viro et uxore in veteri novoque Testamento ait Scriptura, quod sunt duo in carne una. (Gen. II, 24; Matth. XIX, 5; I Cor. VI, 16.) Insuper, causa dilectionis est communicatio. Quum ergo inter virum et conjugem sit communicatio maxima propriorum corporum, et universorum quæ habent, videlicet possessionum, laborum, B domus, mensæ, lecti, sobolis atque familiæ ; idcirco se invicem cordialiter et valde præcipue diligere debent. Hinc ait Apostolus : Qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit. (Ephes. v, 28.) Et utique qui uxorem suam non diligit, odit se ipsum, quia animam suam mortaliter peccando occidit.

Secundo viri tenentur uxoribus suis instructionem ac directionem in moribus et agendis seu cognoscendis. Ideo dicit Apostolus : Si mulieres aliquid discere volunt, domi viros suos interrogent. (I Cor. XIV, 35.) Viri enim C naturaliter atque communiter prudentiores mulieribus esse solent, quamvis interdum contingat oppositum. Viri quoque, si non sciunt quæ uxores eorum ab eis interrogant, facilius atque honestius petere possunt informationem a suis prælatis vel doctis viris quam feminæ, et sic suas possunt instruere conjuges.

Tertio viri debent suis uxoribus correptionem dum peccant : quemadmodum sanctus Job uxori suæ reprehensibiliter loquenti dixit : Quasi una de stultis mulieribus locuta es. (Job II, 10.) D Imo, quanto maritus uxorem suam magis diligere obligatur, tanto diligentius eam corripere debet dum errat ; pie tamen et caritative, nisi forsan femina propter suam perversitatem esset dure corripienda, ut infra dicetur.

Quarto viri uxoribus tenentur honorem. Hinc beatissimus princeps Apostolorum S. Petrus hortatur viros, ut uxoribus suis tanquam fragilioribus vasculis impendant honorem, (I Petr. III, 7.) non eas quasi ancillas aut fragiles despiciendo, et secundum scientiam (id

est cum discretione) cohabitent eis, quatenus verbis et factis cum reverentia tractent ipsas.

Quinto viri tenentur uxoribus gubernationem. Vir enim, secundum Apostolum, caput est mulieris. — Sexto, sustentationem : quia in necessariis vitæ maritus tenetur conjugi providere pro posse. — Septimo, cohabitationem, nisi rationabilis causa impediat. Hinc in exordio mundi Adam dixit : Relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ. — Octavo, conjugalis debiti solutionem : de quo satis præhabitum est.

Ephes. v, 23. *Gen.* II, 24. art. III, V, VI.

ARTICULUS VIII.

De multiplici dilectione qua conjugati se invicem diligere debent.

QUADRUPLEX est dilectio, videlicet spiritualis, naturalis, socialis atque carnalis. Spiritualis dilectio est, qua unus desiderat ac vult alteri æternam salutem et gratiam, virtutes ac dona Spiritus Sancti, per quæ promereri potest atque acquirere felicitatem æternam. Naturalis dilectio est, qua unus diligit alium propter similitudinem naturæ, vel propter propinquitatem originis, aut propter dispositionem in naturalibus donis, secundum quod homines naturaliter plus afficiuntur ad homines pulchros, dulces, pios, mites, liberales ac lætos. Dilectio socialis est, qua homines se invicem amant propter familiarem aut specialem communicationem in conversationibus suis. Porro carnalis dilectio est, qua homines se mutuo amant propter sensuales delicias aut proprias ac terrenas commoditates.

Harum dilectionum nulla est virtuosa ac meritoria vitæ æternæ nisi prima, videlicet spiritualis. Vir ergo et uxor primo, principaliter et maxime se invicem debent diligere spirituali amore, et pro se invicem quotidie exorare, seque mutuo ad virtuosa opera provocare, et de

A spiritualibus rebus ad salutem pertinentibus colloqui, etiam dum simul in lecto sunt. Quum enim quilibet Christianus teneatur quemlibet Christianum spiritualiter diligere, vir et conjux tanto cum majori spirituali amore se debent amare, quanto inter eos est major communicatio, conjunctio atque identitas. Secundo se debent diligere naturali amore, quia ejusdem sunt speciei. Nihil enim tam naturale, ut ait S. Ambrosius, quam diligere consortem naturæ. Ideo ait Scriptura :

B Omne animal diligit sibi simile, et omnis caro ad sibi similem conjungetur. Tertio debent se amare sociali amore valde præcipue, quia maxima est communicatio conversationis viri et conjugis, quorum est una domus, una mensa, unus lectus. Hinc Adam de Eva conjuge sua dixit ad Deum : Mulier quam dedisti mihi sociam, etc.

Eccli. XIII, 19, 20. *Gen.* III, 12.

Sed difficilis quæstio est, an conjugati debeant se mutuo diligere carnali amore. Et apparet quod non, quoniam amor car-

C nalis est totus immundus et vitiosus, ut dicunt doctores. Aliqui tamen doctores affirmant quod conjugati se mutuo diligere licite possunt amore carnali. — Est itaque respondendum, quod non debent se invicem diligere carnali amore secundum quod amor ille vitiosus asseritur, sed quia maritus et uxor possunt se cognoscere absque peccato et virtuose, ut dictum est, et ita se diligunt propter voluptatem quam ad invicem et ab invicem habent, in quantum illa voluptas est naturalis, et ex di-

D vina providentia actui matrimoniali adjuncta, atque ad debitum finem relata. Ut enim Aristoteles ait et S. Thomas allegat, idem est judicium de operatione et de delectatione operationi annexa. Ideo bonæ et virtuosæ operationis delectatio bona est ; et in quantum bona est, appeti potest. Itaque in quantum conjugati se mutuo diligere possunt propter voluptatem quam habent ad invicem in actu matrimoniali, secundum quod actus ille est opus virtutis, dicuntur se licite diligere

art. V.

carnali amore. Unde S. Thomas dicit in A
lib.III,c.123. Summa contra gentiles, quod commixtio maris et feminæ non inter homines tantum, sed etiam inter bruta dulcem quamdam atque præcipuam amicitiam facit. Quum igitur inter conjugatos debeat esse tam multiplex, tam specialis, tam cordialis dilectio, nimis perversi et vitiosi sunt, nisi se invicem specialiter cordialiterque,
art.præced. sicut jam dictum est, diligant. Verumtamen valde cavere debent ne se nimis carnaliter ac sensualiter ament, et ne voluptatem ad invicem immoderanter ex- B
quirant : quia hoc esset mortale peccatum atque damnabile, quemadmodum in Revelationibus S. Brigittæ legitur vir quidam graviter terribiliterque damnatus, non propter adulterium, sed quia ad suam uxorem nimis carnaliter afficiebatur et carnem ejus nimis carnaliter diligebat. Et istud præcipue observandum est viris habentibus uxores naturaliter multum amabiles, scilicet pulchras, bene complexionatas, pias, honestas, jucundas. Similiter observandum est istud uxoribus habentibus vi- C
ros multum amabiles.

Postremo, ex præhabitis innotescit quod vir ad conjugem suam habere se debet pie et dulciter, discrete atque humiliter, non dure et aspernanter, non superbe neque
Coloss. III, 19. amariter, quum dicat Apostolus : Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad eas. Hinc de viris crudeliter et amare ad conjuges suas se habentibus, dicit S. Ambrosius quod pessimi sint serpentibusque pejores. Sunt namque quidam serpentes qui dum compari suo miscere D
se volunt, primo omne venenum suum effundunt, et dulcem quemdam assumunt affectum.

Præterea, ut conjugati se invicem non nimis carnaliter, sed valde spiritualiter diligant, oportet ut omnem naturalem ac socialem et suo modo carnalem amorem suum subjiciant spirituali dilectioni, se ipsos et universa quæ habent ac sentiunt ordinando ad spiritualem Dei ac proximi, potissime contoralis, dilectionem.

ARTICULUS IX.

De proprietatibus ac moribus mulierum, et quomodo vir habere se debet in instruendo et corripiendo suam uxorem.

QUEMADMODUM summus ille gentilis magister Aristoteles docet, mulieres naturaliter et communiter sunt verecundæ ac timidæ : hinc multum timent inhonorationem atque diffamiam ; et ex eadem contingit radice, quod communiter multum appetunt laudem, honorem et famam bonam. Per hanc autem verecundiam naturalem retrahuntur feminæ a multis peccatis : verecundia namque est timor de re turpi. Secundo mulieres ex natura sua sunt communiter misericordes, compassivæ, piæ et pronæ ad fletum ex compassione. Habent siquidem cor molle ac tenerum : idcirco dura et aspera audire et sustinere non possunt, et dum aliquem dura pati conspiciunt, condolent. Tertio mulieres in his ad quæ afficiuntur et inclinantur, nimis afficiuntur et inclinantur : quod in bonis bonum esse potest, in malis vero est valde malum. Quum enim sunt misericordes, sunt valde misericordes, imo potius remissæ et laxæ ; quum autem sunt immisericordes, sunt valde immisericordes. Et ratio hujus est quoniam mulieres communiter sunt debiles in ratione : ideo per usum et judicium rationis non satis refrenant se, sed affectiones suas immoderanter sequuntur. Prædicti autem mores mulierum exstant laudabiles, quia dispositivi sunt ad virtutes.

Porro mores mulierum vituperabiles sunt isti. Primo communiter sunt passionum imitatrices, motus sensualitatis sequendo, eo quod non sint fortes in ratione ab illicitis retrahente, et passiones seu motus et inclinationes sensualitatis refrenante. Hinc accidit quod feminæ sunt sæpe multum intemperatæ. Secundo mulieres communiter sunt verbosæ atque

rixosæ. Tertio sunt mobiles ac instabiles, A ex mollitie complexionis et debilitate rationis. Et istud intelligendum est de mulieribus secundum communem cursum naturalis dispositionis earum. Verumtamen per auxilium gratiæ Dei et per exercitia bona, esse possunt valde fortes in ratione, stabiles et prudentes, passionum quoque victrices et temperatæ. Et aliquæ feminæ ex naturali dispositione sunt multum honestæ, maturæ et ad virtutes bene dispositæ : imo communiter, quando mulieres sunt malæ, sunt mul- B tum malæ ; et quando bonæ, sunt multum bonæ.

Denique, qui vult aliquem informare ac emendare, primo perpendere debet in quibus ille sit magis defectuosus, quatenus in illis hortetur eum ad emendationem. Itaque prudens vir uxorem suam informet ac moneat ut in omnibus medium observare conetur, et per usum rationis affectiones suas moderetur, passiones refrenet, moderantiamque observet in cibo, potu, somno, vestibus, actuque conjugali ; in- C super ut loquacitatem, inquietudinem, discursum, rixas, instabilitatem devitet, in verbis ac signis pudica sit, pacifica et matura.

Porro, si maritus conspexerit conjugem suam esse piam, tractabilem, pudoratam, debet eam (si opus fuerit) blande corripere et docere. Si vero viderit eam esse protervam, garrulam et perversam, aut vagam et fatuam, debet eam asperioribus verbis instruere rigorosiusque corripere : non tamen sit pronus vir ad percutiendum D conjugem suam, ne forte deterior fiat, aut fugiat, aut adultera efficiatur. Si autem maritus perpenderit conjugem suam esse elatam, humiliet eam, habendo se ad eam auctoritative atque mature ; nec multum ostendat ei signa amicitiæ ac familiaritatis, donec eam viderit humiliatam. Et si maritus per se ipsum non posset uxorem suam instruere atque dirigere, faciat hoc per alias virtuosas matronas, seu prudentes ac fideles personas.

ARTICULUS X.

Quomodo vir est caput suæ uxoris, et superior ea in gubernatione domus et sobolis atque familiæ.

IN aliquibus, sicut prætactum est, maritus (art. III, VI.) et uxor æqualis sunt potestatis ad invicem, sicut in exactione redditioneque debiti conjugalis, in quibus unus non est superior alio. In ceteris vir caput est (*Ephes.* V, 23.) conjugis, id est superior ea in gubernatione domus et majorum negotiorum, emendo, vendendo, et de necessariis providendo. Instructio quoque et directio ac castigatio filiorum ac filiarum, et traditio eorum ad nuptias, præcipue ad patremfamilias pertinet ; similiter gubernatio famulorum et ancillarum ac mercenariorum, præmiatioque eorum. Viri namque communiter, ut frequenter prætactum est, (in Prooemio; art. VII) perfectiores sunt feminis in naturalibus, fortiores in ratione, prudentiores stabilioresque in animo. Ideo Assuerus rex de consilio sapientium suorum, qui jura ac (*Esther* I, 20-22.) leges majorum noverunt, scripsit et jussit per omne imperium suum, ut uxores viris suis deferrent honorem, et ut mariti essent principes ac majores in domibus suis. Hinc in exordio mundi Deus dixit ad Evam : Sub viri potestate eris, et ipse (*Gen.* III, 16) dominabitur tui. Paulus quoque apostolus ait : Mulieri non permitto dominari in virum, sed in silentio discat cum omni sub- (I *Tim.* II, 12, 11.) jectione. Gloriosissimus etiam princeps Apostolorum, beatissimus Petrus, ait : Mulieres subditæ sint viris suis, sicut Sara (I *Petr.* III, 1, 6 ; *Gen.* XVIII, 12.) obediebat Abrahæ, dominum eum vocans. Verumtamen principatus mariti super conjugem suam non est sicut dominium ejus super familiam, imo nec tantum sicut dominium ejus super sobolem suam : ideo non se debet superbe extollere supra conjugem suam.

Præterea dispositio rerum minorum, ut eorum quæ quotidie fiunt in domo, magis pertinet ad uxores ; et si vir perpenderit uxorem suam esse prudentem ac diligen-

tem, potest et debet ei plura ac majora committere, neque de minoribus intromittere debet se. Uxor itaque non debet magna peragere nec multum exponere absque sui scitu atque consensu mariti ; nec etiam debet filiis suis aut filiabus pecunias dare aut destinare occulte, præsertim si id sibi a marito prohibeatur, et si perceperit quod filii pecunias vitiose consumant. In talibus quippe uxor viro suo obedire tenetur, nisi fortassis vir evidenter se haberet irrationabiliter et injuste, negando necessaria filiis suis.

Postremo, propter præhabita dicunt doctores, quod uxor non potest bene facere eleemosynas magnas absque consensu sui mariti, nisi forsan haberet aliqua bona separata, de quibus id sibi liceret. Et si uxor oppositum fecerit, instare debet apud maritum modestius industriosiusque quo potest, ut ea quæ facta sunt, viro complaceant, nisi vir tantæ perversitatis atque duritiæ esset, quod non expediret ipsi talia insinuare.

ARTICULUS XI.

An viri debeant uti consilio suarum uxorum, et an debeant sua secreta suis uxoribus revelare.

QUAMVIS quædam feminæ ex speciali dono Dei exercitiisque virtutum sint prudentes atque constantes, communiter art. IX, X. tamen, ut sæpe jam tactum est, mulieres in usu rationis sunt debiles et mente instabiles : ideo, ut Aristoteles dicit, mulierum consilium communiter exstat invalidum. Imo earum consilium solet esse tanto plus validum, quanto fuerit magis velox et improvisum. Dum enim ratiocinari et inquisitionibus ac considerationibus immorari incipiunt, imaginationibus involvuntur, et phantasiis atque erroribus implicantur. Hinc scribunt quidam doctores, quod si quis improvise et cito aliquid esset acturus, ita quod sufficientem deliberationem habere non posset, utilius si- A bi esset consilium mulieris quam viri.

Viri ergo non debent uxorum suarum verbis et precibus ac persuasionibus valde cito credere aut consentire, præsertim dum uxores volunt aliquem accusare, et viros suos contra aliquem inflammare : quoniam mulieres solent graviter multipliciterque tentari, et suspiciosæ exsistere, quia non bene sciunt se per rationem vincere atque compescere. Ideo vir debet conjugis suæ persuasiones, verba et preces diligenter discutere, et non absque prævia B examinatione ei assentiri et credere. Hinc aliqui magni viri gravissima inciderunt pericula quoniam suis uxoribus nimis cito crediderunt. Quod etiam sæpe ideo accidit quia nimis carnaliter et ardenter eas amabant, et talis amor maxime rationem excæcat : imo, ut sanctus asserit Augustinus, nihil virilem animum ita dejicit atque effeminat sicut illa feminea blandimenta corporumque contactus. Hinc viri summe debent vitare ne ad suas uxores nimis intense atque carnaliter afficiantur.

C Præterea mariti, potissime principes et in officiis constituti, non debent faciliter secreta sua suis uxoribus revelare, nisi per longum tempus et certa indicia ex diligenti consideratione experti sint, quod conjuges suæ prudentes sint, stabiles et bene celantes. Communiter quippe mulieres male sciunt secreta sua celare : imo, dum aliquid eis prohibetur, magis afficiuntur ad illud agendum, et affectionem suam communiter sequi solent, quia in rationis judicio non sunt fortes. In- D super, feminæ communiter habent cor molle ac ductile : propterea, dum aliquis eis applaudit sive arridet, mox credunt eum esse amicum, et sua secreta ei interdum revelant. Dictum est etiam, quod art. IX. mulieres communiter multum appetunt laudem : idcirco feminis quas putant amicas, revelant suorum secreta virorum, quia videtur eis quod hoc ad earum pertineat laudem, quod virorum suorum sciunt occulta.

Hæc autem de imperfectione feminarum

sunt dicta, salva in omnibus pace et reverentia matronarum honestarum atque prudentium. A

ARTICULUS XII.

De his quæ conjuges tenentur suis maritis.

UXOR primo tenetur viro suo dilectionem. Hinc in libro Tobiæ legitur,
Tob. x, 13. quod parentes Saræ hortabantur eam diligere maritum. Imo, ut ait S. Joannes Chrysostomus, uxor in tantum debet suum amare maritum, ut nullum virum reputet B sapientiorem, pulchriorem aut fortiorem suo viro. — Secundo uxor tenetur suo viro fidem tori, in tantum ut malit mori et occidi quam fidem frangere conjugalem. — Tertio tenetur viro timorem, sicut
Ephes. v, 33. ait Apostolus : Uxor timeat virum suum. Et iste debet esse timor purus et castus, ex amore procedens, ut scilicet timeat suum virum offendere, aut ab eo relinqui. Nam et mulier mala atque adultera timet utique virum suum timore servili, quia timet a viro suo in vitiis deprehendi ac C percuti; et quando vir ejus est absens, timet quod velociter revertetur. Sed mulier bona, viro suo absente, timet quod nimis diu tardabit.

Quarto uxor tenetur viro suo subjectionem in obsequiis. Ideo Sapiens loquitur :
Eccli. xxv, 30. Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo. — Quinto tenetur viro obedientiam in præceptis, et hoc in licitis et honestis, et quantum ad ea in quibus vir habet superioritatem et potestatem super conjugem suam, videlicet in gubernatione D domus ac sobolis et rerum suarum. Hinc
I *Petr.* iii, 6; *Gen.* xviii, 12. ait Scriptura, quod Sara obediebat Abrahæ suo marito. — Sexto tenetur viro suo reverentiam in verbis. Unde Petrus apostolus
Ibidem. recitat, quod Sara Abraham dominum appellavit. Reverentialis namque allocutio conservat et auget amorem, pacem atque concordiam. Propter quod ait Apostolus :
Rom. xii, 10. Honore invicem prævenientes. Et scriptum
Eccli. xx, 13. est : Sapiens se ipsum in verbis amabilem facit. Pie ergo atque humiliter loquatur mulier suo viro, quum Salomon dicat : Re- *Prov.* xv, 1.
sponsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem. — Septimo uxor tenetur viro consortium cohabitationis. Ait namque Apostolus : Præcipio uxorem a viro I *Cor.* vii, 10.
non discedere. — Octavo tenetur viro adjutorium operationis. Vir enim et mulier in multis indigent auxilio mutuo, et aliqua convenientius fiunt per feminam quam per virum.

Omnia ergo hæc uxor suo viro fideliter ad honorem Dei exhibeat, et tunc utique magnam a Deo mercedem recipiet.

ARTICULUS XIII.

Quid parentes teneantur filiis suis ac filiabus.

UNUS et idem homo ad diversos diversimode habere se debet. Aliter namque habere se debet homo ad Deum, aliter ad suum prælatum, aliter ad principem sæcularem et officiatos illius, aliter ad suam uxorem, aliter ad filios, aliter ad filias, aliter ad famulos et ancillas ac mercenarios, aliter ad concives sive propinquos, aliter ad cognatos, aliterque ad alienos : quoniam homo debet unicuique exhibere seu reddere quod ei debetur. Nunc autem dicendum est quomodo parentes habere se debent circa sobolem suam.

Primo itaque parentes tenentur filiis filiabusque suis corporalem educationem ab infantia usque ad congrua incrementa, videlicet quousque panem suum lucrari seu acquirere possint, si pauperes exstent. — Secundo tenentur eos tempore infantiæ custodire ab exterioribus nocumentis, ne cadant in ignem, aquam, foveam aut cultellum, et ne a bestiis quibuscumque lædantur.

Tertio parentes tenentur pueris suis competentem in temporalibus provisionem, secundum mensuram suæ possibilitatis ac status. Idcirco parentes qui bona sua immoderanter inutiliterque consumunt, vendunt, disperdunt, enormiter pec-

cant, et multipliciter rei sunt, quoniam A
progenitorum suorum patrimonium et labores injuste dilapidant, proprios pueros
spoliant, et suo ventri gulæ vacando de-
III *Reg.* XXI, 2 et seq. serviunt. Hinc Naboth, virum justum, ideo
interfectum quoniam noluit regi Israel vendere hereditatem patrum suorum, S. Ambrosius martyrem vocat. Apostolus quoque
II *Cor.* XII, 14. ait : Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.

Quarto parentes tenentur soboli suæ informationem in moribus atque virtutibus,
in credendis et cognoscendis, ut a pueritia B
discant filii ac filiæ Deum cognoscere, credere, colere, timere, diligere, ecclesiam visitare, parentibus, senioribus ac superioribus reverentiam obedientiamque impendere ; et ut faceti, verecundi ac pavidi sint. Et si parentibus adest facultas, nequaquam omittant quin pueros suos faciant frequentare scholas ad minus quousque discant Orationem dominicam et Salutationem angelicam ac fidei Symbolum, discantque scribere, et saltem materna lingua legere. Melius vero esset, si C
frequentent tam diu, ut Latinum intelligant et congrue loqui sciant, quatenus quæ in ecclesia leguntur sive cantantur, intelligere atque ad Missam servire queant. Sed, proh dolor ! in his multi parentes satis divites, valde culpabiles sunt, præsertim in villis : qui pueros suos parum aut nihil faciunt frequentare, imo statim dum alicujus sunt discretionis, faciunt eos custodire oves aut alia pecora, nec instruunt eos in moribus. Advertant parentes hujus-
Prov. XIII, 24. modi quod Salomon asserit : Qui diligit D
filium suum, instanter erudit illum. Et
Eccli. XXX, 2, 3. rursus ait Scriptura : Qui docet filium
suum, laudabitur in illo, et in obitu suo non contristabitur de illo. Ob id iterum
Prov. X, 1. Salomon protestatur : Filius sapiens lætificat patrem ; filius stultus mœstitia est matris suæ.

Quinto parentes tenentur pueris suis correctionem et castigationem dum peccant. Nempe, dum juniores sunt pueri, sunt verberibus corrigendi ; dum autem tempore procedente hoc fieri congruenter non valet, verbis sunt acriter arguendi juxta mensuram peccati eorum (tamen cum discretione, ne indurentur et spernant ac pereant), aut alio modo sunt durius puniendi. De his divina Scriptura copiosissime loquitur. Salomon enim ait :
Qui parcit virgæ, odit filium suum. Noli *Prov.* XIII, 24; XXIII, 13, 14.
subtrahere a puero disciplinam ; tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno
liberabis. Itemque : Stultitia colligata est *Ibid.* XXII, 15.
in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit
eam. Iterum ait divina Scriptura : Qui *Eccli.* XXX, 1, 11, 12.
diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo ; non des filio potestatem in juventute sua, sed curva cervicem illius et tunde latera ejus dum
infans est. Iterum ait Scriptura : Puer qui *Prov.* XXIX, 15.
relinquitur voluntati suæ, confundit matrem suam.

Idcirco enormiter peccant parentes qui ex negligentia aut carnali amore omittunt pueros suos peccantes digne corripere ac juste corrigere. Propter quod omnia filiorum ac filiarum peccata in illos redundant, quemadmodum vitia subditorum pravorum redundant in negligentes prælatos. Et sicut sunt quidam prælati in se ipsis competenter boni ac pii, tamen ob hoc potissime pereunt, quoniam subditos suos non satis instanter ac digne informant, corripiunt et castigant ; sic multi parentes æternaliter condemnantur, quoniam circa sobolis suæ instructionem, correptionem et castigationem sunt miserabiliter negligentes : quod est contra legem divinam ac naturalem. Hinc etiam graviter peccant parentes qui noscunt filios suos incontinenter vivere, tamen dissimulant ; et quamvis proponant eos conjugio sociare, tamen propter aliqua terrena commoda diu hoc differunt, magis caventes exteriora incommoda quam animarum pericula et peccata ac Dei offensam. Sicque exteriora et temporalia præponunt bonis spiritualibus ac æternis, imo Deo et felicitati æternæ : quod est omnino contra ordinem caritatis, et est mortale pecca-

tum; quod, heu! paucissimi nunc perpendunt. A

Denique, sunt feminæ quædam nimium molles atque carnaliter piæ, quæ si audierint suos viros in corripiendo corrigendoque prolem culpabilem aliqualiter rigorosos, muliebriter compatiuntur, et æquanimiter ferre non possunt: quod periculosum est valde, et spirituali amori quo prolem suam amare tenentur contrarium.

Præterea, quam damnabile sit et nocivum pueros in adolescentia non refrenare ac debite castigare, docet Salomon, dicens: B
Prov. XXII, 6. Proverbium est, Adolescens juxta viam suam, etiam quum senuerit non recedet
Eccli. XVI, 1, 3, 4. ab ea. Et rursus ait Scriptura: Ne jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur: melior est enim unus timens Deum quam mille filii impii; et utilius est mori sine filiis quam relinquere filios impios.

Insuper, ad prætactam prolis correptionem tenentur parentes non solum speciali mandato, in quantum parentes, sed etiam generali præcepto, in quantum sunt christiani: quoniam ad fraternam correptionem omnes tenentur. C Quidquid ergo peccati viderint parentes in sobole sua in verbis aut factis seu omissionibus, diligenter corripiant et castigent; atque ad moderantiam cibi ac potus, somni ac vestium eam pro posse inducant; a choreis inhonestis, a prohibitis ludis (potissime taxillationibus), spectaculis atque similibus vanitatibus avertant eamdem. Nec sufficit coram Deo sobolem qualitercumque seu remisse et raro corripere, sed seriose, frequenter ac rigorose oportet hoc facere, D dum magnitudo culpæ id promeretur. Ideo namque Heli, sacerdos ac judex filiorum
I *Reg.* II, 27 et seq. Israel, a Deo est reprehensus, quoniam filios suos peccantes non satis rigorose corripuit et correxit, ut primo libro Regum habetur. Verumtamen cum discretione corripiendi sunt pueri, ne indignentur, exasperentur, irascantur, aut pusillanimes fiant, vel ad pejora labantur. Nam propter juvenilem ætatem sanguinisque fervorem, ad iram et indignationem ac alios motus pravos sunt proni. Ideo dicit Apostolus: Patres, nolite ad iracundiam pro- *Ephes.* VI, 4.
vocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini. Et denuo exhortatur: Patres, nolite ad indi- *Coloss.* III, 21.
gnationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.

Præterea, circa instructionem et gubernationem filiarum ac puellarum est specialis diligentia adhibenda. Informandæ sunt namque et coercendæ, ne fiant inverecundæ, audaces, lascivæ, vagæ, verbosæ, vel saltatrices aut procatrices. Ideo ait Scriptura: Filiæ tibi sunt? serva corpus illa- *Eccli.* VII, 26.
rum, et ne ostendas faciem tuam hilarem ad illas. Præcipue quoque est providendum ne filiæ et puellæ sint otiosæ, sed semper utile aliquid operentur, et domi remaneant, nec oculis vagæ sint, nec visum suum defigant in viros aut juvenes: præsertim autem in ecclesia et plateis sint custoditæ in visu, et timoratæ ac verecundæ in omnibus. Ideo S. Ambrosius loquitur: Discite, o virgines, non circumcursitare alienas domos, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones.

Postremo, ut tactum est, otiositas summe vitanda est filiabus. Multam enim ma- *Ibid.* XXXIII, 29.
litiam docuit otiositas, ut ait Scriptura: imo, ut sanctus testatur Bernardus, otiositas est origo et mater vitiorum. Hinc de potentissimo illo imperatore Octaviano legitur, quod filias suas addiscere fecit incidere, texere, consuere, et quidquid fit in lino et seta et lana.

ARTICULUS XIV.

Quam magnum Dei donum sit habere conjugem bonam, sicut et infelicissimum est habere conjugem malam; et qualiter instruendi sint filii ac filiæ de modo se habendi circa matrimonium contrahendum.

SACRA Scriptura testatur ac loquitur: Mulieris bonæ beatus vir: numerus *Eccli.* XXVI, 1, 2.
enim annorum illius duplex. Mulier fortis

(id est virtuosa et viro suo fidelis) oblectat virum suum, et annos vitæ illius in pace implebit. Talis enim mulier facit virum suum delectabiliter atque pacifice *Eccli.* xxvi, 3. vivere, quantum est ex parte ipsius. Pars bona est mulier bona (quoniam magnum Dei donum est mulier talis); in parte bona timentium Deum dabitur viro pro *Ibid.* 16. factis bonis. Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit. Nam mulier diligens in regimine domus, et circa Deum devota, facit viro suo dies jucundos : et sicut Salomone te- *Prov.* xvii, 22. stante, animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus vero tristis ossa exsiccat; sic mulier bona virum suum lætificando *Eccli.* xxvi, 18. ossa ipsius impinguat. Mulier sensata et tacita non est immutatio eruditæ animæ : id est, prudens vir pro nulla re exteriori *Ibid.* 19, 21. talem uxorem venderet aut mutaret. Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata; sicut sol oriens in mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species est *Ibid.* xxv, 11. in ornamentum domus suæ. Beatus qui habitat cum muliere sensata. Salomon quo- *Prov.* xxxi, 30. que ait : Fallax est gratia, et vana pulchritudo; mulier timens Dominum ipsa laudabitur.

Ecce ex his sacra Scriptura ostendit quam magnum sit habere conjugem bonam, et pacifice conversari cum ea, quum *Eccli.* xxv, 1, 2. Sapiens dicat : In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus : concordia fratrum, amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes. Sed quia opposita ad invicem comparata clarius cognoscuntur, Scriptura eodem loco ubi ostendit quam magnum sit conjugem bonam habere, etiam docet quam malum sit perversam habere *Ibid.* 17. uxorem, dicendo : Omnis plaga tristitia cordis est; et omnis malitia, nequitia mu- *Ibid.* 22-24. lieris. Non est caput nequius super caput colubri, et non est ira super iram mulieris. Commorari leoni et draconi magis placebit quam habitare cum muliere nequam. Nequitia mulieris immutat faciem ejus, et quasi saccum ostendit eam in me- A dio proximorum. Brevis omnis malitia su- *Eccli.* xxv, 26, 27. per malitiam mulieris. Ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini (id est viro suo) quieto. Plaga mor- *Ibid.* 31, 32. tis est mulier nequam, quæ non beatificat virum suum.

Ex his patet quantum inter se distent mulier bona et mala. Qui ergo bonam uxorem sortitus est, gratus sit Deo, et spiritualiter magis quam carnaliter diligat illam. Qui autem malam accepit, patientiam habeat, nec odiat illam, nec alteri B misceatur. Quemadmodum autem magnum donum est viro habere conjugem bonam, ita et mulieri magnum est habere virum bonum, prudentem, pacificum.

In primis ergo instruendi sunt filii ac filiæ ne clandestina matrimonia contrahant : quia hoc est contra præceptum Ecclesiæ, et sub pœna excommunicationis prohibitum, et matrimonia talia malum exitum solent habere. Secundo sunt instruendi ut non absque consilio parentum vel propinquorum aut fidelium amicorum C matrimonium contrahant.

Qui autem vult sibi ipsi aut alteri uxorem accipere, primo et maxime debet adspicere ad naturalem dispositionem ac mores feminæ seu puellæ, et etiam diligenter inquirere an sit bonæ indolis, mansueta, modesta, verecunda, pacifica, taciturna, operosa et prudens : imo omnium provisorem Dominum Deum invocare debet quotidie, ut talem uxorem sibi dignetur concedere. Salomon namque verissime loquitur : Domus et divitiæ dantur a *Prov.* xix, 14. D parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens. Et S. Gregorius ait : Uxor ab omnipotente Deo petenda est. Itaque magis adspiciendum est ad bonitatem, virtutes ac mores puellæ, quam ad divitias ejus, quoniam multo melius atque salubrius est habere bonam conjugem pauperem aut parum habentem, quam malam ac divitem : quia cum bona uxore magis caritative ac pacifice vivitur; atque, ut Salomon ait, melior est buccella sicca cum *Ibid.* xvii, 1. gaudio, quam domus plena victimis cum

Prov. xv, 16. jurgio. Et iterum ait Scriptura : Melius est modicum cum timore Dei, quam thesauri magni et insatiabiles; itemque : Jucunditas cordis hæc est vita hominis. Ideo rursus Salomon dicit : Perfruere vita cum uxore quam diligis. Quemadmodum autem consideranda sunt ista in conjuge accipienda, ita et in suscipiendo marito, an scilicet sit bonæ dispositionis in naturalibus, pius, pacificus, non crudelis, non ebriosus, non prodigus.

Eccli. xxx, 23.

Eccle. ix, 9.

Insuper, volentes contrahere matrimonium, debent eligere personas sibi consimiles in nobilitate aut parentela, ne unus alium tanquam ignobilem spernat; item in ætate et pulchritudine. Dum enim juvenis et pulchra nubit seni atque deformi, habet eum exosum, fitque adultera. Similiter dum vir juvenis et formosus ducit turpem ac vetulam, despicit illam, et adulter efficitur; et quamvis non adulteraret, tamen vetula illa faciliter suspicaretur hoc malum, nec concordarent. Postremo, contrahendum est cum puella quæ habet parentes honestæ vitæ, qui non exerceant vitiosa officia, nec injusta habeant bona. Non ergo est contrahendum conjugium cum filio aut filia usurarii vel raptoris.

ARTICULUS XV.

Quomodo paterfamilias et uxor ejus habere se debent circa servos et ancillas ac operarios.

SANCTUS Gregorius Papa dicit : Ita nos habere debemus ad subditos, sicut vellemus illos se habere ad nos, si nos subditi illis essemus. Paterfamilias ergo et uxor ejus ita se habeant ad suam familiam, quomodo vellent illam se habere ad ipsos, si ipsi essent familiæ suæ subjecti. Et quoniam paterfamilias est principalis in sua domo, pertinet primo ad eum ut ad omnes suos domesticos habeat se amorose, patienter, humiliter atque pacifice, salva tamen justitiæ disciplina. Hinc ait Scriptura : Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos et opprimens subjectos tibi. Et quoniam divina ait Scriptura, Quanto major es, humilia te in omnibus, et invenies gratiam coram Deo, quoniam ab humilibus honoratur; hinc paterfamilias et etiam ejus conjux pie et caritative, juste et humiliter habere se debent ad famulos et ancillas ac operarios, tanquam ad fratres et sorores, atque cœlestis regni coheredes. Imo paterfamilias et omnes qui præsunt divitiisque abundant, diligenter semper attendant quod pauperes Deus magis elegit. Et ut ait B. Gregorius, hos eligit Deus, quos despicit mundus. Nam, teste Apostolo, abjecta mundi Deus elegit. Ideo loquitur Christus : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Hinc superiores debent subditos et servientes sibi, sibimetipsis præferre in cordibus suis, et nequaquam superbe, severiter, injuste aut aspernanter se habere ad eos, sed taliter qualiter cupiunt Deum se habere ad se ipsos. Ideo monet Apostolus : Et vos, domini, eadem (scilicet quæ vobis fieri vultis, aut velletis, si servi essetis) facite servis vestris, scientes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis. Si autem aliquid culpæ et reprehensibilitatis in familia apparuerit, hoc paterfamilias seu uxor ejus pie et patienter debet sufferre et caritative corripere, atque peccantem familiam informare, nec eam despicere, sed pensare quod et si aliqua mala a pauperibus et servientibus committantur, per suam tamen paupertatem ac servitutem ab illis, Deo miserente, possunt faciliter purgari.

Eccli. iv, 35. Eccli. iii, 20, 21. Jacob. ii, 5. I Cor. i, 28. Matth. v, 3. Ephes. vi, 9.

Præterea, servientes non sunt immoderatis laboribus fatigandi. Bona quoque merces danda est eis, et prompte solvenda, quia per sanctissimum Moysen Deus dixit : Non morabitur opus mercenarii apud te usque mane. Et iterum scriptum est : Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Hinc laborantibus ac ministrantibus debitam mercedem non solvere, est unum de quatuor peccatis clamantibus ante Deum, quæ

Lev. xix, 13. Eccli. xxxiv, 27. Gen. iv, 10; xviii. 21; Exod. iii, 9; Jacob. v, 4.

sunt : homicidium, vitium contra natu- [A] ram, oppressio pauperum, et detentio mercedis laborum.

Insuper, ut beatus loquitur Augustinus, quilibet paterfamilias debet in domo sua quasi episcopale officium exercere, omnes suos domesticos ad virtutes hortando, salubriter instruendo, peccantes redarguendo, et quod summe Deus ab ipso requirit, se ipsum in omnibus virtuose exemplariterque habendo : ceteris namque qui in domo ipsius sunt virtuosior esse debet. Hinc (I *Tim.* v, 8.) dicit Apostolus : Si quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.

Paterfamilias quoque non debet se ad famulos suos habere nimis familiariter, neque secreta sua illis revelare, nisi de illorum fidelitate et dilectione ad se certus exsistat. Nimia namque familiaritas parit contemptum. Et Christus dixit Apostolis : (*Joann.* xv, 15.) Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Verumtamen servo fideli etiam revelantur secreta a domino suo. Fidelis etenim servus tanquam filius est amandus, quum dicat Scriptura : (*Eccli.* xxxiii, 31.) Servus fidelis sit tibi dilectus quasi anima tua. Sed an servus sit domino suo vere stabiliterque fidelis, dominus ejus non cito neque incaute credat, sed diu examinet, et certitudinaliter experiatur. (*Ibid.* xix, 4.) Qui enim cito credit, levis est corde, secundum Scripturam.

Præterea, laborantes ac servientes diligenter sunt admonendi ut fideliter serviant ac laborent, Deum præ oculis semper habentes, ne fraudis sint rei et tanquam injusti damnentur, et ne ad restitutionem teneantur mercedis quam receperunt injuste. Idcirco dicit Apostolus : (*Ephes.* vi, 5-8.) Servi, obedite dominis carnalibus cum timore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo : non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo ; cum bona voluntate servientes, sicut Domino et non sicut hominibus, scientes quoniam unusquisque quod fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber. Itaque informandi sunt servientes, ut nec solum nec principaliter serviant ac laborent propter temporalem mercedem, sed primo atque potissime et omnino finaliter propter præmium æternale seu vitam æternam, et ex caritate divina, ordinantes suum laborem atque obsequium ac temporalem mercedem ad Dei cultum, gloriam et honorem ; gratias Deo agentes, qui ita cum ipsis disposuit, quod panem suum indigent lucrari, et labores manuum [B] suarum comedere, sicut ait Propheta : (*Ps.* cxxvii, 2.) Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit. Siquidem quam multa vitia incidant divites ex opulentia sua, dum otiositatibus, comessationibus, potationibus, venationibus, confabulationibus vacant, constat.

ARTICULUS XVI.

Qualis debeat esse vita cujuslibet Christiani.

[C] DOMINUS noster Jesus Christus in Evangelio loquitur : (*Joann.* xiv, 6.) Ego sum via, veritas et vita ; nemo venit ad Patrem nisi per me. Omnis igitur Christianus, si debeat salvari, Christum imitari tenetur, et Christi virtutes eum sequi oportet, ac omne mortale peccatum vitare. Ideo Joannes apostolus ait : (I *Joann.* ii, 6.) Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. Hoc est quod Paulus apostolus exhortatur : (*Ephes.* v, 1, 2.) Imitatores Dei estote sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione, [D] sicut et Christus dilexit nos. Inaniter ergo Christianus vocatur, qui Christi humilitatem, mansuetudinem, patientiam, pietatem, justitiam, caritatem ceterasque virtutes non sequitur. Qui legem Christi non servat, qui ejus mandata non implet, Christianus mendaciter appellatur : imo qui talis est, servus est peccati, minister diaboli ; (*Joann.* viii, 34.) non Christi, sed dæmonis membrum.

Præterea, sicut unigenitus Filius Dei, Dominus noster Jesus Christus, omnium legislatorum est summus, sic lex Christi

omnes alias leges excedit in sapientia, in A puritate, in perfectione : quia per legem Christi homines ad clariorem Dei notitiam perducuntur, a carnalibus desideriis et universis mentis ac corporis inquinamentis plenius abstrahuntur, ad virtutum munditiam, castimoniæ sinceritatem, caritatis spiritualitatem excellentius eriguntur. Ad hoc namque tota evangelica doctrina et lex, fides et sapientia tendunt, ut credentes a temporalibus atque carnalibus ad æterna ac spiritualia eleventur, ne ad sensibilia immoderate afficiantur, nec in carna- B libus et creatis inordinate delectentur, sed omnibus creaturis præferant Creatorem, soli Deo finaliter adhærendo, et alia omnia ad ejus honorem ac gloriam ordinando. Hinc Christiani præ ceteris hominibus tenentur esse virtuosi, spirituales, divini, id est humiles, pii, mites, casti, patientes, justi et caritativi; omnem superbiam, omnem iram, incontinentiam, injustitiam, impatientiam, acediam, gulam, invidiam ac cetera vitia toto corde odientes ac evitantes ; in observationibus præceptorum C Dei atque Ecclesiæ diligentes ; Deum præ oculis semper et ubique habentes, atque in cunctis quæ agunt, Dei honorem ac animarum suarum salutem intendentes, optantes, quærentes. Ecce taliter vivere debet quilibet Christianus.

Hinc in libro de Nomine christiano loquitur Augustinus : Nomen Christiani frustra sortitur qui Christum non imitatur. Quid enim tibi prodest vocari quod non es, et nomen usurpare alienum? Sed si Christianus vocari lætaris, quæ Christi D sunt gere. Nonne fœdum ac miserum est te vocari quod non es? Qui Christianus dicitur, Christum se habere Dominum profitetur, et vere habet, si Christo in omnibus obsequatur. Si quo minus, non ille servus est Christi, sed subsannator ejus et derisor, qui ipsius se servum dicit, cui servire non curat, sed negligit. Huic ergo geminum damnationis judicium reservatur, videlicet pro Dei subsannatione, quem sine causa Dominum appellavit, et pro qualitate sui peccati. Sed plerique impudentes ac negligentes ideo peccant audacter, quoniam Deus non statim ulciscitur. *Eccle.* VIII, 11. Sed hi miseri sunt et ingrati, ac suæ salutis improvidi, non pensantes quod quanto diutius Deus exspectat, tanto impœnitentes horribilius damnat. Idcirco ait Apostolus : Existimas, o homo qui impie *Rom.* II, 3-5. agis, quod tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis Dei et patientiæ et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam et impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die justi judicii Dei. Recte ergo hortatur Scriptura : Non tardes converti ad Dominum, *Eccli.* v, 8, 9. et ne differas de die in diem : subito enim veniet ira illius.

Denique, ut sanctus asserit Augustinus, tamdiu quemlibet peccatorem sustinet Deus, quousque terminum peccatorum suorum compleverit (id est, tot peccata commiserit atque incurrerit quot ab eo Deus sustinere decrevit) : quibus completis, mox a Deo percutitur (id est moritur); nec ulla illi jam venia reservatur, sed æternaliter condemnatur. (Et istud de peccatoribus impœnitentibus est intelligendum.) Nemo igitur sibi blandiatur, nemo se palpet et fallat. Impios et injustos, malos et fornicatores Deus non amat, sed pios, castos, mites, justos et innocentes, sicut Propheta loquitur Domino : Quoniam *Ps.* v, 5-7. non Deus volens iniquitatem tu es ; neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos ; odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium ; virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus. Quomodo ergo audes te Christianum vocare, qui Christi virtutes non imitaris, imo omnia præceptis Christi contraria operaris? Quis tam vanus et miser est, qui se advocatum aut doctorem audeat profiteri, quum litteras nesciat? Quis tam insanus et excors est, ut profiteatur se militem, si nesciat arma gestare? Nemo enim quodcumque nomen sine causa sor-

titur. Tu ergo quomodo Christianum te A dicis, in quo nullus Christiani actus apparet? Christianus namque nomen est bonitatis, justitiæ, pietatis, patientiæ, castitatis, prudentiæ, innocentiæ, caritatis. Et tu quomodo nomen istud tibi vindicas et defendis, qui de tot virtutibus nec paucas, imo nec unam habes? Christianus est, qui Christum operibus sequitur; in cujus pectore non habet locum malitia, in cujus mente non nisi bonitas pietasque consistunt; qui nullum novit nocere aut lædere, sed omnibus opem ferre. Christianus B est, qui Christi exemplo inimicos diligit, adversantibus benefacit, pro persecutoribus et hostibus orat. Nam qui aliquem lædere aut nocere paratus est, Christianum se esse mentitur.

Tales esse convenit Dei cultores et servos, tam mansuetos, maturos, prudentes, humiles, patientes, castos, justos ac virtuosos, ut quicumque eos viderit, admiretur et dicat : Vere isti sunt homines Dei. Væ igitur falso ac impio Christiano, cujus tam nequam est conversatio, cujus C tam indecens habitus, tam turpe opus, cujus vita est tam injusta, tam intimorata, tam luxuriosa et sordida, per quem Deus inhonoratur. Deus enim nihil magis a nobis desiderat et requirit, quam ut per actus nostros majestas sua ab omnibus honoretur, laudetur, atque ex vita servorum suorum Deus verus et sanctus esse monstretur. Virtuosa namque vita servorum redundat in honorem dominorum suorum. Quicumque ergo non fuerit pius, hospitalis et misericordiæ operibus dedi- D tus, non evadet inferni supplicia. — Hæc omnia et majora scribit beatissimus Augustinus : ex quibus ostenditur qualiter omnis Christianus vivere obligatur.

ARTICULUS XVII.

De aliquibus evangelicis documentis.

PRINCIPIUM prædicationis beatissimi Joannis Baptistæ præcursoris Christi fuit : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* (*Matth.* III, 2.) Hoc idem fuit exordium prædicationis Christi, prout gloriosi evangelistæ Matthæus et Marcus describunt. (*Matth.* IV, 17; *Marc.* I, 15.)

Istud igitur primo ad omnem pertinet Christianum qui post Baptismum peccat, ut statim de suis peccatis pœnitentiam agat, id est, cordialiter doleat, ore tenus confiteatur, et per opera bona satisfaciat. Et quanto peccata sunt plura et graviora, tanto cordialius ac vehementius de eis dolendum est, et cum majori compunctione sunt confitenda tempore congruo, cum pleno proposito ea non reiterandi.

Ad minus enim confiteri tenetur quilibet Christianus semel in anno, videlicet ante Pascha, et tunc communicare, secundum quod Innocentius Papa in generali concilio jussit. (Decretal. lib. V, tit. 38, c. 12.) Aliqui vero doctores dixerunt, quod quandocumque aliquis est sibi conscius de mortali peccato, statim confiteri teneatur quam cito potest confessorem habere; sed alii doctores aliter sentiunt. Porro in hoc omnes doctores concordant, quod dum aliquis est sibi conscius de peccato mortali, tenetur statim de hoc pœnitere, et pro remissione Deum rogare, atque proponere quod confitebitur tempore opportuno. Verumtamen multo securius salubriusque consisteret statim post peccatum mortale confiteri : quia peccatum quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere mox trahit ad aliud. Multa quoque sunt in confessione quæ valent ad remissionem peccatorum, ad gratiæ ac virtutum impetrationem aut augmentum, et ad vitandum peccata, videlicet : humiliatio confitentis et erubescentia quam habet de suis peccatis, oratio et absolutio confessoris, et vis clavium Ecclesiæ quam habet confessor. Confessio etiam, in quantum est sacramentum Ecclesiæ, cooperatur ad remissionem culparum. Ex longa quoque dilatione confessionis peccator pro magna parte obliviscitur sua peccata.

Præterea in multis casibus tenetur quicumque Christianus sæpius quam semel

confiteri in anno, videlicet : dum graviter infirmatur, ita quod moriturus putatur; et quando ad bellum iturus est, vel expositurus se periculis mortis in navigando vel ambulando; et item dum accepturus est aliquod sacramentum Ecclesiæ, scilicet matrimonium contracturus, aut communicaturus, seu inungendus. Decet autem ut etiam in Adventu et ante Pentecosten, et circa festa præcipua, utpote Omnium Sanctorum et Assumptionis Virginis gloriosæ, et circa principium Quadragesimæ, quilibet Christianus confiteatur.

Amplius, satisfactio pœnitentialis quæ in confessione injungitur, fideliter atque humiliter est implenda, et hoc ex caritate et vera devotione. Pœnitentia namque quam facit homo in mortali peccato scienter exsistens, non acceptatur a Deo nec valet, sed tenetur eam post confessionem vel contritionem reiterare.

Itaque, juxta Christi et præcursoris sui prædicationem, primo pœnitentia est agenda. Ideo loquitur Augustinus : Initium bonorum, confessio est malorum. Unde Salomon protestatur : Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur. *Prov.* xxviii, 13.

Insuper dixit Salvator : *Sic luceat lux vestra,* id est bona et exemplaris conversatio vestra, *coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* *Matth.* v, 16. In his verbis docuit Christus ut opera virtuosa ad quæ tenemur, publice faciamus, non propter propriam laudem aut utilitatem, sed ad proximorum ædificationem ac Dei honorem : quatenus fideles videntes bona opera proximorum, glorificent Deum, qui tantam gratiam contulit illis. Sic namque laudatur et honoratur Deus in suis ministris ac donis. Opera autem virtuosa ad quæ non obligamur, et quæ specialem devotionem et supererogationem prætendunt sive includunt, occultare debemus magis quam publicare, quantum in nobis est.

A Denuo ait Dominus Jesus omnibus Christianis : *Audistis quia dictum est antiquis,* id est, filiis Israel a Deo per Moysen est præceptum : *Non occides* hominem propria auctoritate et contra ordinem juris; *qui autem occiderit* hominem contra jus, *reus erit judicio* damnationis. *Matth.* v, 21, 22; *Exod.* xx, 13. *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo,* id est proximo, *reus erit judicio.* Istud intelligendum est de ira inordinata, rationem præveniente et perturbante : qua unus irascitur sibi vel alteri ex irrationabili commotione animi sui. B Est autem et alia ira bona, quæ oritur ex zelo justitiæ, ratione dictante : qua unus irascitur sibi ipsi aut alteri ex caritate, propter sua peccata corripiens aut corrigens eum, ut in hac vita purgetur, ne in futura vita damnetur. Et ista ira ex ratione procedit, et sponte assumitur, ut actus caritatis atque justitiæ ratio diligentius exsequatur. Et talis ira fuit in Christo, et est in virtuosis hominibus. *Qui autem dixerit fratri suo, Raca,* id est, C signum aut vocem indignationis emiserit contra proximum suum, *reus erit consilio :* id est, gravius peccat quam si solum intus iram haberet; ideo dignus est ut de eo tractetur quam pœnam promeruit. *Qui autem dixerit* proximo suo, *Fatue, reus erit gehennæ ignis :* id est, qui proximum aut hominem appellaverit fatuum aut fatuam, ex contemptu personæ vel invidia aut passione prædominante, et ex irrationabili causa, æternam damnationem meretur, quia mortaliter peccat. Si vero ali- D quis ita loquatur proximo suo ex caritate et zelo justitiæ, animo corrigendi et emendandi fratrem culpabilem, non est peccatum. Sed discutiat unusquisque conscientiam suam, ex qua radice et qua intentione loquatur, et reprimat animum suum ac linguam.

Deinde loquitur Christus omni fideli : *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius* *Matth.* v, 23, 24.

reconciliari fratri tuo ; et tunc veniens, offeres munus tuum. Sensus verborum istorum est, quod si quis aliquem offenderit, prius debet ab illo veniam postulare eique satisfacere, et ipsum placare pro posse suo, si convenienter potest habere accessum ad ipsum ; et si propter locorum distantiam non potest corporaliter illum accedere, concordet cum eo animi præparatione, et proponat eum accedere quando poterit; istudque faciat homo antequam aliquid offerat Deo, præsertim antequam celebret sive communicet, hoc est citius quo congrue potest : quia tenetur ad hoc, ne et alter maneat perturbatus. Nec tamen oportet omne opus bonum dimittere quousque eatur ad reconciliandum se fratri : ut si quis nocturno tempore oret aut contempletur. Sed opus bonum inceptum debet dimitti ad minus tamdiu quousque homo proponat ire ad reconciliandum se proximo quem offendit.

Insuper Christus specialissime docet omnem vanam gloriam et laudem humanam ac temporalem et vanum honorem esse omnino spernendos ac fugiendos, atque in omni opere bono primo et principaliter quærere et intendere laudem, honorem ac gloriam Dei. Hinc etenim ait Salvator :
Matth. vi, 1. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis ; alioqui mercedem non habebitis apud*
Ibid. 3-6. Deum. *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, et Pater tuus* cœlestis, *qui videt in abscondito, reddet tibi. Et quum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem quum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.* Verumtamen istud non est sic intelligendum quasi non sit orandum nisi in loco secreto et clauso, quum dicat Apo-
I Tim. ii, 8. stolus : Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione. Sed ideo Christus locutus est verba

A illa, quoniam nemo debet Deum orare in loco aperto et patulo, ad hoc ut ab hominibus videatur et collaudetur, et etiam quia ad orandum devote, multum confert et juvat locus secretus atque quietus. Rursus, dum homo orat in ecclesia aut alibi coram aliis, non debet alte orare, suspirare, pectus multum præ aliis tundere, aut similia specialis devotionis signa ostendere, ne et alios prope stantes ab oratione impediat, et hypocritis similis videatur.

B Amplius ait Dominus Jesus : *Quum je-* Matth. vi, 16-18.
junatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, id est, innaturalem et pallidam seu confictam vultus dispositionem assumunt, *ut appareant hominibus jejunantes. Tu autem quum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava,* id est, lætum in Deo te exhibe, et bonam faciei dispositionem assume, atque a vitiis te expurga, *ne videaris hominibus jejunans,* id est, ne videaris speciales abstinentias faciens. Je-
C junia vero ad quæ homo tenetur, publice facere debet recta intentione, ne alii in ipsius gula scandalizentur.

Præterea Christus docet ac præcipit avaritiam evitare, dicendo : *Nolite thesauriza-* Ibid. 19.
re vobis thesauros in terra. Hoc non est intelligendum quasi non liceat aliquid pecuniæ seorsum reponere et servare pro utilibus et rationabilibus causis, sed ne aliquis plura reponat ac servet quam sibi necessarium aut utile exstat, consideratis suo statu, dispositione, conditione ac
D onere : ut si sobolem multam habeat, nobilisve exsistat, aut infirmetur, secundum hoc potest sibi ac suis rationabiliter ac decenter providere, sic tamen ut ad pecunias ac cetera temporalia non afficiatur immoderate, neque in illis sed in Deo confidat, et divitiis bene utatur. Ideo Christus dixit : *Thesaurizate autem vobis thesauros* Ibid. 20, 21
in cœlo, id est, opera virtuosa abundanter peragite, et non nisi a Deo mercedem in cœlo optate. *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum,* id est

cogitatio, intentio et dilectio tua. Hoc modo avari divites cor suum habent in suis divitiis ac thesauris, potius quam in Deo : ideo in statu damnationis sunt. Aliqui autem sunt divites liberales et misericordes, *Ps.* LXI, 11. implentes quod ait Propheta : Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Isti cor suum non habent in suis divitiis fixum, sed in Deo, quem summe amant atque desiderant.

ARTICULUS XVIII.

Adhuc de aliquibus Christi doctrinis ad omnes Christianos pertinentibus.

OPUS hominis quantumcumque bonum videatur, tamen malum et vitiosum est, si mala et perversa fiat intentione : ut si quis vadat ad ecclesiam ut videat mulieres. Hinc Dominus noster Jesus Christus affirmat : *Si fuerit oculus tuus simplex,* id est, si recta fuerit cordis tui intentio, *totum corpus tuum lucidum erit,* id est, opera tua erunt virtuosa, dummodo opera sint proportionata intentioni. Si autem intentio sit perversa, opera sunt vitiosa. (*Matth.* VI, 22.)

Ibid. 25. Iterum ait Salvator : *Ne solliciti sitis quid manducetis, neque quid induamini.* Hoc loquitur Christus contra eos qui immoderatam sollicitudinem et anxietatem habent de necessariis corpori, scilicet de cibo, potu, vestitu, atque similibus ; de his autem quæ eis necessaria sunt ad animarum suarum salutem, videlicet de donis et virtutibus Spiritus Sancti, de caritate et gratia Dei, de virtuosa conversatione, de discretione inter virtutes et vitia, parum curant. Tales non satis confidunt in Deo et in providentia ejus. *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt neque metunt, et Pater vester cœlestis pascit ea. Quanto magis vos* pascet ? *Scit enim Pater vester cœlestis quia his omnibus* corpori necessariis *indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* (*Ibid.* 26, 32, 33; *Luc.* XII, 24.)

Per hæc verba Christus non prohibet moderatam sollicitudinem pro temporalibus et necessariis acquirendis et conservandis, sed ne prima et principalis sollicitudo nostra sit pro eis : imo vult ut primo et principaliter solliciti simus qualiter Deo complaceamus ac digne et debite serviamus, qualiter peccata vitemus et virtutes procuremus atque divina observemus præcepta, quatenus ad æternam pertingere beatitudinem mereamur. Ista debet esse prima, quotidiana et maxima sollicitudo cujuslibet Christiani. Et quanto anima nobilior est corpore, tanto plus solliciti esse debemus pro his quæ animæ necessaria sunt ad salutem, quam pro exterioribus et temporalibus rebus quibus indiget corpus. Quanto etiam spiritualia bona, quæ sunt virtutes et dona Spiritus Sancti ac opera virtuosa, sunt meliora corporalibus bonis, tanto plus diligere tenemur illa spiritualia bona quam corporalia et temporalia ista. Similiter, quanto vita illa æterna, beatissima, in cœlis futura, melior est vita præsenti, brevi, incerta ac misera, tanto plus debet quilibet Christianus esse sollicitus qualiter ad æternam illam beatissimam perveniat vitam, quam ut habeat necessaria corpori pro vita præsenti. Itaque sollicitudo pro temporalibus rebus debet esse moderata et secundaria, quatenus de temporalibus rebus non plus habere desideret Christianus quam sibi necessarium aut utile est ad vivendum bene ac virtuose, ad complacendum Deo, ad obtinendum felicitatem æternam, sicut hortatur Apostolus, dicens : Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus : nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in damnationem. (*I Tim.* VI, 8, 9.)

Insuper loquitur Christus : *Nolite judicare, ut non judicemini.* Hanc Christi doctrinam ac jussionem Christiani pessime servant qui faciliter judicant alios esse superbos, avaros, aut sibi contrarios, vel (*Matth.* VII, 1.)

aliis vitiis subditos. Christus igitur docet A et vult ut alios non judicemus, quando non scimus pro certo quid egerint, vel quo animo fecerint aut dixerint quæ fecerunt sive dixerunt. Quædam enim sunt verba ac opera quæ non possunt bono animo proferri aut fieri, sicut mendacia, furta, adulteria : et de talibus possumus judicare pro certo, quod mala sunt atque illicita, et quod culpabiles sunt qui talia dicunt aut faciunt. Quales autem sint futuri postea, pro certo judicare non possumus : quoniam omni momento potest B pœnitere peccator. Nec etiam possumus certitudinaliter judicare quales futuri sint, Eccle. IX, 1. et qualiter suam finient vitam : quia non scimus an sint electi a Deo an reprobi. Hinc aliquem judicare quasi pœnitere non possit, vel quasi nunquam pœnitentiam facturus sit, stultum est et peccatum. Porro alia sunt verba et facta, quæ bono et malo animo proferri ac fieri possunt : et de talibus judicare non licet, quia non scimus quo animo prolata aut gesta sint. Et pejus est talia vituperare quam com- C mendare : quia dubia in meliorem partem trahenda sunt, non cum certa assertione, sed cum pia æstimatione. Præterea multum deflenda est plurimorum Christianorum pravissima atque damnabilis consuetudo, qui ex levi signo, aut sola suspicione, aut modica occasione, vel ex indignatione, ira, impatientia aut invidia, absque timore Dei judicant, vituperant ac diffamant alios, seu detrahunt eis publice vel secrete, et ea quæ bono animo fieri possunt, interpretantur in pejus. Istud est D peccatum valde mortale. Idcirco qui Deo vult complacere, sit timoratus et circumspectus in omnibus ; nec alios faciliter judicet quales sint, imo de omnibus meliora præsumat, nisi apertissima signa repugnent. Se ipsum vero unusquisque adspiciat, consideret atque dijudicet, et per opera pœnitentiæ peccata sua vindicet in se ipso.

Matth. VII, 5. Amplius loquitur Christus, sapientia Dei Patris : *Quid vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* His verbis redarguit Christus quosdam præsumptuosos atque mendaciter justos, audaces, et sibi ipsis placentes, qui acuti sunt ad considerandum defectus et peccata aliorum, et proni sunt increpare ac redarguere illos, se ipsos vero non attendunt : imo proprias defectuositates et vitia non advertunt, et si reprehendantur ab aliis, indignantur. Quumque aliorum culpas, quamvis parvas, reputant magnas, propria tamen peccata non ponderant, sed parva judicant et excusant, quamvis magna exsistant. Isti sunt mente cæcati ac fatui, non spirituali sed carnali amore se diligentes, magni in propriis oculis et superbi. Denique, secundum doctrinam Sanctorum, indigni sunt corripere, judicare et corrigere alios, qui in majoribus vel eisdem peccatis sunt de quibus corripiunt, judicant et corrigunt alios. Ideo Filius Dei docet ac jubet ut unusquisque in primis purget se ipsum, et antequam corripiat alios de parvis peccatis, corripiat et emendet se ipsum de magnis.

Præterea, quam fiducialiter, instanter ac indesinenter debeamus Deum invocare, docet Salvator, dicendo : *Petite, et dabi-* Matth. *tur vobis ; quærite, et invenietis ; pulsa-* VII, 7, 8. *te, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit ; et qui quærit, invenit ; et pulsanti aperietur.*

Insuper, qualiter unusquisque fidelium habere se debeat ad proximos suos, Christus breviter docet, quum ait : *Omnia* Ibid. 12. *quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos* eadem *facite illis.* Hoc utique naturalis ratio dictat et naturale jus exigit, ut unusquisque faciat alteri quod rationabiliter vult fieri sibi, et quod sibi rationabiliter non vult fieri, non faciat alteri. Hoc est quod Tobias docuit filium suum, dicens : Quod ab alio oderis fieri Tob. IV, 16. tibi, vide ne tu aliquando alii facias. Contra hoc agunt avari, fraudulenti, violenti,

injusti, adulteri, fornicatores, superbi, et A omnes iniqui.

Amplius, quam difficile sit salvari, docet Christus, dicendo : *Intrate per angustam portam : quia lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta* est *porta et* quam *arcta* est *via quæ ducit ad vitam, et pauci inveniunt eam!* Matth. VII, 13, 14. Hæc porta angusta et arcta via ducens ad vitam æternam, beatissimam et cœlestem, est conversatio pœnitentialis et virtuosa : quæ est propria peccata quotidie B deplorare, castigare, vitare, carnales concupiscentias frangere, mentem jugiter custodire, omne peccatum mortale repellere, in Dei timore semper persistere, coram Deo sollicite ambulare, Mich. VI, 8. tentationibus dæmonum et vanitatibus mundi resistere, præceptis Dei atque Ecclesiæ in omnibus obedire. Hæc omnia observare, est utique multum difficile. Idcirco dixit Salvator : « Quam angusta porta! » Quasi dicat : Multum angusta et arcta est. Quod etiam patet ex eo quod rursus loquitur Christus : Luc. VI, 24-26. Væ C vobis divitibus qui habetis consolationem vestram ; væ vobis qui saturati estis, quia esurietis ; væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis ; væ quum benedixerint vobis omnes homines. Porro lata et spatiosa via perditionis, est conversatio intimorata, carnalis et dissoluta : quam viam tam multi incedunt, ut comparatione eorum non nisi pauci consistant qui arctam salutis ambulant viam.

ARTICULUS XIX.

Prosecutio documentorum Christi in quibus omnium fidelium salus consistit.

DEUM super omnia esse timendum docet Christus, præcipiens : Matth. x, 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam* ignis. Hoc ait Salvator ad designandum quod Christiani non debeant in tantum timere tyrannos et persecutores, ut propter illorum comminationes aut persecutiones recedant a divinis præceptis, aut Deum offendant, imo potius eligant omnia dura pati atque occidi, quam peccare mortaliter. Et quanto terribilius est cum corpore et anima æternaliter infernali igne torqueri, quam temporalem mortem in corpore breviter pati, tanto plus formidandus est Deus quam tyrannus quicumque aut quilibet homo. Contra hoc Christi præceptum ac documentum agunt homines imperfecti et molles et temporalium amatores, qui vel desiderio placendi hominibus, vel timore displicendi eis seu patiendi ab eis damna sive adversa, relinquunt timorem Dei et præcepta ipsius, mendaciter loquendo, jurando, perjurando, et injuste agendo, aut ea ad quæ tenentur omittendo. Istud est indecens valde ac impium. Quum enim quilibet Christianus teneatur Deum super omnia summe incomparabiliterque diligere, Matth. XXII, 37. tenetur sic stare, quod mallet propriam vitam et universa quæ habet, imo et totum mundum, si suus esset, perdere, quam Deum per mortale peccatum amittere, inhonorare sive offendere.

Insuper loquitur Christus : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Ibid. XI, 28. His verbis Christus consolatur imperfectos, afflictos, tentatos, quibus adhuc laboriosum est vias virtutum incedere, delectationibus mundi carere, tentationes ac vitia superare. Hos ergo invitat Salvator ut ipsum accedant D spirituali accessu, invocando auxilium ejus, ut releventur et consolentur ab ipso, sicut hortatur Apostolus : Adeamus cum fiducia Hebr. IV, 16. ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Taliter igitur accedentes reficit Christus in anima per consolationes divinas, per meditationes devotas, per diversa gratiarum charismata. Ideo monet : *Tollite jugum meum super vos,* id est, legem meam implete subjiciendo vos Matth. XI, 29, 30. meis præceptis ; *et discite a me quia mi-*

tis sum et humilis corde. Jugum enim A *meum suave est, et onus meum leve.* Sed quæri potest, quomodo jugum Christi suave est et onus ejus leve, quum jugum istud non sit aliud quam angusta porta et arcta via qua itur ad vitam beatam? Respondetur, quod jugum Christi imperfectis durum et laboriosum est, perfectis autem caritateque fervidis dulce est, jucundum ac leve.

Præterea, quam custoditus et moderatus debeat esse omnis Christianus in verbis
Matth. XII, 36. suis, docet Christus, dum ait : *Omne ver-* B *bum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.*

Docet quoque Salvator ut quilibet post Deum præcipue amet se ipsum, et de propria salute primo sollicitus sit, dicens :
Ibid. XVI, 26; Luc. IX, 25. *Quid prodest homini si lucretur universum mundum, se ipsum autem perdat, et animæ suæ detrimentum patiatur?* Conformiter solos humiles posse salvari protestatur Dominus, dicens :
Matth. XVIII, 3. *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Quantum C vero vitandum sit ne quis alium, potissime pusillum, imperfectum et incipientem Deo servire, scandalizet, constat ex verbis
Ibid. 6, 7. Christi dicentis : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Væ homini per quem scandalum venit.* Porro scandalum istud, est dictum aut factum minus rectum quo alius ad peccandum inducitur. Quum igitur quilibet Christianus
Ibid. XXII, 37, 39. debeat Deum super universa diligere, ejus- D que honorem in omnibus quærere, proximum quoque sicut se ipsum amare, certum est quod debeat suis proximis esse exemplaris, ut eos inducat ad Dei venerationem et propriarum animarum salutem. Scandalizare vero est contra caritatem Dei et proximi. Sed, proh dolor! in isto Christiani sunt lamentabiliter defectuosi, quoniam mille modis unus alium scandalizat verbis, factis, et vestium curiositatibus vanitatibusque mundanis.

Præterea Christus fraternam correptionem docet ac præcipit, dicens : *Si peccaverit in te frater tuus,* id est, si te vidente, audiente aut sciente, proximus tuus Matth. XVIII, 15-17.
peccaverit, aut tibi injuriam fecerit, *vade et corripe eum inter te et ipsum solum,* increpando eum secrete in caritate ac mititate, dummodo sit tibi spes de emendatione illius. *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum,* quia de via perditionis eum ad statum reduxisti salutis. *Si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos* testes, et in præsentia horum corripe eum, præsertim si isti aliunde sciant culpam proximi delinquentis. *Quod si non audierit eos,* sed in peccato suo permanserit, *dic Ecclesiæ,* id est prælato delinquentis, ut subditum suum corrigat. *Si autem Ecclesiam non audierit,* id est, correptioni et correctioni sui prælati non obedierit, *sit tibi sicut ethnicus et publicanus,* id est, tanquam gentilem et publicum peccatorem reputa eum atque devita.

Istud præceptum de correptione fraterna a Christianis pessime custoditur; et ut quidam doctores testantur, propter transgressionem hujus præcepti, et præcepti de incontinentia fugienda, quasi totus mundus damnatur. Jam enim unus Christianorum videns alium peccantem, non solum non corripit illum, sed potius ei congratulatur, consentit et fovet, sicque peccata illius redundant in ipsum. Itaque, quanto anima nobilior est corpore, tanto per correptionem fraternam diligentius curanda sunt vulnera animæ, id est peccata, quam vulnera corporis. Propter quod asserit Augustinus : Si neglexeris corripere, pejor efficeris eo qui peccavit. Quicumque ergo in aliquo exstat culpabilis, pie et caritative est corripiendus atque ad emendationem et satisfactionem provocandus. Unde et paterfamilias præceptum istud in suis domesticis strenue debet implere, deinde in ceteris, secundum exigentiam loci ac temporis, et causæ ac delinquentium personarum. Et quod dictum est de corripiendo

fratre vel proximo, etiam intelligendum A est de corripienda sorore seu proxima.

ARTICULUS XX.

Quod quilibet Christianus tenetur obedire præceptis Dei atque Ecclesiæ, et rationi seu conscientiæ.

Quemadmodum Deus sublimis et benedictus creavit genus humanum ad obtinendum felicitatem æternam, sic dedit eidem præcepta, per quorum observantiam B meretur ad beatitudinem illam pertingere. *Matth.* xix, 17. Hinc loquitur Christus : Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.

Quamvis autem communiter dicantur *Exod.* xx, 2-17. esse decem præcepta, quæ Deus dedit Moysi in monte Sinai, duo tamen sunt principalia præcepta, in quibus alia decem *Marc.* xii, 29-31, 33. includuntur. Unde ait Salvator : Primum mandatum est : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. Secundum vero mandatum est : Diliges proximum C tuum sicut te ipsum.

Debemus ergo Deum diligere ex toto corde nostro, id est integro intellectu et plena voluntate, quatenus toto intellectu et integra voluntate tendamus in Deum, ipsum super omnia fervide desiderando, pure amando, et quidquid ipse odit ac prohibet, scilicet vana et falsa, errores et universa peccata, odiendo et fugiendo; quidquid vero Deus amat ac fieri præcipit, utputa omnem bonitatem, virtutem, pietatem, sapientiam, munditiam, amando ac D prosequendo. Debemus quoque diligere Deum tota anima, quatenus omnes sensus nostri exteriores ac interiores Deum pro posse suo honorent. Tota etiam fortitudine diligere Deum debemus, quatenus sicut totum quod sumus et habemus, a Deo accepimus, sic ad ejus obsequium, gloriam et honorem totum illud vertamus, utamur et expendamus, ut omnibus membris corporis et omnibus viribus animæ Deum in omnibus veneremur, quia ad hoc data nobis sunt omnia. Impii autem et immundi homines utuntur his omnibus in obsequio dæmonis, ad contumeliam Creatoris.

Præterea, Deum amare debemus spirituali, puro et infuso amore : primo et principaliter, propter puram et infinitam ipsius bonitatem ac amabilitatem; deinde, quoniam ipse prior dilexit nos; postea, *I Joann.* iv, 10, 19. propter universa beneficia ejus, et propter bona gloriæ beatitudinisque æternæ, quæ nobis promisit ac præparavit in cœlo. Quidam autem diligunt Deum principaliter propter beneficia ejus, videlicet quoniam bene eis succedit et prosperantur in multis, ac divites sunt temporaliterque in terrenis bonis felices. Sed tales non diligunt Deum vero, puro et spirituali amore : imo in statu damnationis sunt, hoc est in mortali peccato, quia se ipsos præferunt Deo, amantes Deum, non quia in se ipso bonus est, sed quoniam bonus est eis, dando eis tot bona. Porro in hoc cognoscere possumus an Deum vere ac spiritualiter diligamus, si ejus præcepta in omnibus custodimus, et ipsum pro posse in omnibus honoramus atque ab omnibus honorari optamus. Spiritualis etenim amor Dei conformat voluntatem rationalis creaturæ voluntati sui Creatoris. Hinc in Evangelio loquitur Christus : Si diligitis me, mandata *Joann.* xiv, 15. mea servate; et iterum : Si quis diligit *Ibid.* 23. me, sermonem meum servabit. Joannes quoque apostolus ait : Qui dicit se nosse *I Joann.* ii, 4. Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est.

Præterea, proximos nostros, id est omnes homines in mundo viventes, fideles ac infideles, amicos et inimicos, debemus diligere sicut nos ipsos spirituali amore, desiderando æternam eorum salutem, et ut nunc convertantur ad Deum, eique incessanter adhæreant, uniantur atque obediant; et ut gratiam tantam Deus eis concedat, pro ipsis cordialiter orare debemus. Itaque proximos plus amare tenemur quam omnia bona exteriora, temporalia et terrena, imo plus quam proprium corpus. Hinc quilibet Christianus tenetur sic stare, quod

mallet non solum omnia sua bona exteriora, sed etiam corporalem suam vitam amittere, quam animam cujuscumque proximi sui seu hominis condemnari.

ARTICULUS XXI.

De primo præcepto.

Exod. xx, 3-6. PRIMUM præceptum est, credere unum Deum, hoc est, ut fide caritate ornata ac bonis operibus decorata, credamus, amemus, colamus, adoremus, timeamus ac B veneremur unum solum verum, æternum omnipotentemque Deum, unum ac trinum, qui solus potest salvare : cui propter suam infinitam majestatem et excellentiam summus honor debetur, et est infinita reverentia dignus, nec potest ipsi a quacumque creatura tanta reverentia exhiberi quin dignus sit reverentia in infinitum majori. Ideo tam incomparabilis eminentiæ Deum, regem ac principem universorum, inhonorare, non timere, ei non obedire, injustissimum exstat : præsertim quum peccatum C tanto sit gravius quanto major est dignitas ejus in quem peccatur. Quam enorme ergo est, Deum immensæ dignitatis offendere?

Insuper, contra hoc præceptum agunt non solum increduli, falsos deos et idola adorantes, sed etiam omnes iniqui et intimorati Christiani, mortali peccato fœdati, quoniam rebus creatis magis inhærent quam Deo, et ista carnalia atque caduca plus amant, colunt, quærunt, cogitant ac venerantur, quam summum et incommutabile bonum, Creatorem dignissimum. Ta- D les sunt omnes impii Christiani, qui non attendunt se in præsentia summi ac metuendissimi Judicis omnia intuentis, agere universa quæ agunt, atque de cunctis suis cogitationibus, affectionibus, verbis, factis et omissionibus, et de omnibus bonis sibi a Deo collatis, rationem ei daturos : imo sic agunt et vivunt, tam intimorate et turpiter ac innumerabiliter peccant, quasi non esset Deus, nec providentia ejus, neque futurum judicium. De quibus Salomon

A ait : Quia non cito profertur contra malos sententia, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala. (*Eccle.* VIII, 11.) Hi sunt qui lætantur quum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis. (*Prov.* II, 14.) Non est enim timor Dei ante oculos eorum. (*Ps.* XIII, 3.)

Insuper, contra præceptum istud agunt et gravissime peccant, qui vana et vitiosa opera sua in tantum amant, quod mallent Deum non esse quam illa relinquere, et quod vellent Deum non esse omnia cognoscentem nec hominum vitia ulciscentem, quatenus possent libere et impune peccare.

Agunt etiam contra præceptum hoc, qui sortilegos consulunt vel divinos, et qui utuntur pomis inscriptis aut schedulis collo suspensis, aut characteribus seu aliis credulitatibus vanis, quasi non esset Deus satis bonus et potens ac sapiens ad subveniendum eis quantum expedit saluti eorum. Adversitates enim, infirmitates, damna ac ceteræ afflictiones frequenter permaxime expediunt homini, suntque signa amoris Dei ad homines, quemadmodum ipse ait : Ego quos amo, arguo et castigo. (*Apoc.* III, 19.) Ideo nihil illicitum facere debet homo ut liberetur aut præservetur ab illis. Imo patienter et cum gratiarum actione sustinendæ sunt paternæ castigationes piissimi Dei : nam et præcipuum signum quod homo sit a Deo electus, est si habeat multa adversa, et patienter sustineat ea. Hinc ait Scriptura : Multæ tribulationes justorum (*Ps.* XXXIII, 20.); et rursus : Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes et tentationes transierunt fideles. (*Judith* VIII, 23.) Paulus quoque apostolus protestatur ac loquitur : Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. (*Act.* XIV, 21.)

Postremo, contra hoc primum agunt præceptum, qui opus Dei negligenter persolvunt, qui cum tædio et torpore serviunt Deo; qui temporalibus dominis vel principibus aut prælatis magis optant ac student placere diligentiusque obsequuntur quam Deo, et qui illis propter temporalia commoda blandiuntur; item qui filios

suos aut filias vel uxorem, seu propinquos A aut aliam quamcumque humanam personam plus amant quam Deum, quærentes ditare, exaltare delectareque illos, in tantum quod propter hoc agunt contra Dei præcepta.

Ecce pensemus quam gratum, quam amabile, delectabile et acceptum sit nobis, esse, vivere, sentire, intelligere, sanum exsistere, satis habere. Quam invite hæc perderemus! quam invite uno sensu aut membro privaremur! Cur ergo non diligimus illum a quo omnia hæc habemus, sine B cujus conservatione nec ad momentum ea tenere valemus? Cur omnipotenti atque piissimo Creatori, conservatori ac provisori sumus tam ingrati, eumque quotidie toties inhonoramus, et membris ac viribus nostris, quæ nobis largitus est ut ei fideliter serviamus, adversariis ejus, videlicet diabolo et peccatis, servimus in contumeliam Creatoris? Quis tantam ingratitudinem, perversitatem, impudentiam injustitiamque satis mirari aut comprehendere possit? Quid igitur restat, nisi ut vere et C condigne nos emendemus, et sicut omne quod habemus et sumus, a Deo suscepimus, sic ejus obsequio et honori omnia rependamus? Si etenim rex aut princeps terrenus daret alicui militi equum et arma, opes et omnia necessaria ad exercendum militaria opera, quatenus miles ille sibi fideliter deserviret, patriam suam defenderet, et suo exercitui se uniret; si tunc miles ille principi suo in omnibus inobediens esset, et his quæ sibi a principe suo collata essent, abuteretur in contume- D liam principis, acquiescendo voluntati adversariorum principis sui, et adjuvando exercitum adversariorum illorum contra exercitum proprii principis: nonne miles talis impiissimus infidelissimusque exsisteret? Tales utique sunt omnes iniqui et libidinosi, qui membris suis ac viribus abutentes, omnia quæ receperunt a Deo ad ejus honorem, vertunt in obsequium dæmonum, ad omnipotentis Dei injuriam.
II Tim. II, 26. Resipiscant ergo a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur, et insensatis atque vilissimis ac impudentissimis canibus assimilari verecundentur.

ARTICULUS XXII.

Declaratio secundi præcepti.

SECUNDUM præceptum est, non vane jurare per Deum, id est, ea quæ falsa sunt, cum juramento non affirmare, nec etiam vera absque rationabili causa jurare. Hoc præcepto prohibetur juratio falsa et irrationabilis per Evangelium, per Sanctos, per Sanctorum reliquias, atque per alias creaturas: per quas interdum licet jurare, non in quantum sunt creaturæ, sed in quantum in eis relucet ac repræsentatur virtus ac veritas Dei. *Exod.* XX, 7; *Deut.* V, 11.

Unde qui falsum scienter jurant, transgrediuntur istud præceptum, et mortaliter peccant, quoniam Deum assumunt in testem suæ falsitatis. Quamvis autem ex lapsu linguæ aut inadvertentia jurare interdum quod verum est sine rationabili causa, sit veniale peccatum, consuetudo tamen ita jurandi mortalis est culpa. Est namque contrarium reverentiæ Deo altissimo debitæ, ipsum frustra in testem assumere. Item, qui jurat contra conscientiam, quamvis sit verum quod jurat, transgreditur hoc præceptum. Insuper, qui jurant per intestina Dei, per membra, vulnera aut sanguinem Christi, enormiter peccant. Et contra tales juratores sunt positæ leges punitivæ ab ecclesiasticis prælatis sæcularibusque principibus, et valde dolendum est quod leges illæ non observantur. Istud quoque præceptum damnabiliter frangunt, qui causa lucri faciliter jurant et sæpe perjurant, ut aliqui mercatores ac alii venditores, taxillatores aliique lusores; et qui promissa non implent, et qui fidem conjugalem non servant; hi quoque qui promittunt aut jurant illicita, aut spiritualis profectus impeditiva: nam eo ipso quo talia jurant sive promittunt, crimen perjurii aut fractionis voti incurrunt, quoniam

talia non implere tenentur. Quandocumque A enim votum aut juramentum contrariatur veritati, aut justitiæ, vel discretioni, vitiosum est, et non observandum.

Amplius, quam vitiosa ac vitanda sit inanis ac falsa juratio, patet ex verbis
Matth. v, 34, 35, 37. Christi, qui ait : Ego dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, neque per terram. Sit autem sermo vester : Est, est ; Non, non. Quod his abundantius est, a malo est. Jacobus quoque apostolus loquitur :
Jacob. v, 12. Ante omnia, fratres, nolite jurare. Hinc
Eccli. xxiii, 9, 12. ait Scriptura : Jurationi non assuescat os B tuum, multi enim casus sunt in ea : nam vir multum jurans replebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga.

Præterea Augustinus affirmat : Qui provocat hominem ad jurationem, et scit eum falsum juraturum, pejor est homicida : quoniam homicida corpus occidit, ille animam, imo duas animas, scilicet suam et ejus quem jurare compellit. Ex quo innotescit, quod magis tenetur homo rem suam amittere et damnum sustinere, quam aliquem ad falsam jurationem inducere : C siquidem magis tenetur animam proximi sui quam exteriora et temporalia cuncta diligere. Iterum asserit Augustinus : Qui exigit juramentum, valde interest si nescit illum falsum juraturum, aut scit. Si enim nescit, et ideo dicit, Jura mihi, ut ei fides fiat, non audeo dicere non esse peccatum, tamen humana tentatio est ; si autem scit illum falsum juraturum, et tamen jurare compellit, homicida est. Dicunt etiam sancti Doctores : Quacumque arte verborum quis juret, Deus, qui conscientiæ testis D est, ita hoc accipit sicut ille cui juratur intelligit.

Matth. v, 34. Postremo, verbum Christi quo ait, Ego dico vobis, non jurare omnino, intelligendum est de juramento vano et falso. Atque ob id Christus ita locutus est, ut doceat nos quam periculosum sit sine sufficienti et cogente causa jurare, quoniam consuetudo verum jurandi ducit ad consuetudinem perjurandi, quum dicat Chrysostomus : Nemo est qui frequenter juret, et aliquando non perjuret. Idcirco asserit Augustinus : Christus, qui prohibuit te jurare, noluit te super ripam ambulare, ne pes tuus in angusto positus labatur in præceps.

Pravissimam ergo consuetudinem jurandi abjiciant Christiani. Et quoniam longe est a peccato inanis juramenti atque perjurii qui omnino non jurat, nisi sufficienti causa coactus ; studeat unusquisque penitus non jurare : quod maxime necessarium est his qui consuetudine jurandi polluti sunt. Porro, si quis juret ex rationabili causa, cum debita reverentia, congruo loco et tempore, licitum est, et actus virtutis. Ideo ait Scriptura : Dominum *Deut.* vi, 13.
Deum tuum timebis, et per nomen ejus jurabis.

ARTICULUS XXIII.

Declaratio tertii præcepti.

TERTIUM præceptum est, ut dies festi- *Exod.* xx, 8-11; *Deut.* v, 12-15.
vos celebremus. Nam et ratio dictat ut aliquo die hebdomadæ homo specialiter vacet Deo, et aliorum dierum negligentias et peccata reparet, defleat et emendet.

Sunt igitur dies dominici et festivi celebriter observandi : quoniam etsi quotidie, tunc tamen specialiter a vitiis est cessandum. Ideo gravius est tunc peccare. Tunc ergo ab operibus mechanicis atque servilibus, scilicet agricultura, mercatu, et placito, ac ceteris vacationem ad Deum impedientibus, oportet desistere, Deo vacare, propriam conscientiam examinare, mentem purgare, verbum Dei libenter audire, divinum Officium frequentare, beneficia Dei recolere et de eis Deo regratiari, orationibus devote insistere, propria peccata ad memoriam revocare, deflere, confessionem et emendationem proponere. Et præsertim tenentur fideles tunc Missam audire, nisi impedimento excusentur legitimo.

Tunc igitur præcipue sunt vitandæ scurrilitates ac superfluitates verborum, salta-

tiones et cantus lascivi ac vani, comessationes, potationes, ludi indecentes, immoderatæ consolationes, voluptates carnales et cordis dissolutiones. Hinc S. Apollonius ait : Die dominica nihil aliud est agendum quam Deo vacandum ; nulla operatio in illa sancta die agatur, nisi tantum psalmis et hymnis et canticis spiritualibus dies illa transigatur. Sanctus quoque Gregorius loquitur : Die dominica a labore terreno cessandum est et orationibus insistendum, ut si quid negligentiæ per dies sex agitur, die dominica precibus expietur. Hinc etiam loquitur Origenes : Si desinas ab omnibus sæcularibus operibus, si spiritualibus operibus vaces, si ad ecclesiam convenias, divinis sermonibus aurem præbeas, de cœlestibus cogites, de futura spe sollicitudinem geras, futurum judicium præ oculis habeas, nec respicias ad visibilia atque præsentia ; hæc est Christiano vera observatio diei dominicæ ac festorum. Et quia Deo vacare nihil plus contrariatur quam peccare, ideo asserit S. Augustinus : Melius faceret colonus aliquid utile in agro suo die dominica, quam in theatro desidiosus exsisteret ; et melius feminæ lanam nerent, quam in festis saltarent.

Sed, heu ! omnia nunc subversa sunt. Nam diebus dominicis ac festivis Christiani vanitatibus, carnalitatibus, confabulationibus vitiosis variisque peccatis vacant plus quam ceteris diebus, non attendentes quod toties peccent mortaliter quoties præceptum Dei aut Ecclesiæ transgrediuntur. Hinc vitiosum atque damnabile est, quod quidam diebus festivis barbam radunt aut radi se faciunt, aut equos ferrant, nisi esset tam magna necessitas, quod coram Deo excusaret. Nec talia facientes se imprudenter excusent. Non enim justus est, nec Deum veraciter diligit, qui amore lucri, aut timore humanæ offensæ, aut propter damnum temporale, Dei aut Ecclesiæ præceptum transgreditur, quum dicat
I *Joann.* IV, 20; II, 4. Joannes apostolus : Si quis dixerit, Diligo Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est. Interdum etiam mercatores et sar-

A tores, ac alii quidam mechanici, in observatione hujus præcepti sunt multum defectuosi ac rei ; et ex dictis potest unusquisque illorum perpendere an in observatione hujus præcepti sit reus ac negligens.

ARTICULUS XXIV.

De quarto præcepto.

In tribus præceptis præhabitis docetur
B qualiter habere se debet quilibet circa Deum ; in aliis septem præceptis sequentibus edocetur quomodo habere se debet ad proximum.

Quorum primum est, honorare parentes. *Exod.* XX, 12; *Deut.* V, 16. Quod primo intelligitur de carnalibus parentibus, deinde de prælatis et spiritualibus patribus ac omnibus superioribus, atque de his qui ætate, sapientia aut virtute patres vocari merentur.

Carnales ergo parentes filii honorare tenentur, quia ab illis habent esse et edu-
C cationem ac informationem ; variosque dolores, labores ac curas parentes sustinent propter sobolem suam : ideo sufficienter et digne a filiis et filiabus suis honorari vix possunt. Propterea Aristoteles ait, quod Deo et parentibus non potest reddi æquivalens. Itaque filii ac filiæ obligantur parentes suos cordialiter valde diligere, verbis et factis honorare, eisque necessaria vitæ ministrare, si indigent, et obedire eisdem, sicut ait Apostolus : Filii, obedite *Coloss.* III, 20.
parentibus vestris per omnia, hoc est in
D omnibus ad quæ se extendit auctoritas parentum super sobolem suam, videlicet in bonis moribus, et in his quæ ad dispensationem rei familiaris gubernationemque domus spectant. Unde contra præceptum hoc graviter et mortaliter peccant, qui parentibus suis aut superioribus et prælatis faciliter indignantur, irascuntur, obloquuntur aut maledicunt, et qui præcepta sanctæ matris Ecclesiæ parvi pendunt, aut excommunicationem non curant, et qui oblationes ac decimas mini-

stris Ecclesiæ renuunt aut tardant persolvere.

Præterea, hoc præcepto jubentur subditi sæcularibus suis principibus obedire in his quæ ad illorum spectant officium : quorum ordinationes et jussa non debent insipienter arguere neque contemnere, nisi evidenter essent contra justitiam, contra Deum, contra caritatem fraternam, aut contra Ecclesiæ libertatem. Honorandi sunt quoque avi et aviæ, ac ceteri seniores cognati. Quemadmodum autem parentes vivos filii ac filiæ honorare tenentur, ita pro eisdem defunctis orare, et aliis modis sibi possibilibus animabus illorum succurrere obligantur.

Eccli. III, 8, 9. Hinc ait Scriptura : Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet eis in opere et sermone cum omni patientia. *Ibid.* 13-15. Gloria hominis ex honore patris sui, et dedecus filii pater sine honore. Fili, suscipe senectam patris tui, et ne contristes eum in vita illius ; et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum. *Ibid.* 18. Quam malæ famæ est, qui relinquit patrem ! et est maledictus a Deo, qui exasperat matrem. Hinc virtuosus ac sapiens ille Tobias præcepit filio suo : *Tob.* IV, 3, 4. Honorem semper habebis matri tuæ ; memor enim esse debes quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo. Ideo rursus ait Scriptura : *Eccli.* VII, 29. Gemitus matris tuæ ne obliviscaris. Insuper Deus per Moysen jussit : *Exod.* XXI, 17. Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Et iterum, *Deut.* XXI, 18-21. filium contumacem, comessationibus ebrietatibusque vacantem, lapidari (id est lapidum ictibus occidi) præcepit. Idcirco contra præceptum hoc enormiter peccant filii ad studium missi, qui non curant proficere, sed bona parentum vitiose, gulose turpiterque consumunt.

Postremo, ut præceptum hoc meritorie atque salubriter impleatur, oportet ut parentes honorentur non solum aut principaliter quia parentes sunt, aut ex naturali amore, sed principaliter quoniam Deus hoc jussit, et ex divino ac spirituali amo- A re, ad gloriam Dei, non propter laudem humanam aut propria commoda, vel solum ad complacendum parentibus.

ARTICULUS XXV.

De quinto præcepto.

QUINTUM præceptum est : Non occides. *Exod.* XX, 13; *Deut.* V, 17. Ubi primo et maxime prohibetur corporalis occisio hominis non secundum ordinem juris facta. Et quia peccata in B proximum tanto sunt graviora quanto proximum amplius lædunt aut nocent, ideo inter peccata in proximum, homicidium est maximum. Præterea hoc præcepto prohibetur implicite omnis ira, invidia, inordinata percussio, læsio, depilatio, contumelia, persecutio, violentia, oppressio atque detractio.

Agunt itaque contra præceptum istud, qui consilio, auxilio, consensu aut simili modo ad homicidium cooperantur, et qui illud non impediunt si congrue possint, C et qui necessaria vitæ non dant constitutis in necessitate extrema, et qui alios scandalizant, ad mortale peccatum illos trahendo aut inducendo ; item qui peccatorem a peccatis suis non retrahunt per correptionem fraternam aut correctionem paternam, seu per exhortationem aut instructionem, loco et tempore opportuno, quum possint ac debeant.

Insuper, ut S. Clemens testatur, beatissimus Petrus apostolus dixit triplex homicidium esse : unum corporale, quo natu- D rale esse et vivere auferuntur ; aliud spirituale, quo quis ad mortem animæ (hoc est ad mortale peccatum) inducitur, vel quo corporalis aut spiritualis mors alicujus optatur. Nam et Joannes apostolus loquitur : Omnis qui odit fratrem suum, *I Joann.* III, 15. homicida est. Deus namque affectum computat pro effectu. Tertium homicidium est, quo quis in corde aliorum vilescit, et esse bonæ famæ amittit : sicque detractio homicidium appellatur. Ideo Salomon ait : Si mordeat serpens in silentio, nihil *Eccle.* X, 11.

minus eo habet qui occulte detrahit. Detractio namque mortale peccatum est, et gravius furto, ut dicunt doctores, quoniam majus bonum aufert detractor quam fur : fur enim aufert substantiam, detractor famam bonam, quæ præponenda est opibus, sicut ait Scriptura : Curam habe de bono nomine ; hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri. Et Salomon ait : Melius est nomen bonum quam pretiosa unguenta. Porro christianus homo appetere debet bonam famam, non in quantum fama bona est pro suo honore, sed in quantum est ad gloriam Dei ædificationemque proximi.

Eccli. XLI, 15. — *Eccle.* VII, 2.

Amplius, contra præceptum hoc agunt qui inter fratres discordiam seminant : quod est mortale et valde enorme peccatum, quia caritatem corrumpit, et multa peccata inducit. Ideo Salomon dixit : Detestatur anima ejus (scilicet Domini) eum qui seminat inter fratres discordiam. Et iterum ait Scriptura : Susurro et bilinguis maledictus ; multos enim turbavit pacem habentes. Detractoribus autem et discordiæ seminatoribus non solum non consentire debemus, sed faciem quoque ab eis avertere, aut tristem vultum eis ostendere, ne communicemus peccatis illorum : quia, ut Salomon contestatur, per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Et Sapiens ait : Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam.

Prov. VI, 16, 19. — *Eccli.* XXVIII, 15. — *Eccle.* VII, 4. — *Eccli.* XXVIII, 28.

Faciunt item contra præceptum istud, qui propter injuriam sibi aut proximis suis illatam, aliquem quærunt propria auctoritate occidere, damnificare aut lædere, quum non sint judices illius, nec publica auctoritate fungantur. Imo, si judex reum occidat non ex zelo justitiæ, sed amore vindictæ aut ex livore, transgreditur hoc præceptum.

Postremo, homicidæ gravissime peccant, non solum quoniam corpus interimunt, sed etiam quia animam æternæ damnationis periculo exponunt. Frequenter namque qui occiduntur ad mortem sunt imparati : quod homicida attendere debuit.

ARTICULUS XXVI.

De sexto et septimo præceptis.

SEXTUM præceptum est, non furari. Ubi non solum prohibetur reale furtum, sed et furandi affectus, imo omnis illicita appetitio, contrectatio, ablatio, retentio ac defraudatio rei alienæ, videlicet rapina, latrocinium, injusta mercatio, mala mensuratio, infidelis labor, simonia, usura, patrocinatio falsa. Itaque contra præceptum hoc agunt, quorum peccato seu adulterio accidit quod non verus heres in hereditatem succedit ; similiter ecclesiastici viri qui bona Ecclesiæ superflue carnaliterque consumunt, et ideo ad restitutionem tenentur ; item, qui scienter vel ex carnali affectu indignos ad ecclesiastica promovent bona, quæ non nisi dignis, videlicet Deum timentibus ac devotis, debentur ; hi quoque qui parentibus suis aliqua furtive auferunt; et qui debita non persolvunt pro posse, dum repetuntur : quod est periculosum, quia si hi quibus tenentur, ex dilatione persolutionis damnum patiuntur, debitores tenentur eis recompensare hoc damnum juxta dictamen viri discreti ac sapientis.

Exod. XX, 15; *Deut.* V, 19.

Præterea, septimum præceptum est, non mœchari seu fornicari. Quo præcepto, ut loquitur Augustinus, prohibetur omnis illicitus concubitus, atque membrorum generationi deservientium omnis illegitimus usus, omnis quoque libidinosus contactus, etiam in conjugatis, quo non servatur naturalis ordo inditus a natura, imo omnis copula seu commixtio viri ac feminæ extra limites legis ac vinculi matrimonialis. Nec solum prohibetur isto præcepto omnis illegitimus coitus, sed etiam ejus appetitus, quoniam omnis consensus deliberatus in illicitum coitum aut in delectationem veneream, est mortale peccatum. In libidinosis quoque osculis atque amplexibus mortalis est culpa. Oportet ergo vitare occasiones concupiscentiæ vitiosæ et commixtionis illicitæ, scilicet incautum fe-

Exod. XX, 14; *Deut.* V, 18.

minarum adspectum, colloquia secreta, immoderata et impudica, contactus, amplexus et oscula, convivia, arrisus, munuscula; et se coram Deo timorate habere. Quod si tentatio venerit, statim immundam cogitationem oportet abjicere, passionem Christi adspicere, de districto ac metuendissimo Dei judicio cogitare, pœnas inferni pensare, Dei auxilium invocare, seque ab adspectu, cogitatu et consideratione eorum quæ concupiscentiam causant avertere, convertendo se ad cogitationes et opera rerum salubrium.

ARTICULUS XXVII.

De aliis tribus præceptis.

Exod. xx, 16; *Deut.* v, 20; *Matth.* xix, 18. OCTAVUM præceptum est : Non falsum testimonium dices. Hoc namque est valde grave peccatum. Et qui falso testimonio est alicui causa damni, ad restitutionem tenetur. Si autem famam ejus corrumpit, eam pro posse restituere obligatur. Si vero per falsum testimonium est causa mortis alicujus, homicida est coram Deo. Ideo Salomon loquitur : Testis falsus non erit impunitus. (*Prov.* xix, 5, 9.) Hoc etiam præcepto prohibetur mendacium perniciosum, quod scilicet alicui nocet. De quo ait Scriptura : Os quod mentitur, occidit animam (*Sap.* i, 11); et de quo Propheta loquitur Deo : Perdes omnes qui loquuntur mendacium (*Ps.* v, 7). Porro omne mendacium, sive sit officiosum, quod alicui prodest, sive jocosum, quod delectat, ad minus est veniale peccatum, et potest esse mortale per assiduitatem et nimiam delectationem in eo. Quemadmodum autem præceptum est falsum testimonium non proferre, ita mandato isto præcipitur veritatem non silere tempore necessitatis, nisi causa digna excuset.

Exod. xx, 17; *Deut.* v, 21. Amplius, nonum præceptum est : Non concupisces uxorem proximi tui. Ubi specialiter prohibetur appetitus adulterii, ille scilicet appetitus cui ratio non renititur, sed consentit. Et sicut viro præcipitur non concupiscere alicujus uxorem, ita mu- A lieribus ac puellis præcipitur non concupiscere alicujus maritum.

Insuper hoc præcepto prohibetur omnis motus ac gestus exterior inordinatus, ad luxuriam provocans, sive per internuntium, sive per litteras, vel per minas aut munera, per adspectum, incessum, verba, sive per vestimentorum ornatum vanum, provocativum ac indecentem, sicut jam detestabilis inolevit consuetudo super diploidem ferre togam ex uno latere omnino apertam, ita quod corpus circa pudicitiæ B loca ante et retro apparet: quod quam provocativum sit fragilium feminarum, faciliter potest perpendere qui saltem vel paululum prudens est. Et quid noceret quod toga circa pudicitiæ loca nodo aliquo clauderetur, nisi diabolus corda excæcaret humana, quibus nunc ad libitum dominatur? Hinc diligentissime est pensandum quod sanctissimus ait Hieronymus : Si vir aut mulier se ornaverit, et vultus hominum ad se provocaverit, etiam si nullum inde sequatur damnum, supplicium tamen pa- C tietur æternum, quia venenum attulit, si fuisset qui biberet. Tales ergo mortaliter peccant. Hinc etiam constat quam vitiosa sit illa vestium fractillatio deridenda et fatua. Gravissime quoque peccant feminæ se ornantes et linientes ut viris complaceant; similiter viri et juvenes, si tale quid faciant. — Posset hic declarari quam enorme peccatum sit adulterium, sed postea id dicetur.

Decimum præceptum est : Non concupisces rem proximi tui. (*Exod.* xx, 17; *Deut.* v, 21.) Ubi prohibetur D desiderium ex deliberata ratione procedens, ita quod illicitum est desiderare quamcumque rem alienam. Est enim contra justitiam, et innumerabilia mala ex tali desiderio oriuntur, videlicet : avaritia, furtum, rapina, latrocinium, homicidium, violentia, falsum testimonium, dolus, mendacium, proditio, impatientia et murmuratio contra Deum, qui tam dissimiliter bona terrena distribuit. Tale quoque desiderium mentem quiescere non permittit. Propter quod ait S. Gregorius : Nihil la-

boriosius in hac vita quam terrenis desideriis æstuare, et nihil quietius quam nihil hujus mundi appetere. Certum est autem quod qui res suas carius vendunt aut vendere optant quam valent, contra præceptum hoc agunt, quia aliorum bona desiderant. Et quidam sunt valde intimorati ac omnino leves, qui quidquid vident, mox appetunt. Exstirpanda est ergo concupiscentia hæc maligna, et veræ divitiæ mentis semper sunt appetendæ, videlicet gratia Dei, caritas ceteræque virtutes ac dona Spiritus Sancti, et opera virtuosa, quæ sunt immortalium animarum nostrarum decor, vestimenta, robur, refectio, nobilitas, armatura et salus.

Hæc ergo decem præcepta Christiani semper gerant in mente et satagant adimplere ; atque in eis velut in speculo considerent semetipsos, et vitam suam discutiant ac perpendant quomodo obedierint Deo, et an jam Deo obediant, seque in cunctis emendent, et præcepta hæc jugiter observare conentur, et de hoc quod ea non servaverunt maxime contristentur.

ARTICULUS XXVIII.

Cum quanta diligentia, integritate ac fidelitate observanda sint divina præcepta; et quod non prodest custodire unum sine adimpletione aliorum.

QUANTO prælatus aut princeps in sæculo isto majoris est dignitatis, potestatis ac eminentiæ, tanto cum ampliori diligentia ac promptitudine ei servire ac obedire oportet. Rursus, quo aliquis sapientior sanctiorque consistit, tanto plus amandus venerandusque exstat. Nonne ergo cum summa et maxima diligentia, cum præcordiali amore et incomparabili reverentia, imo cum omni puritate, fidelitate et perseverantia, servire ac obedire oportet Regi regum, Principi universorum, Deo altissimo, qui infinitæ est dignitatis, qui vere omnipotens est, qui omnibus in- A comparabiliter eminet, cujus sapientiæ non *Ps.* CXLVI, 5.
est numerus, cujus sanctitatis et gloriæ nullus est finis ? Hinc merito ait Jeremias propheta : Maledictus homo qui facit opus *Jer.* XLVIII, 10.
Dei negligenter. Et Paulus apostolus loquitur : Serviamus Deo cum metu et re- *Hebr.* XII, 28.
verentia. Unde et Salomon monet : Omni *Prov.* IV, 23.
custodia custodi cor tuum, ne scilicet in aliquo Deum offendas. Hoc est quod sanctus Moyses jubet : Custodi temetipsum et *Deut.* IV, 9.
animam tuam sollicite, et ne obliviscaris verborum Domini Dei tui, et ne excidant B de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ.

Denique quam diligenter ac indesinenter debeat quilibet Christianus cogitare et recogitare, intueri ac ponderare divina præcepta, docet sanctus Moyses, dicens : Erunt verba Domini in corde tuo, et nar- *Ibid.* VI, 6-9.
rabis ea filiis tuis ; et meditaberis ea sedens in domo tua, et ambulans in itinere, et dormiens atque consurgens ; et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos ; scribesque ea in limine, et ostiis domus tuæ C affiges ea. Hinc quoque Deus per Moysen præcepit filiis Israel, ut facerent sibi qua- *Num.* XV, 38, 39.
tuor fimbrias per quatuor angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas quum viderent, recordarentur omnium mandatorum Dei, nec sequerentur cogitationes suas et oculos per res varias fornicantes. Hinc de viro justo ait Propheta, quod in lege Domini sit voluntas *Ps.* I, 2.
ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Quotidie igitur mandata Dei pensemus ac revolvamus, sollicite impleamus, D reverenter ac perseveranter Deo in omnibus obedientes, atque in ejus obsequio nos timorate habentes. Nam et S. Leo Papa profatur : O impudens homo ! millia *Dan.* VII, 10.
millium angelorum Deo ministrant, et decies millies centena millia angelorum ei adsistunt, et tu in ejus obsequio sedere præsumis ? Non dormientibus provenit regnum cœlorum, nec otio desidiaque torpentibus beatitudo æternitatis promittitur.

Præterea, ad hoc quod homo sit in caritate et gratia Dei, oportet ut universa

ejus præcepta adimpleat. Qui enim unum præceptum transgreditur, est in mortali peccato, nec prodest ei ad salutem quod alia præcepta observare videtur. Ideo Jacobus apostolus loquitur : Si quis totam legem impleverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Idcirco oportet Deo integre deservire ac obedire.

Jacob. II, 10.

ARTICULUS XXIX.

Quod Christiani debeant operibus misericordiæ præcipue esse intenti.

LEX Christi, quam observare tenentur Christiani, est lex caritatis et pietatis. Idcirco ad opera spiritualis dilectionis ac misericordiæ Christiani potissime obligantur, quum dicat S. Ambrosius : Omnis summa christianæ religionis in misericordia et pietate consistit. Porro septem sunt opera misericordiæ corporalia, scilicet : pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, colligere et hospitare peregrinum, visitare infirmum, redimere captivum, sepelire mortuum. Septem quoque sunt opera misericordiæ spiritualia, utputa : docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, corripere sive corrigere peccantem, ignoscere offendenti, onerosos et graves portare, atque pro universis orare. Et sicut anima est nobilior corpore, sic opera ista misericordiæ spiritualia præstantiora sunt corporalibus misericordiæ operibus.

Qui igitur cupit ut Deus sit sibi misericors et sibi ignoscat, benefaciat, necessaria animæ ac corpori tribuat, ipse quoque proximis suis sit pius, indulgens, benefaciens ac succurrens in omnibus, universa misericordiæ opera jam prætacta pro posse implendo. Ait namque Salvator : Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Præterea, qui mentis est duræ et crudelis corde, qui cito faciliterque offenditur, et difficulter placatur, aut injuriantibus non indulget, non aliud promeretur quam ut Deus ri- A gorem suæ justitiæ in ipso ostendat, ipsumque severiter damnet, atque injurias sibi ab ipso illatas æternaliter ulciscatur. Ideo loquitur Christus : Dimittite, si quid habetis adversus aliquem ; quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra. Jacobus quoque apostolus protestatur : Judicium sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam. Et rursus ait Scriptura : Qui vindicari vult, a Deo inveniet vindictam, et peccata illius Deus servabit ; relinque B proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur.

Matth. v, 7. — *Marc.* XI, 25, 26. — *Jacob.* II, 13. — *Eccli.* XXVIII, 1, 2.

Ex his sequitur, quod quilibet Christianus tenetur omnem hominem, tam inimicum quam amicum, vere spiritualiterque diligere, et forefacientibus indulgere, ita quod eos non odiat, et culpam ad minus dimittat : pœnam tamen seu satisfactionem potest exigere secundum processum et ordinem juris ex zelo justitiæ. Hinc ait Salvator : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et C orate pro persequentibus et calumniantibus vos : ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, quia ipse benignus est super ingratos et malos. Unde quam irrationabiliter agant qui sibi a Deo volunt ignosci, et tamen proximis suis non ignoscunt, docet Scriptura, dicendo : Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam ? In hominem sibi similem non habet misericordiam, et pro peccatis suis deprecatur Altissimum ? Quis exorabit pro D delictis illius ? Memento novissimorum tuorum, et desine inimicari, et non irascaris proximo tuo, et abstine te a lite. Hinc et Paulus apostolus exhortatur : Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.

Matth. v, 44, 45 ; *Luc.* VI, 27, 28, 35. — *Eccli.* XXVIII, 3-6, 8, 10. — *Ephes.* IV, 32.

Præterea, ad opera misericordiæ beatissimus Joannes Baptista præcipue hortatur, dicendo : Qui habet duas tunicas, det non habenti ; et qui habet escas, similiter faciat. Quidquid ergo Christiano de vesti-

Luc. III, 11.

mentis, cibis poculisque superfluit, indigentibus communicare debet atque tribuere, sicut et Christus ait : Quod superest, date eleemosynam. Ait namque S. Hieronymus : Quidquid amplius quam nobis necessarium est a Deo accepimus, pauperibus erogare debemus ; si autem quod illis deputatum est, nostris cupiditatibus, carnalitatibus ac vanitatibus reservamus, noverimus nos in die judicii rationem inde daturos. Sanctus quoque Gregorius loquitur : Dum indigentibus necessaria ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur.

Luc. XI, 41.

Periculosum est ergo, in vestibus ac ciborum potuumque generibus abundare. Ait enim S. Ambrosius : Numquid iniquus est Deus, ut hominibus tam inæqualiter distribuat subsidia vitæ, et tu quidem sis affluens et abundans, alii autem indigeant? Quomodo ergo tu susceptis Dei muneribus et in usum tuum redactis, nihil te reputas agere iniquum, si subsidia vitæ tam multorum indigentium solus retineas? Quis enim tam injustus et avarus, quam qui multorum alimenta, suum non usum sed abundantiam et delicias facit? Neque enim minoris est criminis habenti auferre, quam quum abundes, indigentibus denegare. Esurientium panis est quem tu detines ; nudorum vestimentum est quod recludis ; miserorum redemptio, pecunia quam abscondis. Tantorum ergo te scias invadere bona, quantis possis et non vis præstare.

Hinc virtuosus et misericordissimus ille Tobias docuit filium suum, dicens : Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere ; ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue ; si parum, etiam parum libenter impertiri stude. Fiducia magna erit apud Deum eleemosyna omnibus facientibus eam. Non ergo dandum est uni tantum, aut paucis, sed omnibus, si adsit facultas : quæ si desit, dandum est verbum bonum, verbum consolatorium et salubre. Danda est autem eleemosyna cum humilitate, ne dans recipientem despiciat, imo se ipso pauperem reputet meliorem ; nec laudem quærat humanam : alioqui plus peccaret superbiendo aut inaniter gloriando, quam mereretur præstando.

Tob. IV, 7, 9, 12.

Ait quoque Chrysostomus : Quum venis ad ecclesiam, munera tecum porta ; da non habentibus, et pete a Deo qui habet, ut oratio tua bonis operibus commendetur : infirma est enim oratio quæ eleemosynarum largitate non est munita, nec aliquid plus valet orationi quam eleemosynarum largitas. Verumtamen, quoniam qui in mortali peccato est, coram Deo spiritualiter mortuus est, nec aliquid agit meritorium, Deoque placitum et acceptum ; qui vult eleemosynas suas Deo placere et sibi ipsi ad salutem proficere, studeat esse in caritate et gratia Dei, hoc est absque culpa mortali. Ideo ait Gregorius : Mundari a peccato in primis debet qui eleemosynam donat, quoniam ab omnipotente Deo munus ex manu non acceptatur quod corde in malitia obligato offertur.

Nec sufficit semper siccum panem dare, sed unusquisque prout potest succurrat pauperibus, etiam potum et ceterorum ciborum partes sive reliquias largiendo ; ac nudos vestiendo, quemadmodum Isaias propheta hortatur : Quum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Item peregrinos ac pauperes hospitando, alendo et repausando. Ponat ergo paterfamilias aut materfamilias pro illis lectum in loco decenti. Atque infirmos visitando, quemadmodum scriptum est : Non te pigeat visitare infirmum ; ex hoc enim in dilectione firmaberis. Et redimendo captivos, præsertim si innocentes sint. Mortuos etiam sepeliendo : cui misericordiæ operi pius Tobias, et S. Hugo, Lincolniensis episcopus, devotissimus Cartusiensis, multique Sancti in novo Testamento, præcipue servierunt.

Is. LVIII, 7. *Eccli.* VII, 39. *Tob.* I, II.

Similiter exercenda sunt spiritualia misericordiæ opera : ignorantes instruendo, præsertim de his quæ necessaria sive utilia sunt ad salutem : Christianum namque

oportet discere quæ ignorat, aut docere quæ novit. Dubitanti quoque bonum consilium dando pro posse, tristes consolando, peccantes corripiendo, injuriantibus ignoscendo; infirmos, imperfectos et graves patienter et caritative portando, sicut ait
Galat. vi, 2. Apostolus : Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. Itemque pro universis tam amicis quam inimicis orando. Quanto etenim bonum est communius, tanto est divinius. Ideo pro communi bono totius Ecclesiæ et patriæ, civitatis quoque et societatis orare, est valde divinum. Et qui sic orat pro omnibus, particeps efficitur meriti omnium. Hinc quilibet vere christianus quotidie debet orare pro unione, pace et reformatione Ecclesiæ, pro tribulationibus et periculis occurrentibus, pro vivis ac mortuis, potissime pro parentibus et propinquis, pro benefactoribus et commissis ac familiariter caris.

Postremo, ad omnia præfata misericordiæ opera exercenda maxime provocare nos debet, quoniam quidquid indigentibus et pauperibus propter Deum impendimus, Christus sibi exhibitum arbitratur, atque tam gratum est ei ac si propriæ suæ impensum esset personæ, sicut in Evangelio
Matth. xxv, 40. loquitur : Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

ARTICULUS XXX.

Qualiter conjugati tempus suum quotidie fructuose ac meritorie expendere debeant.

OMNE tempus nobis a Deo in hoc mundo concessum, ad hoc nobis concessum est, ut in ipso Deo creatori nostro
I Cor. x, 31. serviamus, virtuose vivendo, et universa quæ facimus ad Dei honorem ac gloriam ordinando. Porro opera mechanica, exteriora, manualia, non prohibita, quamvis non sint in se ipsis statim virtuosa, quoniam mala intentione et fine perverso fieri possunt, verumtamen dum fiunt bona intentione et recto fine, ita quod caritas Dei principaliter movet hominem ad ea, tunc sunt virtuosa.

Itaque ad conjugatos primo et maxime pertinet, ut studeant esse et vivere absque peccato mortali, observando divina præcepta et cetera ad quæ tenentur. Et si in aliquam mortalem culpam corruerint, de ea statim pœniteant, et confiteri ac emendare proponant.

Secundo ad conjugatos pertinet, ut omnia opera sua exteriora, mechanica et domestica seu officialia, et similia, faciant bona intentione, et ordinent ad rectum finem, videlicet ad Dei gloriam et honorem, tanquam ad finem principalem, summum ac ultimum, et ad alios fines proximos minus principales, scilicet ad providendum sibi ipsis ac filiis et filiabus aut parentibus de necessariis vitæ, et ad conversandum inter homines pacifice et honeste, vel ad conservandum pacem atque justitiam inter homines, aut ad defendendum patriam, civitatem aut se ipsos ab hostibus, seu ad succurrendum egentibus ac egenis, vel ad faciendum alia opera bona. Sed omnia ista finaliter ordinanda sunt ad gloriam Dei, ut ipse in omnibus et ex omnibus istis laudetur et glorificetur ac honoretur in sempiternum, quemadmodum ait Apostolus : Omne quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia in Coloss. iii, 17.
nomine Domini nostri Jesu Christi agite, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. Si enim Christianus debet Deo servire, oportet quod vivat; et si vivet, oportet quod necessaria habeat; et si illa habebit, oportet quod officia sua exerceat, seu actus illos sine quibus necessaria habere aut percipere nequit. Dum ergo omnia ista ordinantur ad Dei obsequium, gloriam et honorem, tunc omnia sunt virtuosa et meritoria vitæ æternæ : ita quod sicut devotus sacerdos promeretur vitam æternam suas Horas legendo ac celebrando ex caritate, ita agricola arando, segetes colligendo, atque similia faciendo, dummodo ex caritate ad gloriam Dei hæc faciat. Et idem dicendum est de mercatoribus, textoribus,

sartoribus, et similibus, item de judicibus et officiatis : imo manducare et bibere, vestes induere, et similia opera, quando præfato modo fiunt, sunt meritoria.

Tertio ad conjugatos (imo ad universos Christianos) pertinet, ut omni die dum surgunt sive evigilant, dirigant cor suum ad Deum, orando aut salubriter meditando, et cuncta quæ die ipso acturi sunt, ordinent ad gloriam Dei, faciendo sibi rectam intentionem in omnibus, et ita loquantur ad Deum : Ecce, Domine Deus, omnia quæ hoc die facturus sum, ad tuam gloriam ordino, et in omnibus tuum honorem ac meam salutem intendo. Hinc ait *Matth.* VI, 33. Salvator : Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus. Agenda sunt ergo aliqua opera spiritualia, orando, meditando, aut Missam audiendo, antequam ad exteriora et corporalia opera procedatur. In operibus quoque et laboribus exterioribus sæpe est elevanda mens ad Deum per breves orationes et meditationes devotas; et vitanda sunt ibi verba scurrilia atque illicita.

Quarto ad omnem pertinet Christianum, ut omni sero antequam eat dormitum, consideret semetipsum, et conscientiam suam examinet ac perpendat quomodo ipsum diem expenderit, quid boni in ipso omiserit, quid mali commiserit, et tunc oret Deum ex toto corde, ut omnia peccata sua, et specialiter peccata illius diei, sibi indulgeat ; et tunc juxta multitudinem ac magnitudinem peccatorum suorum graviter ingemiscat, cordialiter doleat, confiteri tempore opportuno et satisfacere, seque in omnibus emendare et timoratius custoditiusque habere proponat. Deinde legat aliquas orationes, præcipue aliquoties Pater noster et Ave Maria, et cruce se signet ac Deo commendet, ac lectum introeat, atque ad hoc somnum accipiat, ut viribus resumptis, post somnum aptior ac robustior surgat ad Dei obsequium. In lecto quoque se habeat timorate ; et cogitando de rebus salubribus, præsertim de Christi passione, studeat obdormire. Quacumque

A etiam hora evigilet, statim cor suum levet ad Deum, orando, meditando, gratias referendo. Et si quam culpam in ipsa nocte incurrit, statim quum surgit vel ante pœniteat, veniam deprecetur, et confiteri ac emendare totoque die se in omnibus bene habere proponat.

Quinto ad Christianos singulos pertinet, in his quæ corpori necessaria sunt, scilicet in cibo et potu, in vestitu et somno, moderamen servare, et nequaquam voluptatem, curiositatem, vanitatem aut super-

B fluitatem, sed necessitatem ac utilitatem quærere et optare, sicut ait Apostolus : Habentes victum et quibus tegamur, his *I Tim.* VI, 8. contenti simus. Unde et Christus hortatur : Videte ne graventur corda vestra in crapula vel ebrietate, aut curis hujus sæculi. *Luc.* XXI, 34. Hinc Salomon orat : Duo rogavi te, Deus, *Prov.* XXX, 7, 8. ne deneges mihi : vanitatem et verba mendacia longe fac a me ; mendicitatem et divitias ne dederis mihi, sed tribue tantum victui meo necessaria. Vitanda sunt ergo cibaria et pocula nimis pretiosa et deli-

C cata, et lecti nimium molles.

Postremo, alia multa sunt ad omnem pertinentia Christifidelem, de quibus et tactum est et tangetur ; sed nunc describendum fuit quomodo conjugati tempus suum quotidie expendere debeant virtuose, et in omnibus pariter conversari honeste, caste et sobrie, atque in lecto omnem vitiosam lasciviam ac meretricalem indecentiam devitare, ut juxta doctrinam Apostoli, sit in eis honorabile connubi- *Hebr.* XIII, 4. um et torus immaculatus, sicut præhabi- art. VI.

D tum est.

ARTICULUS XXXI.

Contra vitiosam consuetudinem et carnalem vitam multorum tempus suum quotidie negligenter, damnabiliter miserabiliterque consumentium.

QUUM dicat Salvator, Arcta est via quæ *Matth.* VII, 14. ducit ad vitam, et arcta hæc via non sit aliud quam conversatio pœnitentialis

ac virtuosa, certum est ad Christianum A quemlibet pertinere, ut quotidie opera pœnitentiæ faciat, corpus suum domet, et carnalia desideria frangat, vincat ac fugiat; Deum super omnia toto corde amet, timeat, veneretur et colat; omne tempus sibi concessum fructuose expendat et virtuose, quia in die judicii daturi sumus rationem de omni tempore nobis concesso, qualiter expenderimus illud; nec solum universa peccata mortalia, puta superbiam, invidiam, gulam, luxuriam, avaritiam, iram acediamque, devitet, sed in- B super virtutibus contrariis illis peccatis ornetur ac fulgeat, utputa humilitate, caritate, sobrietate, castitate, liberalitate, mansuetudine alacritateque animi ad divina. Hinc namque, ut ait Apostolus, qui sunt Christi, id est, qui per caritatem et gratiam ad ipsum pertinent, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigunt. Itemque : Si (inquit) secundum carnem vixeritis, moriemini (morte utique æternæ damnationis); si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, vita gratiæ in C præsenti exsilio, et vita gloriæ in regno futuro.

Galat. v, 24.

Rom. VIII, 13.

Ex his certissime constat quam longe sint a via salutis, a vita virtutum, a conversatione veraciter christiana, qui carnaliter vivunt : de mane diu dormientes, deinde Missam corde distracto ac frigido audientes, statim post hoc superfluis fabulationibus et inutilibus actibus occupantur; in prandio quoque se saturantes atque inani lætitia resolventes, et loquacitati vacantes, non obstante quod ait Salvator : D Væ vobis qui saturati estis, væ vobis qui ridetis nunc; et, De omni verbo otioso reddent homines rationem. Rursus post prandium ad ludendum, ad confabulandum, ad potandum conveniunt, et ibidem absque timore Altissimi se ipsos bestiali affectu ingurgitant, risibus vacant, et innumerabilia verba superflua, inutilia, illicita et nociva, interdum etiam detractoria, pungitiva, lasciva, superba, mendosa et contentiosa, diutissime proferunt, jurant, perjurant, taxillant, decipiunt, atque in talibus perdurant pene usque ad cœnam; et tunc rursus se replent, comessationi, potationi, confabulationi, risui variisque carnalibus vacant solatiis, in quibus aliquando valde diu persistunt; sicque absque prævia conscientiæ discussione et sine devotione pergunt ad lectum, ubi lasciviunt, et quamvis matrimonio juncti sint, non tamen se conjugali sed potius adulterino affectu cognoscunt, ex concupiscentia videlicet prædominante : quod, ut dictum est, mortalis est culpa, quum tamen ipsi non reputent hoc peccatum. Et tunc dormiunt tarde, et ad Dei obsequium sunt acediosi; tempusque suum taliter perdunt.

Luc. VI, 25.

Matth. XII, 36.

Art. V, VI.

Ecce hujusmodi homines quantum distant a rigorosa pœnitentialique vita necessaria ad salutem : sequuntur namque desideria sua carnalia. Et quia venialia peccata vitare non student, imo sine mensura ea committunt, ideo in mortalia peccata labuntur. Verissime etenim Salomon loquitur : Qui spernit modica, paulatim decidit. Et denuo ait : Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua, id est, conscientia tua falletur. Unde non diu potest esse sine peccatis mortalibus, qui non sollicite venialia vitat peccata : imo consuetudo venialium mortalis asseritur.

Eccli. XIX, 1.

Ibid. XXVII, 4.

Præterea, carnalis vita tam gulosa et inordinata, etiam corpori maxime nocet, vitam abbreviat, sensus reddit obtusos, naturam gravat, mentem obscurat, et variis vitiis alimenta ministrat. Sed et omnia mala hæc etiam diuturnus efficit somnus : idcirco valde vitandus est. Nam et ipsa acedia mortale peccatum est. Porro sobrietas cibi ac potus et somni vitam facit jucundam, sanam ac longiorem, mentem clarificat, sensum exacuit, atque ad omne bonum disponit ac confert.

Præfata igitur consuetudo est penitus detestanda et relinquenda, et omne tempus fructuose est expendendum. Et quibus vacat post prandium, vadant ad Vesperas ac Completorium; in suis quoque cubicu-

lis vacent Deo in orationibus meditationibusque devotis, et studendo, si docti sunt; *Gen.* xxiv, 63. cum Isaac patriarcha egrediantur in agrum ad meditandum. Ad hæc autem divites et nobiles magis tenentur quam pauperes et laboratores. Nec licet divitibus atque nobilibus in venationibus ac aliis vanitatibus suum tempus, ad pœnitendum concessum eisdem, amittere.

ARTICULUS XXXII.

Contra potatores, ex sacra Scriptura.

Prov. xxiii, 29-32. SAPIENTISSIMUS Salomon ait : Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, quum splenduerit in vitro color ejus : ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et quasi regulus venena diffundet. *Ibid.* xx, 1. Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas; quicumque his delectatur, non erit *Ibid.* xxi, 17. sapiens. Qui diligit epulas, in egestate erit; qui amat vinum et pinguia, non dita- *Ibid.* xxiii, 20, 21. bitur. Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt : quia vacantes potibus et dantes symbola consumentur. — Ecce omnia ista sunt verba Salomonis in libro Proverbiorum : ex quibus docetur quam vitiosa ac fugienda sit assiduitas illa potandi, potissime extra prandium et cœnam. Non enim excusatur a mortali peccato; atque in senibus præcipue vituperabilis damnabilisque consistit.

Is. v, 11. Hinc loquitur Isaias propheta : Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam et potandum usque ad vesperam. Præterea *Eccli.* xxxi, 22, 24, 30, 36-38, 41, 42. in Ecclesiastico scriptum est : Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum, et in dormiendo non laborabis ab illo et non senties dolorem. Somnus sanitatis in homine parco : dormiet usque mane, et anima illius cum ipso delectabitur. Diligentes in vino noli provocare : multos enim exterminavit vinum. Exsultatio animæ et cordis, vinum moderate potatum; sanitas est animæ et corporis sobrius potus. Vinum multum potatum, irritationem et iram et ruinas multas facit. In convivio vini non arguas proximum, et non despicias eum in jucunditate illius; verba improperii non dicas illi, et non premas illum in repetendo. — Omnia ista sunt verba Scripturæ. Et quoniam vinum facit potantes animosos, audaces ac indiscretos, ita quod faciliter irascuntur ac indignantur; idcirco non expedit in potationibus vini debitores multum repetere seu monere, aut potantes arguere.

Postremo, Apostolus ait : Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. *Ephes.* v, 18. Quum ergo lex Christi sit lex totius puritatis ac honestatis, et in vitiis luxuriæ sint maxima turpitudo ac inhonestas, Christiani, qui legem Christi maxime adimplere tenentur, a vino immoderato cavere præcipue debent.

Quemadmodum vere ait Gregorius : Dominante gulæ vitio, omne quod homines virtuose egerunt, perdunt; et dum venter non restringitur, simul cunctæ virtutes obruuntur. Epulas quoque pene semper concomitatur vana jucunditas. Dum etenim corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Ebrietas vero, ut asserit Augustinus, mater est omnium flagitiorum, materia vitiorum, radix criminum, turbatio capitis, subversio sensus, impedimentum loquelæ et gressus, naufragium castitatis, amissio temporis, insania sponte procurata, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis diffamia, animæ corruptela. Sobrietas in feminis ad terram deponit adspectum; ebrietas autem, amisso pudore, inverecunde erigit vultum. Sanctus quoque Ambrosius loquitur : Ebriosus dum vinum absorbet, absorbetur a vino, abominatur a Deo, despicitur ab angelis, deridetur ab hominibus, destituitur a virtutibus, confunditur a dæmonibus. Luxuriosus quoque, sicut et ebriosus, confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damna-

tionem æternam. Nihil etiam est dæmoni- A bus ita amicum sicut ebrietas atque lascivia, ut ait Chrysostomus.

ARTICULUS XXXIII.

Quam decenti, moderato humilique vestitu uti debeant omnes Christifideles, viri ac feminæ.

FREQUENTER legitur contigisse ut sæculi amatores de vestium suarum curiositate et forma a viris sanctis reprehensi, responderint : Deus respicit mentem, B nec ad exteriora attendit. Quibus viri sancti dixerunt : Exteriora ista, signa sunt interiorum : quemadmodum visus incustoditus, incustoditæ mentis exstat indicium, et irrefrenata ac immoderata loquela, vagæ ac intimoratæ mentis est signum; pariformiter curiosus, pomposus et nimium pretiosus atque superfluus vestitus, vani superbique cordis index ac testis est.

Et hoc S. Gregorius probat ex hoc quod pretiosis curiosisque vestibus nullus se C cupit induere ubi a nemine potest videri : quo constat quod ob gloriam vanam talia vestimenta portentur. Item ex hoc quod Christus beatissimum Joannem Baptistam de asperitate, humilitate ac paupertate vestitus collaudat. Idem quoque sanctissimus Joannes Baptista admonuit : Qui habet duas tunicas, det non habenti : hoc est, qui unam tunicam habet superfluam, pauperi tribuat eam. Unde et sancti doctores Ambrosius Basiliusque testantur : Nudorum indumentum est quod recludis aut D super perticam pendes, atque tantorum vestimenta invadis ac retines, quantos de tuis vestibus possis et non vis induere.

Luc. III, 11.

Præterea, princeps Apostolorum Petrus, et Paulus apostolus, in suis Epistolis prohibent feminis vestes pretiosas, pomposas, vane ornatas et curiose formatas. Et secundum B. Gregorium, hujusmodi vestibus uti, major culpa est in viris quam feminis : viri namque feminis debent in omnibus præbere exempla virtutum. Insuper,

I Petr. III, 3; I Tim. II, 9.

ex verbis S. Hieronymi est ostensum, et art. XVII. doctores concorditer id affirmant, quod portantes vestimenta ad carnalem concupiscentiam provocativa, peccant mortaliter, quamvis non portent ea tali intentione, et etiam si nullus ex eis ad vitiosa desideria concitetur. Nam tales venenum propinant et exhibent, sive sit sive non sit qui bibat. Quod autem vestes curiosæ, vanæ, pretiosæ, indecenter formatæ atque pompatice figuratæ, sint ad vitiosam concupiscentiam provocativæ, quid necesse est probare, quod, proh dolor! infelix experientia toties probat quotidie? Itaque, sicut in cibo, potu et somno, ita in vestibus quærenda est necessitas sive utilitas, non voluptas aut vanitas.

Amplius, vestitus correspondere et proportionari debet professioni eorum qui ipso utuntur : sicut videmus quod singuli religiosi speciali utuntur habitu juxta Ordinis sui tenorem professionisque exigentiam. Quum ergo lex Christi, quam omnes Christiani servare professi sunt, sit lex totius humilitatis, sanctæ simplicitatis, spiritualis dilectionis, veræ sapientiæ ac intimæ pietatis, certum est quod universi Christiani debeant tali uti vestitu in quo reluceat, eos qui vestitu illo utuntur, esse cultores et amatores humilitatis, simplicitatis, caritatis, sapientiæ et pietatis, ne unus alium suo vestitu aut ornamento scandalizet, quod est contra caritatem ; et ne ipse vestitus in se ipso curiositatem, vanitatem, pompam aut superfluitatem prætendat, quod est contra humilitatem, simplicitatem ac sapientiam, præsertim quia (ut ait Apostolus) ab omni specie I Thess. V, 22. mala abstinere oportet. Vitiosa ergo atque damnabilis est illa Christianorum novitas, curiositas, pompa ac vanitas in vestitu, in fractillatione, in plicatione, in nimia apertione seu fissura aut brevitate, in pretiositate et superfluitate, ac ornatura aut colorum diversitate. Omnia etenim corporalia sunt ad spiritualia ordinanda. Idcirco utendum est vestibus secundum quod expedit animæ ad proficiendum in caritate

et gratia Dei, ad complacendum Deo, ad A obtinendum salutem æternam. Nec licet Christiano velle inaniter complacere aut delectari in vestibus, sed in virtuosis operibus. Hinc etiam Sarraceni et alii infideles, Christianos propter curiositatem, vanitatem immoderantiamque eorum in vestibus, vehementer derident.

Præterea, princeps Apostolorum beatissimus Petrus scribit, docet ac jubet in I *Petr.* III, 3, 4. prima sua epistola, ut mulierum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut vestimentorum cultus, sed ut B intus in anima virtutibus decorentur. Paulus quoque apostolus scribit et præcipit (I *Tim.* II, 9.) ut mulieres sint in habitu ornato, id est humili ac devoto, cum verecundia et sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro vel margaritis, vel veste pretiosa. Circa quæ verba scribunt doctores, quod circa vestimenta ornamentaque corporis contingit quinque modis peccare. Primo, in pretiositate, quum dicat Gregorius : Nemo putet in usu pretiosarum vestium deesse peccatum. Se- C cundo, in mollitie et suavitate : quoniam tota hominis vita esse debet in pœnitentia et deploratione culparum. Tertio, in speciositate. Quarto, in curiositate. Quinto, in superfluitate.

Verumtamen, secundum doctores, mulieres possunt se exterius competenter ac decenter ornare, ut a suis maritis magis ac pretiose amentur, et ut viros suos ab aliarum mulierum appetitu et adulterio abstrahant, et propter status sui aut viri sui decentiam. Idem dicendum videtur D de viris, quod se licite possint ornare decenter ac moderate ad complacendum suis uxoribus, ne illæ ad viros alios afficiantur. Sed in isto ornatu prorsus servanda est moderantia, ut omnis vanitas, indecentia, curiositas superfluitasque vitentur. Porro quædam sunt feminæ quæ quum in domo sunt cum suis maritis, se ornare non curant, sed potius dum domum egrediuntur : quarum intentio non satis recta videtur.

Postremo, ex dictis patet quam graviter peccent parentes qui filiis suis aut filiabus vestes faciunt curiosas, vanas, pompaticas, pretiosas, superfluas, provocativas ad turpes affectus. Et quidam parentes tam fatui sunt, tamque carnaliter amant filios suos ac filias, quod antequam sciunt quid sit superbia, docent eos superbiam, faciendo eis vestes curiosas, pompaticas, quum tamen teneantur eos in bonis moribus informare atque a vanitatibus cohibere.

ARTICULUS XXXIV.

Quam gravissimum peccatum sit adulterium.

Ut conjugati fidem matrimonialem sibi invicem perfectius servent, breviter tangam quam enorme crimen sit adulterium. Est enim valde multipliciter mortale peccatum. Primo, quum sit fornicatio, vel illicitus concubitus cum non sua vel suo. — Secundo, quia in adulterio committitur furtum, id est subtractio rei alienæ. Vir enim corporis sui potestatem non I *Cor.* VII, 4. habet, sed mulier ; similiter mulier corporis sui potestatem non habet, sed vir. Dum ergo maritus corpus suum propriæ conjugi subtrahit, et alteri feminæ illud communicat et commiscet, furtum committit ; et idem est, si uxor corpus suum alteri præbeat quam suo marito. Et si vir aut uxor faciat istud contra voluntatem sui contoralis non solum occulte, sed etiam manifeste, tunc in adulterio est rapina. — Tertio, quia in adulterio est fractio voti. Vir namque et uxor sibi invicem spondent fidelitatem, qua obligant se non alteri commisceri ; et hæc promissio in adulterio frangitur. Fractio autem voti, ut multi doctores affirmant, est gravius peccatum quam perjurium : et ita adulter est pejor perjuro, similiter adultera. — Quarto, quia adulterium est directe contra justitiam, quum sit violatio fidelitatis quam sibi mutuo conjugati tenentur. —

Quinto, quia in adulterio est sacrilegium, A id est abusus rei sacræ. In sacramento namque Matrimonii vir et uxor benedicuntur ad procreandum prolem in qua cultus Dei et fides christiana augeatur. Dum ergo suis corporibus per adulterium abutuntur, sacrilegium faciunt. — Sexto, quia ex adulterio cum uxore alterius, injustus et falsus in hereditatem succedit. Item, qui alicujus conjugem cognoscit, maximam injuriam facit ejus marito, et maximam inhonorationem filiis ejus ac filiabus, quarum matrem facit adulteram. B
Tob. IV, 16. Facitque alteri quod sibi nequaquam vult fieri.

Hinc inter peccata quæ fiunt in proximum, adulterium post homicidium est unum de maximis gravissimisque peccatis. Quum ergo sit tam multipliciter enormiterque mortale, summe cavendum est ut maritus suæ uxori fidelitatem inviolabiliter servet, sicut vult sibi ab illa servari. Itaque gravissime peccant aliqui viri qui adulteriis suis uxores suas contristant, affligunt et tribulant, nec tamen desistunt. C

ARTICULUS XXXV.

Quam salubre sit confiteri frequenter ac pure.

PECCATUM mortale est læsio animæ, imo et mors ejus, quia per mortale peccatum perdit anima vitam gratiæ, caritatem Dei, et omnes virtutes ac merita præcedentia. Unde quamdiu est homo in mortali peccato, coram Deo spiritualiter D mortuus est. Insuper, sicut per caritatem et gratiam Spiritus Sancti fit anima sponsa Christi, amica et filia Dei, ac heres regni cœlestis ; ita per peccatum mortale fit adultera diaboli, filia perditionis, præda inferni. Peccatum ergo maxime nocet homini. Confessio autem, post Baptismum, est præcipuum remedium contra peccatum : quoniam in confessione vulnera animæ curantur, omnia ejus peccata tolluntur, virtutes redduntur, et homo reconciliatur Domino Deo suo. Hinc saluberrimum est frequenter atque sinceriter confiteri : præsertim quia in confessione sunt multa quæ ad remissionem peccatorum cooperantur et prosunt, videlicet, potestas clavium Ecclesiæ, oratio et absolutio confessoris, pudor et dolor atque humilitas confitentis ; et frequenter contingit ut confitens qui sine vera contritione ac sufficienti dolore ad confitendum accessit, in sua confessione veram contritionem et sufficientem dolorem de suis a Deo acquirat peccatis.

Insuper, ex hoc quod homo raro confitetur, obliviscitur pro magna parte sua peccata, nec ponderat ea, sed induratur, ita quod dum ad confitendum accedit, vix unum de centum attendat ac memoretur. Expedit ergo valde multoties confiteri, videlicet in Adventu et in profestis quatuor festorum aut circiter, in principio quoque jejunii, et in bona hebdomada, atque in festis præcipuis Virginis gloriosæ.

Præterea, antequam homo ad confitendum accedat, primo ad confitendum se præparet, peccata sua diligenter ad memoriam revocando, et gravitatem multitudinemque eorum prudenter pensando, Deumque orando ut dignetur sibi dare gratiam veræ contritionis, salubris confessionis ac integræ emendationis. Deinde ad confitendum accedat corde humili et contrito, et confessori quasi Deo loquatur, universaque vitia sua distincte et plene ac integre confiteatur, cum cordiali dolore et pudore interno quod Deum infinitæ dignitatis ac sanctitatis tam frequenter, tam graviter turpiterque offendit. Tunc etiam exprimat ea quæ aggravant culpam, videlicet tempus et loca, et personas cum quibus peccavit, tamen in generali, non nominando eas, nec aliquid dicendo per quod possint a confessore cognosci, quantum id potest vitari. Exprimere etiam debet pro posse, quam sæpe peccavit, et utrum peccavit ex ignorantia aut fragilitate humana, an ex certa scientia, et ex proposito ac usu perverso, et an post pec-

catum de eo pœnituit, vel an se de peccato suo jactavit. Item, an pœnitentias sibi injunctas bene persolverit. Nam pœnitentia quam facit homo in mortali exsistens peccato, non acceptatur a Deo. Ideo, si quis cognoscit se post confessionem suam ultimam peccasse mortaliter antequam pœnitentiam sibi injunctam complevit, tenetur eam reiterare et recuperare ab eo die quo meminit mortaliter se peccasse.

Conjugati autem specialiter confiteri debent an in actu matrimoniali excesserunt, cognoscendo se ex concupiscentia prædominante (quia tunc esset mortale peccatum), an alio modo, sicut præhabitum est; et an circa filios suos ac filias atque familiam et circa ceteros bene ac juste, an injuste ac negligenter se habuerunt.

art. v, vi.

Postremo, quoniam peccatum est incomparabiliter pejus et vilius ac fugibilius omni damno et corporali incommodo, ideo de peccatis suis debet homo summe dolere, et magis utique quam de aliqua adversitate aut afflictione temporali ac corporali. Et quanto peccata fuerint plura ac graviora, tanto oportet contritionem esse majorem. Maxime namque debet homo dolere quod Deum creatorem ac salvatorem suum, tam infinite bonum, sanctum et gloriosum, quem summe amare ac honorare tenetur, toties ac tam impudenter ac graviter offendit, ejusque beneficiis tam ingratissimus exstitit.

ARTICULUS XXXVI.

Qualiter habere se debeat homo in confitendo.

CORPUS et animam, membra corporis viresque animæ a Deo accepimus ut Deum per hæc omnia honoremus. In primis ergo confiteatur homo qualiter Deum offendit per suos sensus exteriores [et dicat] :

Primo [peccavi] per visum, vana et inutilia libenter adspiciendo, ut choreas, spe-

A ctacula, hastiludia, ludos diversos, atque similia (et talibus consentiendo ac condelectando, fit homo particeps peccatorum illorum, atque frequenter mortaliter peccat) ; item hinc inde vage et incaute circumspiciendo, viros aut feminas libidinose intuendo (quod est grave peccatum) ; et tempore Missæ ac divini Officii ista feci, diebusque sacris et festivis. Cordis quoque superbiam, iram, concupiscentiam, vanitatem et dissolutionem frequenter ostendi per visum, et sic alios scandali-

B zavi, interiora vitia mea foris monstrando ; et aliis variis modis peccavi per visum. Insuper peccavi per auditum, verba vana, scurrilia, mendosa, detractoria, contentiosa, pungitiva, cantus lascivos, inanes, amatorios, symphonias et similia libenter cum delectatione audiendo ; et verba salubria, ac sermones, correptiones et informationes bonas invite audivi. Peccavi quoque per gustum, cibos et potus delicatos avide cum carnali delectatione sumendo ; et per odoratum, in suavitatibus

C odorum carnaliter delectando ; item per tactum, propria membra aut membra et corpus aliarum personarum impudice aut libidinose tangendo, et per hoc me ipsum aliasque personas ad peccata varia ac gravia provocando.

Amplius, peccavi per sensus interiores, vanis phantasiis, turpibus imaginationibus, illicitis cogitationibus immorando, vitiosis affectionibus non resistendo, passiones animæ meæ, videlicet motus sensuales, non frangendo. Peccavi quoque

D multipliciter et innumerabiliter nimis per linguam, mentiendo, obloquendo, jurando et perjurando, aliis convitiando, maledicendo, verba vana, lasciva, frivola proferendo; item cum vana delectatione cantando, et cantus sæculares, inanes, amatorios canendo aut præcinendo.

Præterea, graviter nimis peccavi contra decem præcepta. Primo, quod Dominum Deum creatorem meum non toto corde dilexi, nec timui, non pro posse honoravi ac colui, sed contempsi, ejus præcepta

non advertendo neque implendo, et multa vana atque vilissima, carnalia et caduca ei injustissime ac insipientissime præferendo : sicque creaturis et rebus carnalibus magis quam Deo inhæsi, et propter harum amorem Deum reliqui, contempsi atque oblitus sum. Item inaniter sæpe juravi, et absque reverentia nomen Dei assumpsi ; ac perjuravi scienter et sponte propter aliquod commodum temporale. Dies quoque festivos non debite celebravi, nec divinum Officium pro posse audivi : imo tunc magis peccavi quam ceteris diebus, ludendo, chorizando, potando, gyrovagando, inania intuendo, ac alia diversa vitia committendo. Insuper, parentes meos ac superiores non debite honoravi, eis frequenter inobediens fui. Quando fecerunt aut dixerunt quod mihi non placuit, faciliter et frequenter indignationem et iram contra eos concepi, dure et irreverenter eos affatus sum et adspexi ; et si feci quod mihi injunxerunt, non tamen cum debita promptitudine ac reverentia mentis, sed cum murmuratione, impatientia aut tædio. Bona eorum, labores et sudores, gulose, vane turpiterque consumpsi. Senioribus, sapientioribus, virtuosioribus, religiosis et sacerdotibus reverentiam decentem non impendi. Præterea, alios læsi in corpore vel in fama ; aut quocumque modo percussi eos, consilio vel auxilio ; vel læsioni eorum pro posse meo non restiti ; vel aliquorum mortem seu læsionem optavi, vel inde gavisus sum. Item aliorum bona furatus sum aut retinui ; et debita male persolvi, ita quod alii inde damnum incurrerunt ; et parentibus meis aliqua occulte subtraxi. Peccavi quoque per vitia carnis, et per testimonium falsum, atque per hoc damnum aliis intuli. Desideravi etiam aliquorum uxores aut opes, et vitiosæ concupiscentiæ non restiti debito modo. Sed et præceptis Ecclesiæ non obedivi, jejunando in certis temporibus sicut præceptum est.

Præterea, peccavi in septem peccatis mortalibus. Primo, per superbiam, ma- A gnum me reputando, laudem et gloriam temporalem optando, de donis et beneficiis Dei inaniter gloriando, quasi illa a me ipso, non a Deo, haberem. Vanam complacentiam habui in me ipso, alios sprevi ac temere judicavi ; et quando me laudari audivi aut novi, inaniter delectabar, quamvis false laudabar. Item superbivi, et aliis me prætuli, ac jactavi me de nobilitate, de opulentia, pulchritudine, ingenio, prudentia, eloquentia, multitudine amicorum ac propinquorum, atque potentia sæcula- B ri, aut fortitudine corporali, seu dignitate officii. Fui quoque superbus in verbis, me ipsum laudando, præsumptuose et jactanter loquendo, scientiam meam ostentando, de rebus altis libenter loquendo ut sapiens reputarer, propria vitia excusando, alios inordinate, invidiose aut mendaciter accusando, aliis despectorie aut injuriose loquendo. Fui item superbus in factis et operibus meis, superbe eundo, et curiose me vestiendo. Increpantibus et informantibus me fui ingratus, molestus C et durus ; atque aliis modis diversis magis quam possum exprimere, per superbiam Deum offendi.

Præterea per invidiam Deum offendi, aliis mala optando, de illorum prosperitate tristando, et de eorum adversis gaudendo, ipsisque detrahendo, et alios ad ipsorum odium inducendo, seu ipsos cum aversione ac nausea inspiciendo, atque de ipsis cum prava affectione cogitando.

Insuper peccavi per iram, irrationabiliter irascendo, pro parva injuria magnam D vindictam inferendo, vel inferre optando aut inferri procurando ; et nimis excessive fui sæpe commotus, ita quod ratio mea totaliter excæcabatur, et tanquam brutum ac stultus me habui, perturbationisque signa foris ostendi, atque per hoc alios scandalizavi ac perturbavi. Sed et contra irrationalia et inanimata et contra superiores meos commotus per iram fui, furore et impatientia sæpissime plenus exstiti. Ex ira quoque in diversa vitia lapsus sum, scilicet : in læsionem et contumeliam, dif-

famationem ac detractionem maledictionemque aliorum, in revelationem secretorum, imo in manifestationem eorum quæ in fide accepi celanda (quod est mortale peccatum, nisi propter bonum commune manifestare talia oporteret); item in murmurationes, juramenta atque perjuria.

Amplius, peccavi per avaritiam, bona terrena superflue appetendo, congregando ac retinendo, videlicet plus quam mihi ac meis necesse aut utile est quoad Deum ac veram salutem, et filiis filiabusque meis temporalia cupiendo, colligendo ac reservando plus quam eorum conditioni aut statui congruit. Ex avaritia quoque in diversa lapsus sum vitia, scilicet : in dolos, furta, mendacia, perjuria, violentias et rapinas ; et in emendo ac vendendo alios defraudavi, male et tarde persolvi ; indigentibus mutuare negavi, aut sub usura concessi ; aliorum bona optavi ; ludos illicitos et lucrosos exercui, et ad eos alios quoque induxi ex affectu lucrandi ; aliis ablata et male acquisita non restitui, nec in pios usus converti.

Præterea peccavi per acediam, quia ad Dei obsequium fui piger et negligens, opusque Dei cum tædio et irreverentia feci. Pœnitentias mihi injunctas aut non aut imperfecte et absque contritione persolvi. Missas et alia divina Officia ac sermocinationes, quum mihi satis vacavit, non audivi, præsertim in festis juxta præceptum Ecclesiæ : imo tunc intentus fui ludis, potationibus, trufis, aliisque diversis peccatis. Valde diu mansi in lecto, sicque divina neglexi, et tempus mihi concessum infructuose ac vitiose consumpsi.

Insuper peccavi graviter atque sæpissime, imo quotidie pene, per gulam : cibum et potum superflue capiendo, horam comedendi ac potandi præveniendo, nimis diu in mensa sedendo, pretiosa et delicata cibaria sumendo, delectationem in cibis et potibus, non solam naturæ necessitatem, quærendo. Post prandium et cœnam immoderate potavi ; vana, illicita, detractoria verba tempore comestionis et pota-

A tionis locutus sum ; per inanem lætitiam animum relaxavi ; per crapulam ad opera bona ineptum me feci ; somnolentiam incidi in divinis, et tempore divini Officii obdormivi ; ad vitia carnis me provocavi ; tempus miserabiliter expendi ; et ante refectionem cibo ac potui non benedixi, nec post refectionem gratias legi.

Amplius, peccavi per luxuriam : cogitatione immunda, affectione lasciva ; verbis scurrilibus, provocatoriis, libidinosis, fallacibus ; osculis, tactibus, amplexibus,

B ac aliis blandimentis carnalibus ac meretriciis gestibus. Opere quoque in hoc peccato excessi : per simplicem fornicationem, per meretricium, per adulterium, per stuprum (quod est violatio virginum), per sacrilegium (quod est concubitus personæ religiosæ aut in sacris ordinibus constitutæ, vel cum personis hujusmodi), per incestum (qui est concubitus cum persona consanguinea aut affini, aut legali cognatione propinqua), aut cum propria conjuge modo prohibito me miscendo (ut dictum art. v, vi.

C est), vel per peccatum contra naturam (quod fit pluribus modis, ut alibi legitur). Item non solum in vitiosam carnis copulam, sed in ipsam quoque veneream delectationem consensi (quorum utrumque est peccatum mortale). Insuper, cogitando, adspiciendo, palpando, tangendo, loquendo, osculando et amplectendo, in me ipso et in aliis personis stimulationem inflammationemque carnis, concupiscentiam sensualitatis aut pollutionem vitiose ac lamentabiliter provocavi. Et dum aliquid ta-

D le in corpore meo sensi, non statim a talium causis, videlicet osculis, tactibus, amplexibus, imaginationibus, adspectibus, confabulationibus, me retraxi, sed morose, periculose, insipienter ac turpiter immoratus sum talibus. Alias quoque personas ad prætacta peccata induxi, imo inducere plures ac plures optavi quam potui. Nec solum peccavi ex vehementia passionis atque humanæ fragilitatis, verum etiam ex proposito, et usu ac habitu vitioso ; et substantiam meam taliter de-

voravi : sicque levis fui ac procax in verbis, petulans et lascivus in oculis, inquietus in membris, mente inconstans. Præfata etiam vitia commisi temporibus sacris et festis, ut in Quadragesima, in Adventu, feria sexta, die dominica, quando specialiter a talibus est cavendum ; et cito postquam communicavi, et antequam pœnitentiam mihi injunctam complevi. Item de perpetratis peccatis non statim pœnitui, sed me de ipsis jactavi. Atque in Missa ac divino Officio in ecclesia feminas libidinose adspexi, et concupivi etiam maritatas ac virgines, et earum adspectibus me objeci, ut ab eis appeterer ac eis placerem ; ibi eis arrisi, et si attendi me ab eis adspici, gloriabar : sicque animam meam aliorumque animas interfeci. Et infinitis fœditatibus ac peccatis ego vilissimus sum pollutus.

Hæc autem scripsi pro memoriali, non quod aliquis debeat de istis in confessione se dare culpabilem, nisi in quantum conscientia sua redarguit eum. Quum vero quis dubitat an in hoc vel illo culpabilis sit, quamvis non debeat affirmare se esse culpabilem, sed dubitanter confiteri, de hoc ita tamen se debet ad emendationem et satisfactionem exponere, quasi certive sit reus : hoc namque securius est.

ARTICULUS XXXVII.

Quomodo conjugati et omnes parochiani habere se debent circa suum pastorem aut ejus vicarium; et quod oblationes ac decimas fideliter ac libenter persolvere debent.

PASTORES suos et eorum vicarios parochiani diligere debent præcipue, cordialiter honorare, et obedienter audire, tanquam custodes et curatos animarum suarum, et in spiritualibus rebus magistros ac patres : sunt enim mediatores inter Deum et sibi commissos, quia orando, celebrando, docendo, hortando, corripiendo, sacramenta ministrando, procurant salutem gregis sibi crediti. Hinc jubet

A Apostolus : Obedite præpositis vestris et subjacete illis ; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Et iterum ait : Rogamus vos, fratres, ut noveritis eos qui præsunt vobis et monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate. Christus quoque in Evangelio ait suis vicariis, aliorum pastoribus : Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit. Nec proni sint parochiani ad judicandum temerarie suum pastorem aut ejus vicarium, sed facta eorum, quantum rationabiliter possunt, interpretentur in melius. Quod si evidenter culpabiles fuerint, tamen in quantum sunt Dei vicarii, et prælati ac sacerdotes et confessores, sunt honorandi, et obtemperandum est informationibus et præceptis eorum in his quæ ad eorum officium pertinent. De talibus namque ait Salvator : Quæcumque dixerint vobis facite, secundum vero opera eorum nolite facere.

Hebr. XIII, 17. — I *Thess.* V, 12, 13. — *Luc.* X, 16. — *Matth.* XXIII, 3.

Insuper parochiani oblationes et decimas solvere obligantur ex divino præcepto, et ex ordinatione Ecclesiæ. Nam et ratio dictat ut hi qui pro bono communi mancipati sunt cultui Dei, et spiritualia exhibent plebi, necessaria vitæ a plebe accipiant. Oblationes ergo et decimas parochiani libentissime et devote solvant. Primo, quia præceptum est, et nisi id faciant, salvari non possunt. Imo tanquam sacrilegi damnabuntur, quoniam ea quæ tenentur spiritualibus patribus suis, ministris Ecclesiæ, sibi injuste reservant : unde et furti sunt rei. Secundo, quoniam copiosa et multiplex est remuneratio eorum qui oblationes ac decimas fideliter solvunt. Prima est temporalium rerum multiplicatio ; secunda est sanitas corporalis ; tertia est remissio peccatorum ; quarta est beatitudo et gloria regni cœlestis. Porro eorum qui decimas et oblationes non solvunt, quadruplex exstat punitio. Prima est temporalis penuria, seu terræ sterilitas totalis aut partialis ; secunda est corporalis infirmitas ; tertia, peccatorum retentio ; quarta, æterna damnatio.

Præterea Gregorius Papa ait : Omnis Christianus curet ad Missarum solennia aliquid Deo offerre. Sed istud non est præceptum, si intelligatur de oblatione quotidiana exteriori, sed consilium : quoniam decet et salubre atque consultum est, ut fideles quibus adest facultas, quotidie aliquid offerant Deo ad altare tempore Missæ. Nec depauperabitur aliquis inde, sed corporaliter spiritualiterque ditabitur.

ARTICULUS XXXVIII.

Informatio pertinens ad principes ac dominos temporales, et ad judices, scultetos, scabinos, ac ceteros in officiis constitutos.

OMNES potestates, prælationes, dignitates atque officia populi christiani, sunt servitutes potius quam dominia : quoniam ordinantur ad utilitatem communitatis ac subditorum, non ad propria commoda superiorum. Hinc summus prælatus Ecclesiæ, scilicet Papa, vocat se servum servorum Dei. Præsidentes ergo et judices ac officiati non debent in suis præsidentiis et officiis quærere propria commoda, honores et lucra, sed communem utilitatem ac pacem subditorum, ut subditi ducant vitam prosperam et tranquillam in omni pietate atque obsequio Dei, nec unus alteri injurietur, sed inter omnes justitia conservetur.

Ex dictis etiam patet, quod præsidentes et officiati nequaquam debent se super alios per superbiam elevare, sed potius servos quam dominos subditorum suorum se reputare. Ideo ait Scriptura : Rectorem te posuerunt? noli extolli : esto in illis quasi unus ex ipsis ; curam illorum habe, et sic considera. Itemque : Quanto major es, humilia te in omnibus, et invenies gratiam coram Deo : odibilis enim coram Deo et hominibus est superbia. Itaque superiores et officiati nullum debent per potentiam opprimere, neque injuste contristare sive affligere, nec spoliare aut injusta servitute gravare, sed caritative et pie atque humiliter ad subditos se habere, nihilo minus rigorem justitiæ cum discretione servare et exercere, dum causa requirit.

Eccli. XXXII. 1, 2.

Ibid. III, 20 ; X, 7.

Insuper, principes ac domini temporales ceterique in officiis constituti, ex hoc quod aliis præsunt eosque judicare et corrigere habent, tenentur præ ceteris esse virtuosi, justi, honesti, prudentes, discreti et exemplares, ita ut in judicando, Deum semper præ oculis habeant, et justitiam servent, nec propter consanguinitatem, nec propter amorem aut odium, nec ex timore humano, neque ex avaritia, nec propter munera, a veritate et æquitate recedant, sed omnibus rectum judicium faciant. Judicare namque est actus justitiæ, qui dirigi debet discretione prudentiæ. Idcirco justitia atque prudentia præcipue ad superiores et judices officiatosque pertinent : quorum est avaritiam fugere et munera detestari, quia (ut sanctus Moyses protestatur) munera excæcant oculos etiam sapientium, et mutant verba justorum. Ideo quoque superiores esse virtuosi et justi tenentur, quia (ut sancti Doctores affirmant) qui in magnis peccatis sunt, judicare sine peccato non possunt eos qui in minoribus sunt peccatis : imo qui in aliquo magno peccato est, judicare non potest alium de eodem peccato, nisi forsan judicandi necessitas immineret, et de suo peccato pœniteret, confiteri ac emendare proponens.

Deut. XVI, 19.

Postremo, qui aliis præsunt, debent singulariter esse timorati, et divinum semper formidare judicium, quum sint a Deo rigorosius examinandi atque districtius judicandi, quemadmodum in libro Sapientiæ scriptum est : Judicium durissimum in his qui præsunt fiet ; et, Potentes potenter tormenta patientur. Hinc devotus rex Josaphat dixit judicibus populi sui : Videte quid faciatis. Non enim hominum exercetis judicium, sed Domini ; et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cun-

Sap. VI, 6.

Ibid. 7.

II *Par.* XIX, 6, 7.

cta facite : non est enim apud Dominum A Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, neque cupido munerum.

Pertinet quoque ad principes et dominos temporales, ut non nisi viros justos atque prudentes in officiis ponant ; et si officiatos suos agnoverint vitiosos, admoneant eos ut se emendent : quod si non emendaverint se, ab officiis suis eos deponant. Et quoniam omnem Christianum oportet esse timoratum ac humilem, nullus debet ad officia adspirare : quia hoc esset ambitio, et quia periculosum est in B officiis esse et aliis præsidere. Certum est etiam, quod qui injusto judicio alicui damnum infert, ad restitutionem tenetur ; nec dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

ARTICULUS XXXIX.

Qualiter homo juste habere se debet in emendo atque vendendo.

QUÆRI potest, an liceat aliquid carius C vendere aut vilius emere quam valet, et an teneatur ad restitutionem qui fecerit hoc. Ad hoc doctores ita respondent : Fraudem adhibere per verba aut facta ad hoc quod res plus pretio justo vendatur, omnino illicitum est et peccatum, quia per hoc homo decipit proximum suum in damnum ipsius. Ideo Tullius asserit : Tollendum est ex rerum contractibus omne mendacium. — Si autem fraus desit, tunc de emptione et venditione possumus loqui dupliciter. Primo, secundum se : sicque emptio et D venditio introductæ sunt pro communi utilitate ementis et vendentis, dum unus indiget re alterius, et econtra. Porro, quod pro communi utilitate inductum est, non magis debet esse in gravamen aut damnum unius quam alterius, sed servanda est ibi æqualitas, ut utraque pars servetur indemnis. Valor autem rei attenditur penes pretium quod pro ea datur. Idcirco, si pretium excedat quantitatem valoris rei, aut econtra, aufertur æqualitas justitiæ. Hinc carius vendere aut vilius emere quam res valet, est secundum se injustum atque illicitum, considerata tamen qualitate loci ac temporis, quoniam aliquid plus valet in uno loco unoque tempore quam alio loco et tempore. Secundo possumus loqui de emptione et venditione, prout per accidens cedit in utilitatem unius et detrimentum alterius : sicut dum unus multum indiget re aliqua, et alius damnum incurrit si careat re illa. Et tunc justum pretium erit non solum juxta valorem rei secundum se, sed etiam juxta damnum quod venditor ex rei venditione incurrit : et sic licite potest aliquid vendi plus quam valet secundum se, non tamen plus quam valet habenti. Si vero emptor multum juvetur ex re alterius, et venditor non damnificetur ex venditione ipsius, non debet nec sine peccato potest eam supervendere : quia utilitas quæ emptori accrescit, non est ex vendente, sed ex conditione ementis ; nullus autem vendere debet propria auctoritate quod non est suum, quamvis vendere possit damnum quod patitur. Et idem dicendum est, si venditor multum juvetur ex re emptoris, et emptor non damnificetur carendo re sua : quia tunc emptor non debet rem vilius emere quam valet. Idcirco illicite agunt negotiatores divites qui a pauperibus emunt pannos vel similia vilius absque proprio damno, quanquam pauperes pecunia indigentes pro minori dent pretio : nam cupiunt res suas vendere quantum valent.

Verumtamen, secundum leges humanas, licet emendo ac vendendo decipere, dummodo non ultra dimidiam justi pretii partem hoc fiat. Lex namque humana respicit alium finem quam lex divina, videlicet pacificam hominum conversationem ad invicem, et datur communitati, in qua multi sunt imperfecti. Ideo lex humana prohibere non potest quidquid est contra virtutem, sed ea quæ impediunt pacificam hominum mutuam conversationem ; alia autem quasi licita habet, non quia approbat ea, sed quia non punit ipsa, quemad-

modum meretricium et usuras. Si vero ultra dimidiam justi pretii partem emptor et venditor se mutuo fallant, lex humana ad restitutionem compellit fallentem. Porro lex divina nil vitiosum admittit, nec impunitum relinquit. Ideo, si in emptione et venditione non servetur æqualitas justitiæ, ille qui plus justo habet, tenetur ad restitutionem ei qui damnum perpessus est, si sit notabile damnum : quod ideo dico, quoniam justum pretium rerum non est semper punctualiter certum aut certitudinaliter determinatum, sed potius in quadam hominum æstimatione consistit, ita quod modica additio vel minoratio non videtur tollere æqualitatem justitiæ. In hoc tamen unusquisque examinet conscientiam suam, et faciat alteri ut sibi vult fieri. *Matth.* VII, 12.

Præterea, venditio est injusta propter defectum rei venditæ, sive defectus sit in natura seu specie rei, ut si vendatur aurichalcum pro auro; sive defectus sit secundum mensuram rei, ut si vendens utatur minori mensura aut fraudulenter mensuret ; sive defectus sit secundum qualitatem, ut si vendat quis animal ægrum pro sano. Et quemcumque horum defectuum venditor in re sua cognoverit, peccat vendendo, si vendat quasi res sua non sit taliter defectuosa, et ad restitutionem tenetur emptori. Si autem ignorat defectum hujusmodi in re sua, non peccat vendendo, quia non intendit decipere ; sed postquam cognoverit, tenetur recompensare damnum emptori. Et quod dixi de venditore, etiam de emptore est tenendum. Venditor namque interdum putat rem suam viliorem esse quam est : ut si aurum æstimet aurichalcum. Et si emptor hoc noscit, tenetur id dicere venditori : et si aliter emit, injuste emit, atque ad restitutionem tenetur.

Insuper, venditor tenetur emptori dicere defectum seu vitium rei venalis. Alias daret ei occasionem damni sive periculi : damni, si propter vitium rei nihil de pretio minueret ; periculi, si propter vitium A rei usus ejus sit impeditus aut noxius : ut si pro equo veloci vendat equum tardum, aut domum ruinosam pro forti. Verumtamen, si defectus rei sit manifestus, ut si equus sit monoculus, vel usus rei quamvis non sit utilis venditori, possit tamen utilis esse aliis, et venditor subtrahat de pretio quantum congruit ; tunc non tenetur manifestare defectum rei vendendæ : quoniam propter defectum illum emptor forsitan vellet plus quam justum est de pretio subtrahere. Ideo venditor licite potest suæ in- B demnitati providere, vitium reticendo. — Istud dicunt doctores communiter. Verumtamen mihi videtur quod etiam in hoc casu tutius atque salubrius sit vitium rei manifestare. Imo hoc mihi necesse videtur, si emptor ex simplicitate vel inexperientia aut inadvertentia defectum rei non advertat neque consideret, et si venditor hoc perpendat : aliter non faceret alteri sicut vellet fieri sibi.

Deinceps quæri potest, an liceat negotiando aliquid carius vendere quam em- C ptum est. Ad hoc respondent doctores, quod ad negotiatores pertinet commutationibus rerum insistere. Commutatio autem est duplex. Una est quasi naturalis et necessaria vitæ humanæ, per quam fit commutatio rei ad rem, vel rerum ac denariorum, propter vitæ necessitatem : et talis commutatio seu venditio non pertinet proprie ad negotiatores, sed magis ad œconomos vel politicos, qui habent providere domui vel civitati de necessariis vitæ. Alia est commutatio denariorum ad denarios, vel D quarumcumque rerum ad denarios, non propter res necessarias vitæ, sed propter lucrum quærendum : et hæc ad negotiatores proprie pertinet, et juste vituperatur, si intentio negotiantis quiescat in lucro : tunc enim cupiditati deservit. Sed si lucrum ordinetur a negotiatore ad finem necessarium aut honestum, ut ad sustentationem sui ipsius aut pertinentium ad se, vel ad succurrendum pauperibus, vel ad bonum commune, si civitati aut patriæ necessaria desint ; tunc negotiatio licita

est, dummodo moderatum lucrum quæratur, et res carius non vendatur quam valet ubi et quando venditur.

Hinc negotiatio est de numero officiorum quæ raro et vix sine peccato fieri possunt. Propter quod ait Scriptura : Negotians difficile a peccato * exuitur. Augustinus etiam ait : Negotiator avidus acquirendi, pro damno blasphemat, pro pretiis rerum mentitur atque perjurat ; sed hæc vitia hominis sunt, non artis, quæ sine his vitiis agi potest. Negotiator ergo ad hoc quod absque peccato multiplici suam exerceat artem, indiget gratia speciali, et nisi fuerit multum timoratus ac justus, non evadet laqueos inimici. Sed, heu ! multi sunt nimis intimorati, qui Deum præ oculis non habentes, plus dolent de damno pecuniæ quam de peccatis et periculis animæ suæ, similes insensatissimis illis hominibus de quibus in libro Sapientiæ legitur : Æstimaverunt lusum esse vitam nostram, et conversationem vitæ ad lucra esse compositam, et oportere undecumque acquirere. Quidam namque tam in urbibus quam in villis, etiam in parvis rebus ac parum valentibus, emendo atque vendendo fraudes diversas multaque vitia variis modis miserabiliter valde committunt ; qui pro modico lucro animam suam habent venalem, et peccant contra præceptum Christi, dicentis : Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.

Eccli. XXVI, 28. — * negligentia — *Sap.* XV, 12. — *Matth.* VII, 12.

ARTICULUS XL.

Quibus et quando ac qualiter sit restitutio facienda.

SANCTUS Augustinus aliique doctores concorditer asserunt : Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Et capitur tunc restitutio pro redditione rei quæ injuste ablata est. Est ergo necessarium ad salutem restituere sic ablata pro posse. In aliquibus tamen, sicut in mutilatione et homicidio, non potest idem restitui neque

A æquivalens, sed sufficit quod recompensetur et satisfiat quantum possibile est juxta dictamen prudentium, considerata conditione utriusque personæ secundum judicium virorum proborum.

Præterea, qui alium diffamavit, falsum dicendo de eo et injuste, tenetur illi restituere famam suam, dicendo se false et injuste esse locutum. Qui autem alium diffamavit vera dicendo de eo, non tamen juste et ordinate, sed ex mala radice, videlicet ex ira aut invidia, et prava inten-
B tione, non ex amore justitiæ, tenetur illi restituere famam, non ita ut dicat se falsa de illo dixisse, sed quod injuste et inordinate de illo locutus sit ; et si non potest illi restituere famam, debet ei in aliis recompensare. Porro qui alium diffamavit vera dicendo, et ex caritate vel justitia, scilicet propter bonum commune, vel propter salutem peccantis, crimen illius ordinate prodendo, ad restitutionem famæ non obligatur. Et est valde vitiosum, diffamare aliquem falsa dicendo, aut vera dicendo ex
C mala radice.

Præterea, interdum non sufficit restituere simplum quod ablatum est, sed etiam damnum quod alter perpessus est ex dilatione restitutionis [est restituendum]. Et similiter, qui tempore suo debita non persolvit, tenetur creditori satisfacere de damno quod passus est ex mora persolutionis : quia si pecuniam suam habuisset, lucrum fecisset cum ea. In his tamen casibus non oportet restituere totum damnum quod alter perpessus est ex dilatione præfata :
D quia a lucro suo poterat multipliciter impediri. Ideo restitutio damni hujusmodi facienda est secundum discretionem prudentium, considerata conditione personarum et dispositione negotiorum.

Si autem is cui restitutio est facienda, sit omnino ignotus, dandum est pro anima ejus, sive obierit, sive vivat, præmissa tamen diligentia pro ipsius persona. Si vero sit mortuus cui restituendum erat, dandum est ejus heredibus. Et si sit multum distans aut captus, transmittendum

aut deportandum est ei, si congrue fieri A possit : alioqui reservandum est pro eo in loco securo.

Amplius, dum multi alicui sua tollunt, et unus eorum illi plenam restitutionem fecit, alii non tenentur aliquid plus restituere illi, sed refundere ei qui plenam restitutionem peregit.

Præterea quæri potest, an etiam illi qui non acceperunt rem alterius, teneantur ei ad restitutionem. Ad hoc respondent doctores, quod homo tenetur ad restitutionem non solum propter hoc quod rem B alienam abstulit, sed etiam propter actionem injuriosam. Idcirco quicumque est causa injustæ acceptionis, ad restitutionem tenetur : ut qui inducit alium ad injustam acceptionem præcipiendo, consentiendo, consulendo, laudando, opem præbendo, aut accipientem hospitando; vel quia non impedit acceptionem injustam, quum possit ac debeat; vel quia occultat dum revelandum est. Et quod dictum est, hominem teneri ad restitutionem propter consensum, intelligendum est de consensu C illius sine cujus consensu acceptio injusta non fieret. Similiter propter adulationem et consilium tenetur homo ad restitutionem, dum probabiliter æstimari potest quod ex suo consilio vel adulatione acceptio injusta fuerit subsecuta. Principes quoque ex quorum negligentia et defectu raptores aut latrones increscunt in terra, tenentur spoliatis in terra sua ad restitutionem, quoniam redditus principum sunt quasi stipendia pro principibus instituta, ut pacem atque justitiam servent D in terra.

Postremo, quemadmodum contra justitiam est rem alienam accipere contra voluntatem domini rei, ita injustum est eam contra voluntatem domini detinere : quia per hoc dominus rei impeditur ab usu ejus, sicque detentor rei facit injuriam domino rei, quod est peccatum. Quum igitur nulli liceat in peccato manere, constat quod homo tenetur statim restituere vel dilationem rogare. Hinc etiam patet quam culpabiles sint, præcipue divites, qui aliis, potissime indigentibus, debita non persolvunt.

ARTICULUS XLI.

De ludis et jocis, qualiter liciti vel illiciti sint ; et quid fieri debeat de lucratis per ludum.

SICUT homo non potest continue corporales exercere labores, ita nec spiritualibus exercitiis potest semper insistere: ideo, sicut indiget corporali repausatione, ita et animæ recreatione. Hinc ludi et joci, si sint honesti ac moderati, et recta fiant intentione, atque ex bona radice, non ex cupiditate, gulositate aut simili vitio, liciti sunt. Circa quos tria præcipue sunt cavenda. Primum, ut recreatio talis non quæratur in verbis aut factis turpibus vel nocivis. Secundum, ne gravitas et custodia cordis nimium resolvantur per levitates et risus atque cachinnos. Tertium, ut ludus sit conveniens personæ, loco et tempori. Si ergo in ludo et joco ista non observentur, illiciti sunt. Unde si in eis assumantur verba aut facta turpia, aut juramenta prohibita, seu perniciosa mendacia, tunc in ludis et jocis est mortale peccatum : quod etiam interdum contingit propter vehementiam affectionis ad ludum, ita quod homo contra præceptum Dei aut Ecclesiæ ludere non recuset.

Præterea, quæ per ludum acquiruntur, sunt bona injusta atque illicite acquisita, quando ludus ipse illicitus est : præsertim si ex parte lucrantis illicitus sit. Et tunc ita illicitus est, dum ex desiderio lucrandi quis ludit : tunc enim est ibi cupiditas. Et talis ludus diebus festivis magis exstat illicitus. Quum enim illis diebus non liceat per approbata officia quidquam lucrari, nec tunc lucrandi affectum habere, minus hoc licet per hujusmodi ludos. Porro, si ludus sit licitus, et ludens non lucrum sed moderatam recreationem intendat, atque indifferens sit an lucretur an perdat, et

tamen lucretur; dicunt nonnulli, quod A lucrum sic acquisitum, non sit illicite acquisitum. Qui autem desiderio lucri alium trahit ad ludum, vel ad continuationem ludi inducit, quum alias a ludo cessasset, et qui fraudulenter ludit, aut se ludi ignarum ac simplicem fingit quum tamen decipere intendat, ad restitutionem tenentur. Non tamen restituendum est amissori qui alium traxit ad ludum aut fraudem commisit ludendo, quia recipere est indignus; sed pauperibus est eroganda talis pecunia. B

Insuper, ludus taxillorum seu aleæ specialiter vituperatur ac prohibetur : quia fortunæ innititur, et est exspoliatio proximi multipliciterque nocivus. Est enim in ludo illo affectus lucrandi : ecce avaritia. Secundo est ibi voluntas spoliandi proximum re sua : ecce rapina. Tertio est ibi usura maxima, non solum in anno uno, sed etiam in eadem die. Quarto est ibi abundantia mendaciorum, et otiosorum inaniumque verborum. Quinto est ibi blasphemia Dei. Sexto est ibi corruptio mul- C tiplex adstantium et intuentium ludum illum. Septimo est ibi scandalum bonorum. Octavo ibi est contemptus præcepti Ecclesiæ, quæ ludum illum prohibuit. Est etiam ibi amissio temporis, et omissio multorum operum bonorum; item, provocatio ad iram, inflammatio ad furorem, casus ad impatientiam, dissipatio propriarum facultatum, consumptio paternarum hereditatum, depauperatio filiorum. Nec potest homo per ludum illum aliquid licite lucrari, nec lucrata servare. Et quamvis multa D perdiderit taxillando, nihilo minus omnia quæ sic lucratus est, restituere seu in pios usus convertere obligatur. Nec semper restituendum est amissori, nisi lucratus sit homo ab his qui rem suam alienare non possunt, ut sunt minores ætate et furiosi, etc., vel ab his quos traxit ad ludum, vel ludendo decepit, submittendo falsos taxillos, aut veros male ac fraudulenter jactando, aut mendaciter asserendo quod obtinuit, aut male numerando pecuniam.

Postremo, quum ludi liciti sint pro recreatione animæ, certum est quod his qui diebus ferialibus magnos et frequentes habent labores, magis liceat ludere moderate diebus festivis, quam his qui pene quotidie vacant, et suas recreationes habent etiam amplius quam necessarium sive expediens eis exsistat.

ARTICULUS XLII.

De aliquibus documentis sacræ Scripturæ pertinentibus ad omnes Christianos.

QUALIS debeat esse conversatio cujuslibet Christiani, Paulus apostolus in multis locis Epistolarum suarum sapientissime docet, inter cetera dicens :

Obsecro vos ut digne ambuletis vocatio- *Ephes.* IV, 1-3.
ne qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Verita- *Ibid.* 15.
tem autem facientes in caritate, crescamus in Christo. Hoc igitur dico et testificor in *Ibid.* 17-19.
Domino, ut jam non ambuletis sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, qui tradiderunt semetipsos impudicitiæ, in operationem immunditiæ. Vos autem re- *Ibid.* 23-27.
novamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. Irascimini, et nolite peccare; sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Omnis sermo malus *Ibid.* 29-32.
ex ore vestro non procedat, sed qui bonus est ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus; et nolite contristare Spiritum Sanctum. Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor tollatur a vobis cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.

Estote ergo imitatores Dei sicut filii ca- *Ibid.* V, 1-6.

rissimi, et ambulate in dilectione, sicut et A Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis Deo Patri oblationem et hostiam in odorem suavitatis. Fornicatio autem et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis : B
Ephes. v, 8-11. sed ut filii lucis ambulate in omni bonitate et justitia et veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo ; et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum,
Ibid. 15, 16. magis autem redarguite. Videte itaque quomodo caute ambuletis : non quasi insipientes, sed ut sapientes ; redimentes
Ibid. 18-21. tempus, quoniam dies mali sunt. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria ; sed implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in C cordibus vestris Deo, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi Deo Patri, subjecti invicem
Ibid. vi, 10, 11. in timore Dei. De cetero, confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.

Rom. xii, 14, 16-21. Benedicite persequentibus vos ; benedicite, et nolite maledicere. Id ipsum invicem sentientes ; non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, nulli malum pro D malo reddentes, providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes ; non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim : Mihi committite vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, potum da illi. Noli vinci a malo, sed vince in
Ibid. xiii, 7, 8. bono malum. Reddite omnibus debita. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.

Nihil agatis per contentionem, neque *Philipp.* ii, 3, 4, 14, 15.
per inanem gloriam, sed per humilitatem superiores sibi invicem arbitrantes ; non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum. Omnia autem facite sine murmurationibus, ut sitis sine querela et simplices filii Dei. Et per caritatem servite *Galat.* v, 13-16.
invicem. Omnis enim lex in uno sermone impletur : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini. Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Non efficiamur inanis glo- *Ibid.* 26.
riæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. Etsi præoccupatus fuerit homo *Ibid.* vi, 1, 2.
in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.

Insuper, sacratissimus princeps Apostolorum Petrus ait : Carissimi, obsecro vos *I Petr.* ii, 11, 1.
tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, deponentes omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et detractiones. Estote unani- *Ibid.* iii, 8.
mes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti et humiles. Sobrii *Ibid.* v, 8, 9.
estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide.

Joannes quoque apostolus loquitur : Qui *I Joann.* ii, 10, 11.
diligit fratrem suum, in lumine permanet; qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in *Ibid.* 15-17.
mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Dei in eo : quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Et mundus transit et concupiscentia ejus ; qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Videte qualem caritatem *Ibid.* iii, 1

dedit nobis Deus Pater, ut filii Dei nomine- A
Joann. III, mur et simus. In hoc cognovimus carita-
5-18. tem Dei, quoniam ille pro nobis animam
suam posuit : et nos debemus pro fratri-
bus animas ponere. Qui habuerit substan-
tiam hujus mundi, et viderit fratrem suum
necesse habere, et clauserit viscera sua ab
eo, quomodo caritas Dei manet in illo?
Non diligamus verbo neque lingua, sed
Ibid. IV, 1. opere et veritate. Nolite omni spiritui cre-
dere, sed probate spiritus si ex Deo sint.
Ibid. 9-12. In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quo-
niam Filium suum unigenitum misit Deus B
in mundum, ut vivamus per eum. In hoc
est caritas, non quasi nos dilexerimus
Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.
Carissimi, si Deus sic dilexit nos, et nos
debemus alterutrum diligere. Si diligamus
Ibid. 16. invicem, Deus manet in nobis. Deus cari-
tas est; et qui manet in caritate, in Deo
Ibid. 19, 20. manet, et Deus in eo. Nos ergo diligamus
Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Si
quis dixerit, Diligo Deum, et fratrem suum
oderit, mendax est. Qui enim non diligit
fratrem suum quem videt, Deum quem C
Ibid. V, 3. non videt, quomodo potest diligere? Hæc
est autem caritas Dei, ut mandata ejus
custodiamus.

Ecce ex his beatissimorum Apostolorum doctrinis innotescit quam caritativa, pia, justa et humilis, quam mansueta, modesta et patiens, quam virtuosa, casta, timorata, simplex et exemplaris debeat esse conversatio Christianorum.

ARTICULUS XLIII.

De eadem materia ex divina Scriptura; et quod vita electorum in hoc mundo tentationibus ac tribulationibus plena est, et quam patienter ac fortiter habere se debeat homo in eis.

II Tim. III, 12. APOSTOLUS ait : Omnes qui volunt pie
vivere in Christo, persecutionem pati-
Act. XIV, 21. entur; et rursus : Per multas tribulationes
oportet nos intrare in regnum Dei. Deus
namque omnipotens, justus ac sapiens,
electos suos in hac vita per adversitates,
infirmitates, tentationes et tribulationes
purgat a peccatis præteritis, et liberat a
præsentibus, et retrahit ac præservat a ma-
lis futuris. Hinc in adversitatibus, tribula-
tionibus ac divinis castigationibus gau-
dendum est, et cum omni patientia et
gratiarum actione sunt tolerandæ : præ-
sertim quia præcipuum signum dilectionis
Dei ad hominem et prædestinationis ejus
est, quod hominem in hac vita corripit et
castigat. Ipse etenim protestatur ac loqui-
tur : Ego quos amo, arguo et castigo. Ideo Apoc. III, 19.
Salomon ait : Disciplinam Domini, fili mi, Prov. III,
ne abjicias, et ne deficias quum ab eo 11, 12.
corriperis : quem enim diligit Dominus
corripit, et quasi pater in filio complacet
sibi. Et rursus ait Scriptura : Beatus homo Job V, 17, 18.
qui corripitur a Domino : increpationem
ergo Domini ne reprobes, quoniam ipse
vulnerat, et medetur; percutit, et manus
ejus sanabunt. Unde angelus Raphael di-
xit Tobiæ : Quia acceptus eras Deo, neces- Tob. XII, 13.
se fuit ut tentatio probaret te.

Primum ergo remedium in omni tribulatione, tentatione et infirmitate, ad habendum patientiam atque ad resistendum diabolo, est considerare multiplicem fructum, salutem et utilitatem provenientem homini ex adversitatibus, tribulationibus et tentationibus, dummodo patienter sustineat fortiterque tentationibus suis resistat : quia per ista, ut tactum est, purgatur a vitiis, gratiamque acquirit, in virtutibus proficit, unigenito Filio Dei, beatis martyribus ac ceteris Sanctis in hoc mundo mul-
D tipliciter tribulatis conformatur, a futuris
suppliciis liberatur, ad cœlestem beatitu-
dinem maxime appropinquat, æternæque
gloriæ promeretur augmentum. Propterea
devota illa Sara dixit ad Dominum : Hoc Ibid. III, 21.
pro certo habet omnis qui colit te, Domine
Deus, quia vita ejus, si in probatione fu-
erit, coronabitur; si autem in tribulatione
fuerit, liberabitur; et si in correptione
fuerit, ad misericordiam pervenire lice-
bit. Hinc quoque sanctus apostolus Jaco-
bus loquitur : Beatus vir qui suffert tenta- Jacob. I, 12.

tionem, quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se; et iterum : Omne gaudium existimate quum in diversas tentationes incideritis.

Jacob. I, 2.

Secundum remedium est, ut homo in omni tribulatione et tentatione ac qualibet adversitate diligenter attendat passionem Christi, quam acerbissimam et ignominiosissimam mortem pro nobis perpessus est. Quum ergo servus non sit major domino suo, debemus et nos exemplo Domini nostri Jesu Christi libenter aliquid pati.

Joann. XIII, 16.

Tertium remedium est, in omni tribulatione et tentatione Deum cordialiter invocare, cum omni fiducia et perseveranter, ut gratiam patientiæ, et virtutem resistendi tentationibus, ac relevamen atque continuam protectionem conferre dignetur, sicut ipse in Psalmo hortatur : Invoca me in die tribulationis; eruam te, et honorificabis me. Ideo ait Apostolus : Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum.

Ps. XLIX, 15. *I Cor.* X, 13.

Quartum remedium est, ut homo profunde attendat, quod omnes electi Dei in hoc mundo varias ac graves tribulationes et tentationes perpessi sunt : imo communiter quanto fuerunt magis electi et dilecti a Deo, tanto plura sustinuerunt in hoc mundo, ut patet in Apostolis atque martyribus. Ideo Paulus apostolus exhortatur : In disciplina perseverate. Quis enim filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri et non filii estis. Hinc ait Scriptura : Omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles; qui autem tentationes non susceperunt in patientia et in timore Dei, exterminati sunt.

Hebr. XII, 7, 8. *Judith* VIII, 23-25.

Quintum remedium est, sapienter advertere quod omnes tribulationes vitæ præsentis, quantumcumque magnæ videntur, tamen nullius momenti sunt comparatione infernalium tormentorum, aut etiam pœnarum purgatorii, a quibus per tribulationes has liberamur.

Et si quis tentetur a spiritu fornicationis, statim avertat se ab inspectu et cogitatione eorum quæ concupiscentiam pariunt, atque ad alia salutaria se convertat, infernalesque pœnas bene consideret ac formidet, imo earum jugi memoria cor suum respergat, et Deum semper præ oculis habeat. Hoc namque omni Christiano esse debet præcipua causa virtuose vivendi et omnia peccata vitandi, quoniam in conspectu omnipotentis Dei, judicis summi omnia intuentis, considerantis ac judicantis, cogitat, loquitur et operatur quidquid cogitat, loquitur et operatur. Propter quod sanctus David loquitur Deo : Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Unde qui in præsentia altissimi, sanctissimi et superdignissimi Dei, vitiose, inique et turpiter agere audent, maximam ei irreverentiam faciunt : ideoque justo Dei judicio æternam damnationem merentur.

Ps. CXVIII, 168.

Itaque, dum Christianis tribulationes, persecutiones, damna aut vulnera ab hominibus inferuntur, non mox ad indignationem, iram et impatientiam debent moveri, neque invidiam contra injuriatores concipere aut tenere, sed æquanimiter ferre, animabus injuriantium condolere, quia peccando se ipsos gravissime lædunt, atque ad minus culpam eis dimittere, satisfactionem vero et pœnam non nisi secundum ordinem juris expetere. Ideo ait Salvator : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.

Matth. V, 44.

ARTICULUS XLIV.

Quomodo Christiani habere se invicem debent in verbis.

QUUM in Evangelio dicat Salvator, Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis; constat quod omni homini volenti Deo placere atque æternam damnationem evadere, valde necessarium sit linguam propriam refrenare. Si enim

Matth. XII, 37.

Matth. xii, 6. de omni verbo otioso danda est ratio, A quanto magis de verbis mendosis, detractoriis, scurrilibus, deceptoriis, contumeliosis et nocivis?

Præterea, sicut ex verbis caritativis, piis, modestis et reverenter prolatis multa bona sequuntur; ita ex verbis irrationabilibus, pungitivis, duris, improperiosis, derisoriis ac superbis multa mala nascuntur. Qui ergo vult inter homines amicabiliter atque pacifice conversari, sit moderatus, pius ac circumspectus in verbis suis, nullum provocando, nulli detrahendo, convi- B tiando, superbe aut dure loquendo. Tamen parentes possunt sobolem suam seriose ac dure (dum opus est) increpare.

Prov. xv, 1. Hinc Salomon ait: Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furo- *Ibid.* iv, 24. rem. Detrahentia labia procul sint a te. *Ibid.* xvi, 21. Dulcis eloquio majora reperiet. Hinc iterum ait Scriptura: *Eccli.* vi, 5. Verbum dulce multi- *Ibid.* viii, 1, 4, 19. plicat amicos et mitigat inimicos. Non litiges cum homine potente, nec cum homine linguato; cum iracundo non facias *Ibid.* vii, 15. rixam. Noli verbosus esse in multitudine C *Ibid.* xix, 5, 7. presbyterorum. Qui odit loquacitatem, exstinguit malitiam; ne iteres verbum du- *Ibid.* xx, 13. rum et nequam. Sapiens se ipsum in verbis amabilem facit.

Prov. xiii, 3, 10. Insuper Salomon loquitur: Qui custodit os suum, custodit animam suam; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Inter superbos semper sunt jur- *Ibid.* xvi, 28. gia. Homo perversus suscitat lites. Qui alio *Ibid.* xvii, 9. sermone repetit, separat fœderatos. Sicut *Ibid.* xxv, 28. urbs patens et absque murorum ambitu, ita homo qui non potest in loquendo cohi- D *Ibid.* xxix, 11. bere spiritum suum. Totum spiritum suum profert stultus, sapiens differt et reservat *Ibid.* x, 19. in posterum. In multiloquio non deerit *Eccli.* xx, 8. peccatum. Ideo rursus ait Scriptura: Qui multis utitur verbis, lædit animam suam. *Ibid.* xxviii, 22. Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sicut qui interierunt per linguam suam. *Ibid.* 15. Susurro et bilinguis maledictus: multos enim turbavit pacem habentes. Porro qui tota die potationibus et confabulationibus vacant, innumerabilia incurrunt peccata.

ARTICULUS XLV.

Qualiter quilibet Christianus quotidie habere se debet in meditando et orando, ac audiendo divinum Officium.

QUONIAM Dominus noster Jesus Christus pro omnibus nobis crucifixus est, dignum et justum est, et gratitudo id exigit, ut quilibet Christianus quotidie saltem semel passionem Christi recogitet, et quanta Salvator mundi pro nostra salute B assumpsit, fecit ac pertulit, devote ac diligenter attendat, et gratias ei agat, virtutes quoque quas Christus in sua passione monstravit, fortiter fideliterque sequatur. Attendat igitur Christianus qualiter Rex cœlorum, unicus Filius Patris æterni, universorum Creator, pro nostra redemptione factus est homo, natus ex humili ac paupere virgine, et conversatus est inter homines in omni paupertate, humilitate, patientia, pietate et dilectione, graves ac varias persecutiones, detractiones, irrisio- C nes atque blasphemias a Judæis perpessus. Deinde ab eis est captus, ligatus, alapis *Matth.* xxvi, xxvii; *Luc.* xxii, xxiii; *Joann.* xviii, xix. cæsus, consputus, oculis velatus, judici præsentatus, falsissime accusatus, nudatus, flagellatus, spinis coronatus, arundine cæsus, blasphematus, alba veste derisus, patibulo adjudicatus, ad mortem propriis humeris crucem bajulans ductus, inter latrones suspensus, cum impiis deputatus, manibus et pedibus diris clavis crudelissime pœnalissimeque perfossus, toto corpore violentissime distentus, turpissima et D amarissima morte occisus. Hæc omnia cordialiter sunt pensanda. Singulariter vero considerandum est cum qua ardentissima caritate, summa patientia, profundissima humilitate, plenissima obedientia, pro nobis Christus ista sustinuit. Idcirco Christi exemplo discamus etiam inimicos diligere, sicut ipse in cruce pendens pro *Luc.* xxiii, 34. crucifixoribus suis oravit; adversa patienter tolerare, in omnibus humiles obedientesque esse.

Præterea ad omnem pertinet Christia-

num quotidie ponderare quam incerta, fallax et brevis sit vita ista, et se quotidie ad mortem disponere, atque attendere quo-
Hebr. IX, 27. modo statim post mortem oportet nos ju-
Ibid. X, 31. dicari a Deo, et quam horrendum sit incidere in manus Dei viventis, et exspectare ab eo sententiam æternæ damnationis vel æternæ salvationis; item sapienter pensare quam intolerabilia et gravissima sint inferni supplicia : quam profundus, tenebrosus, horrendus ac fœtidissimus sit locus infernalis; quam intolerabilissimus sit dæmonum adspectus; quanta desolatio, ululatio, desperatio sit in inferno; quam horribile frigus sit ibi, quam calidissimus et supercalidissimus ignis, et qualiter dam-
Job XXIV, 19. nati ibunt a summo calore ad maximum frigus, et econtra, in sempiternum. Cogitet unusquisque quam grave ac intolerabile sibi esset per unam horam jacere in fornace ardenti. Quomodo igitur poterit æternaliter sustinere infernale incendium, quod tam ineffabiliter calidius atque pœnalius est omni igne terreno? Dicunt quoque doctores, quod damnati non tantum affliguntur ab igne illo æterno, imo nec post diem judicii tantum affligentur ab illo in corpore, quantum indesinenter affliguntur in mente ex hoc quod sciunt et cogitant se in illa miseria æternaliter permansuros. Amplius, attendendum est quam gravis et vehemens sit purgatorii pœna, quæ omnia mundi hujus supplicia valde excedit. Idcirco libentissime pati debemus adversa et aspera in hac vita, ut in purgatorio minorem ac breviorem pœnam sustineamus.

Præterea quilibet Christianus quotidie debet perpendere quam magna et ineffabilis sit beatitudo et gloria Sanctorum in regno cœlorum, videlicet : Deum sublimem et benedictum æternaliter clare ac jucundissime intueri, ejus immensa bonitate atque dulcedine sine fine ad libitum frui, de tanta felicitate æternaliter esse securum; videre etiam humanitatem Filii Dei, gloriosissimam virginem Mariam, omnes angelos sanctos, et universos Beatos,
A Patriarchas, Prophetas, Apostolos, martyres, confessores ac virgines. Certum est quod quanto aliquid est pulchrius, tanto delectabilius est illud adspicere; et quanto est dulcius, tanto jucundius est illo frui : quam inæstimabilis ergo felicitas et gloria est, Deum, qui prorsus infinitæ pulchritudinis est, clare conspicere, eoque frui, cujus bonitas ac dulcedo nullam habet mensuram nullumque finem? Consideret itaque quilibet Christianus quam stultum, perversum ac miserum sit, propter hujus brevis-
B simæ ac incertissimæ vitæ honores, delectationes atque divitias, æternalem illam summam et ineffabilem beatitudinem perdere, et ultra hoc, infernalem illam perpetuam calamitatem ac pœnam acquirere.

Insuper, quoniam omnes in sæculo isto maximis periculis sumus expositi, atque in medio laqueorum ac hostium ambulamus, et undique tentationibus implicamur, ad omnia mala ac vitia proni, et ad opera bona tardi, nec propriis viribus valemus
C hostibus nostræ salutis resistere, neque divina præcepta implere, imo auxilio gratiæ Dei incessabiliter indigemus, incerti *Eccle.* IX, 1.
etiam sumus an digni simus amore an odio, et an in æternum damnabimur; hinc debemus semper esse custoditi ac timorati, et Deum frequentissime ac ferventer invocare et exorare ut infinitam pietatem et gratiam suam in nobis monstrare dignetur, et nos in omnibus gubernare, confortare et conservare non cesset, felicemque finem concedat. Denique, quoniam melius
D et salubrius est pauca verba orationum cum intellectu et attentione proferre, quam multa sine intellectu et advertentia, utilius est ut indocti legant Orationem dominicam, scilicet, Pater noster, etc., in materna lingua, quam in Latino.

Postremo, in divino Officio, præsertim in Missa, debent Christiani cum magna reverentia in præsentia Dei stare, et devote ac custodite se coram omnipotente Creatore habere, et ipsum intente ac fervide invocare atque laudare, et infinitæ miseri-

cordiæ ejus se humiliter commendare. Non ergo tunc hinc inde vage adspiciant, nec quasi in foro deambulent, nec confabulentur, nec pigri sint, nec ante finem divini Officii sine necessitate egrediantur. Verbumque Dei diligentissime audiant ; et pro se invicem, pro tota Ecclesia, pro vivis ac mortuis, pro parentibus, propinquis, benefactoribus et commissis fideliter orent. Ad laudem et gloriam Regis regum et Domini dominorum, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS LIBRI DE LAUDABILI VITA CONJUGATORUM.

DE LAUDABILI VITA VIDUARUM

PROŒMIUM

EO *quod castitatem amaveris, et post virum tuum alterum nescieris, ideo manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in æternum.* Judith xv, 11.

Hæc verba scripta sunt de inclyta, virtuosa atque famosa illa vidua Judith. In quibus verbis castitas vidualis sublimiter commendatur : quia per eam vidua illa electa promeruit in tantum divinitus confortari, quod potentissimum ac crudelissimum illum principem Holofernem cunctis hominibus invincibilem, vicit ac interfecit, eumque vincendo, universum populum suum Israeliticum de morte et maximis tribulationibus liberavit, et de gravissima desolatione atque penuria ad cordialissimam consolationem ac omnium rerum victui necessariarum abundantiam grandem perduxit. Hinc a pontifice suo et universis sacerdotibus ejus meruit hac laude extolli : Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi tui, quia fecisti viriliter et confortatum est cor tuum. Insuper vidua illa Judith per suam continentiam vidualem meruit benedictionem æternam a Deo, videlicet multiplicem gratiam in hoc mundo, beatitudinemque completam in cœlo. Omnes quoque viduæ in novo Testamento illius sequentes vestigia, merentur desuper confortari per gratiam, virtutes ac dona Spiritus Sancti, ita quod erunt æternaliter benedictæ, laudabiles ac beatæ, dummodo in continentia viduali fideliter ac devote perseveraverint usque in finem. Præterea, sicut clarissima illa Judith vidua suæ merito castitatis Holoferni prævaluit, sic imitatrices ejus devotæ jam viduæ per suam castimoniam merentur (auxiliante Deo) prævalere diabolo, per Holofernem signato.

Judith II, 4 et seq. ; XIII, 10.

Ibid. XV, 10, 11.

Ut ergo quæ nunc viduæ sunt, in viduitatis suæ statu ac continentia constantius ac devotius perseverent, hæ quoque quæ nondum suis maritis privatæ sunt, vidualis castimoniæ amorem propositumque concipiant (non quod suorum virorum debeant mortem optare, hoc namque mortale esset peccatum et vitium pessimum, sed sub conditione, utputa si eas contigerit suis supervivere viris), aliquid in præsenti tractatulo de vita et virtutibus viduarum, in quantum Spiritus Sanctus præstiterit, scribam, etiam aliquarum venerabilium ac devotarum viduarum spirituali ac speciali amore inductus ad hoc, præsertim quia et duas habeo secundum carnem sorores nunc viduas, in viduitate persistere intendentes.

DE LAUDABILI VITA VIDUARUM[1]

ARTICULUS PRIMUS.

De triplici castitate, et comparatione earum ad invicem.

UNIGENITUS Filius Dei, Dominus noster Jesus Christus, virgo ac virginis filius, puritatis ac castitatis doctor, amator ac copiosissimus præmiator, in Evangelio loquitur : Semen cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. In quibus verbis per semen intelligitur verbum Dei, hoc est doctrina Christi seu prædicatio salutaris. Porro per terram bonam intelligitur cor humanum docile verboque Dei obediens. Per fructum vero intelligitur spiritualitas quædam seu puritas, id est profectus exsurgens et crescens in homine ex hoc quod verbum Dei intra se suscipit et ei obedit. Hæc autem spiritualitas est castitas, hoc est continentia sive abstractio a concupiscentiis delectationibusque carnalibus, per quas homo præcipue impeditur a contemplatione et amore divinorum ac spiritualium atque cœlestium.

Matth XIII, 8; *Luc.* VIII, 8.

Hæc quoque continentia triplex est : una, qua homo vitat delectationes carnales vitiosas, divina lege prohibitas, temperate se habens circa copulam illam carnalem ejusque delectationem. Et hæc est castitas conjugalis eorum quorum (juxta doctrinam Apostoli) honorabile exstat connu- A bium et torus immaculatus : quoniam fidem conjugalem sibi invicem servant, et non nisi propter causas honestas ac licitas uniuntur, videlicet desiderio prolis habendæ ad Dei obsequium educandæ, in qua fides et christiana religio augeantur, vel propter debitum reddendum, aut causa incontinentiæ in contorali vitandæ. Alia est castitas qua homo se abstrahit a vinculo maritali copulaque carnali ad tempus et post comparis mortem : et ista est castitas vidualis. Tertia est castitas qua homo a B carnalibus delectationibus se totaliter abstrahit per totum spatium vitæ suæ propter Deum, hoc est ex Dei amore, ad ejus honorem, propter felicitatem æternam : et hæc est castitas virginalis. Prima castitas designatur per fructum tricesimum ; secunda, per fructum sexagesimum ; tertia, per fructum centesimum. Unde ostenditur quod castitas vidualis castitati conjugali secundum duplam præeminet quantitatem : nam sexagenarius numerus ad tricenarium est duplus. Porro castitas virginalis etiam viduali C continentiæ amplius eminet ac præfulget, quemadmodum centum plus excedit sexaginta, quam sexaginta triginta.

Hebr. XIII, 4.

Quamvis autem sacra Scriptura et sancti Doctores, loquendo de castitate viduali, non videantur explicite loqui de ea nisi prout competit feminis contorali privatis, nihilo minus castitas ista etiam viris uxore privatis ac continentibus competit. Estque

[1] Ex editionibus Coloniæ, Joannis Soteris, 1532, et Joannis Birckmanni Junioris, 1559.

in eis commendabilis, virtuosa ac meritoria non minus quam in viduis ; sed quantum ad aliquid, magis. Quemadmodum ergo castitas virginalis et conjugalis, ita et vidualis convenit viris.

ARTICULUS II.

Cur castitas vidualis in novo Testamento commendetur et consulatur.

TOTA perfectio hominis consistit in hoc, ut a rebus terrenis, temporalibus atque carnalibus, ad spiritualia, æterna ac divina se transferat; et creaturis transcensis ac derelictis, ad Deum creatorem suum se elevet, illi adhæreat, illum super omnia diligat, timeat, quærat, cogitet, contempletur ac veneretur. Hinc tota Christi doctrina in Evangelio tradita ac descripta, ordinatur ac tendit ad hoc, ut Deo glorioso et sancto pura mente adhæreamus, eumque toto corde amemus. Ab hac autem puritate et spirituali Divinitatis amore, atque cœlestium ac spiritualium meditatione, plurimum impeditur homo per delectationes carnales, et varias occupationes curasque et inquietudines statui matrimoniali conjunctas.

Hinc castitas vidualis laudatur, et ab apostolo Paulo consulitur : quoniam viduæ et etiam viri non uxorati caste viventes, aptiores sunt ad cordis munditiam, ad Dei amorem, ad divinorum meditationem, ad spiritualem profectum et mentis quietem in Deo, quam conjugati. Etenim mens humana tanto integrius, ferventius itemque sincerius diligit Deum, quanto ejus affectio minus effunditur, occupatur et dispergitur seu partitur circa sensibilia, carnalia et caduca. Conjugati quoque solent se invicem carnali amore diligere : per quod a spirituali dilectione non mediocriter impediuntur. Interdum etiam male concordant, et contra se displicentiam grandem concipiunt ; sicque rixantur, et cum tædio pariter vivunt, ac tandem se mutuo odiunt : per quæ omnia a Deo et ab omni spirituali

I Cor. VII, 8.

A profectu ac gratia retrahuntur. Vidualis itaque castitas commendatur, non quia matrimonium malum sit, sed quia castitas ista melior est atque salubrior, majorem a Deo mercedem suscipiens, dummodo viduæ in ceteris se habeant sicut tenentur, ut infra dicetur.

Præterea, quanto plùs occupatur sollicitaturque homo in his quæ sunt mundi et carnis, tanto minus sollicitus est quomodo serviat atque complaceat Deo. Ideo status vidualis tanto laudabilior est statu conju-B gali, quanto minus indiget occupari et sollicitari circa carnalia et mundana.

Postremo, quamvis secundæ nuptiæ sint licitæ, non tamen sunt ita honestæ ut nuptiæ primæ, quia frequenter concupiscentia incitat ad eas ; nec sunt tam perfecte sacramentales ut nuptiæ primæ, quia non plene repræsentant conjunctionem Christi atque Ecclesiæ, quum in eis sit divisio carnis, non conjunctio unici indivisi cum unica, sicut Christus est unicus sponsus unicæ suæ sponsæ Ecclesiæ. Unde in se-C cundis nuptiis non adhibetur benedictio sicut in primis : quod tamen, ut sanctus asserit Thomas, intelligendum est, quando nuptiæ sunt secundæ tam ex parte mariti quam conjugis, vel ex parte conjugis tantum. Si enim virgo contrahat cum illo qui aliam habuit conjugem, nihilo minus nuptiæ benedicuntur. Nam quamvis Christus habeat unicam sponsam Ecclesiam, in ipsa tamen Ecclesia sunt plures personæ sibi spiritualiter desponsatæ, videlicet omnes in caritate et gratia exsistentes. Sed anima D non potest esse alterius sponsa quam Christi : quoniam cum dæmone fornicatur, nec cum illo habet matrimonium spirituale. Idcirco, dum mulier secundo nubit, nuptiæ non benedicuntur, propter sacramenti defectum. Et quantum ad hoc, magis decet mulierem non nubere secundo quam virum : quia in ea secundæ nuptiæ specialiter habent quamdam turpitudinis speciem, eo quod careant honestate significationis in primis nuptiis exsistentis, qua unio Christi et Ecclesiæ designatur.

Sent. IV, dist. XLII, q. III, a. 2.

ARTICULUS III.

De documentis Apostoli ad viduas pertinentibus.

I Tim. v, 3. AD Timotheum scribens Apostolus, ait : *Viduas honora quæ vere viduæ sunt,* id est, vidualiter vivunt, videlicet virtuose, secundum regulam subsequentem.

Ibid. 4. *Si qua autem vidua filios* seu filias *aut nepotes* aut neptes *habet,* præsertim sibi cohabitantes, *discat primum domum suam regere,* id est suam familiam, scilicet filios, filias, nepotes aut neptes, ceterosque domesticos, laudabiliter gubernare, instruendo eos in bonis moribus atque virtutibus, et dum culpabiles sunt, increpando et corrigendo, ac corporaliter illos alendo pro posse. Discat quoque *mutuam vicem reddere parentibus,* id est, parentibus suis (si vivunt) grata exsistat, eos honorando, et (si indigeant) necessaria pro viribus eis ministrando. Filii enim ac filiæ tenentur parentibus suis obedientiam, reverentiam, et necessariorum provisionem dum egent : imo, ut Aristoteles loquitur, Deo et parentibus non potest reddi æquivalens, id est plena atque sufficiens gratiarum actio, ac beneficium tantum quantum ab illis collatum est.

Ibid. 5. *Quæ autem vere vidua est, et desolata,* id est viri solatio destituta, seu etiam filiorum et filiarum consolatione privata, et mundi gaudiis carens, aut a suis contempta, *speret in Deum,* id est, divinæ misericordiæ innitatur, et consolationem ac confortationem ab ipso requirat, mentem suam semper in Deo humiliter figens ; *et instet obsecrationibus et orationibus die ac nocte,* id est, omni tempore opportuno invocet Deum devotissime ac ferventer, ut se a malis præservet, a peccatis eripiat, et donis gratiæ suæ adimpleat, atque ad

Ibid. 6. sempiternam felicitatem perducat. *Nam quæ in deliciis est,* id est, vidua quæ carnales et mundanas consolationes habet, amat ac recipit, delicate se nutriendo, in ludis, jocis, risibus ac similibus vanitati-

A bus excedendo, *vivens, mortua est :* quia corporaliter vivens vita naturæ, spiritualiter mortua est in anima, carendo vita gratiæ ac virtutum, ita quod nihil Deo placitum seu vitæ æternæ meritorium operatur, quum sit in peccato mortali. Qui enim Galat. v, 24.
sunt Christi, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigunt, ut ait Apostolus. Qui iterum protestatur : Si secundum Rom. VIII, 13.
carnem vixeritis, moriemini, morte utique damnationis æternæ.

Et hoc præcipe viduis, o Timothee, *ut* I Tim. v, 7.
B *irreprehensibiles sint,* id est exemplares in omnibus, sine mortalibus peccatis vivendo, a venialibus quoque pro posse diligenter cavendo. Ex hoc patet, quod ad viduas specialiter pertinet se in omnibus mature, facete, timorate, devote ac custodite habere, quemadmodum scriptum est de Judith vidua, quod non fuit qui verbum Judith VIII, 8.
malum loqueretur de ea.

Insuper, in epistola ad Corinthios aliquid scribit Apostolus ad viduas pertinens. Ibi etenim ait : *Dico autem non nuptis, et* I Cor. VII, 8.
C *viduis: Bonum est illis si sic permaneant,* scilicet in castitate absque vinculo conjugali. Cujus causam assignat, dicendo : *Mulier innupta,* id est vidua, *et virgo, cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu ; quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Ibid. 34.

Docet quoque Apostolus, ut viduæ *juniores* et conjugali vinculo aptæ, *si non se continent, nubant,* ne fornicationis incidant vitium. *Melius est enim nubere quam* I Tim. v, 14; I Cor. VII, 9.
D *uri,* id est quam ardore libidinis æstuare ac agitari, seu vinci et inquinari.

ARTICULUS IV.

De diversitate viduarum ; et quod non omnibus viduis iidem actus conveniunt, neque æquale præmium pro continentia viduali.

VIDUARUM quædam tam mariti quam prolis solatio sunt privatæ, ita quod nec filium habent nec filiam : et istæ ma-

jorem habent libertatem vacandi Deo et actibus virtuosis, quam illæ quæ sobolem habent, præsertim si soboles illa nondum sit emancipata. Vidua ergo quæ filios habet aut filias, non solum tenetur ad actus statui viduali convenientes, sed etiam ad quosdam actus conjugatorum, videlicet ad opera matris. Quomodo autem pater et mater habere se debent circa sobolem suam
Cf. p. 70 B' et s. atque familiam, in alio scripsi opusculo : quæ brevitati nunc studens non repeto, nisi parum tangendo.

Itaque vidua mater sobolem suam non carnali sed spirituali diligat semper amore ; nec de exterioribus et temporalibus bonis plus appetat ei quam expedit saluti animæ prolis suæ, videlicet competentiam secundum status et conditionis suæ qualitatem atque decentiam. Non ergo immoderate occupetur neque superflue sollicitetur qualiter suam sobolem ditet, vel ad magna et alta promoveat ; sed quanto anima est corpore dignior, tanto plus occupetur et spiritualiter sollicitetur ne filii sui aut filiæ Deum offendant, et ne spiritualibus ac internis divitiis (hoc est, caritate et gratia Dei, virtutibus et donis Spiritus Sancti, virtuosis et exemplaribus operibus) careant. Idcirco quotidie oret fideliter ac ferventer pro eis, committatque eos Deo et providentiæ ejus paternæ, ut ipse sit pater, provisor atque protector et rector ipsorum. Insuper hortetur eos ad opera virtuosa, ad frequentandum ecclesiam, præsertim ne per incontinentiam Deum offendant, neque per alias impietates, fraudes ac vanitates mundanas ; et si excesserint, caritative ac juste corripiat eos, ac pro posse castiget.

Denique, immoderata illa sollicitudo pro rebus terrenis, ex carnali venit amore, est-
Matth. VI, 25-34. que a Christo prohibita, et grande peccatum, pacem et quietem mentis impediens, cor affligens, atque superfluas occupationes, varias distractiones et fluctuantes cogitationes in anima gignens, etiam tempore orationis ac divini Officii non permittens hominem devota ac stabili mente orare, neque salubribus meditationibus sinceriter immorari, imo nec nocte quiescere.

Præterea, viduarum quædam suis privantur maritis, dum adhuc multum juvenes sunt et nuptui aptæ ; et istæ amplius promerentur apud Deum, si ejus intuitu ac amore in viduitate permaneant. Quæ vero suis viris destituuntur in matura ætate, minus merentur in viduitate manendo. Et breviter, quanto aptiores sunt ad vitam matrimonialem ac sæcularem, tanto plus promerentur in viduali et humili statu perseverando : ut si sint pulchræ, opulentæ ac nobiles. Iterum, viduæ nullam prolem habentes, et tamen in viduali castimonia permanentes, amplius promerentur quam viduæ quæ prolis habent solatium. Aliquæ quoque viduæ manent in viduitate potius intuitu et amore sobolis suæ quam Dei : quarum meritum non est tantum sicut earum quæ Dei amore atque respectu in viduitate persistunt, ut scilicet Deo purius quietiusque deserviant, vacent ac placeant.

Denique, sicut unusquisque fidelium tenetur quemlibet proximum spirituali amore diligere, ita tenetur eum, dum peccat, corripere loco et tempore opportuno, dummodo sibi sit spes de emendatione illius. Idcirco vidua famulos suos aut famulas, si habeat, dum peccant, pie et caritative corripiat, non nimis aspernanter et acriter. Famulis quoque et famulabus ac operariis bona ac debita merces est prompte hilariterque solvenda.

Postremo, quidquid in isto articulo de viduis dixi, de viris quoque post uxoris obitum caste propter Deum viventibus est proportionaliter intelligendum.

ARTICULUS V.

De virtutibus atque operibus ad viduas in quantum sunt viduæ, specialiter pertinentibus.

QUONIAM, juxta prædicta, idcirco continentia vidualis laudatur atque consulitur, quia per eam varia divini obsequii art. II.

impedimenta quæ conjugatis contingunt, A tolluntur, et ordinatur ad hoc ut femina talis Deo quietius vacet, purius serviat, liberius integriusque adhæreat, ferventius quoque diligat ipsum ; hinc primo et maxime spectat ad viduas, ut (quantum valent) ad veram ac spiritualem mentis pacem in Deo se donent, eique mundo corde deserviant et amorose adhæreant. Sed hoc non poterunt adimplere, nisi patientiam habeant in adversis, nec pro variis eventibus se perturbent, imo Deum præ oculis habeant incessanter, sicut ait Propheta : B
Ps. xxiv, 15. Oculi mei semper ad Dominum. Et Salo-
Prov. xii, 21. mon contestatur : Non contristabit justum quidquid ei acciderit. Sicque Dei offensam semper caventes ac formidantes, vitiosas commotiones iræ, tristitiæ, impatientiæ, indignationis amaritudinisque vitabunt.

art. iii. Præterea, quum (juxta præmemoratam
I Tim. v, 6. doctrinam Apostoli) vidua quæ in deliciis vivit, mortua sit, hinc secundo spectat ad viduas, mundanas consolationes contemnere, sensuales delectationes abjicere; cachinnationes, loquacitates, dissolutiones C vitare; in cibis et potibus necessitatem naturæ, non voluptatem gustus, optare; in vestibus quoque, lectisterniis ac somno non mollitiem carnis aut superfluam repausationem, sed solam decentiam indigentiamque naturæ exquirere.

Tertio spectat ad viduas, devotis orationibus assidue immorari, præsertim in ecclesia et tempore divini Officii; deinde quoque in propria domo et in exterioribus suis occupationibus, frequenter mentem elevare ad Deum orando ac meditando. D Hinc in Evangelio scriptum est de beatis-
Luc. ii, 37. sima illa vidua Anna, quod non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens Deo die ac nocte.

Quarto ad viduas pertinet, jejuniis et sanctis vigiliis ac disciplinis corpus proprium castigare, et Deo ac rationi illud
I Cor. ix, 27. subjicere, sicut ait Apostolus : Castigo corpus meum et in servitutem redigo. Unde, quemadmodum tactum est, Anna vidua jejuniis Deo continue deservivit ; et de Judith vidua legitur, quod habuit super *Judith* viii, 6.
lumbos suos cilicium, et jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata et neomenias et festa domus Israel. Verumtamen jejunatio et castigatio ista junioribus viduis magis necessaria est, in quibus caro adhuc contra spiritum concupiscit ; et debet esse discreta, ne corpus nimis debilitetur, sicque vidua impotens fiat ad divinum obsequium. Senioribus vero ac debilibus viduis est consulendum ut ultra vires suas se non exerceant in prædictis, quum dicat Apostolus : Rationabile (id est *Rom.* xii, 1.
discretum) sit obsequium vestrum.

Quinto ad viduas spectat, operibus misericordiæ pro posse insistere, pauperibus et infirmis servire, talesque visitare, consolari ac hospitare atque vestire, prout Isaias propheta hortatur : Frange esurienti *Is.* lviii, 7.
panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam ; quum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne desperexeris.

Sexto viduarum est, ut vestibus sint incultæ, non ornatæ, sed humili simplicique vestitu contentæ, ne suo ornatu aliquem provocent ad affectum illicitum : imo, ut sanctus affirmat Hieronymus, si vir aut mulier suo ornatu adspectum hominum in se provocaverit, quamvis nullum malum inde sequatur, tamen mortaliter peccat. Hinc in Genesi scriptum est, quod Thamar *Gen.* xxxviii, 14.
vidua deposuit vestimenta viduitatis suæ ; atque de Judith legitur, quod exuit se ve- *Judith* x, 2.
stimentis viduitatis suæ. Ex quibus probatur quod viduis competat habitus specialis, simplex et humilis, nequaquam ad lasciviam provocans.

Septimo viduarum est, non multum exterius apparere, sed (quantum possunt) domi sedere, et ibi fructuose atque salubriter occupari. Idcirco de Judith habetur, quod in superioribus domus suæ fecit sibi *Ibid.* viii, 5; ix, 1.
cubiculum secretum (in quo habuit oratorium), in quo cum puellis suis clausa morabatur. De vituperabilibus etiam viduis scribit Apostolus : Simul et otiosæ discunt I *Tim.* v, 13.
circuire domos ; non solum otiosæ, sed et

verbosæ ac curiosæ, loquentes quæ non oportet.

Viduæ ergo in omnibus timoratæ, sobriæ, custoditæ et humiles esse debent, in Dei amore ferventes, in ejus cultu devotæ, in ecclesia frequentes, et custoditæ in visu, convivia quoque debent pro posse vitare, sicque peccata in conjugio perpetrata delere atque pro defuncto satisfacere viro, et se in omnibus exemplares ac irreprehensibiles exhibere.

ARTICULUS VI.

De quibusdam documentis B. Augustini ad viduas pertinentibus.

AD instantiam cujusdam devotæ viduæ S. Augustinus edidit librum de Bono viduali, ubi inter cetera ait : Tibi sunt filii, nec ideo laudanda es quia eos habes, sed quia pie nutrire et educare studes. Ex hoc verbo Augustini discant viduæ sobolem habentes gloriari, non quia filios habent aut filias, sed glorientur in Domino, si eos pie enutriunt, id est, virtutibus instruunt, a vitiis retrahunt, Deo conjungunt.

Insuper viduam illam admonet Augustinus, ut hoc ipsum quod in viduali castimonia manere elegit, non sibi, sed Deo et gratiæ ejus adscribat, et ei sit grata ; nec eas despiciat quæ in viduitate non permanent : quia diversa sunt dona Dei, et unus-
1 *Cor.* VII, 7. quisque donum suum habet a Domino, secundum Apostolum.

Docet etiam Augustinus, ut quidquid intentionis et occupationis impendit mulier nupta ad placendum marito, hoc virgo ac vidua impendat ad placendum Deo : cui quanto magis placet, tanto beatior est ; quanto autem plus cogitat quæ sunt mundi, tanto minus complacet Deo. Cui omnis vidua cum omni diligentia placere conetur interiori pulchritudine mentis, id est decore virtutum, humilitate, castitate, sapientia, dilectione. Et spirituales deliciæ deliciis carnalibus in viduis succedant :
A lectio, oratio, psalmus, bona cogitatio, operum bonorum frequentatio, spes vitæ æternæ, elevatio cordis ad Deum. Et pro his omnibus gratiarum actio Deo devotissime persolvatur.

Absit autem a viduis ut cupiditate capiantur divitiarum pro cupidine nuptiarum, ne in earum cordibus amor nummi succedat amori mariti. Sæpe namque experti sumus in quibusdam feminis repressa lascivia avaritiam excrevisse. Nam sicut in sensibus corporis acutius audiunt qui
B non vident, atque tangendo multa discernunt, nec tanta vivacitate tangunt et audiunt qui oculorum visu utuntur, tanquam ex altero conentur implere quod non habent ex altero ; ita sæpe carnalis cupiditas a carnalis copulæ voluptate cohibita, majoribus viribus in pecuniæ se porrigit appetitum, et illinc aversa, huc impetu ardentiori convertitur. In viduis autem amor divitiarum simul frigescat cum amore nuptiarum ; piusque usus rerum possessarum ad spirituales delicias ordinetur, et
C cor accendatur ad succurrendum egenis, non ad ditandum avaros, quoniam eleemosynæ maxime orationes adjuvant viduarum.

Jejunia quoque et vigiliæ, in quantum valetudinem non perturbant, si in orando, psallendo, legendo atque in lege Domini meditando assumantur, in spirituales vertuntur delicias, quamvis in se laboriosa videntur. Non enim sunt onerosi labores amantium, sed delectant : quemadmodum in venantibus, aucupantibus, piscantibus
D et negotiantibus patet. Nam in eo quod amatur, aut non laboratur, aut ipse labor amatur. Et vide quanta sit humana miseria : nam diu delectat labor ut bestia capiatur, et non delectat labor ut Deus acquiratur.

Curandum quoque est viduis ut studeant esse bonæ famæ, non ob propriam laudem, sed ad Dei honorem, et proximorum ædificationem, ne quis scandalizetur in eis. Qui enim negligit famam, crudelis est : nam proximum lædit, et spiritualiter in-

terdum occidit, dando ei occasionem cul- A pæ mortalis. Vidua ergo non tantum a concupiscentia mala ac opere vitioso, sed (I Thess. v, 22.) ab omni quoque specie mala abstineat, ne per familiaritates aut collocutiones suspectas seu per similia, det aliis occasionem male suspicandi ac detrahendi, vel conformia faciendi. Propterea docet Apostolus (I Cor. VIII, 21.) ut provideamus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Si autem fecerit homo diligentiam suam ad vitandum malam famam de se, et nihilo minus oriatur mala fama de ipso absque suo de- B merito, patiens esse debet et æquanimiter (Matth. v, 12.) ferre, imo et gaudere, quoniam merces ejus magna erit in cœlo, si usque in finem perseveret in bonis operibus.

Postremo, in libro ad viduam nomine Probam, de Modo orandi, instruit Augustinus ut vidua quantumcumque sit dives, nobilis, sana, et filios ac filias habens, nihilo minus in sæculo isto desolatam se reputet, et renuat consolari nisi in Deo : perpendens se esse peregrinam et exsulem in hoc mundo, in valle hac lacrimarum ; C multis etiam periculis esse expositam, et a vero æternæ felicitatis solatio longe distantem, imo de perventione ad regnum cœleste incertam. Ideo cum Propheta ex- (Ps. CXIX, 5.) clamet : Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus est, id est, habitatio mea in isto exsilio a cœlesti patria longe differtur ac distat. Et cum Apostolo gemens dicat : (Rom. VII, 24.) Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Talis igitur vidua (Ps. LXI, 11.) impleat quod ait David sanctissimus : Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Si- D militer, si deliciæ circumfluant ei, apponere cor non debet; nec filios aut filias seu cognatos diligere nisi in Deo, nec carnaliter consolari ex eis, sed in hoc solum gaudere, si viderit eos Deum timere et laudabiliter conversari.

Avaritiam igitur penitus spernat, quum (Eccli. x, 9, 10.) dicat Scriptura : Avaro nihil est scelestius; nihil est iniquius quam amare pecuniam, quia avarus et animam suam habet venalem, quam pro minimo perdit ac vendit diabolo. Hinc, juxta Apostolum, cupiditas (I Tim. VI, 10.) est radix omnium malorum, et avaritia est (Ephes. v, 5.) servitus idolorum. Sed et Christus in Evangelio loquitur : Quam difficile, qui pecu- (Luc. XVIII, 24.) nias habent, intrabunt in regnum cœlorum ! Et rursus : Facilius (inquit) est (Ibid. 25.) camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum Dei. In quibus verbis per divitem intelligitur omnis homo qui bona terrena superflue diligit. Et hæc omnia consideranda sunt diligentissime viduis etiam senibus, quia in senibus avaritia crescere solet. Sperandum est ergo in Domino et in paterna ejus providentia, atque de moderata et competenti provisione est contentandum.

ARTICULUS VII.

An consulendum sit viduis, seu etiam conjugatis, ut vidualem castitatem Deo promittant.

AUGUSTINUS in libro de Bono viduali viduas exhortatur ut voveant Deo castimoniam vidualem, duas ad hoc rationes adducens, dicendo : Multæ nuptæ statim post suam conjunctionem matrimonialem viris suis in longinqua profectis, eorum reditum exspectando grandævæ effectæ sunt, et quasi velociter viduatæ, aliquando nec redeuntes saltem senes suos maritos ipsæ jam vetulæ factæ suscipere meruerunt. Si ergo spernentibus vel tardantibus sponsis, vel peregrinantibus maritis, carnalis concupiscentia potuit refrenari ne stuprum aut adulterium committeretur, cur refrenari non potest ne sacrilegium (id est voti fractio) committatur? Si repressa est concupiscentia quum ferveret dilata, cur non opprimitur quum friguerit amputata? Alia ratio est, quæ etiam prætactæ jam rationis est confirmatio. Ardentiorem enim ferunt libidinem (hoc est, majorem patiuntur concupiscentiæ motum) quæ non desperant ejusdem libidinis voluptatem. Quæ autem innuptarum castitatem Deo vovent, ipsam sibi

spem subtrahunt, quæ fomes amoris est. A Unde facilius concupiscentia refrenatur quæ nulla exspectatione succenditur.

Ad idem probandum possunt et aliæ rationes proferri. Primo, nam castitatem vovere, est opus valde meritorium, quum sit actus excellentis virtutis, quæ latria appellatur, per quam homo cultum cærimoniamque impendit Deo. Insuper, quanto actus aliquis virtuosus ex pluribus ac sublimioribus virtutibus principiatur et oritur, tanto plus placet Deo, et virtuosior magisque meritorius exstat. Quum autem B castitas observatur ex voto, tunc observatio castitatis non solum procedit ex temperantia seu castitate, sed etiam ex latria, quæ est virtus valde sublimis, et inter virtutes morales præclarior. Ergo ex voto castitatem servare, placet Deo præcipue, et multo plus meritorium est quam absque voto in castitate manere. Amplius, sicut ait Anselmus, qui aliquid boni facit ex voto, offert Deo arborem simul cum fructibus, id est voluntatem cum opere bono; qui vero facit bonum absque voto, C offert Deo fructus dumtaxat. Item, qui aliquid vovet Deo, magis se subjicit Deo quam qui non vovet; et propriam libertatem subtrahit sibi in eo quod vovet intuitu atque amore Dei: quod est virtuosum ac meritorium valde.

Hinc omnes religiosi promittunt Deo castitatem perpetuam. Unde Origenes quoque super Lucam hortatur non solum viduas, sed etiam conjugatas, ut castitatem vidualem Deo promittant, ita ut conjugatæ sic dicant : Si mihi humanum aliquid con- D tigerit, quod non opto, ut scilicet vir meus obierit, nihil aliud faciam nisi vidua et incontaminata perseverabo; et hoc Deo promitto. Atque idcirco consulit Origenes conjugatis votum hoc facere, quatenus pro bono proposito et sancta promissione meritum sortiantur a Domino etiam si ante viros suos obierint.

Verumtamen, quamvis ista sint vera, nihilo minus contra ea objici potest. Primo, quia talis est humana perversitas, quod post prohibitionem et negationem magis accenditur ad habendum quod aut negatur aut prohibetur : quod etiam in feminis magis contingit. Unde communiter dicitur :

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. Ovidius.

Ergo feminæ post castitatis promissionem majori concupiscentia infestantur graviusque tentantur. Sicque periculosum videtur castitatem vovere. — Rursus, votum frangere, gravissimum peccatum est, atque (ut sanctus asserit Thomas) magis grave Summm. th. 2a 2æ, q. LXXXIX, a.8. quam perjurare. Quum igitur mulieres sint naturaliter mollis et instabilis mentis, periculosum videtur eis promittere castitatem quamdiu in sæculo manent. — Denique, Apostolus ait : Volo viduas juniores I Tim. v, 14. nubere, filios procreare, matresfamilias esse. Non ergo consulendum est eis in castitate manere, multoque minus illam vovere.

Sed respondendum ad ista est. Et ad primum dicendum, quod quamvis communiter ita sit, quod nitimur in vetitum atque illicitum, quando propriæ perversitati relinquimur, tamen quando Dei gratia adjuvamur, tanto plus aliquid evitamus quanto magis illicitum prohibitumque consistit. Idcirco pro adjutorio gratiæ Dei et continua confortatione Spiritus Sancti semper orandum est, præsertim post voti emissionem. Unde, quum S. Augustinus dixisset, Facilius concupiscentia refrenatur quæ nulla exspectatione succenditur, notabiliter mox subjunxit : Quum tamen nisi oretur ut superetur, ipsa illicita ardentius exoptatur. — Ad secundum dicendum, quod nisi Spiritus Sanctus tam pius et pronus esset ad succurrendum fragilitati et instabilitati humanæ, periculosum esset castitatem promittere. Ideo nemo debet hoc facere absque bona deliberatione, et confidentia ac invocatione divini auxilii, non præsumendo de propriis viribus aut meritis, quum Sapiens dicat : Scivi quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapien- Sap. VIII, 21.

tiæ, scire cujus esset hoc donum. — Ad tertium respondendum, quod (ut dicunt doctores) Apostolus loquitur ibi de viduis vagis ac petulantibus et lascivis, de quibus ibidem prædixit : Quum luxuriatæ fuerint, nubere volunt. (1 *Tim.* v, 11.) Talibus utique expedit nubere : quoniam matrimonium non solum est officium naturæ, sed et remedium culpæ.

Postremo, quamvis castitatem vovere non competat proprie nisi viduis conjugio aptis, vel saltem ad unionem carnalem non impotentibus, si tamen viduæ seniores coram Deo sic stent, quod quamvis juniores essent, nihilo minus Deo promitterent in castitate viduali persistere, puto quod merito sanctæ promissionis non penitus privarentur, sed pro bono præmiarentur affectu. Ideo consulo ut tale sibi propositum talemque cogitatum sapientialiter faciant, et de hoc quod tempore junioris ætatis castitatem vidualem non promiserunt, cordialiter doleant.

ARTICULUS VIII.

Quæ castitas difficilius observetur, virginalis, an vidualis.

SANCTUS Hieronymus in commendatione viduarum loquens, affirmat : Quanto major est difficultas feminis delectationes carnis quondam expertis a voluptatibus abstinere, tanto major est merces earum. Ex hoc sequi videtur, quod viduis difficilius sit continere quam virginibus : præsertim quum et Aristoteles in naturali sapientia summus magister, in libro de Animalibus dicat, quod juvenculæ corruptæ magis appetunt maritalem amplexum, propter rememorationem delectationis præteritæ. Sed si hoc ita se habet, videtur quod castitati viduali magis quam virginali deberetur aureola : quæ tamen non debetur nisi doctoribus, martyribus atque virginibus, ut concorditer scribunt doctores. (Sent. IV, dist. XLIX, q. v, a. 3.)

Ad hoc S. Thomas respondet, quod quantum ad aliqua, virgines majorem sustinent difficultatem seu pugnam in continendo quam viduæ, ceteris paribus. In virginibus namque concupiscentiam auget aliquando et accendit desiderium experiendi : quod quasi ex quadam curiositate procedit, qua fit ut homo libentius videat ea quæ nunquam vidit. Interdum etiam in virginibus concupiscentiam auget æstimatio majoris delectationis quam sit, inconsideratio quoque incommodorum quæ delectationi hujusmodi adjunguntur. Et quantum ad hæc, in viduis minor est continentiæ difficultas et pugna. Sed quoad aliqua, major est eis difficultas, præsertim propter expertæ delectationis memoriam. Et in diversis mulieribus unum horum præjudicat alteri secundum varias dispositiones : nam quædam magis moventur ex uno, quædam ex altero. Quidquid vero sit de majoritate difficultatis et pugnæ, certum est quod major est victoria virginum quam viduarum. Perfectissimum namque atque pulcherrimum genus victoriæ est, hosti nunquam cessisse. Aureola autem debetur victoriæ de pugna, non pugnæ.

ARTICULUS IX.

Quam custodite et caute in omnibus habere se debent viduæ, præsertim quæ castitatem voverunt.

SICUT ait B. Gregorius, unum peccatum suo pondere trahit ad aliud, nisi mox per pœnitentiam deleatur. Idcirco peccata nostra dicuntur non solum peccata, sed etiam pœnæ peccati : quoniam præcedentis peccati demerito meremur a Deo relinqui, atque in aliud vitium labi. Ideo, ut viduæ mereantur a Deo juvari, et ab incontinentiæ vitio præservari, oportet ut in omni conversatione sua sint timoratæ atque sollicitæ ne Deum offendant, ne gratiæ ejus destituantur auxilio et labantur. Ab inordinato ergo virorum adspectu, a curioso vestitu, ab elato incessu, ac ce-

teris quæ ad vitia provocant carnis, eas A abstinere necesse est, præcipue ab ebrietate et crapula, a dissolutione, familiaritate et loquacitate lasciva. Et quanto enormius peccatum est post promissionem castitatis illam non observare, tanto feminæ post hujuscemodi votum custoditiores debent esse. Si autem (quod absit) virgo aut vidua post castitatis promissionem nubat, nunquam tamen a marito debitum petere potest, sed reddere.

Præterea, quanto feminæ sunt naturaliter molliores, instabiliores, magisque at- B trahibiles et in ratione minus vigentes, tanto plus necessaria eis est gratiosa adsistentia et confortatio Dei. Propter quod coram Deo semper sollicitæ esse debent ne ipsum inhonorent, et ne ab ipso mereantur relinqui ; ejusque opem et protectionem invocare jugiter debent. Itaque, *Philipp.* II, 12. juxta apostolicum documentum, cum metu, timore ac tremore suam operentur *Prov.* IV, 23. salutem ; et ut Salomon docet, omni custodia cor suum custodiant, cunctam femineam levitatem et loquacitatem vitan- C tes, pensantes se in Dei præsentia et adspectu ubique esse et vivere, et quidquid agunt, loquuntur, cogitant et affectant, ab omnipotente Deo, Domino ac judice summo, diligentissime intueri. Idcirco in summi Dei præsentia erubescant se inhoneste habere, magisque timeant, erubescant ac venerentur vultum Dei altissimi quam adspectus humanos ; et cum III *Reg.* XVII, 1. beatissimo Elia dicant, Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie : quatenus cum *Job* XXXI, 23. sancto Job dicere queant, Semper quasi D tumentes super me fluctus timui Deum.

ARTICULUS X.

Qualiter viduæ ad perfectionem virtutum pertingere possint ac debeant.

QUEMADMODUM sancta cantat Ecclesia, Dominus Deus noster, omnipotens et æternus, cujus natura est bonitas pura ac infinita, tantæ est liberalitatis, quod abundantia suæ pietatis merita supplicantium excedit et vota. Quæ ergo est causa quod non implemur gratia ejus, quod virtutibus donisque Spiritus Sancti non decoramur, quod etiam non impetramus quotidie tantam gratiæ perfectionem a Deo ut petimus ? Numquid ex parte Dei defectus est ? Non utique, sed ex parte nostri : quia ad gratiam Dei recipiendam non præparamus animas nostras sicut tenemur aut decet, nec cum tanta fiducia atque instantia et affectu invocamus Deum sicut oportet ; sed negligentes ac desides sumus, et post orationes ac divini auditionem Officii ad consuetas ac pristinas iniquitates et culpas negligentiasque revertimur ; atque tam graviter ac frequenter Deum offendimus, quasi in orationibus nostris non postulassemus ab eo præteritorum indulgentiam vitiorum ; nec digne solliciti sumus corda nostra a cunctis vitiis expurgare, et in puritate stabiliter conservare : imo, si una hora parum proficimus, alia hora tantumdem aut magis deficimus. Hinc sanctissimus Isaias propheta locutus est : Ecce non est abbreviata manus Domini ut *Is.* LIX, 1, 2. salvare non possit, neque aggravata est auris ejus ut non exaudiat ; sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis. Sanctificatus quoque in utero matris suæ Jeremias effatur : Peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis. *Jer.* V, 25.

Volens ergo gratiam et virtutes a Deo acquirere, in primis curet ac studeat animam suam ab omni peccato mortali mundare per veram ac cordialem contritionem, per humilem confessionem et pœnitentialem satisfactionem. Idcirco per Jeremiam prophetam præcepit Deus : Lava a malitia cor tuum, Jerusalem, ut salva fias. *Ibid.* IV, 14. Et per Isaiam prophetam loquitur Spiritus Sanctus : Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. *Is.* I, 16. Omnia autem in confessione lavantur, quemadmodum Salomon protestatur : Qui abscondit scelera sua, non dirigetur ; qui autem confessus fuerit et *Prov.* XXVIII, 13.

reliquerit ea, misericordiam consequetur. A

Insuper, sicut ad suscipiendum gratiam et virtutes necesse est cor a peccatis purgare mortalibus, sic ad proficiendum in caritate et gratia Dei, in virtutibus ac donis Spiritus Sancti, oportet mentem a venialibus custodire ac purificare peccatis. Quemadmodum enim peccata mortalia caritatem, gratiam et virtutes exstinguunt ac tollunt, sic veniales culpæ a caritatis fervore, a gratiæ incremento, a profectu ac perfectione virtutum impediunt. Ideo volens proficere, debet in omnibus esse B circumspectus atque sollicitus, ne venialiter peccet per cogitationes inutiles, per verba otiosa, per risum, jocum, sive similia, aut etiam per operum omissionem bonorum. Verumtamen, quoniam homo non potest universa ac singula venialia vitare peccata, idcirco de quotidianis ac venialibus suis culpis oportet hominem proficere cupientem, quotidie dolere ac gemere, et eas deflere, atque a Deo veniam postulare, emendationem proponere, et pro gratia emendationis condignæ C misericordiam Dei infatigabiliter invocare. Hinc namque ait divina Scriptura : Qui spernit aut negligit modica, paulatim decidit ; itemque : Si non in timore Dei tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua, id est, conscientia tua velociter polluetur, et in mortalia rues peccata. *Eccli.* XIX, 1. *Ibid.* XXVII, 4.

Præterea, purgatio ista a peccatis et passionibus animæ, est viduis et cunctis feminis valde necessaria : quia, ut dicunt doctores, feminæ communiter solent esse multum passionatæ, et non bene sciunt D se frangere, id est, motus et affectiones suas non sciunt faciliter superare : imo quales sunt, tales sunt valde. Nam quæ crudeles et iracundæ seu garrulæ sunt, sunt valde crudeles, iracundæ seu garrulæ ; quæ autem sunt molles et piæ, sunt nimis molles et piæ, ita quod non sunt satis constantes ac justæ. Et causam hujus assignant doctores, quoniam ratio (ut communiter) non est ita fortis in mulieribus sicut in viris. Hinc bonæ feminæ sunt valde bonæ, et malæ feminæ sunt valde malæ. Et hoc Scriptura manifeste testatur. In Ecclesiastico siquidem scriptum est : Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata ; sicut sol oriens in mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ. In eodem quoque scribitur libro : Omnis plaga, tristitia cordis, et omnis malitia, nequitia mulieris ; non est caput nequius super caput colubri, et non est ira super iram mulieris ; commorari leoni et draconi magis placebit quam habitare cum muliere nequam ; brevis omnis malitia super malitiam mulieris. Quanto igitur feminæ sunt in naturalibus magis defectuosæ, et minus fortes in ratione, tanto plus necessaria eis est confortatio gratiæ, et reformatio affectionum ac motuum animæ. Hinc indesinenter ac fervide invocare debent Deum piissimum, ut eas in omnibus per gratiam suam confortare, illuminare, regere ac tueri dignetur, ne ab aliquo vitioso motu iræ, superbiæ, impatientiæ, amaritudinis, concupiscentiæ, avaritiæ, invidiæ aut similium vitiorum vincantur, sed ab omnibus talibus Dei auxilio præserventur. *Eccli.* XXVI, 19, 21. *Ibid.* XXV, 17, 22, 23, 26.

Denique, hoc in mulieribus præcipue commendabile est, quod ex naturali dispositione sunt communiter ad devotionem bene dispositæ : quoniam habent cor molle ac tenerum, suntque compassivæ, et cito moventur ad fletum ; nec sunt ita superbæ communiter sicut viri ; sunt etiam (ut communiter) verecundæ ac timidæ, nisi sint valde vitiosæ : et quantum ad hæc, sunt bene dispositæ ad humilitatem, devotionem caritatemque Dei.

Quum itaque vidua juxta modum prætactum cor suum purgaverit, seque in omnibus custodite habuerit, maximum gratiæ incrementum, spirituales consolationes, illuminationes supernas, dulcissimum gustum virtutum a Deo quotidie ac valde frequenter recipiet ; nec aliquid hujus mundi ei placebit, sed tota mens ejus erit ad Deum.

Insuper, vidua talis quidquid boni agit, ex Dei amore agere debet, ad ipsius gloriam et honorem et propter æternæ felicitatis adeptionem, omni laude humana contempta. Et in hoc viduæ omnesque feminæ Deo optantes placere, debent esse diligentes ac circumspectæ, ut soli Deo placere desiderent, et omnem inanem despiciant gloriam : præsertim quum feminæ naturaliter soleant esse cupidæ laudis humanæ; quicumque autem cupit Deo placere atque proficere, contra illa vitia ad quæ ex naturali dispositione aut prava B consuetudine pronior est, debet specialius, fortius ardentiusque pugnare, Deum pro adjutorio jugiter invocando.

Amplius, vidua talis quotidie saltem semel ad locum secretum se ponat, et ibi coram Deo vitam suam discutiat, conscientiam suam examinet, defectus suos consideret, defleat; emendare, confiteri et satisfacere pro eisdem proponat. Antequam pergat dormitum, revolvat qualiter diem expendit; quid boni omisit, quid mali commisit, sapienter perpendat, veniam de- C precetur : et quidquid in se invenerit boni, attribuat Deo; quidquid mali, attribuat sibimetipsi. Tunc gratias agat ex totis suis præcordiis omnipotenti ac misericordissimo Domino, pro omni gratia et misericordia ac beneficiis ejus super se et super homines universos; sicque signet et commendet se Creatori ac Salvatori suo, et in bonis meditationibus obdormire conetur. Quumque evigilaverit, mox ad Deum elevet mentem suam orando aut meditando; et si commode potest viresque habet, D surgat de lecto, et per aliquod tempus orationibus meditationibusque insistat, prout devotio suggerit et Dominus dederit. In somno quoque, sicut in cibo ac potu, modum observet.

Si ergo taliter se habuerit perseveranter, cito erit in omni virtute perfecta; et Deus sublimis ac benedictus, cujus munificentia est immensa, qui est sol sapientiæ solque justitiæ, animam viduæ taliter se habentis copiosissime illustrabit et suo di- A vino amore accendet, dulcissime ac frequentissime illam visitabit, lætificabit et gratiosissime inhabitabit.

ARTICULUS XI.

De observantia præceptorum Dei atque Ecclesiæ.

SICUT in Evangelio ait Salvator, in duobus præceptis, ut scilicet homo toto corde totisque viribus diligat Deum, et proximum suum sicut se ipsum, tota lex pendet et Prophetæ. Et istud intelligendum est de spirituali amore, ut Deum summe ac principaliter diligamus : primo, propter immensam, puram et incomparabilem bonitatem et amabilitatem ipsius; deinde, quoniam ipse prior dilexit nos; tertio, propter universa, summa et innumerabilia beneficia ejus, generalia et specialia; quarto, propter sua promissa, quoniam tot bona promisit ac præparavit nobis in cœlis, si fideliter servierimus ei. Porro, per proximum intelligendus est omnis homo in mundo hoc vivens, tam inimici quam amici, tam infideles quam fideles : qui omnes spiritualiter sunt diligendi propter Deum, qui hoc præcepit, et cui hoc placet. Et quia ad Dei imaginem sunt creati, atque durante vita eorum in sæculo isto, quantumcumque sint vitiosi, possunt converti æternaliterque salvari; idcirco tenemur spiritualiter eos diligere, id est gratiam et misericordiam Dei eis optare, ut convertantur et salvi fiant. Hinc Christus præcepit ut inimicos amemus, odientibus nos benefaciamus, et pro calumniatoribus ac persecutoribus nostris cordialiter exoremus, ut simus filii Patris cœlestis, qui etiam ingratissimis ac impiissimis peccatoribus tot bona largitur, tam longanimiter parcit, et quosdam illorum sæpe inæstimabili pietate convertit.

Matth. XXII, 37-40; *Luc.* X, 27.

I *Joann.* IV, 10, 19.

Matth. V, 44, 45.

Quantumcumque igitur aliquis forefecerit nobis aut nostris, culpam illi ignoscere obligamur; satisfactionem vero seu pœnam exigere ex caritate ac zelo justitiæ

licet, quatenus secundum processum et A ordinem juris forefactor in vita hac pro suis puniatur excessibus, ne æternaliter pereat. Unde si alicujus viduæ maritus aut pater seu filius sit occisus, ipsa tenetur occisorem illum vere spiritualiterque diligere, et tantum ei excessum dimittere quantum ad culpam, atque optare ipsius salutem. Nunquam ergo aliquis rancor alicujus viduæ mentem commaculet aut perturbet; sed sicut ipsa vult sibi ac suis a Deo ignosci, ita et ipsa omni injuriatori indulgeat, ut secure in oratione valeat B
Matth. VI, 12. dicere : Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Hinc
Marc. XI, 25, 26. quippe iterum loquitur Christus : Quum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem; si enim non dimiseritis, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra.

Præterea, qui vere diligit Deum, ipsum in omnibus pro posse honorat, atque ab omnibus honorari desiderat : sicque voluntatem suam divinæ subjicit voluntati; idque agendo divina observat præcepta, C quemadmodum Dominus noster Jesus Chri-
Joann. XIV, 23. stus testatur : Si quis diligit me, sermones meos servabit. Et Joannes evangelista :
I *Joann.* V, 3. Hæc est (inquit) caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus. Nemo ergo faciliter præsumat se Deum diligere, sed diligenter perscrutetur se ipsum, an universa Dei præcepta adimpleat, an superioribus suis obediat, an adversarios inimicosque amet; et si ita invenerit, confidat se Deum diligere.

Insuper, decem præcepta sunt : quorum D primum est, unum colere Deum. Unus est enim solus verus, æternus, omnipotens Deus, universorum creator : qui solus est adorandus ac summo honore colendus; in quem firmissime credere, in quo plene confidere, quem super omnia incomparabiliter diligere, timere ac venerari debemus, neque inaniter per ipsum jurare; et festivis diebus ei singulari devotione debemus vacare. Præcepta quoque Ecclesiæ sunt servanda sicut præcepta Dei.

Nam Deus loquitur ad prælatos : Qui vos *Luc.* X, 16.
audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit.

ARTICULUS XII.

Quomodo vidua habere se debet in orando ac Deum laudando.

SICUT prædictum est, præcipuum opus *art.* V.
viduarum est orare. Oratio autem est petitio decentium (id est rerum quas decet peti) a Deo. Quocirca sciendum, quod vidua illa nobilis ac devota nomine Proba, cui B. Augustinus scripsit libellum de Modo orandi, ab eodem Augustino informari rogavit quid et qualiter orare deberet, præsertim quum dicat Apostolus : Quid oremus sicut oportet, nescimus; sed *Rom.* VIII, 26.
ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Ex quo apparet quod ignoremus quid debeamus salubriter postulare a Deo. Sed, ut ibidem asserit Augustinus, hoc dixit Apostolus de his rebus quæ possunt homini prodesse atque obesse, quia in se indifferentia sunt, nec sunt necessaria ad salutem : quemadmodum sanitas corporis, liberatio ab adversis, opulentia rerum. Talia namque non sunt absolute a Deo petenda, sed cum conditione explicita sive implicita, scilicet, si et in quantum expediant nostræ saluti, sintque pro honore et gloria Dei. Ideo talium rerum concessionem divinæ providentiæ pietati debemus committere. Porro alia sunt, quæ in se et per se appetibilia sunt, et quibus nullus directe utitur male : ut sunt virtutes, et beatitudo æterna, ac opera virtuosa. Et talia debemus a Deo simpliciter postulare, ut scilicet det nobis, conservet perficiatque in nobis profundam humilitatem, insuperabilem patientiam, stabilem mansuetudinem, Dei ac proximi fervidam caritatem, ceterasque virtutes, et contra omnes tentationes victoriam, quotidianum virtutum profectum, perseverantiam sanctam, finem beatum.

Præterea, cum præparatione mentis ad

devotionem orandus ac invocandus est A Deus, quemadmodum ait Scriptura : Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse sicut homo tentans Deum. Si enim locuturus est homo cum rege terreno aut principe magno, primo recolligit se, et ad loquendum prudenter ac ordinate disponit se, præcogitando qualiter habere se debeat in loquendo : quanto magis homo cum Deo altissimo locuturus in orationibus suis, præparare se debet ad orandum devote, distractiones animæ abjiciendo, et aliqua salubria præmeditando, sicque cum B ingenti reverentia ac devotione ad orationem tendendo ?

Eccli. XVIII, 23.

Imo, ut homo devotius atque ferventius oret, in orando, itemque ad orationem accedendo, debet attendere duo, videlicet, qualis sit Deus quem orat, et qualis sit ipse orans. Penset ergo quod Deus quem orat, sit majestatis immensæ, misericordiæ infinitæ, dignitatis ac sanctitatis interminatæ. Cogitet quoque propriam vilitatem, defectuositatem, fragilitatem, indigentiam, peccata quibus est inquinatus, atque peri- C cula quibus expositus est, imo circumdatus. Quum ergo Deus gloriosus ac immortalis sit majestatis immensæ, cum omni reverentia et timore est invocandus ac honorandus, sicut ait Propheta : Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. Apostolus quoque : Cum metu (inquit) et reverentia Domino serviamus. Maledictus namque qui facit opus Dei negligenter. Rursus, quum Deus sit misericordiæ infinitæ, cum omni fiducia ipsum exorare debemus : quia in infinitum major est D bonitas ac misericordia ejus quam pravitas et miseria nostra. Præterea, quum Deus sit dignitatis ac sanctitatis interminatæ, invocandus est mente ei obediente ac pura. Nam, ut ait Scriptura, qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis. Et in libro Sapientiæ scriptum est : Odio sunt Deo impius et impietas ejus.

Ps. II, 11. *Hebr.* XII, 28. *Jer.* XLVIII, 10. *Prov.* XXVIII, 9. *Sap.* XIV, 9.

Amplius, quum tam ineffabilis sit defectuositas, vitiositas, vilitas, periclitatio ac indigentia nostra, cum summa humilitate, ardenti instantia, infatigabili perseverantia Deum deprecari debemus, quia utique causa animæ nostræ cum Deo est inæstimabiliter magna. Ideo sanctus affirmat Basilius : Non remisse divinum est implorandum auxilium, nec corde hinc inde vagante orandus est Deus. Siquidem taliter orans non solum nil impetrat, sed etiam Deum magis offendit. Corde itaque recollecto, attento, ferventi, timorato ac humili invocandus est Dominus universorum, ut sensus attendatur verborum, et Dei præsentia ac majestas sapienter pensentur.

Denique, qui sic orat, sicque orare assuescit, in ipsis suis orationibus dulcem quamdam mentis refectionem ac saporem internum sortitur a Deo ac sentit in animo suo, et delectatur in exorando, estque frequenter delectabile sibi orationibus immorari. Est etiam dignitas magna, tam sancto ac nobili exercitio occupari. Qui enim orat, Regem regum, Deum incomparabilis excellentiæ alloquitur, quem sine magna attentione ac reverentia totaque cordis custodia affari non debet homo mortalis, fragilis creatura. Hinc asserit Augustinus : Oratio tua, locutio ad Deum est : quando legis libros devotos, Deus loquitur tibi ; quando oras, tu loqueris Deo. Chrysostomus quoque : Considera, inquit, quanta sit tibi concessa felicitas, quanta gloria attributa : orationibus loqui cum Deo, cum Christo miscere colloquia ; optare quod rationabiliter velis, et quod desideras postulare.

Amplius, si bene perpendat homo qualitatem proprii status in sæculo isto, ubi in medio ambulat laqueorum, quos pauci evadunt, quot invisibilibus hostibus, spiritibus malignis circumdatus est, quam pronus est ad peccandum, quod æternæ damnationis periculis obsidetur, quod nescit diem neque horam, quod post vitam istam brevissimam mox ad Dei judicium deducetur : si hæc atque similia profunde pensaverit homo, satis videt quam neces-

Matth. XXV, 13. *Hebr.* IX, 27.

sarium sibi sit Deum jugiter invocare. A Propter quod ait Apostolus : Sine intermissione orate. (I Thess. v, 17.) Et ipsemet in Evangelio loquitur Christus : Oportet semper orare et non deficere. (Luc. xviii, 1.)

Verum, ut ait Isidorus, quid prodest strepitus labiorum, ubi cor mutum est? Quemadmodum enim vox sine modulatione, est quasi vox porcorum ; sic oratio sine devotione, est quasi mugitus boum. Oratio cordis est, non labiorum : neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor adspicit. Melius est cum silentio B orare corde absque sono vocis, quam solis verbis sine advertentia mentis. Hinc ait S. Gregorius : Illam orationem Deus non exaudit, cui ipsemet orans non attendit. Porro, tunc toto corde ad Deum clamatur, quando aliunde non cogitatur. (Eccli. xxxv, 21.) Oratio pura, fervens ac humilis penetrat cœlos. Oratio est oranti præsidium, animæ devotæ subsidium, Deo sacrificium, angelis sanctis solatium dæmonibusque flagellum. Atque (ut ait Gregorius) veraciter orare, est amaros in compunctione gemitus fun- C dere, non verba composita resonare. Et taliter exorantem Deus exaudit, quemadmodum sanctissimus Moyses contestatur : (Deut. iv, 29.) Quum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ. Magna ergo est virtus puræ orationis, et cum certa spe invocandus est Deus : nam, ut ait Joannes Chrysostomus, nunquam oranti beneficia denegat, qui ut orantes non deficiant, sua pietate instigat.

Interdum tamen postulat homo, nec ex- D auditur a Deo, quia infideliter aut leviter aut non perseveranter, aut quæ suæ saluti non expediunt, postulavit. Verumtamen, quum cor humanum sit valde instabile, si orans ex fragilitate humana distractionem incurrat, fructus orationis non impeditur, quum sanctus dicat Basilius : Si debilitatus a peccato fixe orare non potes, quantum vales te ipsum cohibeas; et Deus ignoscit, quoniam non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes ut oportet coram Deo adsistere. Hinc, ut scribit S. Thomas, conandum est ut in principio orationis adsit devotio et fervor ac diligentia, quia ex hoc tota oratio sortitur virtutem.

Denique, non solum pro se, sed et pro communi bono Ecclesiæ, pro pace et reformatione ipsius in omnibus, pro pace patriæ, pro parentibus, propinquis, commissis ac benefactoribus, vivis ac mortuis, et universis hominibus est orandum. Vidua vero specialiter debet orare pro viro suo defuncto et pro sobole.

Postremo, quamvis tam virtuosum ac nobile opus sit orare, tamen Deum laudare, præstantius est et magis angelicum. Devota igitur vidua Deum quotidie, imo uberrime laudet, glorificet, benedicat, et ei cordialiter gratias agat, quemadmodum docet Apostolus : Omne quodcumque agitis (Coloss. iii, 17.) in verbo aut opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi agite, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.

ARTICULUS XIII.

De patientia in omni adversitate inviolabiliter hilariterque servanda.

VIRTUOSA ac sapientissima vidua illa Judith ait : Memores esse debemus (Judith viii, 22-27.) quomodo pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, amicus Dei effectus est. Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Qui autem tentationes non susceperunt in timore Dei et in patientia sua, exterminati sunt et perierunt. Et nos ergo non ulciscamur nos pro his quæ patimur ; sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quasi servi qui corripimur, ad emendationem, et non ad perditionem nostram, evenisse credamus. Humiliemus igitur Deo (Ibid. 16, 20.) animas nostras, et in spiritu contrito et humiliato serviamus illi, exspectantes in adversis humiliter consolationem ipsius.

Ex his prudentissimæ Judith viduæ ver-

bis multiplex trahitur causa ob quam ad-
versa æquanimiter sunt ferenda, ita quod
in tribulationibus, persecutionibus, infir-
mitatibus, adversitatibus, quasi in omni-
bus divitiis est gaudendum. Primo, quia
per hæc conformatur homo electis Dei,
sanctis Patriarchis, Prophetis, Apostolis,
ac ceteris Sanctis : qui quanto electiores
Deoque cariores fuerunt, tanto plura ac
duriora adversa in hoc sæculo sunt per-
pessi. — Secundo, quia adversa propter
Deum hilariter sustinendo, amici Dei effi-
cimur, quoniam in adversis nequaquam
ab ipso recedimus : quemadmodum Abra-
ham per multas tribulationes probatus,
Is. XLI, 8. amicus Dei effectus est.

Tertio, quia in adversitatibus deficien-
tes exterminantur, id est, extra terminos
et extra cœlestem patriam electorum po-
Luc. XXI, 19. nuntur. Ait enim Salvator : In patientia
vestra possidebitis animas vestras. Quem-
admodum ergo per patientiam homo possi-
det (id est, a peccatis præservat, et a servi-
tute diaboli liberam tenet) animam suam,
ita per impatientiam perdit animam suam.
Prov. XIV, 29. Ideo Salomon loquitur : Qui patiens est,
multa gubernatur prudentia ; qui autem
impatiens est, exaltat stultitiam suam.
Hebr. X, 36. Apostolus quoque : Patientia (inquit) vobis
necessaria est, ut voluntatem Dei facien-
tes, reportetis promissionem.

Quarto, quoniam adversitatibus affici et
tribulationibus exerceri, est signum dile-
Apoc. III, 19. ctionis Dei ad nos. Deus etenim ait : Ego
quos amo, arguo et castigo. Si ergo desi-
deramus amari a Deo, gaudeamus in signis
sui amoris, utputa in adversis, per quæ
experimur nos diligi a Domino Deo nostro,
qui de reprobis et inimicis suis testatur :
Ps. LXXX, 13. Dimisi eos secundum desideria cordis eo-
Prov. III, 11, 12. rum. Hinc enim Salomon dixit : Discipli-
nam Domini, fili mi, ne abjicias, et ne
deficias quum ab eo corriperis : quem
enim diligit Deus corripit. — Quinto, quo-
niam istud non solum est signum amici-
tiæ Dei, sed etiam quod sumus filii ejus
Hebr. XII, 7, 8. aut filiæ, quum dicat Apostolus : Quis est
filius quem non corripit pater ? Quod si

A extra disciplinam estis, ergo adulteri et
non filii estis.

Sexto, quia qui in adversis fideles sunt,
et ea propter Deum constanter ac æquani-
miter tolerant, non solum in futuro coro-
nantur a Deo in cœlis, sed in præsenti
etiam vita multipliciter, gratiose ac dul-
citer consolantur ab ipso. Ideo in adver-
sis humiliter exspectanda est consolatio a
Deo, ut Judith dixit. Unde apud Tobiam
devota illa Sara loquitur Deo : Post tempe- *Tob.* III, 22.
statem, Domine, tranquillum facis, et post
B fletum exsultationem infundis ; et rursus :
Hoc pro certo habet omnis qui colit te, Do- *Ibid.* 21.
mine, quia vita ejus, si in probatione fu-
erit, coronabitur ; si autem in tribulatione
fuerit, liberabitur ; et si in correptione
fuerit, ad misericordiam pervenire licebit.
Ob id etiam ait Apostolus : Sicut abundant *II Cor.* I, 5.
passiones Christi in nobis, ita et per Chri-
stum abundat consolatio nostra.

Septimo, quoniam per adversitates, tri-
bulationes et persecutiones a vitiis præte-
ritis emundamur, et a multis præservamur
C peccatis. Culpæ enim debetur pœna : id-
circo per pœnas culpæ delentur. Unde
apud Tobiam legitur : Benedictum est no- *Tob.* III, 13.
men tuum, Deus patrum nostrorum, qui
in tempore tribulationis peccata dimittis
his qui invocant te.

Octavo, per tribulationes ad gratiam Dei
disponimur, et Dei præsentiam adsisten-
tiamque meremur, quemadmodum ipse-
met ait in libro Psalmorum : Cum ipso *Ps.* XC, 15.
sum in tribulatione ; et iterum : Juxta est *Ps.* XXXIII, 19.
Dominus his qui tribulato sunt corde. San-
D ctus quoque Martinus dixit, quod miseri-
cordia Dei in adversis et tribulationibus
maxime adest. — Nono, per has Christo
propter nos passo conformamur. Si ergo
volumus postmodum regnare cum Christo,
non renuamus nunc pati cum eo : quia, ut
ait Apostolus, si compatimur, et conregna- *Rom.* VIII, 17 ; *II Tim.* II, 12, 11.
bimus ; si commorimur, et convivemus.
Hinc princeps Apostolorum beatissimus
Petrus testatur : Christus passus est pro *I Petr.* II, 21.
nobis, nobis relinquens exemplum, ut se-
quamur vestigia ejus.

Decimo, quoniam per adversitates et tribulationes vitæ præsentis a futuris liberamur suppliciis : sicque tribulationum devota humilisque perpessio, est compendiosissima ac optima via pertingendi ad regnum cœleste.

Præterea, tam ineffabilis est patientiæ fructus, quod quamvis post hanc vitam non præmiaretur a Deo, nihilo minus merito patientes essemus propter multa et præcipua bona ex patientiæ virtute nascentia. Quemadmodum enim mansuetudo est virtus iram refrenans ac moderans, sic patientia est virtus tristitiam reprimens, ordinans, aut expellens. Tristitia autem est passio valde nociva, non solum animam lædens, sed corpus quoque affligens, et corporalem vitam indisponens atque abbrevians. Nam Salomon Proverbiorum vicesimo quinto ait : Sicut tinea nocet vestimento, ita tristitia cordi. In Ecclesiastico quoque habetur : Tristitiam non des animæ tuæ : multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in ea. Tristitiam longe expelle a te ; jucunditas cordis, hæc est vita hominis. Hæc autem intelligenda sunt de inordinata et sæculari tristitia, qua quis dolet propter temporalia damna, vel propter læsionem sive injuriam sibi aut suis illatam : de quibus non est immoderanter tristandum. Est autem et alia bona tristitia, qua quis de propriis aut proximorum peccatis aut de dilatione cœlestis gloriæ dolet. Insuper, patientia facit hominem imperturbatum, tranquillum, jucundum, suavem. Qui autem impatiens est, frequenter turbatur, inquietatur, amaricatur, tristatur ; et impetum suum sequendo, irrationabiliter agit. Propter quod Salomon Proverbiorum quartodecimo asserit : Impatiens operabitur stultitiam.

Prov. XXV, 20. *Eccli.* XXX, 22, 25. *Ibid.* 24, 23. *Prov.* XIV, 17.

Adversitates ergo et tribulationes considerandæ sunt non solum ut quædam pœnalitates, sed tanquam saluberrimæ medicinæ contra animarum vulnera, id est peccata, et tanquam præcipua Dei dona ac paternæ suæ dilectionis indicia, et tanquam fructuosissima media impetrandi gratiam ac virtutes et incrementum earum in sæculo isto, gloriamque in futuro. Per adversa quoque discit homo cognoscere semetipsum et propriam fragilitatem ac culpam, et ea quæ mundi sunt spernere, futura supplicia considerare, ad Deum confugere, ad cœlestem beatitudinem adspirare. Propterea in tribulationibus adversitatibusque lætandum est et Deo regratiandum.

ARTICULUS XIV.

De remediis contra tentationes.

In libro sancti Job scriptum est : Militia est vita hominis super terram. Quod de virtuosis et justis hominibus est intelligendum. Tales enim quotidie pugnant contra aciem vitiorum, contra suggestiones tentamentaque dæmonum, contra desideria carnis, contra vanitates mundanas. Hinc quilibet justus est miles Dei et persona exercitus ejus. Sed quoniam fragilis homo contra tot hostes animæ suæ, contra tot tentationes et vitia propriis nequit viribus reluctari ac prævalere, ideo primum remedium atque consilium est, in omni tentatione ad Deum jugiter convolare, ad ejus pietatem recurrere, ejus auxilium invocare, et propriam insufficientiam semper humiliter profiteri. — Secundum est, passionem Christi intenta mente revolvere et semper in mente portare, se quoque in ejus vulneribus occultare, sicque omnem oblectationem carnalem, omnem pompam ac vanitatem mundanam despicere. — Tertium est, considerare prudenter quæ, qualia et quanta supplicia pro vitiis infligantur, quamque horrendum sit incidere in manus Dei viventis. — Quartum est, ponderare quanta mala faciat peccatum homini etiam in præsenti, quam injustum et impium sit Deum offendere, diabolo consentire, concupiscentiis deservire. Siquidem per omne peccatum mortale fit peccans hostis et adversarius Dei, membrum ac servus diaboli, iniquitatis minister. —

Job VII, 1. *Hebr.* X, 31.

Quintum est, se fructuose occupare, omnem otiositatem vitando, seque ab illicitis cogitationibus avertendo atque ad salutaria convertendo, utputa cogitando de rebus pertinentibus ad salutem. — Sextum est, proprium angelum custodem, et Sanctos, potissime Virginem gloriosam, ac eos ad quos habetur specialis devotio, invocare ut adsint, pro se orent, tueantur, confortent. Unde in libro beati Job legitur : Ad aliquem Sanctorum convertere. — Septimum est, ponderare quam fortiter Sancti tentationibus restiterunt, et eorum in hoc sequi vestigia. — Octavum est, contemplari quanta sit in futuro beatitudo, merces et gloria eorum qui tentationibus victoriose resistunt.

Job v, 1.

Si igitur vidua concupiscentia tentetur carnali, prætactis utatur remediis, cogitationibusque immundis nullatenus immoretur : imo mox quum senserit eas, se ab illis avertat, et passionem Christi, pœnas inferni, districtum judicium Dei attendat ; tantoque fortius agat hoc et præfata assumat remedia, quanto plus tentatur ac infestatur; nec fatigetur, quia in talibus maxime promeretur. Estque valde expediens ut alicui personæ spirituali ac sapienti, præsertim suo confessori, si talis est, cor suum aperiat, et ejus informatione utatur: quia per hoc potestas diaboli valde debilitatur.

ARTICULUS XV.

De conversatione Christi in sæculo isto, et de passione ipsius, ac aliis rebus ad salutem spectantibus.

QUEMADMODUM ait Joannes apostolus, qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. Ex quo declaratur, quod omnis operatio Christi est informatio et exemplar cujuslibet Christiani, quoniam Christi virtutes et opera sectari debet plebs christiana. Siquidem inaniter, imo ad graviorem suam damnationem Christianus vocatur, qui Christi virtutes non imitatur. Oportet igitur unumquemque fidelem virtutes et opera Christi diligentissime atque sæpissime considerare, et in illis se ipsum attendere an vere sit Christianus.

I *Joann.* II, 6.

Hoc autem in primis constat ac intuendum est, quod tota conversatio Christi in sæculo isto, a nativitate sua ex Virgine usque ad mortem in cruce, omni humilitate, paupertate, mansuetudine, patientia, caritate fuit plenissima. Denique, quum esset verus Deus et Patris æterni unicus Filius, Patri consubstantialis, coæqualis et coæternus, ex nimia caritate atque ineffabili pietate sua ad nos, nostram assumpsit naturam, et factus est homo, ac pauperem virginem elegit in matrem, et natus est ex ea in parvulo oppido, in vili stabulo, in noctis ac hiemis medio. In præsepi quoque est positus, quia in diversorio illo alter ei locus aptus non fuit. Voluit etiam circumcidi, in templo præsentari ac baptizari ut homines alii. Prædicando autem Judæis, plurimas ac gravissimas persecutiones, irrisiones, contumelias atque blasphemias ab eis perpessus est. Interdum conati sunt eum præcipitare, aliquando lapidare ; et tandem morte acerbissima ab ipsis occisus est.

Joann. I, 1, 14.

Luc. I, 26 et seq.; II, 4 et seq.

Ibid. IV, 29; *Joann.* X, 31.

Contemplandum est ergo devotissime ac intente, ad minus semel quolibet die, qualiter Christus post cœnam suam novissimam, instante jam hora suæ sanctissimæ passionis, Deum Patrem ter rogavit, et quomodo tunc factus est sudor ejus ut guttæ sanguinis, ita quod sudorem sanguineum ac sanguinem verum tam copiose sudavit, quod sudor ille a corpore suo benedicto decurrit in terram, præ nimia anxietate et angustia animæ suæ, quam anxietatem et angustiam sponte propter multas causas assumpsit; et quomodo tunc ad Apostolos dixit, Tristis est anima mea usque ad mortem ; et qualiter deinceps a crudelissimis ministris pontificum ac Pilati captus est, ligatus, tractus, trusus, et usque ad Annam pontificem impetuosissime ductus, et ibi a sceleratissimo

Matth. XXVI, 37-45; *Luc.* XXII, 44.

Matth. XXVI, 38.

Ibid. 47 et seq., XXVII ; *Luc.* XXII, XXIII ; *Joann.* XVIII, 19.

servo alapa cæsus; deinde ad Caipham A missus, et ibi mortis reus est judicatus, blasphematus, oculis velatus, in faciem sæpissime ac durissime cæsus, consputus, illusus, et tanquam vilissimus ac impiissimus hominum usque ad mane tractatus. Postea manibus ligatis, tanquam latro et fur Pilato est præsentatus, falsissime accusatus, ab Herode alba veste indutus, et instar stulti derisus. Ad Pilatum quoque remissus, amarissime est flagellatus, spinis coronatus, arundine cæsus, consputus, irrisus ac blasphematus, purpureo indu- B mento illusus, deinde patibulo adjudicatus; et propriis humeris crucem suam portans, inter latrones ad locum mortis eductus est, et inter illos in patibulo crucis suspensus, manibus et pedibus cum inæstimabili dolore magnis clavis atrocissime perforatis, toto corpore usque venarum diruptionem distentus, sacro cruore perfusus, graviter sitiens, aceto et felle potatus, cum impiis reputatus, irrisus ac blasphematus ac mortuus.

Hæc omnia intente, morose, distincte, C cum quadam sensibili compassione sunt devotissime meditanda ac intuenda, ac si corporaliter inspicerentur, et in præsentia fierent meditantis. Nec solum considerada est passio Christi in se, sed etiam quis, qualis et quantus sit qui ista pro nobis sustinuit, quod scilicet unigenitus Filius Dei, Deus et homo, mansuetissimus et innocentissimus Agnus, a crudelissimis ac sceleratissimis pro nostra æterna salute hæc passus est in regia urbe, in festo præcipuo, coram tot millibus hominum, D cum patientia summa et caritate plenissima. Hæc cogitando, gratias Christo agamus, nostra plangamus peccata, Christi patientiam, humilitatem, caritatem ceterasque sectemur virtutes.

Insuper, vidua pia omnisque anima christiana penset quotidie vitæ præsentis incertitudinem, vanitatem, fallaciam, mortis amaritudinem, divini quoque districtionem judicii, et inexcogitabiles pœnas inferni; quam amarissima sit desperatio damnatorum, quanta afflictio, quanta tristitia, dum se in tantis sciunt suppliciis æternaliter permansuros. Cogitemus quam intolerabile esset in mundo per unam horam in ardenti jacere fornace. Quid ergo est in medio infernalis incendii æternaliter sine spe evasionis jacere? Neque enim damnati tantum affligentur in corpore igne tartareo, quantum jugiter affliguntur in mente, dum cogitant se in illis tormentis sine fine mansuros, ut Magnus ait Albertus. Est quoque in inferno inæstimabile frigus, et de summo calore vadunt ad maximum frigus. *Job* XXIV, 19. Est etiam ibi gravissimus fœtor, horrendissimus dæmonum et omnium damnatorum adspectus. Postremo, pensandum est quam incomprehensibilis sit beatitudo et gloria electorum, Deum gloriosum et sanctum, cujus pulchritudo, dulcedo et amœnitas finem non habent, indesinenter et clare cernentium, quibus nil deest, et de tanta felicitate in æternum securi sunt. Quam miserum ergo atque stultissimum est, pro hujus brevissimæ deliciis vitæ infernalem illam calamitatem mercari, et cœlesti felicitate privari!

ARTICULUS XVI.

De contemplatione Dei.

CONTEMPLATIO Dei clara per speciem in se ipso, in propria ejus luce atque essentia, est plena beatitudo et tota merces omnium electorum in cœlis, ut asserit Augustinus. Nam et unigenitus Filius Dei loquitur Deo Patri: Hæc est vita æterna, *Joann.* XVII, 3. ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Hæc autem contemplatio Dei in cœlis, amorosissima est et prorsus jucundissima. Tota ergo perfectio nostra in vita hac, est ut cœlesti illi ac beatificæ contemplationi Dei quotidie propinquemus, proficiendo in terris in contemplatione Dei amorosa per fidem et speculum. Quantum vero in caritate, puritate ceterisque virtutibus modo proficimus, tantum in dono sapientiæ crescimus:

per quod donum Deum in hac vita contemplamur.

Denique, in universis ac singulis creaturis Deum creatorem possumus contemplari. In omni etenim creatura perfectio et excellentia Dei resplendet. Præterea, totus mundus est quasi quædam magna domus Dei. Quemadmodum ergo videntes aliquod castrum aut habitaculum speciosum optime ædificatum, in ipso ædificio et pulchritudine ejus artificem laudant, ejusque sapientiam admirantur ; sic inspiciendo totum mundum et omnem magnitudinem ac pulchritudinem ejus, varias etiam creaturas, virtutes et proprietates earum, contemplari debemus in eis Deum altissimum : quanta sit omnipotentia ejus, qui opus tam magnum tamque diversas creaturas in eo, uno creavit imperio unoque verbo (quoniam, juxta Prophetam, ipse dixit, et facta sunt ; ipse mandavit, et creata sunt) ; quam immensa sit sapientia ejus, qui cuncta tam optime ordinavit, tam speciose ornavit, qui soli, lunæ, planetis ac stellis omnem quam habent lucem pulchritudinemque impressit ; quanta sit ejus suavitas, a quo omnium rerum dulcedo effluxit.

Sap. XIII, 5. — *Ps.* CXLVIII, 5.

Itaque, quidquid perfectionis et nobilitatis, quidquid pulchritudinis atque dulcedinis, quidquid sapientiæ, eminentiæ, felicitatis, bonitatis, desiderabilitatis et gloriæ invenitur in universis rebus creatis imperfecte, finite ac sparsim, hoc totum eminentissime est in Deo, perfecte, infinite, simplicissime et conjunctim : imo ipsemet Deus omnipotens et æternus, est simplicissimum esse, in quo est et quod est omnis perfectio, immensa nobilitas, infinita felicitas, interminabilis virtus, sapientia cujus non est numerus ; opulentia, pulchritudo, dulcedo cujus nullus est finis ; bonitas pura, caritas plena ; pietas, sanctitas, justitia cujus nulla est mensura. Si ergo aliquid amabilitatis aut delectabilitatis in creaturis conspicimus nosque allicit, protinus cogitemus omne id in Deo incomparabiliter perfectius inveniri, et ipsum præ omnibus in infinitum amabiliorem, dulciorem ac deliciosiorem consistere. Nec aliqua occasione ab ipso cor avertamus, magis inhærendo creaturæ quam Creatori : imo ad ipsum mentem nostram jugiter convertamus, ipsum in omnibus et super omnia indesinenter amantes, timentes, desiderantes, quærentes ac venerantes, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

Ps. CXLVI, 5.

FINIS LIBRI DE LAUDABILI VITA VIDUARUM.

CONTRA AVARITIAM

EPISTOLA AD QUAMDAM VIDUAM

PROŒMIUM

VENERABILI ac devotæ personæ quidam religiosus : *Sic transire per bona temporalia, ut non amittas æterna,* pro salute.

Carissima Domina, ex quo placuit tuæ prudentiæ ut aliqua exhortatoria tibi scriberem, opto hoc ipsum implere. Hoc ergo in primis exhortor, ut tanto sollicitior sis de tua salute, quanto vides te esse seniorem et magis propinquare ad mortem. Qui autem sollicitus est de sua salute, vitat pro posse suo omnia quæ sunt saluti suæ contraria ; ea quærit, apprehendit atque exsequitur, quæ sunt sibi necessaria ad salutem.

Præterea, o devota Domina, quum sis jam venerando senio decorata, non est necesse facere tibi exhortationem de vitandis jocis, ludis, choreis et vanitatibus hujus mundi, aut de castitate viduali servanda, quam per aliquot annos laudabiliter observasti, quando adhuc aptior fuisti ad contrahendum matrimonium quam nunc es. Sed quia nunc abundas magna valde abundantia temporalium rerum et copioso pecuniarum thesauro, de hoc potissime admonenda es ac informanda, qualiter debeas ac possis tantis pecuniis virtuose ac meritorie uti, et ordinatum ac moderatum habere affectum ad eas. Quumque senes soleant naturaliter esse avari, aliqua nunc specialiter contra avaritiam scribam. De ceteris autem virtutibus et sanctis operibus ad viduas pertinentibus, feci et mitto pietati tuæ specialem tractatulum ; sed ista scribo seorsum, quoniam tuam personam singulariter concernunt. *Cf.* p. 120 et s.

CONTRA AVARITIAM

EPISTOLA AD QUAMDAM VIDUAM[1]

ARTICULUS PRIMUS.

Quare Filius Dei venerit in hunc mundum.

DOMINUS noster Jesus Christus in Evangelio ait : Ego sum via, veritas et vita ; nemo venit ad Patrem nisi per me. (*Joann.* XIV, 6.) Nemo ergo potest salvari nisi vestigia Christi sequendo, hoc est acquiescendo ejus doctrinis, et obediendo ejus præceptis. Ideo ait Apostolus : Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. (I *Joann.* II, 6.) Et ipsemet Dominus Jesus Christus effatur : Si quis mihi ministrat, me sequatur. (*Joann.* XII, 26.) Idcirco, secundum Augustinum, mendaciter Christianus vocatur, qui Christum non imitatur. Sed quid est Christum imitari, nisi virtuosa opera exercere quæ exercuit ipse ? Ideo namque ipse unigenitus Filius Patris æterni dignatus est homo fieri et cum hominibus conversari, (*Ibid.* I, 14; *Baruch* III, 38.) ut non solum verbis, sed etiam operibus et exemplis, ostenderet nobis viam eundi ac pertingendi ad æternam salutem. Hinc venit in mundum istum et vixit in eo in omni humilitate et maxima paupertate, (I *Tim.* I, 15; II *Cor.* VIII, 9; *Zach.* IX, 9.) ut doceret nos esse vitam æternam beatissimam et gloriosissimam, cujus desiderio et amore debeamus contemnere omnia ista temporalia et terrena, sicque toto cordis affectu adspirare, A festinare ac tendere ad deliciosissimam ac divinissimam illam vitam cœlestem, nec de temporalibus rebus plus appetere aut tenere, quam utile aut necessarium nobis est ad acquirendum bona spiritualia ac æterna. Unde, ut Filius Dei monstraret quam vehementer impediat hominem a salute abundantia talium rerum, ipse tantam paupertatem in se ipso elegit ac habuit, ut testetur : Volucres cœli nidos habent, et vulpes terræ foveas ; Filius autem hominis non habet ubi caput suum (*Matth.* VIII, 20.) B reclinet. Si ergo Filius Dei omnipotentis, rex angelorum et princeps cœlorum ac Dominus omnium creaturarum, tantam paupertatem propter nostram informationem ac salutem assumpsit, quid est quod homo fragilis ac mortalis, peccatis ac defectuositatibus plenus, quærit ditari aut esse desiderat dives, hoc est superflue abundans in temporalibus rebus, in sæculo isto ?

Itaque, ut cognoscamus quam incomparabiliter præeligenda et præamanda sint C bona spiritualia et divina, cœlestia ac æterna, præ omnibus rebus transitoriis et terrenis, voluit Filius Dei inter homines conversari in profundissima humilitate et perfectissima paupertate : et non solum ut hoc cognoscamus, sed etiam ut in hoc ipsum sequendo, per veram humilitatem et sanctam paupertatem, aut saltem per

1 Ex editionibus Coloniæ, Joannis Soteris, 1532, et Joannis Birckmanni Junioris, 1559.

moderatam et competentem terrenarum A rerum possessionem, perveniamus ad cœlestes divitias, ad æternas delicias angelicosque honores.

ARTICULUS II.

Quid sit avaritia.

SICUT homo constat ex corpore et anima, sic indiget duplicibus bonis, videlicet corporalibus ac spiritualibus. Corporalia bona quibus indiget homo, sunt B cibus et potus, habitaculum et vestitus, atque pecunia, per quam possit emere et acquirere corporalia bona sibi necessaria. Pecunia namque non est propter se ipsam necessaria aut utilis homini, sed in quantum per eam acquirere potest necessaria suæ vitæ, aut aliis subvenire in talibus et eleemosynas facere, ac cultum Dei augere. Porro spiritualia bona hominis, quibus maxime indiget homo in hac vita, sunt gratia Dei, virtutes sanctæ et dona Spiritus Sancti, ac opera virtuosa, sine C quibus nemo potest salvari. Et sicut anima hominis est incomparabiliter nobilior corpore ejus, sic spiritualia bona ista sunt ineffabiliter digniora et amabiliora corporalibus bonis. Nec corporalia bona sunt appetenda aut retinenda, nisi in quantum deserviunt homini ad virtuose vivendum, atque ad proficiendum ac perseverandum in Dei amore, in gratia ac donis Spiritus Sancti, et ad pertingendum ad incomprehensibilia bona cœlestis patriæ æternalisque gloriæ. Et si temporalia bona plus D appetantur aut copiosius reserventur, hoc est avaritia, quæ est superfluus amor pecuniæ et immoderatus appetitus rerum temporalium : ita quod non minus pertinet ad peccatum avaritiæ, temporalia bona nondum habita superflue affectare et quærere, quam ea jam habita ac possessa superflue reservare nec fructuose exponere, sed plus de eis apud se retinere quam sibi utile aut necesse sit ad vivendum juste atque devote.

ARTICULUS III.

Quod vehementer sacra Scriptura vituperet et condemnet avaritiam.

FILIUS et discipulus ac minister qui facit contraria præceptis et documentis patris et magistri ac domini sui, ostendit se esse perversum, inobedientem atque rebellem. Quum ergo Deus sit pater noster optimus ac benignissimus, magister quoque sapientissimus ac fidelissimus, et Dominus, rex ac judex noster altissimus, qui in tota Scriptura novi ac veteris Testamenti avaritiam maxime vituperavit, prohibuit ac damnavit ; quicumque temporalia ista superflue cupit, amat, colligit aut retinet, ostendit se non esse bonum filium, proficientem discipulum ac obedientem ministrum Dei et Creatoris sui, sed potius pandit se esse perversum, inobedientem ac rebellem. Nunc igitur breviter ac modice tangam quid sacra Scriptura contra avaritiam dicat.

Ecce Dominus noster Jesus Christus, Deus et homo, magister et judex noster, proprio ore in Evangelio ait : Quam difficile, qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum ! Amen dico vobis, facilius est camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum. (*Luc.* XVIII, 24, 25.) Verbum istud, o venerabilis Domina, valde considerandum ac formidandum est tibi, quæ quamvis jam sis grandævæ ætatis, retines apud te tam multa millia florenorum. Iterum loquitur Christus : Væ vobis divitibus qui habetis hic consolationem vestram ; (*Ibid.* VI, 24.) et rursus : Nolite thesaurizare vobis in terra, sed thesaurizate vobis in cœlo : ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. (*Matth.* VI, 19-21.) Insuper, sanctus apostolus Paulus dicit : Qui volunt divites fieri (nec dubium quin etiam qui volunt divites esse aut sunt), incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem. (*I Tim.* VI, 9.) Et denuo idem Apostolus protestatur : Radix (*Ibid.* 10.)

omnium malorum est cupiditas. Dicit etiam quod avaritia est servitus idolorum, et quod avari non intrabunt in regnum cœlorum. Præterea, beatus apostolus Jacobus loquitur : Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis quæ advenient vobis : divitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra a tineis comesta sunt ; aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis ; thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. In libro quoque Ecclesiastici scriptum est : Avaro nihil est scelestius ; nihil est iniquius quam amare pecuniam : avarus enim et animam suam habet venalem. Qui diligit aurum, non justificabitur.

Ephes. v, 5. I *Cor.* vi, 10. *Jacob.* v, 1-3. *Eccli.* x, 9, 10. *Ibid.* xxxi, 5.

Hæc pauca ex divinis Scripturis allego, o venerabilis Domina, non quia male sentio de tua persona, sed ne occasione tantarum pecuniarum quas possides, incidas laqueum inimici et avaritiæ culpam, atque ut cordis tui affectus sit circa hæc temporalia ordinatus, et ut eisdem virtuose utaris.

ARTICULUS IV.

Quod bona temporalia debent esse communia quantum ad usum.

Summ. th. 2ª 2æ, q. xxxii, a. 5 ad 2um.

SANCTUS Thomas de Aquino ait : Quamvis bona temporalia sint possidentis quantum ad proprietatem, tamen quantum ad usum debent esse illorum, et illis communicanda sunt, qui indigent his quæ possidenti superfluunt ; et quidquid possessori superest, consideratis condecentia et gravamine sui status, debet ad usus pios convertere. Et istud probat Thomas ex doctrina sanctorum patrum Basilii atque Ambrosii. Ait namque sanctus pater Basilius : Si tu, o dives, fateris et recognoscis bona hæc temporalia et exteriora tibi provenisse a Deo, an injustus est Deus, qui bona ista inæqualiter distribuit nobis ? Cur tu abundas et ille mendicat, nisi ut

A tu consequaris merita acquirasque præmia bonæ erogationis et piæ communicationis, hoc est virtuosi usus divitiarum, pauper vero decoretur patientiæ braviis et mercede ac gloria paupertatis ? Et juxta hunc sensum verum est quod ait gloriosus abbas Bernardus : Filii hominum vani et cupidi, cur amatis terrenas divitias, quæ nec veræ nec vestræ sunt ? Et si vestræ sunt, tollite eas vobiscum ; sed homo quum dormierit, non sumet quidquam ex eis secum. Itaque constat quod Deus omnipo-

Ps. xlviii, 18 ; *Job* xxvii, 19.

B tens, creator justus ac sapiens, creavit hominibusque communicavit, deputavit ac dedit bona terrena, quatenus unusquisque eis utatur moderate, secundum exigentiam et condecentiam sui status.

ARTICULUS V.

Quam periculosum sit temporalia bona retinere superflue.

C EX quo temporalia bona debent esse communia quantum ad usum, idcirco qui plus conservat sibi ex eis, quam sibi et pertinentibus ad se utile est vel necesse ad serviendum Deo et ad proficiendum in gratia atque virtutibus, potissime in amore Dei, facit injuste, et retinet sibi ea quæ tenetur indigentibus communicare, aut in pios usus ad Dei honorem expendere : imo retinet sibi ea quæ non sunt sua coram Deo, et facit injuriam tam Creatori, cujus honorem et cultum posset augere

D bene utendo suis divitiis, quam hominibus indigentibus, quibus posset succurrere.

Hinc ait magnus Basilius : Panis famelici est quem tu tenes ; nudi est tunica quam in conclavi reservas ; discalceati calceus est qui apud te marcescit ; indigentium est argentum et aurum quod habes reconditum : idcirco tot hominibus injuriaris, quot inde succurrere posses. Hoc idem ait venerandus pater Ambrosius, qui etiam addit : Captivorum redemptio est pecunia quam abscondis. Hinc etiam as-

Summm. th. 2a 2æ, q. cxviii, a. 4. serit S. Thomas : Avaritia contrariatur justitiæ, secundum quod avaritia importat immoderatam acceptionem et reservationem divitiarum quas homo ultra debitum adipiscitur aut conservat. Sicque avaritia ex sua natura est peccatum mortale : quia sic spectat ad eam res aliorum retinere aut sumere, eo quod exteriora quantum ad usum communia sunt. Imo sic avaritia comparatur rapinæ ac furto. Hinc iterum dicunt sancti doctores Ambrosius et Basilius : Non minoris est criminis habenti quod suum est tollere, quam quum dare possis et abundes, indigentibus denegare : ideo scias te tantorum bona invadere, quantis potes nec vis præstare.

Vides, o dilecta ac venerabilis Domina, quam periculosum sit animæ tuæ tantas pecunias apud te retinere, nec eas pie expendere. Imo, quum S. Thomas dicat, quod homo peccat quotidie plus omittendo bona quam committendo mala, sicut homines sæculares qui tempus duarum aut trium horarum consumunt fabulando, jocando, ridendo, potando, non solum graviter peccant committendo hæc mala, sed et valde graviter Deum offendunt, omittendo ac negligendo multa opera virtuosa quæ facere possent et deberent intra horas illas ; idcirco timere debes ne forte non solum pecces in Deum, retinendo apud te tanta temporalia bona quibus non indiges, per quæ tam multa opera bona patrare posses, sed etiam quod omissio omnium operum talium imputabitur tibi a Deo.

ARTICULUS VI.

Contra avaritiam ex dictis sanctorum Patrum.

BEATISSIMUS doctor Ecclesiæ Augustinus disseruit : Non solum avarus est qui cupit aut rapit aliena, sed etiam ille qui cupide servat sua. Avarus similis est inferno. Nam sicut infernus nunquam dicit, Prov. xxx, 16.

A Sufficit, quantoscumque devoraverit ; ita avarus non impletur pecunia. Quæ est ista aviditas avaritiæ, quum et bestiæ habeant modum ? Tunc enim rapiunt quando indigent et famescunt ; et parcunt prædæ, quum senserint satietatem. Avaritia vero quanto plura acquirit, tanto plura desiderat. Hinc ait Innocentius Papa : O insatiabilis cupiditas, igni inexstinguibili similis ! Quis avarorum fuit unquam primo voto contentus ? Quum adipiscitur quod optavit, appetit ampliora ; nunquam constituit sibi finem in habitis, sed jugiter in habendis. Hoc est quod ait Gregorius : Sicut hydropicus quanto plus bibit, tanto plus sitit ; ita avarus quanto plura acquirit, tanto ad acquirenda plura amplius inardescit. Avarus nunc ardet æstu concupiscentiæ atque multiplici cura custodiæ suæ pecuniæ, postmodumque ardebit igne gehennæ. Ex quibus constat verum esse quod ait S. Joannes Chrysostomus : Qui servit pecuniæ, præsentibus ligatur compedibus et futuris. Qui pecunias habet, velit nolit, timori ac dolori succumbit. Avaritia ita deprimit cor ad terrena, ut nequeat se elevare sinceriter ad cœlestia et æterna. Nec potest anima contemplari divina, aut promereri gaudia sine fine mansura, nisi fuerit a peccato avaritiæ expurgata.

Denique sanctus abbas Bernardus effatur : Cupiditas est radix iniquitatis ; cupiditas ex negligentia oritur : nam ideo homo inhiat et inhæret transitoriis rebus, quoniam negligit meditari æterna et digne considerare futura. Ex avaritia et opulentia procedit cæcitas cordis, furor animositatis, anxius labor suspicionis, crudele venenum livoris, insatiabilis amor divitiarum. Longe plus torquet suo desiderio animam, quam suo usu refrigerat eam. Insuper vir ille profundi sensus Joannes Climacus dicit : Avarus est voluntarius prævaricator et subsannator Evangelii Domini nostri Jesu Christi, quoniam Christus in toto Evangelio verbis et exemplis docuit terrenorum contemptum. I Tim. vi. 10.

ARTICULUS VII.

Quod multa mala sequantur ex avaritia, et quam vehementer impediat hominem a caritate et gratia Dei atque a regno cœlesti.

Luc. VIII, 14. CHRISTUS in Evangelio divitias vocat spinas, quoniam varias curas amaras, timores et suspiciones, inquietudines et occupationes animam instar spinarum penetrantes, producunt in homine divite et avaro. Ideo ait S. Bernardus : Qui amat pe- B cuniam, non satiatur; qui diligit aurum, non quietatur. Non ante satiatur cor hominis auro, quam corpus aura. Requisitio divitiarum est plena laboris, earum possessio est plena timoris, ipsarum amissio est plena doloris. Denique B. Ambrosius dicit : Sicut qui per insaniam mente translati sunt, non vident res ipsas, sed imaginationum et passionum suarum phantasias; ita mens avara semel ligata vinculis cupiditatis, semper credit se aurum et argentum videre, semper computat red- C ditus suos, et aurum libentius intuetur quam solem.

Præterea, quanta mala sequantur ex avaritia, non opus est scribere, quia experientia satis hoc edocet. Specialiter tamen oriuntur ex ea obduratio cordis, inquietudo, violentia, dolus, perjurium, proditio, furtum, rapina, mendacium, testimonium falsum, multaque alia, ut patet ex dictis. (art. præced.) Ecce quantis vitiis atque periculis, quantis damnationibus involvit hominem hæc avaritia detestanda. Ipsa enim in primis pri- D vat hominem omni vero et spirituali amore, facitque mentem a caritate Christi penitus alienam; et tanquam lapis molaris cor deprimit, ut semper terrena et caduca adspiciat, cogitet et affectet. Imo efficit hominem idololatræ similem, ita quod magis inhæret auro quam Deo, magis honorat pecuniam quam bonitatem æternam, increatam et infinitam, sæpius cogitat nummum quam proprium Creatorem : sicque avaritia facit hominem servum A peccati, membrum diaboli, spiritualibus divitiis destitutum, et non solum privat eum felicitate æterna, sed etiam trahit eumdem ad tormenta perpetua; et sicut nunc privat animam pace pectoris consolationibusque spiritualibus ac internis, ita post vitam hanc privat eam pace æternitatis et jucunditatibus sempiternis.

ARTICULUS VIII.

De causis seu occasionibus inducentibus ad avaritiam.

ARISTOTELES dicit, quod numisma seu pecunia est quasi fidejussor ad obtinenda cetera omnia quæ in hac vita solent optari aut reputari. Propter quod unus sapientium dixit : Pecuniæ obediunt omnia. (*Eccle.* X, 19.) Videmus enim quod per pecuniam acquiruntur honores mundi, deliciæ ceteræ et delectabilia carni. Divitibus quoque plurimi adulantur, et divites honorantur ac famam acquirunt, imo et ab excellentibus visitantur ac venerantur personis. Itaque amor et complacentia honoris temporalis, laudis humanæ, transitoriæ famæ delicatæque vitæ et consimilium, multos trahunt ac movent ad avaritiam, et conservant eos in illa. Præterea, sicut multi appetunt ista sibimetipsis, sic cupiunt ea acquirere ac relinquere posteris suis, videlicet soboli suæ ceterisque propinquis. Idcirco amor carnalis ad proprios pueros aut cognatos, multos inducit ad avaritiam. Insuper Seneca ait : Pecunia avaritiam non exstinguit, sed provocat, nutrit et auget eamdem. Quemadmodum enim appositio lignorum ad ignem est nutritio et augmentatio ignis, sic pecuniarum acquisitio seu abundantia avaritiam plus accendit. Iterum, quum aurum ex sua natura habeat vim quamdam lætificandi intuentem, ipsa delectatio quam aliqui habent intuendo aut cogitando suos aureos nummos, conservat eos in avaritia. Familiaritas quoque aureorum incitat ad avaritiam. Iterum, quum senes sint natura-

liter frigidi et multis indigeant, naturalis eorum frigiditas ac indigentia movet eos ad avaritiam, atque in ea tenet ipsos ligatos. Imo, quemadmodum aliqui ex naturali complexione sunt inclinati ad iram vel ad libidinem aut superbiam, ita nonnulli ex sua complexione etiam a juventute inclinati ac proni sunt ad avaritiam. Verumtamen, quum cetera vitia decrescant in senibus, avaritia tamen ex causa prætacta crescit in ipsis.

ARTICULUS IX.

De remediis contra avaritiam.

AVARITIA non est hominibus ita connaturalis sicut gula et appetitus venereorum : ideo a principio facilius potest vitari quam vitia illa. Sed postquam avaritia intromissa est et mentem semel possedit, valde difficile est eam superare et exstirpare. Ideo nunc diligenter tangendum est de remediis avaritiæ. Quorum primum est frequens ac diligens consideratio mortis, in qua omnia simul terrena sunt deserenda, ut ait Anselmus. Ideo
Job XXVII, 19, 20. sanctus Job loquitur : Dives quum dormierit, nihil secum auferet ; apprehendet eum quasi aqua inopia. Sanctus quoque Hieronymus protestatur : Faciliter cuncta terrena contemnet, qui se semper cogitat moriturum. Et consideratio ista debet senes specialiter inflammare ad superandum avaritiam, quum sciant se diu vivere non posse. Sicque ad istud primum remedium potest reduci quod scribit B. Gregorius : Avaritia, inquiens, bene compescitur, si ipse status avari sollicite consideretur. Nam cur instet ad colligendum aut retinendum terrena, quum stare diu non possit ipse qui colligit aut retinet ea ? Longa nostra desideria increpat brevis vita. Incassum multa portantur, dum prope est quo pergitur.

Secundum remedium est diligens consideratio enormitatis peccati avaritiæ in
art. IV, V. se ipsa. Jam enim declaratum est, quod

A ea quæ avarus superflue optat, quærit, colligit aut reservat, non sint sua quantum ad usum : et ita in avaritia includitur peccatum rapinæ et furti, ut dicit S. Thomas ; et sic avaritia contrariatur justitiæ et etiam liberalitati ; et est non solum contra legem evangelicam ac divinam, sed item contra legem naturalem, qua unusquisque tenetur alteri facere sicut vult sibi fieri, aut sicut vellet rationabiliter fieri sibi, si esset in statu alterius. Quum ergo avaritia sit in se ipsa tam grave ac turpe B peccatum, præsertim quum ab Apostolo appelletur idololatria, merito est penitus odienda. *Matth.* VII, 12. *Ephes.* V, 5 ; *Coloss.* III, 5.

Tertium remedium est diligens consideratio vitiorum omnium quæ sequuntur ex ea. Quum enim sit radix omnis mali, quid est inter peccata quod non oriatur ex ea ? Nam et superbia, quæ omnium vitiorum regina et mater vocatur, frequentissime ex avaritia nascitur. Opulentia namque parit non solum animositatem, sed etiam præsumptionem, jactantiam, C inanem lætitiam, imo et gulam, ex qua vitia carnis et multiplex pravitas prodeunt. Ne igitur incidat homo tot vitia, de quibus plenius est prædictum, debet omnino avaritiam detestari. *I Tim.* VI, 10. art. VI-VIII.

Quartum remedium est sollicita consideratio spiritualium damnorum pœnaliumque malorum quæ ex avaritia generantur. Ipsa enim, ut dictum est, privat hominem omni gratia, cunctisque virtutibus et omnibus septem donis Spiritus Sancti in vita præsenti ; deinde post vitam hanc privat D eum gloria æternali, et facit eum retrudi in carcerem infernalem, atque perpetuo igne torqueri tanto acrius, imo et intolerabilius, quanto in se ipsa enormior et immoderatior exstat, et quo plura vitia oriuntur ex ea. Porro, inter septem dona Spiritus Sancti primum dignissimumque consistit donum sapientiæ, per quam homo contemplatur Deum et spiritualia ac æterna cum gustu mentali et suavitate interna. Huic autem dono sapientiæ contrariatur specialiter avaritia : quia per eam homo art. VII. *Is.* XI, 2.

præponit ista vilia et terrena Deo altissimo A ac rebus spiritualibus ac divinis. Si ergo, o Domina, diligenter ac profunde consideraveris quæ et quanta damna ac tormenta ingerat avaritia homini, et quam ineffabiliter et incomparabiliter damna et tormenta illa excedant omnem utilitatem temporalem et delectationem carnalem quas bona terrena possunt conferre avaro, non erit tibi difficile terrena despicere, pecunias pro nihilo reputare, superflua in pios usus expendere.

Quintum remedium est formidolosa et B quotidiana consideratio metuendi confusibilisque judicii quod restat avaris, qui a Judice summo præcipue confundentur, *Ps.* LI, 8, 9. quemadmodum ait Propheta : Videbunt justi, et timebunt; et super eum ridebunt, et dicent : Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum. Ideo di- *Sap.* V, 8, 9. cent avari in die judicii : Quid profuit nobis superbia ? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis ? Transierunt omnia illa tanquam umbra. Tunc Judex supremus C *Matth.* XXV, 41-43. dicet specialissime avaris divitibus : Ite, maledicti, in ignem æternum : esurivi enim, et non dedistis mihi manducare ; sitivi, et non dedistis mihi potum ; nudus eram, et non cooperuistis me ; peregrinus fui, et non collegistis me.

Sextum remedium est, ut homo discat et incipiat contemplari divina, amare cœlestia, et toto cordis affectu applicare se Deo adhærereque ei, qui est universis et singulis penitus infinite melior et amabilior, dulcior, pulchrior, deliciosior. Tunc D enim comparatione tam summi infinitique boni, vilescunt homini omnia ista terrena, caduca et vilia. — Septimum est, sperare in Domino Deo tanquam in fidelissimo ac benignissimo patre, et in paterna ac infallibili providentia ejus, qua non solum hominibus, sed etiam avibus cœli et bestiis terræ necessaria vitæ largitur, prout *Ibid.* VI, 34. Christus in Evangelio docet : Nolite (inquiens) solliciti esse in crastinum. — Octavum est, despicere humanum honorem, laudem, famam et gloriam temporalem, quæ quosdam alliciunt ad temporalium divitiarum amorem.

Nonum remedium est consideratio Scripturarum sanctarum, quæ avaritiam reprobant, et quid contra eam agendum sit manifestant, ut quum in Evangelio ait Salvator : Ne solliciti sitis animæ vestræ *Matth.* VI, 25, 26, 30, 32, 33. quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit ea : quanto magis pascet vos modicæ fidei ? Scit enim Pater cœlestis quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Item quum ait Apostolus : Habentes victum et quibus *I Tim.* VI, 8. tegamur, his contenti simus. Quemadmodum enim stultus viator est, qui ad aliquem pergens locum, portat super se onera gravia, sibi non necessaria, imo et valde impedientia eum a processu ; ita avarus est fatuus, qui pecunias et cetera temporalia superflue congregat aut reservat : quia per talia maxime retardatur a virtuosis operibus, et diversis se involvit laqueis, quum sit difficile pecunias multas habere, nec eas inordinate amare, sed virtuose expendere ; præsertim quum dicat Salvator : Beati pauperes spiritu, quoniam *Matth.* V, 3. ipsorum est regnum cœlorum. Unde rursus ait Scriptura : Beatus dives qui inventus *Eccli.* XXXI, 8. est sine macula, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Hinc iterum ait Propheta : Ne timueris quum *Ps.* XLVIII, 17, 18. dives factus fuerit homo, et quum multiplicata fuerit gloria domus ejus : quoniam quum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. Et iterum : Nihil (inquit) invenerunt omnes *Ps.* LXXV, 6. viri divitiarum in manibus suis.

Decimum remedium est consideratio paupertatis extremæ Domini nostri Jesu Christi, qui ab utero matris usque ad patibulum crucis paupertatem elegit, et in maxima paupertate permansit. Quum ergo *Joann.* XV, 20. non sit servus major domino suo, nonne

perversum est ut Christianus velit esse A locuples in hoc mundo? Propterea dicit S. Bernardus : Magna abusio et magna nimis, ut dives fieri velit vilis vermiculus, pro quo pauper dignatus est fieri Dominus majestatis.

ARTICULUS X.

Consilium ejus qui hæc scribit.

JAM, o venerabilis Domina, multa contra avaritiam sunt scripta, et remedia con- B tra eam sunt tacta, ex quibus potes elicere quid agere debeas. Nec ideo scripsi hæc quasi sentiam aut innuere velim alicui quod sis avara (non enim pertinet ad me ita judicare aut sentire de te), sed ut avaritiam diligentius vites, et pecunias tuas virtuose ac laudabiliter expendas : alioqui non posses de avaritia excusari, neque gravissimam damnationem evadere, sicut ostensum est ex verbis Sanctorum et ex Scripturis divinis. Si enim veraciter vis salvari, oportet te superflua divitiarum C tuarum pie expendere.

Præterea, Christus in Evangelio docuit duplicem viam contra avaritiam. Prima est via consiliorum, ad quam pertinet universa terrena relinquere, nec aliquid penitus sibimet reservare, sed in perfecta paupertate Deo servire, ut faciunt viri religiosi. De qua via loquitur Filius Dei :
Matth. xix, 21. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere
Luc. xiv, 33. me ; itemque : Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse disci- D pulus. Sed hæc via tibi, o Domina, forsan non placet propter senium tuum et alias causas. Est ergo alia via, mandatorum, de
Ibid. xi, 41. qua ait Salvator : Quod superest, date eleemosynam, hoc est, de his quæ vobis superfluunt, facite opera misericordiæ, atque in pios usus expendite illa. Et dicuntur illa superfluere homini, quæ non sunt ei necessaria per respectum ad spiritualia bona, considerata honestate et condecentia status sui et domesticorum suorum. De hac via rursus disseruit Christus : Facite *Luc.* xvi, 9.
vobis amicos de mammona iniquitatis, ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Insuper de hac via scribit apostolus Paulus ad Timotheum : Divitibus *I Tim.* vi, 17-19.
hujus sæculi præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo ; divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, ut apprehendant veram vitam. Item ad hanc viam contra avaritiam pertinet quod dicit venerabilis ille Tobias : Quomodo potueris, *Tob.* iv, 8, 9.
ita esto misericors : si multum tibi fuerit, abundanter tribue ; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertire stude.

Itaque, o venerabilis Domina, si parvitatis meæ consilium placet prudentiæ tuæ, consulo ut exoneres te ipsam ordinate et citius quomodo convenienter poteris a pecuniis, reservando tibi competentiam bonam ac sufficientiam, assignando quoque cognatis tuis rationabilem summam ex vera caritate, non ut eos immoderate dites aut eleves in sæculo isto, sed juxta mensuram et conditionem parentelæ ac status onerisque eorum. Si vero ex carnali amore ditares et elevares eos in vita ista superflue, omnia peccata eorum ex tali ditatione et elevatione eorum sequentia, imputarentur tibi a Deo, et simul cum eis damnareris. Ipsi quoque in inferno æternaliter maledicerent tibi, et damnationem suam tibi cum maximo odio imputarent, sicut de hoc leguntur multa exempla authentica. Residuam vero tuam pecuniam eroges in usus pios, succurrendo pauperibus, et cœnobia collapsa et deformata recuperando pro posse tuo.

Præterea, quum inter omnia opera pietatis piissimum sit cultum Dei augere et vitam vere religiosam fundare, consulo ut quum abundes tantis pecuniis, ordines competentem ac rationabilem summam pecuniæ ad fundandum monasterium approbati et reformati Ordinis, ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, atque ad ædificationem et salutem animarum multarum, pro te

ipsa et pro salute mariti tui defuncti et A parentum utriusque, et pro ceteris pro quibus optas, ut sis particeps omnium bonorum operum quæ unquam provenirent ex tali fundatione, et quæ fierent in ipso monasterio. Hoc enim gloriosissimum tibi esset coram Deo et omnibus Sanctis ejus. Atque ex tunc deinceps vivas in magna quiete, insistendo devotioni et orationibus sanctis, secundum quod plenius scripsi tibi in præfato tractatulo de Laudabili viduarum vita. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS EPISTOLÆ AD QUAMDAM VIDUAM CONTRA AVARITIAM.

DE LAUDABILI VITA VIRGINUM

PROŒMIUM

VIRGO *cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.* I Cor. VII, 34. Hæc sunt verba apostoli Pauli in prima ad Corinthios epistola, capitulo septimo, in quo docet quantum et quare virginitas sit matrimonio præferenda, videlicet quoniam conjugati non sunt tam apti adhærere ac puro corde servire Deo omnipotenti ut virgines. Conjugati namque circa multa sunt occupati, et carnalia ac terrena *I Cor.* VII, 33, 34. tractant negotia; suntque frequenter solliciti qualiter sibi invicem placeant. Ipsa quoque voluptas carnalis deprimit mentem, et a divino amore, ab interna puritate atque a spiritualium deliciarum degustatione impedit eam. Insuper multa sunt onera annexa conjugio, et uxor sub potestate est viri, variisque miseriis frequenter gravatur : per quæ omnia plurimum impeditur a sincera mentis quiete et pace in Deo, et a spirituali jucunditate, ac libero et fervido Deitatis obsequio. Frequenter etiam accidit ut maritus et uxor male concordent : sicque ex discordia, lite et contentione concipiunt contra se invicem odium grave, et tædiosissimam pariter ducunt vitam, imo tanto tædiosiorem ac graviorem quanto magis inseparabilem, ita ut interdum unus cupiat, ne dicam procuret, mortem alterius, aut fidem violet conjugalem.

Propter vitanda ergo hæc mala, virginitas præfertur conjugio, loquendo de virginitate prout est virtus per quam homo ab omni abstinet commixtione carnali, et ab ea semper abstinere proponit, ut liberiori perfectiorique animo vacet Deo et exercitationi virtutum. Et persona quæ tali intentione vitat connubium et omnem carnalem amplexum, digna est virgo vocari. Atque de omni hujusmodi virgine dixit Apostolus : « Virgo *Ibid.* 34. cogitat quæ Domini sunt », id est, divina præcepta attendit, et qualiter possit Deo placere inquirit, de rebus salubribus ac divinis assidue meditans, et quidquid pertinet ad Dei honorem propriamque salutem, quotidie diligenter advertit et recordatur, « ut sit sancta corpore et spiritu », id est, quatenus ab omni immunditia carnalium ac spiritualium caveat vitiorum, cunctisque virtutibus decoretur et splendeat coram Sponso cœlesti, qui ait : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Qui quamvis sit sponsus *Matth.* v, 8. omnium fidelium virtuosarumque animarum, specialiter tamen sponsus est virginum, quæ amore ipsius despiciunt sponsos carnales, quatenus toto cordis affectu intentæ sint et unitæ Sponso superno, unigenito Filio ejus, et omni servituti ac cultui ejus, ipsum jugiter exorando, laudando, contemplando ac diligendo, atque in actibus istis omni die proficiendo.

DE LAUDABILI VITA VIRGINUM[1]

ARTICULUS PRIMUS.

Cur Dominus et Salvator noster in Evangelio virginitatem docuit, consuluit et laudavit.

DEUS altissimus et æternus olim dedit filiis Israel legem grossam et imperfectam per Moysen servum suum, sicut et populus ille grossissimus fuit defectuosusque valde. Idcirco in lege illa non dabatur consilium de virginitate servanda : præsertim quia et lex illa data non fuit nisi populo Judæorum, in quo cultus Dei conservabatur per generationem carnalem. Deinde Pater æternus per unicum Filium suum Jesum contulit evangelicam legem, perfectam et spiritualem, universis totius mundi nationibus promulgandam : cujus legis finalis perfectio est Deum gloriosum toto corde, tota mente totisque viribus sincere diligere. Ideo Christus prohibuit ea quæ directe et omnino impediunt hominem a tali dilectione divina, ut sunt peccata mortalia. Porro ea quæ necessaria sunt ad habendum et conservandum hujusmodi Dei amorem Christus præcepit, ut sunt : humilitas, patientia, mansuetudo, misericordia, sobrietas, justitia, prudentia, et maxime caritas proximorum, tam inimicorum quam amicorum, qui omnes ex caritate amandi sunt, propter præceptum Dei, et quia ad summæ Trinitatis imaginem et similitudinem sunt creati, ac Christi sanguine liberati, atque æternæ felicitatis capaces.

A Sunt autem aliqua quæ licet non sint in se ipsis prava neque illicita, tamen communiter sunt occasio vitiorum, et multa mala eis annexa sunt, quæ sunt impedimenta dilectionis divinæ, ita quod valde difficile est in caritate Dei, præsertim in spirituali et perfecto Deitatis amore, persistere eis qui habent talia quæ in se ipsis non sunt mala, ut sunt temporales divitiæ, libertas propriæ voluntatis, atque conjugium. Ideo Christus Filius Dei, virtus et (I Cor. 1, 24.) sapientia summi Patris, consuluit nobis B relinquere talia, ne per occupationes et sollicitudines temporalium rerum, ac per sensualem contoralis amorem, aut per delectationem carnalem, retrahamur a spirituali amore et virtutum profectu, atque a puritate, quiete, pace ac stabilitate mentis in Deo. Ideo Filius Dei, qui venit in hunc mundum ut faceret homines perfectos ac spirituales, consuluit virginitatem : quatenus homines tanto purius, liberius atque ferventius adhæreant ac serviant Deo, quanto plus a rebus et actibus ac delecta-C mentis carnalibus se elongant, et quanto plus abstracti ac liberi sunt ab inquietudinibus, rixis, molestiis, curis, displicentiis et suspicionibus malis, quæ matrimonio solent esse connexæ.

ARTICULUS II.

Quid sit virginitas.

IN communi modo loquendi, virgines appellantur omnes personæ utriusque sexus quæ a carnali commixtione immunes

[1] Ex editionibus Coloniæ, Joannis Soteris, 1532, et Joannis Birckmanni Junioris, 1559.

sunt. Sed talis virginitas non est virtus A faciens hominem placentem Deo atque æterna beatitudine dignum. Itaque virginitas quæ est virtus, est castitas vitiosam concupiscentiam carnis refrenans, ab omni contagione corporis aliena, per quam homo firmiter proponit propter Deum ab omni vitio castitati contrario semper cavere. Pertinet igitur ad virginem, non solum vitare carnalem conjunctionem, sed etiam refrenare concupiscentiam primam, nec consentire in delectationem carnalem neque in opus, insuper evitare amplexus B et oscula, et omnes contactus ex quibus potest et solet carnalis concupiscentia excitari.

Hinc asserit Augustinus : Virginitas est in carne corruptibili meditatio incorruptionis perpetuæ, id est propositum servandi perpetuam incorruptionem. Ad hoc enim ut in spirituali ac divino amore perseveremus et proficiamus, necessarium est ut universas affectiones sensitivi appetitus refrenemus, moderemur, et rationi subdamus, ita ut non afficiamur ad aliquam rem C terrenam, carnalem ac temporalem, nisi secundum rectæ rationis judicium, et juxta divinorum præceptorum tenorem, hoc est, in quantum res temporalis, sensibilis seu terrena utilis ac necessaria nobis est ad bene vivendum et complacendum Deo, vel prout expedit ipsi rei ad obtinendum æternam salutem. Ideo quilibet homo debet diligere alium non carnali sed spirituali amore, hoc est, non propter propriam delectationem quam posset habere in illo, sed ad hoc ut ille in hac vita virtuose se D habeat, et in gratia Dei ac in omni virtute proficiat, atque post vitam hanc brevem adipiscatur æternam salutem. Sicque diligere proximos, præcipue spectat ad virgines, quæ debent ab omni carnali et sensuali affectione se custodire, et in spirituali, sancta ac pura dilectione Dei et proximorum quotidie crescere, imo universa vitare quæ a sinceritate, profectu et fervore dilectionis cœlestis impediunt Sponsi.

ARTICULUS III.

Laudatio sanctæ virginitatis.

OMNIS actio Christi est nostra instructio. Hoc ergo primo ostendit virginitatem esse valde laudabilem Deoque placitam, quod ipsemet Dominus Deus, creator et legislator noster, propter nos homo factus et inter homines conversans, in virginitate permansit, imo et familiaritates ac privatas allocutiones feminarum vitavit : non quod sibi potuit esse periculosum, esse familiarem atque affabilem feminis, sed ad nostram instructionem, ut talia caveamus. Hinc apud Joannem habetur : Mirabantur discipuli quia cum muliere loquebatur Jesus, utputa cum muliere Samaritana. *Joann.* IV, 27.

Secundo monstratur virginitas esse valde commendabilis ac Deo gratissima, quoniam ipse Filius Dei ex virgine nasci elegit, sicque virginitatem in se ipso et in sua dilectissima Matre consecravit et dedicavit. Conformiter præcursorem suum, sanctissimum Joannem Baptistam, voluit virginem permanere. Joannem quoque apostolum et evangelistam revocavit a nuptiis, ut fertur, et fecit eum in virginitate manere.

Tertio patet idem, quia (ut sancti Patres testantur) virginitas est pretiosissimus, incomparabilis irrecuperabilisque thesaurus in fragili vasculo, id est in carne mortali, absconditus : ideo est diligentissime custodiendus. Unde S. Thomas apostolus dixit filio regis et sponsæ ipsius antequam carnaliter convenerunt : Habetis carnis integritatem, id est virginitatem, quæ est omnium regula virtutum, et fructus salutis perpetuæ. Virginitas est soror angelorum, possessio omnium bonorum, victoria libidinum, fidei trophæum, expugnatio dæmonum, et æterna securitas gaudiorum.

Quarto innotescit ineffabilis dignitas virginitatis consecratæ Sponso cœlesti, ex hoc quod ipsa violanda non est nec per matrimonium constringenda propter unius

integri regni conversionem ad fidem christianam. Unde, quum S. Matthæus apostolus Iphigeniam virginem, regis Æthiopum filiam, consecrasset cœlesti Sponso, et rex quidam paganus rogaret B. Matthæum apostolum ut Iphigeniam virginem daret sibi in sponsam et conjugem, et ipse cum toto regno suo christianam assumeret fidem, non acquievit ei S. Matthæus, et dixit : Quamvis bonum sit matrimonium, tamen si quis servorum sponsam regis sui usurparet, non solum offensam regis incurreret, sed et mortem insuper mereretur : non quia uxorem sumpsisset, sed quia sponsam domini sui invasisset. Ita et tu, rex, sciens Iphigeniam Regis æterni sponsam effectam et sacro velamine consecratam, quomodo poteris sponsam potentioris te tollere, et tuo matrimonio copulare? Et ex isto Albertus et alii multi doctores probant et tenent, quod nec pontifex Papa possit dispensare in voto castitatis solenni, id est dare licentiam moniali ut nubat, etiam si Soldanus cum toto regno Sarracenorum vellet fieri christianus, dummodo posset monialem illam ducere conjugem.

Quinto patet laus virginitatis ex hoc quod castitas virginalis ponit virginem in statu cœlesti : quoniam vita virginum assimilatur vitæ cœlestium civium. Propter quod Filius Dei in Evangelio loquitur : In resurrectione non nubent neque nubentur (id est, post diem judicii homines non inibunt conjugia), sed erunt sicut angeli Dei. Hinc asserit S. Bernardus : Sola virginitas in hoc mortalitatis loco et tempore quemdam statum immortalis gloriæ repræsentat. Virginitas instar pretiosi ac odoriferi balsami quo corpora defunctorum incorrupta servantur, continet ac restringit membra ac sensus hominum a putredine vitiorum, præsertim a fœtore concupiscentiarum carnalium, et a corruptione turpium operum.

Matth. XXII, 30.

Sexto patet virginitatis præconium, quoniam virgo inclyte superat corpus proprium et regnat in eo, et ratio sua dominatur ac prævalet suæ sensualitati : sicque

A sequitur Christum atque naturæ angelicæ puritatem. Hinc virginitas designatur per hyacinthum, qui est pulchri ac cœlestis coloris : quoniam virgines mortificantes et aspernantes viles carnis illecebras, cœlestem vitam ducunt in terris ; et inter homines positi, angelicam imitantur munditiam, ut sanctus disseruit Cyprianus, martyr, præsul et doctor. Unde et sanctus pater Ambrosius : Virginitas, inquit, supergreditur conditionem humanæ naturæ, per quam homines angelis conformantur.

B Major tamen est victoria virginum quam angelorum. Angeli namque sine carne vivunt, quoniam incorporei sunt ; homines vero virgines in carne triumphant. Idcirco, ut gloriosus ait Hieronymus, in carne præter carnem vivere, non humana vita est, sed cœlestis.

Septimo patet idem, quoniam vita virginum est vita nobilissima, honestissima et regalis, quum sint sponsæ Regis superni. Quum enim homo sit ex corpore et anima, et per sensitivas potentias cum

C brutis communicet, per intellectum vero et liberam voluntatem cum Deo et angelis; idcirco vera nobilitas, perfectio, decor honestasque hominis est, elongare atque abstrahere se a rebus carnalibus, transitoriis ac terrenis, et occupare se in rebus actibusque divinis, spiritualibus ac æternis, hoc est in exercitiis virtuosis, in orationibus, meditationibus et laudibus Dei : quod totum ad virgines specialiter pertinet, quæ a fœditatibus et voluptatibus carnis se abstrahunt, ut Regi omnium sæ- I *Tim.* I, 17.

D culorum immortali, invisibili, purius obsequantur. Ideo, sicut in vitiis carnis est maxima turpitudo, vilitas, brutalitas et excæcatio mentis ; ita in vita virginali exsistit præcipua puritas, spiritualitas et honestas atque illuminatio cordis. Et quanto plus virgo contemnit delectamenta carnalia propter Deum, tanto copiosius promeretur dulciter inhabitari ac visitari a Spiritu Sancto, dummodo aliunde per vanitatem, elationem, negligentiam aut aliam culpam obicem non ponat.

ARTICULUS IV.

De his quæ virginibus sunt vitanda ac metuenda.

art.præced. DICTUM est jam, quod virginitas sancta pretiosissimus et irrecuperabilis sit thesaurus, quem portat virgo in fragili vasculo, hoc est in corpore suo ad vitia prono : idcirco ne tam præclarum perdat thesaurum, necessaria sibi est diligens atque incessabilis custodia cordis, præsertim quum ipsa virginitas tot habeat insidiatores et æmulos qui eam corrumpere et auferre conantur, videlicet homines lubrici, invisibiles quoque hostes humanæ salutis ; sed et caro jugiter inclinat ad mala. Oportet ergo ut virgo semper sit custodita.

Ideo primo cavere debet pravam securitatem, ex qua incustodia nascitur. Hinc virgo non debet de viribus suis præsumere, nec quasi certam se reputare quod non possit corruere, præsertim quum di-
ibidem. ctum sit, quod virginitas supergreditur conditionem humanæ naturæ.

Secundo cavenda et abhorrenda est virginibus omnis elatio mentis et gloria va-
ibidem. na. Jam etenim dictum est, quod multipliciter virginitas sit laudanda, quam divina ac nobilis virtus exsistat. Cavendum est igitur virgini ne ex apprehensione suæ virginitatis extollat se ipsam aut inaniter glorietur, vel se præferat aliis, aut meritis propriis suam adscribat virginitatem : imo, quo virginitas est præclarius donum Dei, eo de ipsa sit virgo Deo plus grata ac subdita, semperque anxia, pavida et suspecta. Si autem cœperit superbire aut inaniter gloriari, meretur a Deo relinqui ac despui, imo et in manifesta vitia labi, sicque suam virginitatem vel corporaliter vel spiritualiter perdere, hoc est carne aut mente corrumpi. Hinc loquitur Augustinus : Quanto majus bonum exstat virginitas, tanto plus timeo ei furem superbiæ, hoc est ipsam superbiam gloriamque inanem.

Tertio vitanda ac odienda est cunctis A virginibus inconsideratio seu fatuitas cordis. Virgo namque sollicita debet pensare nequaquam sibi ad salutem sufficere suam virginitatem; nec de ea contenta esse debet, sed magis advertere quod nec sine caritate nec sine humilitate sua queat virginitas Omnipotenti placere et meritoria esse. Ideo virgo advertat ac timeat quod Jacobus ait apostolus : Quicumque legem totam impleverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Ecce quid terribilius, quid rigorosius dici va- *Jacob.* II, 10.
B leat ? Hinc et omnium judex Christus Deus in Evangelio jubet : Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus ; quod debuimus facere, fecimus. Itaque virgo assidue suum consideret statum, et quid Judex ac Sponsus cœlestis ab ea requirat : sicque devitet omne quod potest offendere summi oculos amatoris. Hinc in exordio epistolæ ad Demetriadem virginem scribit Hieronymus : Prima virginis cura primumque studium sit scire voluntatem Domini sui, ac di- *Luc.* XVII, 10.
C ligenter inquirere quid placeat et quid displiceat Deo, quatenus secundum doctrinam Apostoli, rationabile Deo reddat obsequium, totumque vitæ suæ cursum ordinet secundum divinam Scripturam. Imple ergo, o virgo, quod ait Apostolus : Noli altum sapere (id est magna de te sentire ac magnum te reputare), sed time ; et quod in Ecclesiastico scriptum est : Altiora te ne quæsieris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper. Sis itaque, o virgo Christi, semper sagax et provida, *Rom.* XII, 1. *Ibid.* XI, 20. *Eccli.* III, 22.
D quoniam in Evangelio fatuæ virgines condemnantur. *Matth.* XXV, 11, 12.

Quarto vitanda est virgini tepiditas animi et omnis pigritia : quæ virginibus quibusdam solent accidere, quia de prærogativa ac merito suæ virginitatis nimis confidunt, præsumunt, et male securæ sunt, quasi sufficiat unum mortale vitasse. Considerent ergo quod ait apostolus Jacobus, In multis offendimus omnes ; et quod in via Dei non progredi, nec in virtutibus crescere, sit regredi atque defi- *Jacob.* III, 2.

cere ; et item, quod homo non potest diu mortalia vitare peccata, nisi fuerit diligens ad evitandum venialia. Pensent quoque quantum Judex ac Sponsus cœlestis detestetur ac spernat cordis tepiditatem, qui in Apocalypsi comminatur ac protestatur : *Apoc.* III, 15, 16. Utinam frigidus esses aut calidus ; sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Ideo S. Leo Papa disseruit : Non tepidis, nec pigritia negligentiaque torpentibus provenit regnum cœlorum. Imo, ut ait Eusebius, omnipotens Deus in suo obsequio despicit negligentem, respuit indevotum, evomit tepidum. Nempe qui piger et tepidus est, cito atque faciliter vincitur ab hostibus suæ salutis, et opus Dei efficit negligenter. Propterea damnationem meretur, sicut Jeremias propheta affirmat : *Jer.* XLVIII, 10. Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter. Virgo igitur cum omni diligentia serviat Deo, et tanto ferventius adhæreat ac ministret Sponso cœlesti, quanto benignius ab ipso est præservata a gravioribus vitiis.

Quinto vitanda est virginibus inquinatio suæ virgineæ nobilitatis ac claritatis. Earum namque nobilitas et claritas est ipsa virginitas, quæ per omne mortale peccatum fœdatur et offuscatur, in tantum quod Sponso cœlesti sit inaccepta, sicut ait Hieronymus : Accepta et præclara est coram Deo virginitas et pudicitiæ virtus, si aliarum fœditate culparum non inquinetur ; et sicut modica macula valde deformis apparet in pretiosa ac candida veste, sic parvum peccatum valde dehonestat et indecens est virgini.

Sexto vitanda est virgini universa levitas cordis et dissolutio morum, quum semper debeat esse custodita et timorata, ne mente aut corpore violetur, et ne cœlestem offendat Sponsum, et ne offenso eo relinquatur ab ipso et cadat. Juxta hunc modum multa similia virginibus sunt vitanda, videlicet : otiositas, loquacitas, audacia, inverecundia, incustodia oculorum, chorizatio et discursus, contentio, impatientia, ira et omnis gulositas, atque divisio cordis, hoc

A est, ne partim adhæreant Deo et partim mundo, et ne velint placere mundanis hominibus ac simul gaudere cum Christo et cum sæculo isto, sed toto corde adhæreant Creatori, Salvatori ac Sponso superno. Conformiter vitare debent occasiones peccandi, munuscula, familiaritates nocivas, secretas epistolas, attactus, oscula et amplexus, loca suspecta, conventicula quoque privata, confabulationes inutiles et occultas, arrisus et morosas inspectiones, ludos et jocos cum personis alterius
B sexus, prout de his infra magis tangetur.

ARTICULUS V.

De his quæ specialiter valent ad virginitatis conservationem.

QUEMADMODUM ea quæ in præcedenti articulo tacta sunt, exsistunt virginibus specialiter fugienda, utputa incustodia cordis, elatio, vana gloria, inconsideratio, tepiditas, cordis levitas, dissolutio, otio-
C sitas, loquacitas, audacia, inverecundia, incustodia oculorum, chorizatio, discursus, et cetera in fine præcedentis articuli nominata ; sic horum contraria sunt virginibus specialiter appetenda, amplectenda et conservanda, videlicet : diligens custodia, vera et profunda humilitas, lætitia spiritualis in Deo, assidua consideratio præceptorum, fervor et seriositas mentis, maturitas morum, refrenatio linguæ, occupatio fructuosa, verecundia virginalis; evitatio spectaculorum, chorearum et con-
D similium vanitatum ; custoditio visus, pudicitia, et elongatio ab omni indecenti contactu, osculo et amplexu ; austeritas quædam et rigor ad personas alterius sexus ; aspernatio munusculorum, salutationum, familiaritatum, confabulationum, arrisuum, jocorum, ludorum, secretorum locorum, et breviter omnium incitamentorum et occasionum libidinis.

In primis ergo necessaria est virgini pervigil, timorata atque indesinens cordis custodia, ita ut semper ab immundis et

pravis cogitationibus illicitisque desideriis mentem suam præservet, et quum tale quid senserit in corde suo versari, mox illud abjiciat et contemnat, convertendo se ad cogitationes salubres de passione Domini nostri Jesu Christi, de rigoroso ejus judicio, de pœnis purgatorii ac inferni, de gaudiis quoque paradisi cœlestis, et de acerbitate, incertitudine ac appropinquatione incessabili mortis. De quibus omnibus debet virgo intente ac frequenter quotidie cogitare ; sicque auxiliante Deo perfacile erit ei cogitationes vanas et vitiosas affectiones abjicere, et ita implebit quod Salomon exhortatur :
Prov. IV, 23. Omni custodia custodi cor tuum. Denique negotiatores per rura et silvas cum mercibus pretiosis pergentes, jugiter custodiunt et circumspiciunt atque armati sunt, ne ab adversariis impugnentur et spolientur : sic virgo in sæculo isto nequam conversans, et pretiosissimum virginitatis thesaurum in fragili sui corporis vasculo deferens, debet indesinenter esse custodita, circumspecta, sollicita spiritualiterque armata, ne mente lædatur per pravum consensum aut cogitationem impuram, et ne corpore violetur aut opprimatur. Nam,
Eccli. XXVII, 4. ut ait Scriptura, si non in timore Domini tenuerit se homo instanter, cito subvertetur domus sua, id est, cor suum cito falletur ac corruet. Insuper, sponsæ et uxores quamvis suis sponsis ac maritis sint infideles, attamen in illorum præsentia ab impudicitiæ signis et actibus se refrenant. Quum igitur virgines habeant Sponsum cœlestem omnia intuentem, debent se incessanter in illius præsentia ab omni inhonestate, immunditia et infidelitate custodire, et ei sine cessatione fideliter adhærere. Idcirco, o virgo, assidue cogita et adverte Sponsum cœlestem tibi esse præsentem ac omnia intuentem, et erubesce te in ejus præsentia et adspectu inhoneste reprehensibiliterque habere, nec audeas eo inspiciente cogitare aut affectare seu facere quod coram honestis hominibus non auderes loqui aut operari. Etenim væ homini qui homines mortales aut defectuosos magis quam sanctum et immortalem Deum veretur.

Secundo debet virgo veram et profundam humilitatem jugiter in se habere ac conservare, reputando se vilem, defectuosam, insipientem ac fragilem creaturam, non solum quotidie multipliciter graviterque peccantem cogitatione, affectione, verbis et actibus, atque multorum omissione bonorum, sed etiam in suis orationibus actibusque bonis tam defectuosam ac mente distractam, ut totum possit Deo amplius displicere quam complacere, nisi humilitas suppleat, et Deus altissimus misericorditer adspicere et acceptare dignetur. Omne quoque bonum et omnem gratiam sibi concessam, debet virgo pietati divinæ cum omni humilitate et gratiarum actione adscribere, ac se ipsam coram Sponso æterno in omnibus accusare, et pro illuminatione ac confortatione Spiritus Sancti cum grandi fervore ac instantia exorare. Advertat igitur virgo quod sanctus ait Bernardus : Non mediocriter placet Deo anima illa in qua humilitas commendat virginitatem, et virginitas exornat humilitatem. Ideo pulchra est permixtio humilitatis et virginitatis. Verumtamen magis necessaria est humilitas quam virginitas. Potest Deo placere humilis homo, quamvis non virgo, non autem virgo superbiens : imo nec beatissimæ Mariæ virginis virginitas sine humilitate Deo complacuisset. Ideo gloriosa virgo Maria non dixit, Quia respexit virginitatem ancillæ suæ ; sed, Respexit humilitatem an- *Luc.* I, 48.
cillæ suæ. Nonne verissime ait Scriptura, Deus superbis resistit, humilibus autem *Jacob.* IV, 6.
dat gratiam ? Si ergo cupis, o virgo, in gratia Dei perseverare ac crescere, humilitatem semper amplectere, atque in ea proficere stude ; sicque adimpleas quod hortatur venerabilis ille Tobias : Super- *Tob.* IV, 14.
biam nunquam in tuo sensu aut in verbo tuo dominari permittas, quia in ipsa sumpsit initium omnis perditio.

Tertio debet virgo non vanam gloriam,

sed spiritualem habere lætitiam, gloriando in Deo de omni et infinita excellentia, bonitate, pietate, sapientia, liberalitate ac beneficiis ejus, et serviendo eidem cum jucunditate interna, sicut ait Propheta : Servite Domino in lætitia; Apostolus quoque : Gaudete in Domino semper, iterum dico, Gaudete; itemque : Qui gloriatur, in Domino glorietur. Debemus enim Deo excelso et glorioso ex caritate ferventi cum gaudio deservire, et in ejus laudibus, orationibus et sanctis meditationibus delectari.

Ps. xcix, 2. *Philipp.* iv, 4. I *Cor.* i, 31.

Quarto debet virgo vere sapiens esse, meditando in lege Dei die ac nocte, sicque oleum in lampade sua habere, id est de testimonio conscientiæ bonæ coram Deo gaudere, nec velle placere hominibus, nisi in Deo, eos ædificando. Debet quoque virgo considerare infinitam bonitatem, nobilitatem, sanctitatem, pulchritudinem ac sapientiam Sponsi cœlestis, et sic ejus intuitu ac amore omnem carnalem sponsum despicere, omnemque insipientiam, vanitatem ac fatuitatem abjicere, quoniam sponsi sapientes, pulchri ac nobiles, volunt sponsas sibi similes, speciosas, prudentes nobilesque habere : quanto magis Sponsus ille cœlestis infinite et incomparabiliter nobilis, formosus ac sapiens, vult sponsas habere prudentes, et spiritualiter pulchras ac nobiles, id est virtuosas?

Ps. i, 2. *Matth.* xxv, 4.

Quinto debet virgo esse in omni obsequio Dei fervens et seriosa ac perseverans; et quidquid agit seu agere potest ad reverentiam Sponsi cœlestis, debet pro nihilo reputare respectu infinitæ honorabilitatis ac dignitatis illius, qui dignus est cultu et reverentia in infinitum majori quam sibi ab universis creaturis valeat exhiberi. Idcirco non debet virgo in obsequio tanti Sponsi pigra ac negligens seu frigida esse, ne videatur Sponsum vilipendere adorandum; sed quidquid potest, debet ferventer humiliterque implere, et præcordialiter tanto Sponso regratiari quod dignatur paupercularum suarum ancillarum sponsus appellari ac esse.

ARTICULUS VI.

De ceteris quæ virginibus sunt servanda, et quæ eis sunt fugienda : ut scilicet sint refrenatæ et moderatæ in verbis, custoditæ in visu; et operosæ, non otiosæ; maturæ, non leves; nec curiosæ in ornatu ac vestibus.

SOLENT feminæ esse verbosæ ac garrulæ. Verbositas autem in omni homine est vituperabilis; estque insipientiæ signum, juxta quod Salomon loquitur : Vidisti hominem velocem ad loquendum? Stultitia magis speranda est quam illius correctio. Et iterum : Stultus verba multiplicat; itemque : Totum spiritum suum profert stultus, sapiens autem differt et reservat in posterum. Specialiter vero vituperanda est loquacitas ista in feminis, quæ communiter sunt debilioris rationis quam viri, et naturaliter debent esse verecundæ et timidæ, ne in verbis excedant. Hinc taciturnitas in feminis vehementer laudatur, quemadmodum in Ecclesiastico legitur : Gratia super gratiam, mulier pudorata et tacita.

Prov. xxix, 20. *Eccle.* x, 14. *Prov.* xxix, 11. *Eccli.* xxvi, 19, 18.

Specialissime vero et maxime vituperanda est in virginibus verbositas, quum virgines debeant esse potissime verecundæ ac pavidæ, atque in virorum præsentia taciturnæ, et ab omni irrefrenatione linguæ caventes : quia, ut sapientissimus Salomon ait, qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala; qui vero moderatur labia sua, prudentissimus est. Unde denuo protestatur : Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita homo non potens in loquendo cohibere spiritum suum. Hinc Jacobus exhortatur apostolus : Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Non enim potest homo cor suum custodire a distractione, instabilitate, variisque peccatis, qui non custodit os suum a vanis, pravis et inutilibus verbis, imo etiam ab

Prov. xxi, 23; xiii, 3; x, 19. *Ibid.* xxv, 28. *Jacob.* i, 19.

auditione et complacentia verborum hujusmodi : imo, sicut vas non opertum impletur multis pulveribus, sic cor hominis cujus os non operitur refrenatione taciturnitatis, impletur vitiis multis et magnis. Item pronitas fabulandi est signum incustoditi intimoratique cordis. Propter quod asserit B. Bernardus : Vanus sermo, vanæ conscientiæ index est, mores hominis lingua pandit, et qualis sermo profertur, *Matth.* XII, 34. talis esse animus comprobatur : quia ex abundantia cordis os loquitur. Si ergo, o virgo, vis cœlestem Sponsum esse cordis tui habitatorem ac possessorem, stude mentem tuam a verbis illicitis servare immunem et puram. Hinc virgines religiosæ debent in observatione silentii esse diligentes ac rigorosæ.

Insuper, sicut irrefrenatio linguæ, sic et incustodia oculorum valde nociva est cordi, et plurimas cogitationes inanes, pravas, impuras ingerit ei, sicque mors culpæ per corporis fenestras ingreditur animam. *Jer.* IX, 21. Hinc David in se ipso expertus quanta crimina incidit ex incauto adspectu, oravit : Averte oculos meos, ne videant vanitatem. *Ps.* CXVIII, 37. Non ergo libeat imprudenter adspicere quod non licet appetere. Et si virgo visum suum projiciat in aliquem virum, non tamen figat oculos suos in illum per diuturnum adspectum, sed mentem suam elevet mox ad Deum ; nec imprimat suo cordi virorum memoriam, nec alicujus mundanæ curiositatis recordationem. Idcirco in Ecclesiastico scriptum est : Noli circumspicere in vicis civitatis ; *Eccli.* IX, 7-9, 5. averte faciem tuam a muliere compta ; propter speciem mulieris multi perierunt ; virginem ne conspicias, ne scandalizeris in decore ejus. Et sicut ista dicuntur viris, ut caveant morosum mulierum virginumque intuitum, sic mulieribus atque virginibus est dicendum, ut ab omni immoderato abstineant adspectu virorum ac juvenum. Maxime autem sic custodiendus est visus in sacris locis et in divino Officio. Itaque incustoditus visus, incustoditi cordis est index. Conformiter

A refrenandus est auditus a verbis iniquis, detractoriis, procatoriis et lascivis, ab amatoriis quoque et mundanis carminibus.

Præterea, virginibus otiositas est semper vitanda, quæ fastidii, fabulationis, nugarum ac plurium aliorum radix est vitiorum. Idcirco de otiosis ait Psalmista : In *Ps.* LXXII, 5-7. labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur : ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua ; prodiit quasi ex adipe iniquitas ipsorum, transierunt in affectum cordis. B Otiosi namque de commodis et deliciis cogitant carnis, tempus infructuose expendunt, ludis et jocis ac risibus vacant : quæ omnia veræ contritioni pœnitentialique vitæ contrariantur. Virgo igitur semper intenta sit occupationi honestæ, spirituali aut corporali ; in corporalibus quoque exercitiis suis mentem suam frequenter levet ad Creatorem, orando ac meditando. Hinc sancti patres Augustinus et Ambrosius dicunt : Virgo Domini domi debet manere, et operi lanæ vel orationi aut meditationi C vel lectioni insistere. Ideo sanctus hortatur Hieronymus : Semper aliquid boni age, ut te diabolus jugiter bene occupatum inveniat : otiosus enim a multis impugnatur dæmonibus ; occupatus, ab uno. Insipientissimum quoque est, tempus pretiosum et breve, nobis concessum ad pœnitendum et fructuose vivendum, non solum infructuose, sed etiam vitiose deducere.

Amplius, Sponsus cœlestis vult sponsas suas ab amatricibus et puellis sæculi hujus omnino differre, ne leves sint mori- D bus, nec sine necessitate circumeuntes. Ideo asserit Augustinus : Dominica virgo primitus debet strepitus ac platearum frequentiam evitare, ac domi posita utilibus operibus invigilare. Et iterum : Dominica (inquit) virgo ab omni inverecundo sermone ac risu debet se penitus abstinere, et disciplina ac silentio omnem vitam suam ornare. Etenim virgo garrula seu curiositate superflua, indigna est virgo vocari. Hinc Ambrosius : Discite, inquit, o virgines, non circumcursare per alienas

ædes, non demorari in plateis, nec aliquos A in publico miscere sermones. Præterea, virgo prudens spirituales divitias et veram virtutum nobilitatem, non carnalem originis dignitatem, debet appretiari, prout allegati sancti fatentur Patres, dicentes : Dominica virgo nec sermonis jactantia, neque divitiis, nec generis nobilitate se debet extollere, sed in humilitate et spiritus paupertate Christo semper subdita permanere.

Postremo, omnis curiositas, pompa, superfluitas vestium et ornatus inanis vitandæ exstant virginibus ; similiter curiosus B incessus, cervix erecta, oculorumque nutus. Propter quod loquitur Augustinus : Dominica virgo nec ornatu capitis, nec habitu comæ, nec oculis erectis et lætis, sed depressa cervice et vultu in terram demisso procedat, ne juveniles in se accendat amores, et ne aliis causa perditionis exsistat, quamvis et ipsa non pereat. Adverte, o virgo, quod sancti patres Hieronymus Chrysostomusque loquuntur : Si vir aut mulier, virgo aut juvenis se ornaverit et vultus hominum in se provocave- C rit, et si nullum malum inde sequatur, tamen æternum supplicium patietur, quia venenum præbuit, si fuisset qui biberet. Hinc beatissimus princeps Apostolorum

I *Petr.* III, 3. Petrus in sua prima jubet Canonica : Mulierum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus. Quocirca disseruit Cyprianus : Serico et purpura indutæ, Christum induere non possunt ; auro et margaritis monilibusque ornatæ, ornamenta cordis et

Cf. t. XXXVII, p. 536 D' et s., 539 B' et s. Dei gratiam amiserunt. De hoc, et qualiter D intelligendum sit, plenius scripsi tractatu de Vita nobilium.

ARTICULUS VII.

Adhuc de aliquibus rebus quæ conservativæ et corroborativæ sunt virginitatis.

ULTRA ea quæ nunc sunt tacta, adhuc multa sunt quæ virginitatem roborant et conservant. Primum est exemplum Jesu Christi Domini nostri, qui in se ipso virginitatem consecravit et commendavit ; deinde exemplum beatissimæ Matris suæ, et aliorum innumerabilium utriusque sexus Sanctorum, qui in virginitate inviolabiliter permanserunt : quorum multæ personæ maluerunt atrocissimas pati mortes quam virginitatis amittere florem, quæ tamen in omni nobilitate, pulchritudine, opulentia abundabant.

Secundum est sacra Scriptura, potissime novi Testamenti, in qua Christus et Apostoli virginitatem valde consulunt et commendant, eamque matrimonio præferunt : quorum consiliis et doctrinis acquiescere est salubre ac sapientiale.

Tertium est consideratio excellentissimi atque multiplicis præmii quod virginitati debetur : cui non solum debetur essentiale præmium Beatorum, quod est beatifica visio Deitatis, sed etiam præmium accidentale, quod aureola nominatur, et aliæ quædam mercedes, prout paulo post describetur.

Quartum est evitatio incommodorum et variarum tribulationum, curarum, inquietudinum, afflictionum et servitutum, quæ matrimonio et conjugatis annexa sunt : de quibus ait Apostolus, quod tribulatio- I *Cor.* VII, 28.
nem carnis habebunt hujusmodi ; qui et frequenter male concordant, atque cum tædio et rancore vivunt ad invicem ; nec pro aliqua causa quantumcumque molesta separari queunt ab invicem, fornicatione excepta, ob quam separari possunt quantum ad torum, non quoad vinculum conjugale.

Quintum est ipsa nobilitas virginitatis, quæ in se ipsa tam clara est, tam angelica, cœlestis et pura, ac multa privilegia habet sibi conjuncta, Deique Filium meretur habere sponsum : quorum omnium diligens consideratio ad virginitatis amorem et conservationem potest et debet accendere.

Sextum est multiplex fructus qui virginitatem consequitur : quoniam fructus centesimus ei debetur, prout infra dicetur.

Septimum est, quod virginibus etiam in

hac vita tam copiosa gratia condonatur, et A quod præ ceteris habent vitam tranquillam et innocentem, a multis anxietatibus, doloribus, sollicitudinibus, inquietudinibus, subjectionibus, tædiis atque laboribus liberam, quibus personæ conjugatæ, præsertim feminæ, sunt subjectæ.

Octavum est fervens incessabilisque oratio Deo fusa, quatenus in ipso orante dignetur virginitatem conservare, perficere, roborare; pro eadem quoque causa invocare gloriosissimam virginem Mariam, ac alios Sanctos ad quos quis devotionem B habet majorem, et etiam proprium angelum sanctum custodem.

Nonum est, tentationibus carnis et incontinentiæ viriliter reluctari : quod qualiter fieri debeat, in sequenti pandetur articulo.

ARTICULUS VIII.

Qualiter resistendum sit tentationibus carnis et incontinentiæ.

SINGULARE ac salutare propositum virginum diabolus per se ipsum ac suos satellites tam invisibiles quam visibiles impugnare non cessat : quibus omnibus virgo devota sapienter resistere debet. Primo, tanto ferventius atque frequentius Deum, beatissimam Virginem ac ceteros Sanctos in auxilium invocando, quanto acrius impugnatur.

Secundo, mox resistendo principiis suggestionis iniquæ ac lubricæ, nec eam tenendo aut versando in corde, sed quam D cito sentitur, statim se inde avertendo, passionemque Christi, resurrectionem, mortem, rigorem divini judicii, tormenta inferni, intente ac profunde considerando, sicque omnia vitia abhorrendo, juxta quod
Eccli. VII, 40. ait Scriptura : Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.

Tertio, vitando ea quæ carni sunt mollia, ipsumque corpus proprium cum discretione castigando per asperitatem vestitus, per vigilias, disciplinas, jejunia; delicata quoque et superflua alimenta fugiendo pro posse.

Quarto, cursorie attendendo vilitatem carnis ac delectationum ipsius, non tamen diu manendo in consideratione hujusmodi. Solent equidem virgines quandoque tentari quadam curiositate experiendi oblectamenta carnalia, quæ putantur majora quam sunt, dum non pensantur mala eis annexa : cui curiositati cum aspernatione est resistendum, ne virgo propter tam vilem delectationem, de qua constat quod vilis, brevis et fallax sit, velit pretiosissimum virginitatis suæ thesaurum amittere, et diuturna, imo et sempiterna supplicia promereri.

Quinto, se fortiter occupando in exercitiis bonis, et delectationem spiritualem quærendo in eis, præsertim in exoratione, laude, cultu, contemplatione et pura ac fervida dilectione Sponsi cœlestis, sicut ait Psalmista : Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Ps. XXXVI, 4.

Sexto, cum diligentia fugiendo incita- C menta et occasiones carnalium vitiorum, puta choreas, spectacula, vaniloquia, inspectiones, scurrilitates, attactus, loca privata, amatoria verba, familiaritates incautas, arrisiones, munuscula, atque similia, de quibus prætactum est. art. IV.

Septimo, aperiendo alicui spirituali ac discretæ personæ proprias tentationes, etiam in sacramentali confessione idoneo sacerdoti, et utendo consiliis : quia per hoc versutia dæmonum valde confunditur ac debilitatur.

Octavo, indesinenter ac sapienter pensando præsentiam Dei, judicis summi, cœlestis sponsi, omnia intuentis ac judicantis, et mentem assidue erigendo ad ipsum; sicque erubescere in præsentia ac conspectu Omnipotentis ac Sancti turpia cogitare, fœda appetere aut viliter se habere.

Nonum est, ante impugnationem tentationum se ad eam disponere per arma virtutum, et per prætacta remedia; sicque dum venerint, eis confestim modis nunc

dictis resistere, nec in spirituali conflictu A deficere, sed cogitare quam gloriosum et meritorium sit in tentationibus prævalere, et quam vile, miserum atque damnabile sit ipsis succumbere : quia, ut ait Apostolus, non coronatur nisi qui legitime certaverit. (II *Tim.* II, 5.)

Decimum est, carnalibus amicis et cognatis virginitatem dissuadentibus aut conjugium consulentibus, non consentire, sed intueri quam incomparabiliter melius, dignius salubriusque consistat, Sponso cœlesti, unigenito Filio Dei, qui est infinitæ B nobilitatis, speciositatis, opulentiæ, sapientiæ, sanctitatis et eminentiæ, spiritualiter desponsari, mentaliter adhærere, pure ac ferventer conjungi, mundo corde castoque corpore deservire, atque ab eo cœlesti lumine fecundari ac omni dono Spiritus Sancti repleri, quam carnalem ac mortalem accipere sponsum.

ARTICULUS IX.

De multiplici, copioso singularique præmio virginum.

IN Apocalypsi quædam magna, specialia et gloriosa de virginibus earumque gloria et præmiis describuntur : Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. (*Apoc.* XIV, 4.) Et rursus : Cantabant canticum novum, quod nemo potest dicere, nisi qui cum mulieribus non sunt coinquinati ; hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno, etc. (*Ibid.* 3, 4.) Quod totum simul dici potest de virginibus sexus feminei, quæ cum viris non sunt inquinatæ.

Itaque virgines dicuntur sequi Agnum, utputa Christum, quocumque ierit : quia pro eo quod eminenter et singulariter dominatæ sunt concupiscentiis carnis, meruerunt præcipua quadam libertate uti cum Christo in patria ; et sicut imitatæ sunt Salvatorem in via non solum per iter mandatorum, sed etiam per viam consiliorum atque per mentis et corporis integritatem, sic specialibus gaudiis et privilegiis magnis conformantur ei in patria, et offerunt ei canticum laudis et gratiarum actionis pro specialibus gratia et gloria virginitatis : quod nemo potest Deo pro se canere et offerre, nisi cui collatum est tantum divini beneficii munus. Sicque per canticum istud insinuatur aureola virginum, id est speciale gaudium quod pro sua virginitate sortiuntur in cœlis. Aureola namque vocatur speciale gaudium mentis, datum pro victoria operis specialiter ardui, eminentis ac privilegiati, ut sunt virginitas, martyrium et prædicatio efficax : quibus tribus, in quantum ex caritate nascuntur, servantur aut sustinentur, debetur essentiale præmium, quod est superdignissimæ Trinitatis visio fruitiva et clara ; sed ratione difficultatis privilegiatique operis ac perfecti triumphi, debetur eis aureola, quæ est quoddam præmium accidentale et ornamentum præmii essentialis, quod corona seu aurea nuncupatur. Quemadmodum enim ex gaudio præmii essentialis resultat quidam decor in corpore, qui gloria corporis appellatur ; ita ex gaudio aureolæ exsistente in mente, redundat decor in corpore : sicque aureola principaliter consistit in mente, atque per redundantiam fulget in carne glorificata.

C

Itaque virginibus debetur aureola, quia de proprio corpore specialem victoriam ac plenam obtinent. Idcirco viduis non debetur aureola, quia aliquando acquieverunt desideriis carnis usque ad operis consummationem, virgines autem nunquam. Nec illis dumtaxat virginibus datur aureola D quæ ad virginitatem observandam adstrinxerunt se voto vel juramento, nec etiam omnibus illis quæ usque ad mortem manent incognitæ viro, quum aliquæ tales ante usum rationis decedant, et aliquæ nubere aut viro misceri proponant, quamvis ab opere impediantur ; sed illis virginibus infertur pro mercede aureola, quæ ex caritate proponunt virginitatem inviolabiliter observare, et sic manent usque in finem. Et quamvis interdum a suo laberentur proposito, aut aliter peccarent mor-

taliter, non tamen privarentur aureola, dummodo pœniteant, et in bono moriantur proposito : quia virginitas mentis potest per pœnitentiam reparari, non autem virginitas seu integritas corporis. Quod si aliqua omnino violenter opprimeretur et nullatenus consentiret, non ex hoc aureolam perderet.

Studeat igitur virgo in suæ virginitatis proposito inflexibiliter permanere ; et si (quod absit) interdum a suo proposito declinaverit, mox pœniteat, resipiscat, et in sancto perseveret intento, ut pro temporali virginitate æternaliter gaudeat et ornetur in anima sua et corpore. Quemadmodum enim sertum factum de rosis et floribus speciosis superpositum diademati regis illud decorat, et regis exornat caput; sic aureola virginum beatitudinem earum principalem efficit magis decoram, et mentem ac corpus earum ornabit.

ARTICULUS X.

Quod virginitati debetur fructus centesimus in regno cœlesti.

Matth. XIII, 8; *Luc.* VIII, 8. DOMINUS noster Jesus Christus in Evangelio loquitur : Semen cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Ubi expositores fructum centesimum attribuunt et assignant continentiæ virginali, fructum vero sexagesimum continentiæ viduali, fructum autem tricesimum continentiæ conjugali. Fructus namque consurgit ex semine; spirituale autem semen est verbum Dei : ideo quanto quis ex auditu verbi cœlestis magis a carnalitate recedit et ad spiritualitatem convertitur, tanto in ipso fit major fructus ex verbo Dei. Porro qui ex verbis, doctrinis atque consiliis Christi a venereis totaliter abstinet, ad majorem spiritualitatem præ ceteris in genere continentiæ proficit et pertingit, ut virgines, qui ob hoc dicuntur vitam angelicam et cœlestem in corpore
art. III. ducere, sicut ostensum est. Idcirco ad- A scribitur eis fructus centesimus : centenario namque numero totalitas ac perfectio designantur.

Itaque constat ex præinductis, quod eidem actui meritorio diversa merita correspondent, secundum diversa quæ sunt in illo : quemadmodum continentiæ virginali seu virginitati correspondet et datur pro præmio beatifica visio Dei, in quantum ex caritate servatur ; aureola vero, prout est opus quoddam perfectionis hominis, rationе eminentis triumphi ; fructus autem, in B quantum homo ex verbo Dei per virginitatem ad præcipuam pertingit spiritualitatem, a carnalitate se abstrahens.

Denique, sicut magis meritorium est facere bonum ex voto quam sine voto, quia qui facit bonum ex voto, offert arborem Deo simul cum fructu, et se ipsum inseparabiliter obligat Deo ; sic etiam servare virginitatem aut castitatem ex voto, magis est meritorium Deoque placitum quam absque voto. Hinc virgines virginitatem ex voto servantes, et potissime religiosæ C personæ, quæ ex voto solenni ad custodiam virginitatis se adstringunt, magis merentur, ceteris paribus, tam de gaudio beatificæ visionis quam de aureola et de fructu. Verumtamen non est consultum nec tutum, personam in sæculo conversantem ad virginitatem aut castitatem voto se obligare, præsertim quoniam votum frangere gravius est peccatum quam perjurare.

Itaque virgo ab omni carnali affectione se purget et abstrahat, ab omni sensuali D dilectione se semper elonget, atque in Deo universa desideria sua simplificet, recolligat indesinenterque figat, ita quod quidquid cupit, vult, agit seu loquitur, ad veram et spiritualem ordinet caritatem, ad divini amoris profectum, ad Omnipotentis gloriam et honorem, et ad beatitudinem æternalem, sicut docet Apostolus : Omne quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia in gloriam Dei facite. *Coloss.* III, 17; I *Cor.* X, 31. Quidquid vero spirituali contrariatur amori, et a caritate impedit Sponsi cœlestis, virgo devota

tanquam venenum vitet ac horreat infernale; sicque contra aciem vitiorum et contra omnem carnalem affectum efficaciter et insuperabiliter reluctetur, ut præclaram adipiscatur aureolam. Siquidem ratione pugnæ idoneæ ac triumphalis datur
I Tim. II, 5. aureola, dicente Apostolo : Non coronatur nisi qui legitime certaverit. Infatigabiliter quoque laboret et satagat a sensualitate ad spiritualitatem pertingere, et non nisi in Deo gaudere, ut sic fructum centesimum obtineat excellenter et gloriose : quia, ut
Sap. III, 15. ait Scriptura in libro Sapientiæ, bonorum laborum gloriosus est fructus.

ARTICULUS XI.

De objectionibus infidelium atque carnalium hominum contra virginitatem.

AMATORES turpitudinis, servi carnis et filii perditionis æternæ, obstinati hæretici, contra ea quæ dicta sunt de laude et excellentia ac merito virginitatis, varia faciunt argumenta, et matrimonium conantur æquare aut etiam præferre virginitati. Primo, quoniam primis parentibus nostris Adæ et Evæ Deus altissimus in ex-
Gen. I, 28. ordio mundi præcepit : Crescite et multiplicamini, et replete terram. Contra quod præceptum videntur agere virgines.

Præterea, natura dedit hominibus membra ad prolificandum : ergo debent generationi intendere.

Insuper, Christus in Evangelio protesta-
Matth. VII, 19. tur : Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. Sed virgo est arbor infructuosa, quia non generat fructum. Et ad minus melior est arbor fructuosa quam infructuosa, et quo fructuosior, eo et melior. Ergo præcipue commendandi sunt atque virginibus eminent qui plures procreant proles, præsertim quum rationalis creatura tantæ sit dignitatis.

Amplius, qui habet semen aptum ad fructificandum, melius facit si fundat illud

A in terram ubi fructificet, quam in locum ubi fructificare non valet.

Adhuc, bonum quanto communius, tanto divinius; et bonum commune præferendum est bono privato seu commodo unius personæ. Matrimonium autem ordinatur ad bonum commune, utputa ad speciei conservationem, et ad reipublicæ roborationem ac tuitionem, atque ad cultus divini augmentationem ; virginitas autem, non nisi ad ipsius virginis salutem.

Denique, generare simile sibi, est natu-
B ralissimum opus ; gratia autem naturam non destruit, sed perficit : ergo ad gratiam pertinet generationem rectificare, non dissuadere.

Præterea, virtus consistit in medio, virginitas vero in extremo, quoniam a venereis totaliter abstinet : non ergo videtur esse virtus, sed vitiosum extremum. *Cf. Deut.* VII, 14 ; *Is.* XXXI, 9, juxta LXX.

Postremo, Deus gloriosus et æternus per Moysen dixit : Maledictus qui non reliquerit semen in Israel ; et iterum : Maledicta sterilis quæ non parit. Hinc sancti Patriar- *Cf. Exod.* XXIII, 26.
C chæ et Prophetæ ac judices leguntur habuisse multas uxores, ut multos gignerent pueros : ut patet de Abraham, Jacob, Gedeone et David. *Gen.* XVI, 1, 3 ; XXV, 1 ; XXIX, XXX ; *Judic.* VIII, 30 ; I *Reg.* XVIII, 27 ; XXV, 42, 43 ; II *Reg.* V, 13 ; XI, 27.

ARTICULUS XII.

Solutio argumentorum istorum.

TOTUM genus humanum est una communitas, et assimilatur corpori naturali : unde et corpus mysticum appellatur.
D In communitate autem sunt diversæ personæ, diversis actibus atque officiis deputatæ, quemadmodum et in corpore naturali diversa membra ordinantur ad actus diversos. Ideo non oportet nec decet ut universi et singuli homines eosdem aut similes exerceant actus ; sed quosdam oportet præesse, præcipere, gubernare, quosdam autem subesse et obedire ; quosdam autem oportet studio sapientiæ ac litterarum intendere, quosdam mechanicis artibus occupari, quosdam agriculturæ operam dare.

Insuper, aliquos decet esse vitæ activæ, quosdam vitæ contemplativæ ; quosdam decet esse villanos, quosdam urbanos ; quosdam congruit vitam ducere socialem et humanam, quosdam vero vitam solitariam ac divinam. Quum enim homo sit rationalis creatura, habens communionem et convenientiam quamdam cum creatore suo Deo adorando et angelis, optimum hominis et vera beatitudo ipsius est occupari et inhærere actibus angelicis ac divinis, hoc est contemplationi et dilectioni primæ et incommutabilis veritatis, B summæ increatæque bonitatis, atque incorporalium substantiarum, angelicorum spirituum, et aliarum creaturarum, per respectum et ordinem ad Creatorem ; cultui quoque, orationi et laudibus Creatoris et sacrificiis ejus. Quumque certum sit ex in Procemio; art. I. prædictis, et experientia doceat, quod ab hujusmodi vita spirituali, angelica ac divina, et a conversatione solitaria, contemplativa et anachoretica, vehementer impediat vita matrimonialis et carnalis voluptas cum occupationibus, curis ac sequelis sibi C annexis, quæ deprimunt mentem hominis ad terrena, et a puritate interna et spirituali libertate, a quiete et pace pectoris ac stabilitate in Deo valde impediunt cor humanum ; constat quod multo præclarius et acceptius sit coram Deo, et multo nobilius, divinius magisque meritorium, in virginitate et castitate manere ob Dei amorem, ad serviendum ac adhærendum ei perfectius, et ad proficiendum copiosius in divino amore, in sapientia salutari omnique actu contemplativo, quam carnali D generationi vacare.

Ex his argumenta prætacta faciliter possunt solvi. Quod enim Deus præcepit primis parentibus propagationi sobolis intendere, pro tempore fuit necesse, et similiter postea diu in lege naturæ, quousque genus humanum fuit multiplicatum ; similiter in lege scripta per Moysen data, in qua cultus Dei per carnalem generationem in una gente conservabatur, ut dictum est art. I. supra. Non autem est ita in lege evan- A gelica, in qua omnes gentes ad cultum Dei conversæ sunt. Nec tamen in lege naturali aut scripta sic fuit præceptum generationi vacare, ut universi et singuli facerent hoc, sed ut tot homines facerent hoc quot suffecit : sicut præcipitur civitati ut hostibus suis resistat, non quod singuli cives hoc facere teneantur, sed tot quot sufficit. Porro Creator omnipotens, qui universorum providentiam habet, et rector est mundi quem condidit, atque specialis generis humani provisor, omnia bene disponit, et in sapientia sua præordinat qui quid facere debeant ; aliquosque elegit ad vitam contemplativam, castam, virgineam, quosdam ad vitam activam, civilem et conjugalem. Ideo non est periculum, quasi periturum sit genus humanum ob hoc, quod aliqui omnino a conjugio abstinent atque in virginea perseverant munditia.

Præterea, natura dedit hominibus membra generationi deservientia, non solum ad prolificandum, quod necessarium est pro conservatione speciei, sed item pro naturalium superfluitatum egestione, quod necessarium est ad conservationem individui : qui usus magis necessarius est hominibus singulis, quam sibi similem generare.

Insuper, quod Christus ait, Omnis arbor *Matth.* VII, 19. quæ non facit fructum bonum, excidetur, intelligendum est spiritualiter de homine vitioso, qui fructus, id est actus virtutum, non profert : qui in Scripturis vocatur arbor infructuosa, arida, sterilis, etiam si mille habeat proles carnales. Porro homo virtuosus vocatur arbor fructuosa, florens et viridis, quamvis nullam carnalem habeat sobolem. Hinc quum Christus exiret ad locum suæ crucifixionis bajulans sibi crucem, de se ipso ac impiis loquens, dixit : Si in viridi ligno hæc faciunt, in *Luc.* XXIII, 31. arido quid fiet ? Si autem præinducta auctoritas de carnali fructu ac partu intelligatur, sequitur quod ipsemet fuit arbor infructuosa, similiter B. Joannes Baptista, *Matth.* III, 10. cujus sunt verba illa. Spiritualis autem

fecunditas et aliorum conversio incomparabiliter melior est fecunditate carnali. Unde in Ecclesiastico scriptum est : Melior est unus timens Deum quam mille filii nequam ; et utile est mori absque filiis, quam relinquere filios impios. Virgo autem merito suæ virgineæ puritatis et sanctæ devotionis, fervidæ quoque orationis, supernæ contemplationis et virtuosæ exemplaritatis, meretur multis gratiam conversionis : et sic beata fecunditate mater efficitur generalis multorum. Unde et S. Paulus : In Christo (inquit) per Evangelium ego vos genui. Sicque spirituale esse rationalis creaturæ, quod habet ex gratia, incomparabiliter exstat suo naturali esse præstantius.

Eccli. XVI, 3, 4. — I *Cor.* IV, 15.

De seminis vero effusione dicendum, quod melius est illud effundere ordinate ubi potest fructificare, quam aliter, ceteris paribus, vel quam illegitime aut inordinate.

Ad aliud quoque dicendum, quod spirituales fructus virginitatis plus conferunt toti Ecclesiæ quam soli carnales fructus conjugii. Sed et unus sapiens utilior est reipublicæ quam mille insipientes, prout in libro Ecclesiastæ et in Ecclesiastico declaratur ; meritis quoque et precibus spiritualium ac sanctarum personarum, præsertim virginearum, respublica et bonum commune potissime prosperantur.

Eccle. IX, 13-16 ; *Eccli.* XVI, 3 ; XXXIX, 15.

Insuper, quamvis generare legitime sibi simile, sit bonum ac naturale, melius tamen est supernaturaliter conversari ac deifice vivere in sancta virginitate, quemadmodum dona gratiæ transcendunt dona naturæ.

At vero virginitas, sicut et ceteræ virtutes morales, consistit in medio rationis, et inter continentiam ac insensibilitatem est media. Abstinere autem omnino ab omni usu venereorum non est extremum vitiosum, sed maxime virtuosum.

Postremo, maledictio illa qua in veteri Testamento dicebantur maledicti qui non genuerunt, non fuit peccatum, sed quodA dam inter homines opprobrium, quum multi ex naturali dispositione sint steriles : alioqui sanctissimi veteris Testamenti Prophetæ qui in virginitate manserunt, ut Elias et Jeremias, maledicti fuissent.

ARTICULUS XIII.

Qualiter virgo debeat se quotidie (imo et incessanter) coram Deo habere, ac semper ad meliora et perfectiora festinare.

B

Ex præhabitis innotescit quod omni virgini primo et maxime necessaria est vera, stabilis ac profunda humilitas, per quam se ipsam coram Deo indesinenter deprimat et vilipendat, et quidquid virtutis ac gratiæ in se habuerit, Deo cum ingenti gratiarum actione adscribat, omnem gloriationem inanem perpetuo detestetur, odiat et conculcet, et non nisi in Domino glorietur. art. VI.

Deinde necessarius est virgini timor Dei C filialis, castus et sanctus, ita ut vereatur Deum offendere magis ex sincera caritate ipsius quam ex pœnarum formidatione. Timeas ergo, o virgo, ne dignissimum, sanctissimum ac superdulcissimum Dominum Deum tuum, sponsum cœlestem, creatorem ac salvatorem animæ tuæ, offendas per negligentiam et incustodiam cordis tui, ne discedat a te. Vide qualiter sponsa honesta et uxor fidelis metuit sponsum suum carnalem et maritum offendere, et si offensus fuerit, qualiter D cupit, conatur et properat ei reconciliari. Sic tu, imo incomparabiliter plus metue et verere Sponsum illum cœlestem, omni carnali sponso infinite meliorem, amabiliorem et honorabiliorem, offendere, ne offensus te deserat. Ipse namque odit iniquitatem, et omnem negligentiam aspernatur ; nec in mente acediosa, pigra, incustodita habitare dignatur ; et maledictus est coram ipso, qui in ejus obsequio se habet negligenter, irreverenter, intimorate, incustodite.

Jer. XLVIII, 10.

Hoc itaque scito, quod quanto plus aliquis diligit Deum, tanto plus veretur et cavet offensam et omnem inhonorationem ipsius; atque ex hoc potes perpendere an diligas, si cum omni diligentia abhorres et vitas omnem offensam et irreverentiam ejus. Denique, ut tam timorate et pure habere te valeas, indesinenter, in omni actione tua interiori et exteriori considera et adverte Deum esse præsentem, et omnia intuentem ac judicantem : sicque erubesce eo intuente peccare, inania cogitare, illicita affectare, inutilia loqui, et tempus tibi concessum infructuose expendere. Et ut possis mentem tuam in Sponso cœlesti defigere, et a districtionibus cordis te refrenare, verbum illud sancti prophetæ Eliæ frequenter omni hora revolve :
III *Reg.* XVII, 1. Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. Ad cujus saluberrimi verbi memoriam toties mentem tuam reducas quoties senseris eam districtam, negligentem aut viliter occupatam : et ita in vera cordis custodia, in stabilitate interna et in omni virtute quotidie multum proficies.

Præterea, sic fundata in saluberrima humilitate, filialique et casto ac sancto timore Dei, stude in ceteris cunctis virtutibus quotidiana acquirere incrementa, atque pulcherrimam virtutum structuram in anima tua construere, in omni mansuetudine, patientia, sobrietate, pietate et misericordia proficiendo, præsertim in caritate Dei et proximorum, in omni exercitatione interna : ita ut de die in diem orationibus meditationibusque salubribus ac laudibus Dei, magis ac magis devote, alacriter et perfecte te habeas, et juxta
Ephes. IV, 29. doctrinam Apostoli, nullus sermo malus de ore tuo procedat, sed qui utilis est ad ædificationem, ut det gratiam audienti.

Amplius, virgo devota quamvis in omni loco et tempore, in omni actu, causa atque negotio debeat cor suum ad Sponsum cœlestem frequenter ac ferventer erigere, aliquas tamen horas diei ac noctis debet spiritualibus exercitiis specialiter deputa-
A re, in quibus debet orationibus, meditationibus ac laudibus Dei vacare, tantamque sanctæ devotionis gratiam et virtutum profectum ab Omnipotente sortiri, ut tota die coram aliis exemplarior, custoditior, mitior, sincerior potentiorque consistat. Insuper, quotidie certis horis, præsertim antequam vadat dormitum, conscientiam suam examinet diligenter, qualiter diem et noctem expenderit, quid boni omiserit, quid mali commiserit prudenter discutiendo, et se ipsam coram Judice summo cum
B grandi contritione accusando, veniamque petendo, et emendationem in omnibus proponendo, opportunoque tempore confitendo. In sanctis quoque cogitationibus studeat obdormire; et quando evigilaverit, mentem suam mox levet ad Deum, orando ac salubria meditando. Et universa bona quæ agit, conetur quotidie magis devote peragere.

In cibo et potu moderantiam servet, et in cunctis per discretionem se regat. Superioribus quoque suis cum omni prom-
C ptitudine cordis propter Deum libenter obediat ad proficiendum in bonis, prout inspiratio Spiritus Sancti docebit. In omni adversitate, persecutione, irrisione, infirmitate, injuria, sit patiens et tranquilla, nec aliorum improbitate vincatur, imo potius vincat in bono malum. *Rom.* XII, 21. Nulli faciat nisi quod sibi vult fieri. *Tob.* IV, 16. Neque alicui obloquatur, nec detrahenti consentiat; sed verbis aut signis ostendat se verba detractoria, pungitiva, discordiæ seminativa, scurrilia, mendosa, dolosa, duplicia, aut
D alio modo illicita, imo et otiosa, jocosa et ludicra, ad dissolutionem et cachinnum provocantia, omnino invite audire ac abhorrere.

Postremo, quantum ad suum pertinet statum, studeat sapienter implere præceptum fraternæ correptionis, increpando delinquentes cum humilitate, fervore ac serio, nec unquam peccatis consentiat alienis. In divino autem Officio sit maxime custodita et Deo totaliter stabiliterque intenta, et semper faciat aliquid boni, ac

totis viribus regratietur Altissimo, et oret A assidue pro bono communi, et generali ac plena reformatione Ecclesiæ in omni gradu, statu et ordine, pro vivis et mortuis, potissime pro parentibus, propinquis, benefactoribus et commissis.

ARTICULUS XIV.

Qualiter virgo devota debeat mentem suam Sponso cœlesti indesinenter unire, et in ipsius contemplatione, amore et cultu gaudere.

NATURALE est homini delectationem appetere atque requirere : idcirco qui spirituales delectationes ignorant, nec consolationes Spiritus Sancti experiuntur, ad exteriora, carnalia et mundana solatia se effundunt, et in ludis, jocis ac risibus, in cibis et potibus, in vestitu et fabulationibus delectationem exquirunt ; sicque graviter et multipliciter peccant quotidie, nec a mortali peccato diu poterunt abstinere. C Ut ergo virgo devota a talibus vanitatibus, levitatibus et vilibus consolationibus possit se elongare et invictam servare, studeat in amore Sponsi superni quotidie crescere, perfici et accendi. Porro dilectio oritur ex prævia quadam cognitione. Multa sunt etiam quæ invitant mentem hominis ad amandum, videlicet : bonitas rei, pulchritudo, suavitas, sapientia, propinquitas, beneficentia, liberalitas, pietas, similitudo, sanctitas, perfectio, et consimilia multa : quorum omnium cognitio diligensque con- D sideratio movet, excitat et accendit cor hominis ad diligendum eos in quibus sunt illa.

Ut ergo, o virgo Christi, in sincero ac ferventi amore Sponsi cœlestis quotidie crescas, considera quis, qualis et quantus sit Sponsus ille cœlestis, Dominus Jesus Christus. Ipse enim in unitate personæ est verus Deus et homo perfectus ; atque in quantum Deus, est Patri æterno omnino æqualis, consubstantialis et coæternus : imo Patris et Filii et Spiritus Sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.

Ideo sponsus cœlestis Christus, Dei Patris Unigenitus, secundum quod Deus, est summa bonitas, pura ac penitus infinita, præ omnibus creaturis infinite incomparabiliterque amandus, desiderandus, ac mente jugiter amplectendus. Idcirco ei et ejus amori nihil est præferendum, nihil æquandum : imo ipsemet et sancta ac spiritualis dilectio ejus, infinite et incompa- B rabiliter præferenda sunt omni sponso carnali, omni sensuali affectioni et omni delectationi impuræ, cunctisque creatis simul acceptis. Insuper, Christus secundum quod Deus, est pulchritudo prorsus immensa, et universis creatis pariter sumptis infinite formosior ac delectabilior atque jucundior ad intuendum. Similiter ipse est infinita dulcedo, ita quod omnium creaturarum dulcedines simul collectæ, in infinitum minores sunt ipsius suavitate. Hinc ipse præ cunctis creatis infinite et incomparabiliter dulcis est ad fruendum, et ineffabiliter jucundum ac dulce est ipsum in sua deitate clare videre, ipsoque frui, et ab ipso spiritualiter amplexari. Insuper ipse est essentialiter sapiens, imo et sapientia Dei Patris, et I *Cor.* I, 24.
sapientiæ ejus non est finis, nec numerus, *Ps.* CXLVI, 5.
neque mensura : ideo ipse est super omnia nobilissimus ac desiderabilissimus. Quumque regina Saba venerit a finibus III *Reg.* X, 1 ; II *Par.* IX, 1.
terræ audire sapientiam Salomonis, nos multo plus toto cordis affectu festinare debemus ad patriam illam cœlestem, ad intelligendum clarissime atque ad audiendum dulcissime sapientiam Filii Dei. Denique ipse est propinquissimus nobis, videlicet Creator et Salvator, Deus et Dominus noster : qui et nostram assumpsit naturam, et factus est frater noster. Ab ipso quoque habemus et tenemus quod sumus ac possidemus. Propter quod ipse est benefactor noster incomparabiliter magnus et maximus, cui nihil condignum rependere possumus, nec unquam satis regra-

tiari valemus. Insuper ipse prorsus infinite A piissimus liberalissimusque consistit, in omni sanctitate et perfectione incomprehensibiliter infinitus. Unde certissime elucescit, quod ipse sit nobis summe et incomparabiliter ex omni parte ac omnifarie appetendus, amandus et complectendus : quem tam vehementer, pure ac fervide affectare et amare debemus, ut comparatione ac respectu ipsius universa creata quasi pro nihilo adspiciamus ac reputemus, et juxta documenta Apostoli, omnia (*Philipp.* III, 8.) ista carnalia et terrena arbitremur et aspernemur B ut stercora, quatenus Christum lucremur, atque in ejus crescamus amore et in omni gratia ac virtute, pro qua re omnia carnalia oblectamenta libentissime contemnamus.

Itaque omnia ista frequenter ac diligenter considera, et ex eorum consideratione Deitatis amore accendere. Ipsum quoque Sponsum cœlestem assidue ora ut sanctam suam caritatem augeat, conservet, inflammet et perficiat in te ; et ad ipsum omni hora adspira, dicendo : O Domine C Jesu Christe, quamdiu in negligentiis et defectuositatibus meis, in tepiditate et frigiditate mea manebo ? Quando te super omnia toto corde indesinenter amabo ? Quando in tua sancta dilectione stabilis ero ? Accende animam meam tua purissima caritate ; intellectum meum piissime erudi et illustra ad cognoscendum et contemplandum te, qui es bonitas infinita, veritas sempiterna, sapientia increata, virtus omnipotens, pulchritudo, dulcedo, felicitas cujus nullus est finis. Tu es ens simplicissimum et perfectum, incomprehensibile et immensum, in quo est omnis perfectio, omnis nobilitas, omnis excellentia sine termino et mensura. Purga me ab omni inordinato et privato amore, ut me ipsam et proximos universos in te solummodo pure et fervide diligam, et quidquid expedit mihi ad complacendum tibi, omnem videlicet adversitatem et tribulationem, libentissime tolerem, et tibi quotidie magis gratior exsistam. Fac me omni hora in cordis puritate proficere, et ab omni impuritate vitiorum jugiter abstinere, quotidiana quoque peccata quotidie digne deflere : quatenus in corde meo digneris indesinenter quiescere, atque quotidie gratiosius habitare, sicque post vitæ hujus circulum me digneris ad tuæ deitatis beatificam visionem ac superdilectissimam fruitionem perducere, ad laudem et gloriam tui ipsius, qui es super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS LIBRI DE LAUDABILI VITA VIRGINUM.

INTER JESUM ET SENEM

DIALOGUS

INTER JESUM ET SENEM

DIALOGUS[1]

Gen. xviii, 30, 27. SENEX. — *Ne, quæso, indigneris,* bone Jesu, *si loquar ad* te *Dominum* Deum *meum, quum sim pulvis et cinis.*

JESUS. — Quis enim es tu?

Dan. xiii, 52. SENEX. — Inveteratus dierum malorum, corrosus per vermes infinitos in conscientia, conculcatus per bestiales delectationes a juventute mea, et usque ad senectam et senium curvatus et pressus grandi criminum sarcina, qui gratiam tuam in primo ætatis vigore neglexi et repuli, abutens donis tuis et talentis summi patrisfamilias.

JESUS. — Noli desperare, si tamen jam in fine dierum tuorum te mihi offerre vis ex animo per pœnitentiam in sacrificium vespertinum. Nam indulgentiam meam nulla peccatorum, nulla flagitiorum, nulla scelerum quantumcumque multiplicatorum enormitas superare valet, qui omnipotentiam meam parcendo maxime et miserando manifesto. Nullum pœnitentem de præteritis damno, si bonus ex malo extremo fuerit repertus.

SENEX. — Eia, quam dulcia cordi meo eloquia tua! Suscipe igitur, pie Jesu, propter nimiam pietatem tuam, fæces tristis et morbidæ senectutis meæ, concedens pariter et mihi gratiam tuam, ut in ea qualemcumque pœnitentiam agere valeam, quam miseratio tua continuet usque ad mortem.

JESUS. — Talis, mihi crede, talis est erga homines miseratio mea, quod nunquam

A sperno pœnitentiam, si mihi sincere et simpliciter offeratur. Etiam si usque ad ultimam (si ita res accidat) senectutem et ad summum quis perveniat malorum, et inde tamen velit reverti ad virtutis viam, suscipio libenter et gratanter amplector, et facio omnia, quatenus eum ad priorem statum revocem. Sed unum est quod totis mentis et corporis viribus fugiendum est, scilicet procrastinatio emendationis et pœnitentiæ : quia ego qui pœnitenti veniam spopondi, peccanti diem B crastinum non promisi ; et licet veniam promiserim delinquenti, non tamen spopondi ut ei darem voluntatem pœnitendi, quemadmodum nemini dedi tempus peccandi. Immittit namque diabolus longioris vitæ securitatem, ut inferat perditionem; nec dinumerari possunt quantos hæc inanis umbra deceperit. Quotidie expavendus et præveniendus est dies transitus vestri, et commigrationis incerta hora prævenienda. Odibile est apud Deum, quando homo sub fiducia pœnitentiæ reservatæ C in senectutem liberius peccat. In morte vero peccatores tanto acrius puniam, quanto diutius toleravi quod punire poteram. Sæpe recogitando tracta quod maledictus omnis qui peccat in spe. Opus est ergo ut sibi homo quotidiano actu provideat et procuret bonam consummationem. Deinde stultissimum est salutis negotium procrastinatione continua suspendere, atque voce corvina per cras, cras, qua om-

(Margin: Ezech. xviii, 21, 22. — Eccli. xv, 21.)

1 Ex editionibus Coloniæ, Joannis Soteris, 1532, et Joannis Birckmanni Junioris, 1559.

nis fallitur ætas, vitæ emendationem protelare. Unde,

Ovidius. Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Senex. — Heu! hæc sapere et intelligere nolui quum essem juvenis et fortis robore : nunc autem in hac fragili ætate senectutis meæ quomodo dignos pœnitentiæ fructus facere potero?

Jesus. — Non longitudine temporum, sed affectus sinceritate pœnitudo pensatur. *Luc.* XXIII, 42, 43. An non recolis quod latro ille qui pendebat in cruce, non eguit prolixitate temporis ut ingressum paradisi mereretur, sed tantum ei spatium suffecit quantum expendi potuit donec unum proferret sermonem, ita ut intra momentum temporis totius vitæ sceleribus absolutus, præcedere ad paradisum etiam Apostolos mereretur? De tuis itaque ne dubites offensis. Obliviscar ego omnium, dummodo tu malarum voluntatum et malæ consuetudinis oblivisci velis. Nam parcere ego promptus sum atque pœnitentibus veniam donare libenter, tantum si peccator pœniteat, nec ultra pœnitenda committat. Nam labor sine fructu est et spes vanissima valde, sic peccata confiteri et plangere, ut tamen non desinatur peccare. Talis enim subsannator et irrisor est Dei; nec capit hujus veniam, sed provocat iram, quoniam non diluit, sed dilatat criminum gesta. Noli ergo tu sic facere, sed et peccasse pœniteat, et jam amplius peccare desiste.

Senex. — Scio quia optimus modus pœnitendi est a peccato quiescere vel cessare.

Jesus. — Maxima est utique utilitas pœnitentiæ et spes conversionis. Nam per *Ibid.* XV, 11 et seq. pœnitentiam filius prodigus et luxuriosus prioris gloriæ recepit statum, quem senior frater habebat per innocentiam : imo ex conversione hic etiam amplius meruit. Audi itaque quomodo senior frater dixit patri *Ibid.* 29, 30. suo : Ecce tot annis servio tibi, et nunquam dedisti mihi hœdum de capris ut cum amicis meis epularer; quum autem filius tuus hic venit, qui devoravit sub- A stantiam suam cum meretricibus, occidisti ei vitulum saginatum. Quomodo ergo non videtur amplius consecutus qui per pœnitentiam rediit, quum ille hœdum nunquam acceperit, huic vitulus sit occisus saginatus?

Non ergo te terreat tuorum magnitudo peccatorum : multo enim magis ego sum miserator, quam tu peccator. Tua iniquitas magna quidem, mea autem misericordia infinita. Quanto enim superior est Deus homine, tanto tua malitia inferior B est mea bonitate. Quid namque delinqueret homo quod non indulgeret Deus factus homo? Si tu homo peccator es, ego sum Agnus Dei, qui tollo peccata mundi; qui *Joann.* I, 29. non veni vocare justos, sed peccatores, et *Matth.* IX, 13. paratus sum salvare clementia quos non possum salvare justitia. Denique plus in me misericordiæ et dilectionis reperies quam spectare auderes aut optare. Placatum tibi me invenies, si te cum gemitu reum et me pium Dominum ex animo fatearis. Nulla melodia suavior mihi est, C quam ut peccator vocem lacrimis adspergat frangatque suspiriis. Omnis peccator in pœnitentia ducem habet gemitum, quia et bonum quod oportuit non fecit, et malum quod non oportuit fecit.

Recole autem semper, quod sero quæruntur salutis remedia, quum mortis imminet periculum : quia qui hic tempus congruum pœnitentiæ perdit, frustra ante regni januam cum precibus venit. Hinc etenim vas electionis Paulus ait : Ecce *II Cor.* VI, 2. nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies D salutis. Sed, heu! nemo quam bene vivat, sed quamdiu, curat : quum omnibus possit contingere ut bene vivant, ut diu, nulli. Quid autem est diu vivere, nisi diu torqueri? Et quanto quis diutius in hac vita fuerit, tanto majori oneratur sarcina peccatorum. Cogita attente, quod sic est vita ista quasi homo in domo aliena. Nescit qua die vel qua hora dicatur ei : Veni foras, quia non est tua domus in qua es. Homini namque vita commodatur, non donatur.

Senex. — O quam prudens ille qui nunc

castigat corpus suum per pœnitentiam, ut A
in hora mortis suæ valeat habere certam confidentiam; qui talis nunc nititur esse in vita, qualiter optat inveniri in morte; qui nunc discit mori mundo, ut tunc vivere incipiat in cœlo; qui nunc discit omnia contemnere, ut tunc possit libere ad te Regem gloriæ æternæ pergere!

Jesus. — Vera sapientia est vita laudabilis, et apud Deum pura mens, cogitans semper qualis vita, non quanta sit. Sapiens sic studet dies implere transitorios, ut in
vita futura dies æternitatis mereatur inve- B
nire. Bonum siquidem bene vivere, melius bene mori. Sed homo non bene moritur, qui non bene vixit. Sunt plerique qui nolentes bene vivere, nec ad virtutes con-
Philipp. III, 19. verti, desiderant tamen bene mori: quorum finis interitus. Eorum enim est finis
Matth. xxv, 41. deputatus igni qui præparatus est diabolo et angelis ejus. Volunt mecum regnare, sed non compati; omnes me frui, sed non imitari. Ego caput omnium, caput meum sursum levare nolui nisi per tribulationes:
non ergo speres viam molliorem. Viam C
qua præcessi, sequaris: si enim a vestigio meo aberraveris, peribis.

Putasne quod aliquis in præsenti vita gaudeat et in futura? Nimis delicatus es, si utrumque præsumis: uti sæculo, et frui Deo; præsentis mundi delicias capere, et nihilo minus cœlestis gloriæ divitias obtinere. Audi quid dictum sit illi diviti in Evangelio, qui cruciabatur in flamma, et *Luc.* xvi, 24, 25.
linguæ ardentis refrigerium postulabat: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. O quam dissimile præmium! Cumulus enim deliciarum in cumulum miseriarum transiturus est, quarum angustias ille impatientius sustinebit qui diutius et delicatius hujus vitæ desiderabilibus assuevit.

Non ergo affectes delicias quæ in fine ad infinibilem mortem perducunt. Sit tibi asperitas vitæ solatium, quæ viventes Deo acceptos facit, et securissimos morientes. Nullus deliciosus et dives moritur qui in exitu hujus vitæ non desideret fuisse pauperrimus. Subtrahe ergo et furare tibi aliquid singulis diebus de hujus mundi voluptatibus. Ingredere novam pœnitentiæ viam. Nec tibi videatur austerum, si ea prudenter omittis quæ inaniter placuerunt. Florem tuæ juventutis immolasti mundo; saltem fæces senectutis immoles Altissimo, et residuo brevis ac miseræ vitæ tuæ tempore regnum eme æternum. Eleemosynis propriæ manus tibi scalam et ascensorium erige ad illam supernorum civium mansionem, in qua est pax æterna, quies impermutabilis, gaudium quod non deficit, lumen quod non exstinguitur, gloria quæ non transit.

Senex. — Eia, Jesu bone, hanc gloriam mihi præstare et præparare digneris. Amen.

FINIS HUJUS DIALOGI.

INTER JESUM ET PUERUM

DIALOGUS

PROŒMIUM

Jesus. — *Complexans* Jesus parvulos, *et imponens manus super illos, benedicebat eos.* Marc. x, 16.

In his verbis, o puer, o bonæ indolis fili, diligensque scholaris, evangelica tibi pandit historia quam vehementer atque præcipue diligam pueros puritate ornatos, pueros innocentes, studiosos ac dociles, non in scientiis tantum, sed in virtutibus quoque quotidie proficientes. Nempe quid corporalis ille amplexus signavit, nisi divinum ac spiritualem amorem quo talium mentes amplector, stringo, deosculor, ac intime unio mihi? Nec enim ambigere debes quin pueros ac parvulos illos quos brachiis amplexabar, facialiter etiam fuerim osculatus. Insuper, quod illorum capitibus imposui manus, id designavit quod talium sum protector, roburque supernæ virtutis eorum cordibus desuper mitto, gratiose infundo, affectuose communico : imo deliciæ meæ sunt esse cum *Prov.* VIII, 31.
hujuscemodi filiis hominum. Nec opineris me minus libenter esse in medio talium puerorum, quam in medio angelorum sanctorum. Etenim angeli sancti sine resistentia et labore, sine difficultate, impugnatione, periculo ac timore mihi intenti sunt, me gaudiose inspiciunt, meque feliciter perfruuntur cum securitate æterna et contentatione plenaria. Porro hi pueri ætatem moribus transcendentes, cum ingenti labore, cum frequenti pavore, cum tentationum periculo, scientiæ incremento virtutumque profectui vacant, sub virga consistunt, disciplinam suscipiunt, quatenus tempore opportuno ad Deitatis obsequia, ad vitam religiosam, ad devotæ fraternitatis convictum sint aptiores. Merito igitur in ipsis delector, eorum studiis condelector, inter ipsos libenter delicioseque commoror. Nonne pius parens, benigna mater tenellis filiolis magis afficitur, plus condolet, diligentius providet dulciusque blanditur? Sic et ego pueris istis ; de quibus olim per Isaiam prædixi : Ecce ego et pueri mei. *Is.* VIII, 18.

Præterea volo, o pueri, ut unus e vobis in persona omnium vestrum in sua simplicitate ac innocentia mihi confidenter loquatur, mentis suæ desideria et conceptus coram me sinceriter fateatur, quatenus ad omnium vestrum informationem ei respondeam. Ego quippe per Salomonem testatus sum : Cum simplicibus sermocinatio mea ; *Prov.* III, 32.
et itidem per Psalmistam : Innocentes et recti adhæserunt mihi. Et quemadmodum *Ps.* XXIV, 21.
oblatos mihi parvulos benedixi, ita et vobis benedicere sum paratus. Verum benedictio *Marc.* X, 16.
mea, charismatum est divinorum collatio et multiplicatio eorumdem.

INTER JESUM ET PUERUM

DIALOGUS[1]

ARTICULUS PRIMUS.

Qualiter puer scholaris mentem suam coram Domino Jesu Christo effundat.

PUER. — O quam dulciter, Domine ac Salvator, allocutus es nos pueros, parvulos et pusillos, parvæ scientiæ, virtutis permodicæ ! Quomodo autem alloqui te auderem, qualiter te interrogare præsumerem, nisi tu ipse istud juberes, nosque tam dignanter tibi alliceres, ac tuum ad nostram parvitatem amorem præcipuum tam evidenter ac specialiter demonstrares? Itaque, quia ad frequentandum ad locum hunc a nostris sumus parentibus destinati, precor in primis doceri qualiter copiosius itemque compendiosius proficere omni die poterimus.

Sap. VIII, 19. JESUS. — Scio et cerno quia puer ingeniosus es tu, et sortitus es animam bonam : hinc tibi hilariter respondebo ; idque protestor recte dixisse Platonem : Anima quiescendo fit prudens. Cui concordat *Eccli.* XXXVIII, 25. quod in Ecclesiastico legitur : Qui minoratur actu, percipiet sapientiam. Tu ergo si compendiose proficere cupis, ab exterioribus occupationibus non necessariis neque utilibus abstine, ab indecentibus ludis, jocis, scurrilitatibus et trufis quiesce. Quumque lux gratiæ naturale lumen ingenii irradiet, perficiat et confortet, ad hoc primo atque potissime satage, ut mens tua luce gratiæ decoretur, sicque a Spiritu Sancto in cunctis juvari ac dirigi mereatur. Ad quod in primis requiritur ut ab A omni mortali caveas culpa. Hinc prava fuge consortia, studiosum et exemplarem habeto consocium ; lectiones tuas silenter ac diligenter adverte, auditas resume cum socio, revolve in animo, memoriæ imprime, et quod non intelligis, ab intelligentioribus sciscitare ; loquacitatem quoque ac otiositatem prorsus devita, in omni refectione sobrius esto, tempus tuum fructuose expende ; correptionem et correctionem gratanter amplectere, sicque imple istud quod in Ecclesiastico scriptum est : B Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam. *Eccli.* III, 31. Nec ita intentus sis studio, ut non certis et congruis horis orationibus ac laudibus Dei insistas : imo ad Omnipotentis cultum, laudem et gloriam universum studium tuum referas, semper ordines, oresque devote frequenter. Neque ullatenus negligas Creatoris tui implere præcepta ; Ecclesiæ item mandatis obtempera : alioqui peccares mortaliter, ac studii tui amitteres fructum. Etenim ingratum et inacceptum est Spiritui Sancto quidquid C ei obtuleris, neglecto eo ad quod teneris.

PUER. — Quis, o Domine ac Salvator, in pueritia, in adolescentia sua poterit omnia ista implere inter tot juvenes vagos indomitosque scholares, qui et eos irrident qui se ab eorum societate elongant?

JESUS. — Nequaquam existimes me alicui impossibilia præcepisse, aut impossibile quid a quoquam exigere. Denique gratiæ opem, caritatis fervorem, devotionisque spiritum, quibus omnino jussa implentur faciliter ac jucunde, omnibus

[1] Ex editionibus Coloniæ, Joannis Soteris, 1532, et Joannis Birckmanni Junioris, 1559.

præbeo, cunctis (quantum in me est) dare paratus exsisto. Verumtamen fateor pravam, lascivam, indomitam societatem periculosissimam esse, vehementer nocere, plurimos quoque ad adolescentiæ vitia miserabiliter damnabiliterque pertrahere. Verum ne et tu tale quid patiaris, salubre tibi præsto consilium, sicut et supra jam tetigi : prava, inquiens, fuge consortia, studiosum, castum ac sobrium habeto consocium, cujus anima sit secundum animam tuam. (*Eccli.* xxxvii, 15, 16.) Præterea, in hac urbe ubi frequentas, congregatio est devotorum virorum, qui caritative atque concorditer commanentes, non immerito Fratres ac Clerici appellantur : qui infatigabili caritate pueros frequentantes salubriter exhortantur, ad virtutes trahere moliuntur, ad mundi contemptum, ad sanctæ religionis ingressum inducere nituntur. Hos te assidue volo invisere, ipsorum uti consiliis, acquiescere monitis, obtemperare doctrinis. Nempe et ipsi congregationes habent scholarium ipsorum directioni subjectas : quarum aliquam ingredi non omittas, si periculosa abhorres consortia, si exemplarem ac studiosam societatem affectas. Non enim minus confert ac prodest societas virtuosa.

Puer. — Plene ac saluberrime, o Domine, respondisti. Attamen grave mihi adhuc est innatam libertatem instar illorum relinquere, caram societatem deserere, habitumque ferre abjectum ac dissimiliter aliis ire vestitum, imo et sociorum patere derisui, ac tandem relictis parentela ac patria congregationem aut monasterium introire, prout Fratres isti hortantur scholares.

ARTICULUS II.

Exhortatio Jesu Christi ad mundi contemptum ac conversationem devotam.

Jesus. — Nondum attendis, carissime fili, quam præclarum donum, quam præcipuum bonum sit innocentia ipsa, incorruptio carnis, integritas mentis, puritas baptismalis : quæ omnia, in sæculo remanendo et inter lascivientes juvenes commorando, celeriter perdes. Certe, ut ait Scriptura, omnis ponderatio non est digna animæ continentis. (*Eccli.* xxvi, 20.) Incorruptio quoque facit esse proximum Deo. (*Sap.* vi, 20.) Porro in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. (*Ibid.* i, 4.) Ipsa demum assuefactio bona, exercitatio virtuosa in pueritia inchoata, aptificat hominem ad vitam devotam in juventute ac senio, quemadmodum et vita vitiosa in pueritiæ annis incepta, hominem efficit ineptiorem ad conversationem timoratam in progressiori ætate ac senectute, quemadmodum Salomon est locutus : Adolescens juxta viam suam, etiam quum senuerit non recedet ab ea. (*Prov.* xxii, 6.) Et consonat illud : Quod nova testa capit, inveterata sapit. Consuetudo namque seu habitus ad sibi consimiles trahit actus. Utilissimum ergo saluberrimumque consistit in pueritia studere virtutibus, libertatem frenare, mentem Deo subjectam tenere, nec huic sæculo conformari. (*Rom.* xii, 2.)

Puer. — Quid est ergo quod dicitur,

Angelicus juvenis senibus satanizat in annis,

itemque, Qui non est expertus, pauca recognoscit? (*Eccli.* xxxiv, 10.)

Jesus. — Versiculus ille jure vituperatur : imo falsus ostenditur, si universaliter seu regulariter intelligatur, quamvis interdum ita contingat. Frequenter tamen accidere fateor, quod juvenes egregiæ indolis, et quantum ad naturalia suo modo angelici, qui in pueritia non satagunt dona naturæ in se perficere per munera gratiæ et exercitationem virtutum, quanto diutius vivunt, tanto vitiosiores atque carnaliores reddantur, eo quod ingenitis Dei beneficiis abutantur, et quo per naturalia amplius placent mundanis hominibus, eo plus ad vitia alliciuntur ab illis. Denique experientia, sicut et scientia, multiplex est; et sicut bonum est in bonis esse expertum, sic pravum est per efficientiam pravitatis expertum esse in malis. Juvenibus quoque et senibus ingens consistit lætitia,

A in pueritia et adolescentia non pueriliter, carnaliter et inaniter, sed mature, devote spiritualiterque vixisse. Præterea, adolescentiæ florem Creatoris obsequio dedicare, mercedem cum sacratissimo Joanne Baptista meretur, ac inter Sanctos thronum sortitur.

Insuper, non perpendis quam grandis supernaturalisque dignitas in Baptismo sit tibi concessa : in quo sine dubio factus es adoptivus filius Dei, innocentiæ veste amictus, supernaturalibus gratiæ charismatibus decoratus. Ibi quippe ex Dei bo- B nitate, meritis Salvatoris infusæ sunt animæ tuæ gratia gratum faciens, virtutes theologicæ, septem dona Spiritus Sancti, ac ceteræ virtutes gratuitæ caritati annexæ. Itaque inibi facta est anima tua Dei creatoris sui sponsa, filia et amica. Numquid parum est præstantissima dona hæc peccando amittere, ac mundi amore et propriæ libertatis affectione tam grave detrimentum incurrere, amissaque adoptiva Dei filiatione, gratia et amore, diaboli fieri servum, membrum ac filium? Intuere C pro viribus quanta sit inter hæc differentia atque distantia, quam magna sit vilitas animæ peccatricis, quam fœda sit servitus ista dæmonis et peccati, servire dæmonibus et peccatis.

Puer. — Parce et condescende, o Domine, exiguitati intelligentiæ meæ. Quamvis enim verba jam introducta plene capere ac penetrare non valeam, tamen (ni fallor) aliquantulum ea intelligo, atque ex ipsis non mediocriter moveor et instigor cuncta pueritiæ et adolescentiæ vi- D tia abhorrere, nec minus virtutum quam scientiarum incrementis studere, devotorumque Fratrum hortamenta sectari, juniorum etiam fratrum scholarium contubernio sociari. Ut autem ad ista validius incalescam, precor, o Domine, ut sapientialia ac devotissima verba quæ nunc tetigisti magis quam expressisti, digneris clarius prosequi ac diffusius pertractare.

Jesus. — Ego qui exterius loquor ad excitandum, interius ungo ac moveo ad consentiendum; et nunc quod pie postulas adimplebo, ut fortius accendaris ac in salubri proposito roboreris.

ARTICULUS III.

De variis motivis quibus inducendi sunt scholares, præsertim pueri adhuc innocentes, ad diligentem profectum scientiæ ac virtutum, ad conversionem quoque perfectam.

Jesus. — Præcedenti articulo multa jam tetigi tibi motiva ad detestandum ac evitandum sæculi vanitates, intimoratorum sodalium pravitates, atque ad arripiendum spiritualis conversationis exordia, ac devotorum scholarium studiosorumque puerorum consortia. Primum est, ne pretiosæ innocentiæ donum, Baptismatis gratiam, irrecuperabilem virginitatem, ac supernaturalia charismata gratiæ gratum facientis, theologicarum ceterarumque virtutum infusarum atque donorum Spiritus Sancti tibi in Baptismate præstitorum amittas. Per hæc etenim anima tua ineffabiliter decoratur, angelicis mentibus conformatur, ad promerendum vitam æternam idonea redditur, sole et cunctis planetis atque sideribus cœli pulchrior splendidiorque efficitur, et tu ipse quasi angelus Dei consistis, quamdiu in istis permanseris supernaturalibus ornamentis.

Puer. — Unde hoc innotescit, quod tam divina præclaraque gratiæ munera in Baptismatis fonte donantur? Præterea, ut in scholis jam didici, dona Spiritus Sancti sunt sapientia, scientia, intellectus, consilium, fortitudo, pietas, timor. *Is.* xi, 2, 3. Si ergo sapientia et scientia animæ meæ in Baptismo infusæ sunt, quid necesse est mihi pro eis adipiscendis studere? Rursus, quid prodest animæ dona ista conferri ante usum rationis, antequam eis uti valeat et quidquam mereri?

Jesus. — Puer es, et pueriliter quæris, verumtamen non adeo pueriliter quin ex interrogationibus istis patescat bonitas tui ingenii, capacitasque ejusdem. Hinc tibi

respondeo, quod infantuli in Baptismo ab A
Ephes. II, 3. originali purgantur peccato, et de filiis iræ filii gratiæ efficiuntur, ac in statu ponuntur salutis : unde si ante adultam decedant ætatem, confestim salvantur. Quæ omnia certum est sine præfatis charismatibus gratiæ fieri non valere. Propter quod infantes non baptizati excluduntur a regno, et in deputato sibi ponuntur limbo, pœnam damni, hoc est beatificæ visionis carentiam, sustinentes. Hinc demum ante adultam ætatem rationisque usum his supernaturalibus donis indigent pueri. Porro B
sapientia et scientia quæ in Baptismate infunduntur, a sapientia naturali et scientia acquisita scholastica realiter distinguuntur ; et in his hac responsione breviloqua esto contentus, quia materia pro nunc tuum transcendit ingenium, atque a principali abducit proposito.

Puer. — Quoniam pueriliter interrogavi, plus sciscitari non audeo ; nec hoc mihi (ut confido) nocebit, præsertim quia et me non interrogante, tu, Domine, nihilo minus nosti quid expediat mihi audire. C

Jesus. — Hoc plane non pueriliter, sed sapienter effaris. Nec absolute prohibeo tibi loqui et quærere, sed ut modestiam discas ac serves persuadeo.

Puer. — Si tanta est innocentium puerorum opulentia ac ornatus in supernaturalibus donis, et si tantum eis periculum imminet ex peccato, mirum quod a suis parentibus ac magistris non diligentius, frequentius ac seriosius instruuntur, avisantur et custodiuntur ne peccent, et ne peccando tam maxima incurrant patian- D
turque damna.

Jesus. — Prudenter hoc loqueris, et merito admiraris : nam et parentes ac magistri ad hoc tenentur. Sed qui se ipsos non custodiunt, nec spiritualiter sed carnaliter diligunt se et suos, aut temporalia lucra potius quam spiritualia quærunt emolumenta : quid mirum si pueros taliter negligunt informare, avisare et custodire ? Imo hoc potius de multis parentibus est mirandum ac vehementer deflendum, quod sobolem suam adhuc vix compotem rationis enutriunt, non utique in disciplina et timore Domini, sed potius in pessima libertate, et antequam pueri sciant quid exsistit superbia, docent eos superbiam.

Puer. — Nunc cetera, o Domine, si placet, prosequere.

Jesus. — Secundum motivum ad istud inductivum asserui esse, quod ipsa assuefactio ad virtutes in pueritia cœpta, deinde per totam vitam atque in senio efficit hominem ad exercitia virtuosa ac spiritualem profectum magis idoneum. Quemadmodum enim difficile est consueta relinquere, ita perfacile est ea continuare, sicque de virtute in virtutem conscendere, ac tandem perfectionis fastigium adipisci. Virtutes quippe ex sua natura suaves sunt, et earum exercitiis occupari et inhærere, naturaliter delectabile exstat. Difficultas vero quæ in earum exercitatione sentitur, ex humana corruptione passionumque vehementia oritur. Hinc pueri, ceteris paribus, ad omne bonum sunt magis apti, convertibiliores, spiritualis quoque profectus capaciores ; ac postmodum minus tentantur, saltem tentatione quæ est ab intra, quamvis interdum Deo sic permittente, forinsecus a dæmonibus graviter impugnentur. Hinc maxime expedit ut pueri in sua pueritia convertantur, virtutum exercitiis assuescant, atque in sancta devotione enutriantur.

Tertium motivum ad hoc inducens esse disserui, ne a summa supernaturalique dignitate ad vilissimam corruas fœditatem, ad ignobilissimam servitutem, ad æternæ perditionis cladem ac foveam. Nempe, ut dixi, per supernaturalia dona tibi in Baptismate impertita, facta est anima tua sui Creatoris Salvatorisque filia, sponsa, amica et heres : quæ omnia peccando mortaliter non solum amittit, sed insuper prædicta vilissima istis contraria promeretur ac recipit. Etenim peccando mortaliter, fit diaboli sponsa, seu magis adultera, proles ac socia ; Dei inimica, Creatori odibilis, et omni beneficio ejus in-

digna, in tantum ut homo sic peccans prorsus indignus sit pane quo vescitur, et omni obsequio creaturæ, indignus terram calcare, aerem respirare, et omni bestia vilior, imo, ut Aristoteles quoque testatus est, omni bruto decies millies pejor : sicque æterna felicitate juste privatur, ac insuper infernalibus incendiis ac tormentis in perpetuum traditur, immergitur, cruciatur.

PUER. — Ista, mi Domine, vehementer me terrent, valenter compungunt, et ad obtemperandum salutaribus hortamentis valde instigant, imo in admirationem convertunt quod aliquis hæc perpendens audet peccare. Præterea, si homo per unum peccatum mortale perdit tot bona, incurrit
cli. v, 5. tot mala, quid imminet eis qui peccatis peccata adjiciunt, ac multis mortalibus quotidie inquinantur?

Ibid. 8. JESUS. — Ne ergo et tibi sic accidat, non tardes converti ad Dominum.

PUER. — Ecce, mi Domine, mundum intendo relinquere, religionem intrare, aut inter Fratres devotos tibi servire. Verum nec scientia, nec ætate, nec corporis robore ad hoc adhuc aptus consisto. Interim ergo intendo ad universale Studium pergere, philosophiæ operam dare, in naturalibus scientiis diligenter proficere, potissime quoniam (ut audivi) sine hujuscemodi eruditione sacram intelligere Scripturam non potero. Insuper aliqui dicunt, quod scholaris scholis a suis parentibus mancipatus, suis lectionibus potius quam divinis obsequiis debet intendere : alioqui esset culpabilis.

JESUS. — Ad hæc sequenti articulo plenarie respondebo.

ARTICULUS IV.

An consulendum sit puero jam devoto et in particularibus scholis competenter instructo, ad universale Studium proficisci.

JESUS. — Universalia Studia, quæ et Universitates vocantur, rationabiliter atque A pro multis utilibus ac necessariis causis sunt instituta; suntque veluti oculi quidam in corpore mystico militantis Ecclesiæ, quorum est erroribus contra fidem resistere. Et si in eis sic viveretur sicut requiritur ad salutem, et statuta eis præfixa observarentur ab ipsis, minus periculosum esset pueris devotis et castis stare in illis. Verum, sicut in aliis Ecclesiæ statibus, gradibus ac ordinibus multiplex ac deflenda viget et regnat deformitas ac ruina, ita in Universitatibus illis, ita ut non medio- B criter periculosum sit pueris castis ac devotis illis se sociare. Heu, quam miserabiliter atque celeriter supplantantur, seducuntur, inquinantur ibidem! Si itaque puer in particularibus scholis factus sit congruus, consultius, tutius, salubrius ei censetur religionem aut devotam fraternitatis congregationem intrare, quam desiderio majoris scientiæ id differre et Universitatem accedere. Nempe, si in congregatione seu claustro studiosus capaxque fuerit, mentis quoque puritati ac indesinenti vir- C tutum incremento digne studuerit, infra breve tempus ad clariorem pertinget intelligentiam Scripturarum, ad abundantiorem spiritualium ac salutarium et divinorum notitiam, quam in studiis illis per tempus longævum. Ad hanc quippe salubrem scientiam plus confert unctio in secreto quam disputatio in publico; divina illuminatio, quam humana instructio; munditia cordis, quam argumentatio oris; fervens oratio, quam clamorosa contentio; quies silentii, quam abundantia verbi. Hinc D quidam Sanctorum, videntes in Studiis plurimos per abrupta incedere vitiorum, per incensa libidinum, per corruptiones mentis et corporis, inde fugerunt, et sacram religionem ingressi sunt. Nonnulli demum Sanctorum religionem professi, testati sunt se carnalium amicorum persuasionibus fuisse pene deceptos, per hoc quod quasi consenserant ad tale Studium proficisci, retuleruntque gratias Deo, qui eos inde retraxit, et ad monasticam vitam perduxit. De hoc in Legendis sanctorum

Ægidii, Benedicti, Bernardi, poteris informari.

Præterea, quamdiu deputatus es scholis ad frequentandum, sic debes devotionis actibus, orationi, Missarum auditioni consimilibusque vacare, ut id propter quod missus es non omittas. Verumtamen Spiritui Sancto legem nequit præfigere homo, nec gratiæ ejus libertas ordinatione constringitur aut arctatur humana. Idcirco, si quis speciali devotione trahatur atque a Spiritu Sancto agatur ad exercitia quæque devotionis, meritorie operatur. Et huic aliunde gratiose supplebitur quod in scholasticis omisisse videtur, auxilianteque gratia, paulo post seu altera vice plus proficiet una die quam alter in multis.

Puer. — Ex responsione hac compendiose his quæ proposui satisfactum ac clare responsum intelligo. Sed quid de his qui beneficiati Horas canonicas legere negligunt, ne a studio impediantur, vel certe ne a studio retrahantur, resignare beneficium eligunt?

Jesus. — Ex verbis præhabitis patet ad istud responsio. Quum enim sit præceptum Ecclesiæ ut beneficiati quotidie Horas legant canonicas, innotescit hoc sine mortali vitio non omitti: imo nec unam vel minimam Horarum illarum sine mortali omitterent culpa. Ergo quocumque die septem Horas illas legere negligunt, septies peccant mortaliter, aut unum peccatum septempliciter mortale incidere comprobantur. Hinc consultius agunt qui beneficia resignare proponunt, ne damnabiliter peccent Horas non persolvendo, quam qui retento beneficio Horas audent omittere. Verumtamen, sicut prætetigi, si scholaris beneficiatus Horas quotidie legat distincte atque devote, quamvis aliquantulo tempore retrahatur a studio, tamen suæ devotionis ac justitiæ merito confortabitur auxilio gratiæ, et supplebitur aliunde, suffragante que Spiritu Sancto plus proficiet reliquo tempore, quam si Horis omissis, tota die studio sit intentus.

Puer. — Ecce, mi Domine, tibi servire

A et tuo obsequio mancipari propono; sed prius repatriare, parentes visitare ac eorum consensum procurare intendo, aut si tibi sic complaceret, cum ipsis ad eorum ac plurimorum ædificationem manerem.

Jesus. — Tentator pueros bonæ voluntatis variis modis decipere nititur, et quos per evidentia mala nequit retrahere, sub specie boni supplantare conatur; ac per hoc pueros multos diabolicæ ignaros versutiæ fefellit ac vicit. Ignoras quid in Evangelio recitor respondisse adolescenti
B mihi dicenti, Domine, sequar te, sed per- *Luc.* IX, 6
mitte mihi primum renuntiare his quæ domi sunt; alteri quoque qui ait, Domine, *Ibid.* 59.
sequar te, sed permitte mihi primum sepelire patrem meum? Nonne primo horum respondi, Nemo ponens manum suam ad *Ibid.* 62.
aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei? alteri vero, Dimitte mortuos se- *Ibid.* 6
pelire mortuos suos? Nondum considerasti *Matth.* VI 22.
quam faciliter ac confestim puerilis animus per parentum ac propinquorum sæculariumque consortum blandimenta, per-
C suasiones, apparatus, communicationem, promissa ac alias diversas attractiones flectatur, fallatur ac subvertatur? Et quomodo tu adhuc puer præsumis te a perversis non subvertendum, ædificaturumque illos, et non potius scandalizandum ac superandum ab eis?

Puer. — Intelligo ista: tamen, ut quod verum est fatear, adhuc mihi difficile est parentes et propinquos ac socios patriamque omnino relinquere.

Jesus. — Ad istud libenti promptoque
D animo peragendum, multa te debent inducere: de quibus quamvis jam supra aliqua dixerim, sequenti tamen articulo inde diffusius loquar.

ARTICULUS V.

Exhortatio ad carnalium parentum et propinquorum atque sodalium natalisque soli derelictionem propter Deum.

Jesus. — Durus es valde, o puer, si nec amor divinus te trahit, nec cœlestis pro-

missio allicit, neque comminatio summi A Judicis terret, nec timor æterni supplicii a periculis et peccatis te retrahit, nec ratio instruit, neque exempla accendunt. Si (*Matth.* xxii, 37.) (ut teneris) Deum creatorem tuum toto diligis corde, cur tibi molestum est ei soli totis præcordiis adhærere, tota diligentia deservire, toto conatu intendere, sicque vacare, et videre, sentire et experiri quam (*Petr.* ii, *Ps.* xxxiii, *Ps.* xxx, 20.) incomprehensibiliter dulcis sit Dominus, quam infinite bonus ac suavis sit Deus, quam magna et immensa sit multitudo dulcedinis ejus? Qua gustata desipit omnis B caro, atque perfacile est carnalia aspernari solatia; experimentaliter quoque patescit (*Matth.* xi, 30.) quam verissime locutus sim: Jugum meum suave est, et onus meum leve. Insuper, si (quemadmodum obligaris) parentes, propinquos, socios et amicos spiritualiter amas, debes eis super omnia æternam desiderare salutem, gratiam etiam et virtutes in vita præsenti, per quas tantam beatitudinem mereantur, ac talem te exhibere, ut sis magis idoneus illis ad hæc obtinenda cooperari et suffragari : quod fiet si Dei C intuitu ac amore carnalem eis tuam præsentiam subtrahas, carnalia solatia deneges, mundanam societatem præripias, atque in sacra religione seu devota fraternitate Omnipotenti perfectam offeras servitutem, in spirituali caritate ac omni virtute, in puritate interna contemplativaque vita quotidianum sortiaris profectum ; sicque pro te ipso, pro communi bono totius Ecclesiæ, pro vivis ac mortuis, specialiter quoque pro tuis propinquis, benefactoribus et amicis ac sociis, incessabili- D ter et affectuosissime invoces et implores viscera misericordiæ Dei tui.

Præterea, merito te deberet allicere promissio evangelica et cœlestis qua dixi: (*Ibid.* xix, 29.) Omnis qui reliquerit patrem aut matrem, aut fratres aut sorores, aut agros propter me, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit; (*Ibid.* 28.) itemque : Vos qui secuti estis me, in regeneratione quum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Hæc namque promissio non tantum Apostolis, sed cunctis etiam universa temporalia et terrena propter Deum deserentibus ac vitam religiosam ducentibus, noscitur facta. Et rursus : Si vis perfectus esse, vende omnia tua, et (*Matth.* xix, 21.) da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis. Quis non libenter expendat, relinquat, distribuat poma et pira, imo lutum et stercora, quatenus pro eisdem recipiat aurum et pretiosissimas gemmas in quantitate et copia magna? Quid sunt omnia ista terrena, transitoria et caduca, comparatione æternorum spiritualiumque bonorum, præsertim respectu summi, incircumscripti et incommutabilis boni, nisi vilissimum lutum et sterquilinium fœdum? Hinc in universis amatoribus mundi puerilitatis vitium regnat, stultitia, imo insania dominatur : quoniam carnalia et terrena, vana et deceptoria, bonis præferunt sempiternis, creaturam Creatori, carnem spiritui, carnis spurcitias, mundi divitias fallaces umbraticosque honores charismatibus gratiæ, donis gloriæ, felicitati plenissimæ æterna securitate vallatæ.

Amplius, merito perterrere te debet quod proprio ore deprompsi : Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest (*Luc.* xiv, 33.) meus esse discipulus ; et denuo : Qui plus (*Matth.* x, 37.) amat patrem aut matrem quam me, non est me dignus. Ista et consimilia ad comminationem spectant. Denique in Evangelio sum locutus : Nolite vobis patrem vo- (*Ibid.* xxiii, 9.) care super terram ; unus est enim Pater vester in cœlo. Hinc sanctus vir Evagrius eremita dicenti sibi, Defunctus est pater tuus, respondit : Cessa blasphemare. Meus etenim pater est immortalis, utputa Deus creator. An magis afficeris patri carnis quam Patri spirituum ?

Mirum præterea, si non terret neque a mundo et carnalibus hominibus revocat te divini rigor judicii, acerbitas gehennalis incendii, imo universitas inexplicabilium intolerabiliumque pœnarum inferni, quum et facialis intuitus unius diaboli non immerito dicatur excedere omne præsentis

vitæ tormentum; quum demum sine dubio A tam pavendum sit divinum illud judicium, ut sanctus Job dixerit ac supplicaverit *Job* xiv, 13. Deo : Quis mihi tribuat ut in inferno protegas me et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus in quo recorderis mei? Anne itidem te perterret paucitas horum qui salvantur in mundo, ex quibus de multis salvatur vix unus? Quis audeat ire per pontem in cujus pertransitione de decem vix unus ruinam et submersionem evadit? Qualiter ergo inter sæculares arbitraris te, non solum B non ruiturum ac subvertendum, sed ipsos *Jacob.* iv, 4. quoque perducturum ad portum? Nescis quod amicitia hujus mundi inimica est Deo, ideoque qui voluerit hujus mundi esse amicus, inimicus Dei constituetur? Et I *Joann.* ii, 16. iterum ait Scriptura : Quia omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Propter quod sanctus hortatur Joan- *Ibid.* 15. nes : Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, quia si quis diligit mundum, non est caritas Dei in eo. Quid C evidentius, quid terribilius dici potest? Itaque ratio te convincit et docet quam incomparabiliter salubrius eligibiliusque consistat mundum deserere, parentes et propinquos relinquere, religionem intrare, quam sub specie boni periculosis suggestionibus præbere assensum.

Ad idem te moveat, inflammet, perdu- *Sap.* xviii, 15; *Joann.* i, 1, 14. cat mei ipsius exemplum : quoniam a regalibus sedibus descendi in mundum, de sinu Patris descendi in uterum Virginis; et quum omnium Dominus essem, elegi in D maxima paupertate ac summa humilitate, in omni obedientiali subjectione et abjectione atque multiplici persecutione conversari in sæculo isto, ab utero Matris usque ad patibulum crucis. In omnibus quoque elegi quod carni molestius est. Omnem item sensualem et carnalem affectionem docui exstirpandam. Et in his innumerabilia millia sanctorum religiosorum per evangelicorum observantiam consiliorum mea sunt imitati vestigia : imo usque in præsens multi adolescentes nobiles, locupletes ac docti intuitu mei vitam religiosam arripiunt, spretoque sæculo regnum mercantur cœlorum brevi compendio, atque in brevissimo vitæ hujus curriculo promerentur ac adipiscuntur beatitudinem sempiternam.

Adverte quod in vita S. Pacomii de electo ac devoto fertur Theodoro puero. Theodorus adolescens quatuordecim fere annorum, claris ac divitibus oriundus parentibus, cernens in quadam solennitate domum suam amplam valde et splendidam, cunctis opibus abundantem, compunctus corde intra se dixit : Quid tibi proderit, infelix Theodore, si totum mundum lucratus fueris, et temporalibus utens usquequaque divitiis, ab illis æternis et immortalibus bonis in perpetuum excludaris? Nullus enim potest præsentibus divitiis ac deliciis perfrui, et perennis gloriæ præmia promereri. Super his ergo fortiter ingemiscens, procidit in faciem, cum lacrimis orans : Omnipotens Deus, tu scis quod nihil sæculi hujus tuo amori præpono : in tua ergo voluntate me, obsecro, dirige, et miseram animam meam illumina, ne in æternam *Ps.* xii, 4. mortem contenebrata peccatis obdormiat, sed redempta munere tuo, per omnia te collaudet, veneretur et glorificet. Audi præterea quid vir sanctus, Epictetus martyr, illustri, speciosissimo ac opulentissimo adolescenti Astioni disseruit : Veni, mi nate, et respue ea quæ in hoc mundo videntur, quoniam transitoria sunt, ea vero quæ Deus præparavit servitoribus suis manent in sempiternum.

Denique pater tuus iste visibilis et carnalis, non est verus pater, sed Deus omnipotens verus est pater tuus. Mater vero tua *Deut.* xxxii, 6. est sancta Ecclesia. Hujus igitur matris ubera suge, ejus admonitionibus acquiesce. Sed et verum Patrem nostrum audi dicentem : Exi de terra tua et cognatione *Gen.* xii, 1. tua, et veni in terram quam monstravero tibi, in terram viventium, in regionem Sanctorum.

Puer. — Tot et tantis persuasionibus ad-

monitus et convictus, merito acquiescere debeo, et in spe misericordiæ tuæ spiritualem militiam assumere nunc propono. Verum quia infirmus atque instabilis est animus adolescentis, deprecor a te in hoc ipso proposito roborari, et qualiter tentationibus diaboli, carnis ac mundi resistere interim debeam, informari.

Jesus. — Pia est ista petitio ac salubris affectio : quibus satisfacere volo.

ARTICULUS VI.

Confirmatio salubris propositi.

Jesus. — Considera diversitates retributionum ac finium hominum electorum ac reproborum : et de hoc ædificare atque in bono te figere debet exemplum quod in Vitaspatrum narratur de quadam devotissima virgine, quæ in filiali ac sancto Dei timore valde profecerat. Cujus quum parentes fuissent defuncti, cœpit cogitare in lectulo suo cujus potissime vitam vellet imitari, patris sui, aut matris : quorum vita fuit prorsus dissimilis. Siquidem pater ejus erat vir bonus et simplex, pecora sua pascens, assiduis infirmitatibus pressus, in quibus et patiens fuit, Deo subjectus et gratias agens. Porro mater ipsius garrula fuit, comessationibus et potationibus vacans, conjugalemque fidem transgrediens, ac in omnibus his continua sanitate ac prosperitate exsultans ; marito autem suo defuncto, vitiis carnis sine freno exposuit se. Quumque illa taliter cogitaret, et matrem suam sequi quasi desideraret, apparuit ei pater suus quasi indignans, duxitque eam in spiritu ad amœnissima loca Sanctorum, deinde ad loca teterrima damnatorum, in quibus conspexit matrem suam velut de infernali fornace erumpere et exire, in medio quoque sulfurei ignis æstuantissimique incendii cruciari. Quæ, visa filia sua, miserabilissime exclamavit : Miserere mei, o filia mea ; recordare nunc qualiter in utero meo novem mensibus te gestavi ; recole quomodo propriis meis uberibus te lactavi. Vide quantam cremationem, calamitatem et afflictionem pro delectationibus meis brevibus et obscenis recipio ; extende, o filia, manum tuam, et extrahe me de his pœnis. His auditis et visis, virgo illa rediit ad se, et compuncta ac territa vehementer, rigorosam deinceps ac devotissimam duxit vitam. Denique, si istud non satis te moveret, moveat et compungat te valide quod in Evangelio recitavi de Lazaro ulceroso, ac divite epulone. *Luc.* XVI, 19 et seq.
Perpende qualiter anima Lazari mox ut de corpore egressa, ab angelis in sinum Abrahæ sit portata, divitis vero anima infernalibus flammis sit tradita. Vide quanta sit inter remunerationes istas diversitas. Intuere quomodo dispositum sit cor damnati, cor quoque salvati.

O utinam saperes et intelligeres quanta angustia et pressura, quanta desolatio, quam amarissima desperatio, quam pœnalissimus timor, mœror ac dolor impleant, penetrent æternaliterque possideant reprobos ac damnatos, quam inæstimabiliter affligantur sulfurei ignis ardore ! Verumtamen non tantum affliguntur, nec postmodum in resumptis corporibus affligentur ipso infernali calore ac frigore, quantum ex sua desperatione cruciantur in mente, certi quod in tot ac tantis tormentis sine omni spe veniæ æternaliter tenebuntur. Hoc premit ac deprimit, angustat, corrodit, dilaniat, et inexcogitabiliter gravat, transfigit, excruciat mentes miserrimorum illorum, ita quod vellent se prorsus non esse, et in nihilum redigi posse. Hinc David rex, II *Reg.* XVIII, 33.
patriarcha et propheta, filium suum Absalonem sciens in gravissimis exspirasse peccatis, acerbissimis quoque deputatum inferni suppliciis, amarissime deflevit eumdem, dicendo : Fili mi Absalon, Absalon fili mi ; quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Absalon fili mi, fili mi Absalon ?

Contemplare quam intolerabile tibi esset, una die, imo vel una hora, corpore nudo jacere in medio ardentissimi clibani. Quomodo ergo poteris sustinere ardorem et pœnas purgatorii multis diebus aut an-

nis, præsertim inferni sine fine durationis A et absque spe liberationis, quum utique non solum inferni sed purgatorii quoque tormenta sua acerbitate excedant universa hujus vitæ supplicia, quamvis immanissimas pœnas martyres sancti tolerasse leguntur?

PUER. — Hæc vehementer me terrent, quum et uno anno aut mense in molli lecto indesinenter jacere, mihi intolerabile videretur, et valde esset pœnale.

JESUS. — Quanto intolerabilius tibi esset, uno mense aut anno in medio venenatis- B simorum ac monstruosissimorum animalium, basiliscorum, draconum, bufonum, nudum jacere, atque ab illis constringi, deosculari, ac eorum spiris involvi?

PUER. — Sola horum imaginatio horrore me concutit.

JESUS. — Quomodo ergo ad illud genus vitæ te audes exponere, in quo vix unus de centum sine mortalibus versatur peccatis?

PUER. — Eligenda est via securior : et maxime miror quod credentes ista tam pa- C rum ponderant ac formidant.

Sap. II, 21. JESUS. — Excæcat eos ipsorum malitia, potissime consuetudo iniqua, quæ est velut gravissima moles superposita monumento, qua premitur anima, ita ut nec resurgat, neque respiret ad Deum. Etenim peccata quamvis ingentia et horrenda, tamen dum in consuetudinem convertuntur, parva videntur aut nulla. Alia hujus ratio est longanimis exspectatio pietatis divinæ, ultionem culparum diu ac misericorditer differens, sicut et Salomon protestatur : D

Eccle. VIII, 11. Quia non cito profertur contra malos sententia, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala. Tertia ratio est occupatio atque dispersio cordis multa et magna circa negotia alia. Quarta, spes seu magis præsumptio immoderata de misericordia Dei et de pœnitentia saltem in fine habenda, quum tamen de mille vix unus in fine vera contritione pœniteat qui usque tunc in vitiis mansit. Hos ergo reprehendit Apo-

Rom. II, 3-5. stolus, dicens : Existimas, o homo qui impie agis, quod tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis et patientiæ et longanimitatis ejus contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam vero tuam et impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die justi judicii Dei. Quinta est multitudo scandalose ac vitiose viventium, qui inspicientes ad consimilia trahunt, præsertim inexemplaris, prava et negligens prælatorum ac præsidentium vita, quemadmodum Jeremias locutus est : Quia stulte egerunt *Jer.* X, 2[1].

pastores, et Dominum non quæsierunt, ideo omnis grex eorum dissipatus est. Et hæc modo præcipua causa est hujus tam miserabilissimæ ac damnabilissimæ ruinæ ac deformationis Ecclesiæ in omni pene statu, gradu ac ordine ejus. Quod si in collegiis disciplina vigeret, et præsules et archidiaconi consisterent timorati, ac juxta juris tenorem visitarent presbyteros, non tam periculosum ac dissuadendum esset canonicorum et curatorum assumere statum ac vitam.

Denique, quanto quis copiosius illustratur a Spiritu Sancto, tanto plus admiratur ac dolet, quod homines qui sciunt se morituros ac judicandos a Deo, atque finaliter æternæ damnationi aut perpetuæ felicitati adjudicandos, tam intimorate ac damnabiliter vivere audent. Propterea multi a morte resuscitati, et ipsas pœnas experti aut certe intuiti, super hoc ineffabiliter admirati fuerunt, ac deinceps rigorosissimam vitam duxerunt. Quidam vero hujusmodi pœnas in sola imaginaria visione intuiti spiritualiterque perpessi, super hoc intensissime sunt mirati, et deinde in omni rigore ac justitia conversati.

PUER. — Horum consideratio diligens formidinem incutit, et ad serviendum tibi, ad relinquendum mundum hunc nequam ex timore inducit; sed quoniam sine caritate nil meritorium, nil Deo acceptum esse jam didici, precor te, o Domine, ut de his quoque aliquid tangas quæ ad peragendum ista ex vera caritate excitant et instigant.

Jesus. — Timor iste imperfectis, quibus A nondum mundus est mortuus, et suos adhuc sensualiter amant, in primis valde necessarius perhibetur. Porro, quia opposita juxta se posita evidentius innotescunt, superest ut tactis his quæ ad finalem spectant retributionem pravorum, et ad æternam calamitatem ipsorum, aliquid tibi tangam de perpetua ac finali mercede et gloria justorum et electorum. De quibus affirmo, quod ipsorum beatitudo atque jucunditas, magnitudine et multitudine inenarrabiliter excedit et vincit omnem ca- B lamitatem et afflictionem reproborum ac damnatorum. Deus namque infinite bonus Ps. cxliv, et clemens, cujus miserationes sunt super omnia opera ejus, supra condignum remunerat, et citra condignum punit ac damnat. Attende ergo pro posse et diligenter imaginare quam indicibiliter affligereris, si in æstuantissima fornace nudus jaceres, qualiter te hinc inde jactares; sicque ex opposito contemplare quam ingenti et inæstimabili gaudio pleni sint beatissimi cives paradisi cœlestis. Nec mi- C rum, quoniam immediate, clare ac facialiter illum conspiciunt, illoque beatifice perfruuntur, qui essentialiter et incircumscriptibiliter pulcher est et superpulcherrimus, ipsa pulchritudo perfectionaliter infinita, a cujus speciositate, amœnitate et gloria omnis decor creatus deficit infinite. Ipse item est interminabiliter suavis, et omni menti creatæ convenientissimus : cujus respectu omnis dulcedo creata est tanquam punctum vel ut momentum, imo ut nihilum. Intuere pro viribus quam D deliciosum ac dulce, quam beatum ac delectabile sit, hoc superbeatissimum objectum in se ipso clare et immediate conspicere, atque ad libitum frui eodem. Et certe hoc essentiale est ac principale præmium et gaudium omnium Beatorum. Accidentale vero præmium eorumdem consistit in clara cognitione, pura dilectione, ordinatissima quoque fruitione humanitatis Filii Dei, gloriosissimæ Virginis matris ejus ac omnium Beatorum, totiusque ordinis universi. Nec debes ambigere quin taliter intueri unum seu etiam infimum civem regni cœlestis, omnia superet gaudia vitæ præsentis. De his in plurimis libris multa vere et catholice scripta invenire ac legere poteris. O quam gloriosum et jucundissimum erit glorificato corpore beatificaque anima in cœlo empyreo inter Sanctos Dei securissime commorari, Deum excelsum et gloriosum ferventissime sine cessatione diligere, amorosissime intra se stringere, devotissime collaudare! Certe non tantum excedit totum aquæ elementum minimam guttam, quantum gaudium illud excedit cuncta gaudia hujus mundi.

Puer. — Nunc inflammatum est cor meum, et liquefacta est anima mea; fastidit mens mea universa carnalia et terrena. Ps. lxxii, 21. Cant. v, 6. Sed et modo clare adverto et limpide cerno quam excæcati, insensati ac miseri et prorsus miserrimi sint, qui amore temporalium rerum, carnalium deliciarum, transitoriorum honorum, tanta se privant felicitate, ac infernalem sibi calamitatem mercantur.

Jesus. — Oportet te pure et super omnia Deum diligere : ideo, quamvis ob tantam miseriam evadendam atque ob tantam beatitudinem promerendam debeas Deo servire, principalissime tamen id facere debes ex puro suæ infinitæ bonitatis amore, et ob suam dignitatem, sanctitatem ac honorabilitatem immensam, sicque te ipsum et omnia tua, omne meritum ac præmium tuum finaliter referre ad Deum.

Puer. — Firmiter nunc propono sic facere; sed quoniam puer sum et multis tentationibus ac impedimentis expositus, desidero contra ea muniri, et qualiter illis resistere debeam, edoceri.

ARTICULUS VII.

Qualiter tentationibus sit resistendum.

Jesus. — Tentationum remedia in diversis codicibus plurima discere potes; sed

quantum ad præsens tibi ac consimilibus tui sufficere potest, aliqua breviter tangam.
Jacob. IV, 7. Ait quippe apostolus Jacobus : Resistite diabolo, et fugiet a vobis. Oportet ergo diabolo ac tentationibus reluctari. Sed quomodo et per quæ, sciscitaris. Quocirca in primis agnosce nomine tentationis intelligi posse omnem inclinationem, suggestionem, instigationem ad peccandum, sive ab intra sit, puta a carne ; sive a mundo, id est a mundanis et iniquis hominibus, seu a mundi objectis et concupiscibilibus rebus sæculi hujus, ut sunt divitiæ, deliciæ et honores, exteriores ornatus, joci, ludi, convivia ; sive ab immundis spiritibus, qui nos callidius tentant, acrius indesinentiusque impugnant,
Ephes. VI, 12. in tantum ut dicat Apostolus : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem (id est, non tantum nec principaliter est nobis conflictus adversus propriam carnem hominesque carnales), sed contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, hoc est contra spiritualia et invisibilia agmina atque certamina dæmonum in aerio cœlo vagantium. Insuper nomine tentationis potest quæcumque adversitas, tribulatio, infirmitas, persecutio designari.
Jacob. I, 2. Unde Jacobus apostolus : Omne (inquit) gaudium existimate, fratres, quum in varias
Ibid. 3, 4. tentationes incideritis. In quibus per patientiam vincit homo, omnia talia pro suis peccatis æquanimiter tolerando, Christi quoque passionem pensando, et se ei pro viribus conformando. Nunc autem de tentatione primo modo accepta, sit potissime sermo.

Itaque quandocumque et ubicumque senseris te tali tentatione pulsari, mox invoca Deum et lauda eum, ut eruere te digne-
Ps. XVII, 4. tur, juxta illud Psalmistæ : Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero. Atque ut exaudiri merearis, humilia temetipsum, non confidens atque præsumens de viribus tuis aut propriis meritis, sed in misericordia, caritate et omnipotentia Dei tota tua consistat fiducia. Non enim deserit bonus Deus sperantem in se,

A prout per Jeremiam testatus est : Eruens *Jer.* XXXIX, 18. liberabo te, et erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam. Debes quoque quotidie, imo frequenter omni die, invocare, laudare, honorare sacratissimam virginem Mariam dignissimam, et sanctum angelum tuum custodem.

Secundum remedium est, diligenter attendere tua novissima, hoc est mortis acerbitatem et pericula ei annexa, divini quoque districtionem judicii, amarissimas etiam inferni ac purgatorii pœnas, inef-
B fabilia item gaudia regni cœlestis. Horum attenta ac frequens consideratio ab omni revocat transgressione, ab illicito quoque consensu in omni tentatione, quemadmodum scriptum est : In omnibus operibus *Eccli.* VII, 40. tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. Hæc ergo in omni tentatione adverte, potissime ut verearis peccare.

Tertium remedium est dominicæ passionis recordatio amorosa. Ideo dum tentaris, protinus diligenter recogita quæ,
C quanta et qualia pro tua salute pertulerit Filius Dei : cujus salvificam passionem debes recolere ad compatiendum, ad imitandum, ad gratulandum, ad admirandum, ad inflammandum, ad regratiandum, ad contemplandum. Nec ullum est exercitium tibi magis proficuum ad exstirpandum peccata, ad tentamenta vincenda, ad proficiendum in omni virtute, in mundi contemptu, et ad religionis ingressum, quam taliter meditari passionem unigeniti Filii Dei.

D Quartum est consideratio præsentiæ majestatis divinæ. Certum est quod pugiles ac milites in præsentia regum suorum adstantiumque turbarum fortissime suis adversariis reluctantur : quanto magis tu qui scis Deum omnipotentem ubique esse præsentem, et omnia clarissime intuentem, debes te in omnibus coram eo reverenter habere, timoratus consistere, adversariis tuæ salutis strenue repugnare, et erubescere vinci ab eis ?

Quintum est, hostium tuorum quali-

tatem et intentionem perpendere. Hostes A quippe invisibiles animæ tuæ crudelissimi fraudulentissimique consistunt, nec aliud quærunt, intendunt aut machinantur, nisi te a Deo tuo omnino avertere, charismatibus gratiæ ejus privare, vulneribus vitiorum perfodere, teque cum ipsis æternæ damnationi involvere. Si ergo hæc nosti, nonne stultissimus es et penitus insensatus, quod tam pessimorum persuasionibus hostium credis et acquiescis? Idcirco dum tentari te sentis, dum in te impia susurria experiris, dic ten- B tatori : Vade, miser; scio quid quæras, quid intendas, quid machineris. Si abhorrerem progredi cum latrone ad silvam, quantumlibet blandiretur et prospera polliceretur, ne me corporaliter trucidaret : quanto magis debeo abhorrere tibi consensum præbere, qui mihi desideras æternæ damnationis infligere mortem?

Sextum est, exitum tentationis pensare, utputa quantum damnum incurrat homo tentationi consentiendo, quam multa quoque et maxima bona adipiscatur tentatio- C nibus viriliter resistendo ac prævalendo : quia per hoc efficitur miles et pugil Dei, inclytus triumphator, dignus in cœlo æternaliter coronari, imo et alios sustentare et confortare, summoque Judici in throno gloriæ considere, sicut in Apocalypsi pro-
Apoc. III, 12. misi : Qui vicerit, faciam illum columnam
Ibid. 21. in templo meo; itemque : Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. — Multa his consimilia possem tibi proponere contra tentationes remedia; D verum hæc tibi in hac ætate istoque statu arbitror posse sufficere.

Postremo, quia adhuc in adolescentiæ flore atque inter scholares in sæculo conversaris, oportet te contra venereorum deceptiones et laqueos specialiter esse munitum, custoditum ac providum; nec solum a dæmonum incitamentis, sed a pravorum puerorum seductionibus præcavere, occasiones talium vitiorum vitare, prava consortia, lasciva colloquia, amplexus et oscula, et quidquid provocativum est concupiscentiæ malæ, fugere te oportet, Deum quoque ac beatissimam Virginem quotidie invocare pro præservatione a tanta ruina.

Puer. — His remediis et medelis, hac custodia et cautela uti propono, et tuam pietatem in præcordiis rogo, ut indesinenter gratiose mihi adsistere ac subvenire digneris ad implendum hæc omnia. Interim, quoniam protestatus es pueros in Procemio. bonos specialiter te amare, hujus rei causam discere cupio.

ARTICULUS VIII.

De laudabilibus moribus puerorum, et cur specialiter diliguntur a Deo.

Jesus. — Diligit Deus universa quæ *Sap.* XI, 25. condidit, et nihil odit eorum quæ fecit, præsertim intellectualem et rationalem naturam æternæ felicitatis capacem, quam et in damnatis diligit et conservat quantum ad id quod substantialiter est atque ab ipso habet. Hinc sæpius in Prophetis plebs incredula et iniqua nomine filiæ ac virginis designatur, ut quum per Isaiam loquitur Spiritus Sanctus : Sede in pulve- *Is.* XLVII, 1. re, virgo filia Babylon. Natura quippe in se et secundum se considerata, est pura ut virgo, atque amabilis veluti filia. Verumtamen natura humana per dona gratiæ multo amabilior mihi est. Hinc, ut tactum est supra, pueri puritate ornati donisque gra- in Procemio. tiæ decorati, specialiter mihi exstant amabiles et dilecti, potissime qui in innocentia perseverant, scientiæ quoque ac virtutum studio sunt intenti. Denique pueri naturalem quamdam habent amabilitatem, per morum suorum ac laudabilium proprietatum ingenitam bonitatem. Unde testatus sum : Nisi conversi fueritis, et *Matth.* efficiamini sicut parvuli, non intrabitis XVIII, 3. in regnum cœlorum; itemque : Quicum- *Ibid.* 4. que humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum.

Itaque multæ sunt laudabiles puerorum,

etiam nondum adultæ ætatis, proprietates A ac mores. Prima ipsorum proprietas est quod se invicem naturaliter diligunt. Ex qua oritur et consurgit secunda, quod libenter simul consuetis horis conveniunt. Hinc nascitur tertia, quod sunt invicem compassivi ; et si unus eorum percutiatur aut ploret, condolent alii. Quarta, quod pariter exsistentes ludunt, solatiantur lætificantque se invicem. Quinta, quod non injuriantur nec lædunt se mutuo. Sexta, quod cito plorant. Septima, quod et læsi cito placantur. Octava, quod illatæ inju- B riæ celeriter obliviscuntur, nec inferunt ultionem. Nona, quod omnes viros nominant patres, omnesque feminas matres. Decima, quod ex mutuo adspectu utriusque sexus pueri non libidinose concupiscunt, nec impie delectantur. Undecima, quod a fraude et dolo sunt alieni, non aliud cogitantes et aliud proferentes. Duodecima, quod parentibus suis obediunt. Tertiadecima, quod virgam expavent. Quartadecima, quod se invicem non judicant nec contemnunt. Quintadecima, quod ad C proficiendum quotidie disponuntur habilioresque fiunt.

Has proprietates pueris naturaliter ac imperfecte inexsistentes, tu satage per dona gratiæ habere meritorie ac perfecte. Itaque primo ac maxime caritatem habe ad Creatorem, tanquam ad spiritualem, principalem, fidelissimum, benignissimum ac optimum patrem, tibi de omnibus necessariis tam in naturalibus quam in gratuitis providentem : qui tibi tribuit intellectum, et quidquid habes et es largitus D est tibi ; sine cujus indesinenti conservatione nec ad momentum posses subsistere aut durare. Qui quum sit universorum Deus ac Dominus, ac penitus infinitæ excellentiæ princeps et rex, nihilo minus a te pater appellari dignatur, imo et patrem nuncupari se jubet, ut cognoscas bonitatem et benevolentiam ejus ad te, curam et providentiam ejus circa te, protectionemque ejus super te, et quam paratus sit tibi liberaliter ac paternaliter subvenire ; sicque filialiter diligas eum, et totis viribus eum honores, atque ex caritate castum, sanctum et filialem timorem ad ipsum concipias, summe formidans ne ipsum offendendo abjiciaris et relinquaris ab ipso. Denique quæ et quanta Unigenitus Dei Patris, ipso Patre volente, pro te ac tua salute fecit ac pertulit, devota grataque mente quotidie pensa, intuere, recogita.

Insuper ad omnem hominem viatorem, præcipue ad tuos superiores, ad conscholasticos, confratres, condomesticos, commensales, sinceram ac spiritualem semper gere dilectionem. Nulli unquam invideas, neminem odias ; proximorum salubri prosperitati ac spirituali profectui congratulare, de ipsorum adversitate et culpa condolens esto. Contentionem prorsus devita, pacificus esto et concors cum tuis in bonis. Nulli in malo consentias, nec alicujus intuitu, aut amore, timore, comminatione, blandimentis, exemplis, illicita agas : imo, quantum ad tuam spectat mensuram, increpa delinquentes, ac alios pro posse ad meliora inducere stude. Esto exemplaris in omnibus, maturus, non levis in moribus. Disce a me quia mitis sum *Matth.* x[i], 29. et humilis corde ; diabolicam elationem, totius perditionis originem, totius gratiæ *Tob.* iv, 1[4]. inimicam, præcordialiter horre, fuge, conculca ; quidquid boni in donis naturæ aut gratiæ in te fuerit, Deo semper cum omni gratiarum actione et humilitate adscribe, eumque jugiter ora ut te in bonis conservet, custodiat, perficiat et consummet.

Insuper secundam illam puerorum laudabilem proprietatem sectare et meritorie comple, ut inter devotos et innocentes, inter bonos studiososque pueros libenter consistas, utiliter conferas : quod melius scis, libenter communica aliis ; quod ignoras, humiliter disce, inquire, ausculta. Ecce enim quam bonum et quam jucundum, *Ps.* cxxxi[i], 1. habitare fratres in unum !

Tertiam quoque illorum proprietatem sectando et in melius commutando, sis compassivus, et flentibus pro posse con-

solatorius, ad opera misericordiæ tam spi-
ritualia quam corporalia assuescens, ut
Job xxxi, 18. cum sancto Job dicere queas : Ab infantia
crevit mecum miseratio, et de utero ma-
tris meæ egressa est mecum. Hinc de-
fectuosis, rudioribus, gravibus et infirmis,
pietatis compassionem impende, eos pie
supporta ac adjuva.

Amplius, quartam illorum proprietatem
sequendo, moderato solatio uti poteris tem-
pore opportuno, quatenus nemo te habeat
ut agrestem, ac deinceps ad spiritualia at-
que scholastica exercitia aptior robustior-
que consistas. Verum hujuscemodi ludum
sive solatium nequaquam in verbis scur-
rilibus aut indecentibus factis admittas,
nec modum excedas. Eos quoque quos
videris inordinato mœrore oppressos, læ-
tificare in Deo coneris ; atque in cunctis
actibus bonis exsulta, juxta quod scri-
Philipp. iv, 4. ptum est : Gaudete in Domino semper ;
Ps. xcix, 2. et, Servite Domino in lætitia.

Præterea quintam illorum proprietatem
salubriter imitando, vide ne alicui inju-
riam inferas, nec aliquem lædas, neminem
male te habendo scandalizes. Innocens est,
qui nemini, id est nec sibi nec aliis, no-
cet ; nec solum non nocet, sed et prodest
Eccli. xxx, 24. pro posse. Miserere animæ tuæ placens
Deo. Caritas quippe incipit a se ipsa, id
Ibid. xiv, 5. est a proprio suo subjecto. Et qui sibi ne-
quam est, cui bonus erit ? Peccatum est
autem maximum nocumentum læsioque
gravissima, imo et mors peccantis : quo-
Sap. xvi, 14. niam homo per malitiam occidit animam
suam.

Sextam puerorum proprietatem sequen-
do, cito salubriter plora, et tua in primis
peccata deplora, deinde et proximorum.
In recordatione quoque eorum quæ pro te
passus sum, ex pia luge compassione. Sed
et septimam illorum proprietatem sequen-
do, faciliter esto placabilis : imo ante-
quam a te venia postuletur, injurianti in-
dulge. Bonum pro malo repende, pro
adversariis ora, quum et populo Judæo-
rum, cui pœna talionis videbatur permis-
Lev. xix, 18. sa, jusserit Deus : Non quæres ultionem,
A nec memor eris injuriæ civium tuorum.
Noli ergo obmutescere nec vinci a malo, *Rom.* xii, 21.
sed vince in bono malum. Tua humilitate,
mansuetudine, patientia, obedientia, ca-
ritate, aliorum elationem, iram, duritiam,
inobedientiam, invidentiam et rancorem
vince, confunde, exstirpa. Et sic octavam
quoque puerorum proprietatem adimples.

Nono, instar puerorum omnes viros et
seniores dilige tanquam patres, mulieres
vero spirituali amore ut genitrices. Hinc
neminem temere judices nec contemnas,
B sed tanquam ad summæ Trinitatis imagi-
nem similitudinemque productos ac Chri-
sti sanguine liberatos honora homines
omnes.

Decimam demum puerorum proprieta-
tem sequendo, nullam feminei sexus per-
sonam incaute adspicias, libidinose ames
aut appetas : idcirco in visu sis custoditus,
et noli circumspicere in plateis. In eccle- *Eccli.* ix, 7.
siis etiam et in divinis obsequiis oculos
cordis ad Deum tene erectos, nec ea quæ
distrahunt mentem, quæ vanitatem et le-
C vitatem inducunt, attendas.

Undecimo, cum pueris sincerus et sim-
plex, ab omni dolo et fraudulentia alienus,
ab omni fictione, simulatione, duplicitate,
hypocrisi expers, esto verax in verbis, in
promissis fidelis, in locutionibus mode-
ratus. Etenim os quod mentitur, occidit *Sap.* i, 11.
animam. Et sicut urbs patens et absque *Prov.* xxv, 28.
murorum ambitu, ita homo qui non pot-
est in loquendo cohibere spiritum suum.
Qui autem sophistice loquitur, odibilis est. *Eccli.* xxxvii, 23.
Simulatores quoque et callidi provocant *Job* xxxvi, 13.
D contra se iram Dei. Sed et contra hypo-
crisim in Evangelio specialissime ac ter- *Matth.* vi, xxiii.
ribilissime sum locutus.

Duodecimo, ad similitudinem puerorum
patribus tuis et prælatis, magistris ac do-
ctoribus esto obediens, imo et gratus :
siquidem Deo, magistris ac parentibus non
potest reddi æquivalens. Obedientia vero
in pueris et juvenibus præcipue commen-
datur ; atque (ut scriptum est Regum pri-
mo) melior est obedientia quam victimæ : *I Reg.* xv, 22, 23.
imo quasi idololatriæ scelus est, acquie-

Num. xv, 30. scere nolle ; et anima quæ per superbiam A aut contumaciam vel rebellionem aliquid commiserit, de populo suo peribit.

Tertiodecimo, cum pueris bonis virgam time, et sic malum devita. Quod si culpabilis fueris, disciplinam æquanimiter suscipe, correptionem et correctionem amplectere ; nec te ipsum incaute excuses, sed majorum tuorum judicio acquiesce consiliisque consenti et mandatis obtempera. Sicque quod Salomon docuit imple : *Prov.* iii, 11, 12. Fili mi (inquit), disciplinam Domini ne abjicias, et ne deficias quum ab eo corriperis : quem enim diligit Dominus corripit. *Ibid.* xxix, 1. Qui autem corripientem se dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus. *Ibid.* xv, 32. Qui vero acquiescit increpationibus, possessor est cordis.

Quartodecimo, exemplo puerorum disce non judicare nec spernere quemquam insipienter, sed potius propriis culpis defectuositatibusque rite ac ponderose pensatis, te ipsum aspernari, deflere, dijudicare ac humiliare in omnibus. Nihilo minus iniquos, carnales, ambitiosos et C vanos sæculi amatores, secundum quod tales sunt, potes in generali insensatos ac miseros judicare (sicut de viro justo *Ps.* xiv, 4. in Psalmo asseritur : Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus) : quatenus *Rom.* xii, 2. talium vitia magis abhorreas, nec huic *Ps.* lii, 6. sæculo conformeris, certus quod Deus omnipotens dissipet ossa eorum qui hominibus placent. Propter quod disseruit Apo-*Galat.* i, 10. stolus : An quæro hominibus placere ? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.

Quintamdecimam demum puerorum proprietatem sic imitare, ut quotidie satagas splendori scientiæ, virtutum munditiæ, interiori profectui vehementius propinquare, ad perfectiora conscendere ; neque innatam capacitatem et habilitatem ac inclinationem ad sapientiæ lucem et spiritualem profectum, per opera tenebrarum et habitus vitiosos inquinamentaque carnis diminuas, lædas, obscures : imo hanc per lumina gratiæ ac virtutum, per dona Spiritus Sancti, per vitæ munditiam auge, orna ac perfice.

Puer. — O Domine, quam compendiose ac gratiose modo me docuisti qualiter laudabiles puerorum proprietates debeam meritorie sequi, et per gratiam has formare atque in melius commutare ! Hinc super hac informatione toto tibi regratior corde. Et juxta exhortationes præhabitas, ad serviendum tibi perfecte, intendo nunc firmiter religionem seu devotam congregationem Fratrum intrare : deprecans ut B nunc compendiose me edocere digneris, qualiter ibi valeam tibi efficacius ministrare, citiusque proficere, et tibi complacentius vivere, ac veram perfectionem compendiosius adipisci.

Jesus. — Habenti dabitur, et abundabit. *Matth.* xxv, 29. Quoniam itaque admonitionibus et doctrinis nunc introductis obtemperare paratus consistis, huic tuæ salubri ac sapientiali petitioni satisfacere non tardabo.

ARTICULUS IX.

Qualiter in religione et sancta congregatione possit quis compendiosius proficere et ad perfectionem pertingere.

Jesus. — In primis agnosce, quod mater, auriga, directio ac magistra virtutum exstat discretio, quæ docet in omnibus modum servare, ordinate procedere, ac media ad finem recte dirigere, ut unumquodque agendum agatur suo loco ac tempore, recta intentione ac moderate. Sic D itaque cum discretione omnia age, et secundum exigentiam ac tenorem religionis seu vocationis quam assumpseris, digne Deo vivere stude.

Denique, quia in primis agendum est ad quod homo tenetur, ad hoc ab initio conversionis præcipue stude, ut ea ad quæ teneris, quotidie magis reverenter ac devote, magis attente, fervide ac perfecte efficias ; nec ex consuetudine agendi superficialius, cursorius, intimoratius facias ea, sed quo frequentius, eo ferventius.

Sic igitur peculiares et privatas orationes A cum grandi stude devotione effundere et offerre, ut in primis sollicitus sis Horas canonicas et Horas de Domina cum omni attentione, custodia et fervore persolvere. Sic et quum sacerdos exstiteris, satage omni die magis perfecte, reverenter, pure ac contemplative celebrare celebrationique interesse. Rursus, quoniam tria Deo solenniter in monastica professione voventur, videlicet paupertas, castitas, obedientia, quarum major est obedientia ; hæc vota ab exordio usque in finem fideliter B imple, obedientiam specialissime.

Insuper, quia in claustro et congregatione devota construenda est machina magna virtutum, turris perfectionis, sapientiæ domus, valde necesse est machinam istam habere firmum, profundum ac stabile fundamentum : quod utique est sancta, præclara et profunda humilitas, ac Dei timor salubris et ingens. Idcirco, quo affectuosius cupis proficere, compendiosius perfici, gloriosius coronari, tanto in primis humilior ac timoratior indesinenter esse C cura, conare, persiste ; nec ullum unquam flatum elationis vanæ gloriæ, motum periculosæ ac stultæ securitatis, blandimentum susurriumve admittas : imo in hoc saluberrimo fundamento quotidie stabiliri ac roborari festines ac enitaris.

Denique hoc agnosce, quod quum caritas sit summa et præclarissima virtus, in cujus actu consistit humana perfectio ; hinc non solum divina præcepta cuncta, sed universa quoque evangelica consilia ordinantur ac tendunt ad hoc, quod præceptum D illud caritatis divinæ quo Deus jubetur diligi toto corde, tota mente totaque anima et fortitudine tota, impleatur perfecte, prout in vita præsenti exsistit possibile. Hinc omnia exercitia tua et opera ad divinæ dilectionis quotidianum assiduumque profectum ac veram ejus perfectionem refer ac ordina : quod qualiter sit agendum, alio tempore disces. Amplius, quoniam animæ passiones, nisi diligenter reprimantur ac fortiter refrenentur, caritatis profectum impediunt, imo et ipsam prorsus tollunt aut multum debilitant, oportet te vigilantissime passionum refrenationi, affectionum reformationi sensitivæque partis ordinationi intendere, ut sit caro subjecta spiritui, sensualitas rationi, ratio Deo, sicque omnia sint ordinata et simplificata in te. Porro passiones animæ per virtutes refrenantur ac moderantur morales : ut ira per mititatem, tristitia per patientiam, concupiscentia per castitatem, gula per sobrietatem, sicque de ceteris. His igitur stude virtutibus, et profectui ac perfectioni earum.

Deut. vi, 5; Marc. xii, 3.

Præterea noveris, quod sicut caritas Dei origo et causa est omnis boni, sic privatus ac improbus amor sui, origo et causa est mali. Per eamdem autem caritatem habitualem diligit homo Deum et se ipsum, ac cetera quæ ex caritate sunt diligenda : quoniam bonitas Dei altissima est causa et ratio diligendi cetera omnia. Ut ergo brevi compendio in omni crescas virtute, virtutumque apicem atque monasticam perfectionem celeriter apprehendas, dilige te ipsum sincere ac solum in Deo. Hoc autem est se ipsum in Deo solum ac sincere diligere, ipsum Dominum Deum super omnia desiderare, et cuncta quæ sibi necessaria sive accommoda sunt ad complacendum Deo, ad unionem cum ipso, ad perfectam dilectionem ipsius, ad obtinendum beatificam ejus fruitionem, cordialiter affectare, libenter suscipere, patienter ac gaudenter perferre, utputa : aspera et adversa, carnis castigationem, sui ipsius humiliationem, increpationem, correctionem, opprobria et contemptus, moderatum ac sobrium victum, abstinentias, jejunia, vigilias, disciplinam, solitudinem, silentium, pervigilem ac frequentem conscientiæ discussionem. Istud est se ipsum salubriter mortificare, victorialiter superare, strenue abnegare. Qui ista impleverit, in adversitate, persecutione, infirmitate, accusatione, dejectione, erit tranquillus et gaudens in Deo ac gratias ei agens. In his cetera virtualiter continentur, ut es-

se obsequiosum, pacificum, exemplarem. A

Puer. — Ista, o Domine, terrent me, et ardua nimis videntur : præsertim quum homo naturaliter amet se ipsum ac sui honorem, suis quoque resistat contrariis.

Jesus. — Quodammodo verum dicis.
Matth. vii, 14. Nam et arcta est via salutis. Et Psalmista
Ps. xvi, 4. loquitur Deo : Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Paulus
Act. xiv, 21. quoque fatetur : Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. Sed et ego proprio ore testatus sum :
Matth. xi, 12. Regnum cœlorum vim patitur, et violenti B rapiunt illud. Nihilo minus verum est
Ibid. 28-30. quod denuo fassus sum : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos ; tollite jugum meum super vos : jugum enim meum suave est, et onus meum leve. Verum idem jugum et iter salutis quod laboriosum ac durum est pusillis et imperfectis serviliterque timentibus et incipientibus (in quibus fortiter remanent indultorum reliquiæ vitiorum, utputa pronitas ad peccandum inclinatioque peccandi ex usu priori, atque debi- C litas resistendi peccatis ac tentamentis), mitescit, dulcescit ac leve efficitur fer-
I *Petr.* ii, 3. venter amantibus et perfectis, et quam dulcis sit Deus gustantibus, strenue quoque proficientibus. Denique, quia ad supernaturalem beatitudinem creatus est homo, supernaturalem contuli ei legem, ut medium fini proportionetur. Et ne de difficultate implendi hanc legem causetur, supernaturalia auxilia adimplendi eamdem donavi hominibus, utputa : charismata gratiarum, virtutes infusas, dona Spiritus D Sancti, consolationes internas, exempla Sanctorum, illuminationes supernas, contemplationes cœlestes, ac varias futuræ felicitatis prælibationes. Hæc omnia adhuc indesinenter paratus sum tibi et cunctis ea poscentibus, seque ad ea præparantibus, quod in ipsis est faciendo, largiri : imo et frequenter non rogatus prævenio. Verumtamen scito, quod nullum vitium, proprie loquendo, sit naturale, præsertim quoad statum naturæ institutæ ac integræ, quamvis quoad statum naturæ corruptæ, vitium aliquo modo naturale dicatur ; sed hoc plenius explanare, alterius est speculationis. Porro id quæro a te, ut dicas in quo putes hoc quod dixi de privati amoris exstirpatione, quod præcipue arduum arbitraris, excedere ea ad quæ omnes Christiani tenentur.

Puer. — Numquid omnes fideles tenentur opprobria et contemptus æquanimiter tolerare, in adversis gaudere, injurias gratis dimittere, seque in omnibus humiliare, et malle subesse quam præesse ?

Jesus. — Nonne in Evangelio loquor, Beati estis quum maledixerint vobis ho- *Matth.* v,
mines, et persecuti vos fuerint, et dixerint 11, 12; *Luc.* vi, 22, 23.
omne malum adversum vos, mentientes, propter me, gaudete in illa hora et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis ? itemque, Diligite inimicos vestros, *Matth.* v, 44.
benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos ?

Puer. — Ista et consimilia putamus esse consilia, non præcepta.

Jesus. — Nescis quod odium sit mortale peccatum, nec simul cum caritate possit inesse ? Non igitur licet alicui quemquam quamvis inimicum odisse, præsertim quum rursus præceperim : Dimittite, si quid habe- *Marc.* xi,
tis adversus aliquem, ut et Pater vester cœ- 25, 26.
lestis dimittat vobis peccata vestra ; quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis. Denique, non religiosis dumtaxat, sed et universis Christifidelibus scripsit generalis, summus ac plenus vicarius meus, archiapostolus Petrus : Hæc est gratia, si propter conscien- I *Petr.* ii,
tiam Dei sustinet quis tristitias, patiens 19-21.
injuste : quæ est enim gratia, si peccantes et colaphizati suffertis ? Si autem bene facientes, patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum : in hoc enim vocati estis. Estote unanimes, compatientes, fraterni- *Ibid.* iii, 8,
tatis amatores, misericordes, modesti, hu- 9.
miles, non reddentes malum pro malo, sed econtrario benedicentes, quia in hoc estis *Rom.* xii,
vocati. Multa his similia scribit universis 10-21; xv, 5, 6; *Galat.* vi,
fidelibus apostolus Paulus. 2; *Philipp.* ii, 2-4; etc.

Puer. — O mi Domine, quam pauci A salvantur, si ad hæc cuncti tenentur credentes !

Jesus. — Nescis quod in Evangelio dixi, Matth. VII, 14. O quam angusta porta et arcta via quæ ducit ad vitam, et pauci inveniunt eam ?

Puer. — Ut video, periculosum est manere in sæculo.

Jesus. — Plane sic est. Attamen præinducta altiori modo spectant ad religiosos quam ad sæculares : nihilo minus in hoc miserabilissimo statu Ecclesiæ, in quo in superioribus et prælatis pauca aut nulla B est observantia præceptorum cœlestium, decretorum quoque ac canonum Patrum sanctorum, periculosissimum est in sæculo Ibid. XV, 14. remanere. Nempe, si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt : quanquam pastor summus, Deus omnipotens, ovem prædestinatam non deserat.

Puer. — Ecce, mi Domine, ego jam præsto sum hunc mundum immundum relinquere, et sanctam religionem seu devotæ fraternitatis congregationem intrare ; atque de omni hac tua gratiosa instructione ac pia allocutione totis tibi præcordiis gratias ago. Tantum sit jugiter mecum gratia tua.

Jesus. — Ego quod in me est facere non desistam. Tu vero indeficienter esto sollicitus, custoditus ac timoratus, in caritate proficiens, ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS HUJUS DIALOGI.

DE REFORMATIONE CLAUSTRALIUM

PROŒMIUM

OMNIA *honeste et secundum ordinem fiant in vobis.* I Cor. XIV, 40.

Quemadmodum ait B. Isidorus, honestas dicitur quasi status honoris : idcirco honestum vocatur quod honore est dignum. Honor autem debetur virtuti. Ex hoc S. Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima quadragesima quinta, concludit quod omne virtuosum sit honestum. Hortatur ergo divinus Apostolus ut « omnia » nostra « fiant honeste », id est virtuose, quatenus universa quæ agimus, procedant ex divino amore, ex vera devotione, ex recta et provida ratione. Porro quod dicitur, « secundum ordinem », quamvis multipliciter possit exponi, tamen hoc loco per ordinem intelligo observantiam regularem in conversatione claustrali, in qua omnia ordinatissime fieri debent juxta statuta et regulas Patrum sanctorum. Propter quod claustralis religio antonomastice dicitur Ordo, ab ordinando : quoniam secundum ordinationes a Patribus beatissimis institutas claustrales in omnibus vivere habent, juxta quod in Proverbiis Salomon loquitur : Non transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui. Conversatio quippe monastica debet omnino esse angelica. Propterea, sicut in angelis nullus angelicorum spirituum aliquid agere præsumit ultra legem sibi divinitus præstitam, ut libro de Angelica hierarchia seraphicus Dionysius scribit, sic claustrales seu monachi contra regulam sibi a Patribus latam nil agere debent. Claustrum namque a claudendo nomen sortitum est, quoniam habitantes in eo ab omni inordinatione mundana debent esse seclusi, atque a sæcularium involutionibus separati, tanquam in summi omnipotentisque Dei præsentia constituti, et majestati gloriæ ejus intenti, quemadmodum anagogicus ille David de eis cecinit Deo : Abscondes (inquiens) eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum ; proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum. Itaque, quamvis ad omnem Christianum pertineat honeste et ordinate se in cunctis habere, secundum evangelicam legem ac divina præcepta vivendo ; istud nihilo minus tanto singularius atque sublimius ad monachos spectat, quanto ex sua professione ad plura et altiora ac perfectiora tenentur. Ut enim sexto Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo Dionysius tangit, monachi a quibusdam per excellentiam cultores et famuli Dei vocantur, quia se totos ad divina obligaverunt obsequia.

art. I. — *Prov.* XXII, 28. — cap. III. — *Ps.* XXX, 21.

Hæc proœmialiter tacta sint. Nunc vero causam scripti hujus breviter tangam. Complacuit namque Paternitati tuæ, reverende domine Pater, qui famosi atque in temporalibus opulentissimi cœnobii abbas es, ut de concernentibus reformationem vitæ claustralis, quæ in monasterio tuo in aliquibus videtur collapsa, aliqua tuæ providentiæ scribam : quod libens et lætus accepto atque incipio, immensam adorandi Paracleti pietatem exorans ut me taliter scribere præstet, ea quoque quæ scripsero cordi tuo sic sapere donet, quatenus tam præclari cœnobii reformatio concupita adipiscatur effectum.

DE REFORMATIONE CLAUSTRALIUM[1]

ARTICULUS PRIMUS.

Qualis debeat esse conversatio monachorum.

Matth. v, 8. CHRISTUS in Evangelio ait : Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Denique, perfectio hominis in actu virtutum consistit. Quum igitur universarum virtutum imperatrix, vertex, imo et finis, sit caritas Dei, dicente Apo-
I *Tim.* I, 5. stolo, Finis præcepti est caritas de corde
Rom. XIII, 10. puro ; et rursus, Plenitudo legis est dile- B
I *Cor.* XIII, 1, 2. ctio ; itemque, Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam, nihil sum (unde et ipsemet Christus
Matth. XXII, 37, 38. testatur : Primum et maximum mandatum est, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc.) : hinc perfectio vitæ humanæ in actu divinæ caritatis essentialiter sita est, utputa in actuali dilectione Dei ; imo realiter est ipsa Dei dilectio pura, fervens et plena, quantum huic vitæ exsistit possibile. Propterea universa quæ Christus docuit, consuluit et præcepit, ad hoc fina- C liter ordinavit, ut Deum toto corde, tota mente, tota virtute totaque anima diligamus.

Unde in Enchiridio Augustinus fatetur, quod omnium evangelicorum consiliorum et præceptorum finis est, ut præceptum illud altissimum de amando Deum perfecte adimpleamus. Caritati namque divinæ

A aliqua directe et penitus contrariantur, et illa Christus per præcepta prohibuit : ut sunt peccata mortalia. Aliqua vero impediunt hominem a profectu, fervore et perfectione caritatis, ut sunt temporales divitiæ, carnales deliciæ, et mundani honores, voluntasque propria : et de talibus evitandis, despiciendis et abjiciendis Christus dedit consilia. Quemadmodum ergo laicorum et sæcularium est omnia devitare quæ caritati contrariantur, sic religiosorum est cuncta fugere atque despicere
B quæ distrahunt, impediunt seu elongant mentem a proficiendo in caritate divina.

Itaque monachorum est transitoria cuncta contemnere, et toto mentis conatu cum indesinenti cordis custodia ad divini amoris incrementum ac perfectionem ascendere, ad cœlestium contemplationem oculos interiores erigere, omnem animæ affectionem in Deo simplificare ac figere. Hinc sexto capitulo Ecclesiasticæ hierarchiæ Dionysius asserit : In monachis esse debet sollicitudo interna pro proprii cordis pura
C et incessanti custodia, mentisque elevatio ad superna : quia ipsorum est Deo semper uniri, et corde ad cœlestia adunari, ut ad nihil terrenum inclinetur affectus eorum. Ab omnibus enim carnalibus appetitibus debent esse purgati, quoniam omnibus sæcularibus conversationibus et phantasiis renuntiant, ut Deo in vera et intima simplicitate ac sinceritate deserviant, omni

[1] Ex editionibus Coloniæ, Joannis Soteris, 1532, et Joannis Birckmanni Junioris, 1559.

fictione, simulatione et duplicitate abjectis. Denique, circa hæc beatissimi Dionysii verba scribit Albertus Magnus, quod monachorum est renuntiare non solum sæcularibus rebus quantum ad possessionem seu adeptionem earum, sed et cogitationibus affectionibusque earum, ut non sit eis pro temporalibus aut vitæ necessariis cura, quatenus puro ac libero mentis ascensu ferantur in Deum, et in eo quiescant.

Postremo id advertendum, quod ista dicuntur de monachis quantum ad supremum gradum et statum eorum, videlicet quoad summum quod convenit eis in vita præsenti : non tamen omnes monachi tenentur esse ita perfecti ; sed ad perfectionem tendere obligantur per quotidiana exercitia virtuosa, juxta tenorem regulæ suæ, et secundum exigentiam suæ professionis.

ARTICULUS II.

De tribus principalibus Christi consiliis, in quibus fundantur tria vota religiosorum, quæ sunt de essentia cujuslibet religionis.

SICUT prætactum est, illa Christus vitare consuluit, per quorum amorem, curam et occupationem homo a divina caritate retardatur ac impeditur. Horum autem triplex est genus. Nam quædam illorum sunt penitus extra nos, ut bona terrena ; quædam vero illorum sunt aliquo modo nobis conjuncta, videlicet carnis propinquitate seu communione aut propagatione, sicut cognati, uxor et proles; porro alia sunt intra nos, utputa propriæ voluntatis libertas. Primo ergo, pro fundamento totius veræ religionis, consuluit Christus omnium terrenarum rerum seu divitiarum aut possessionum abdicationem, hoc est voluntariam paupertatem,
Matth. xix, 21. dicendo Matthæi nonodecimo : Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo ; et veni, sequere me. Secundo
A consuluit Christus perpetuam castitatem atque carnalium affectionum exstirpationem, apud Lucam dicens : Si quis venit Luc. xiv, 26.
ad me, et non odit patrem suum et matrem, et fratres et sorores, et uxorem et filios, non potest meus esse discipulus. Hi enim sunt odiendi, non secundum id quod sunt, sed in quantum in via Dei nobis obsistunt, et in quantum amor carnalis divinam impedit caritatem. Tertio Christus consuluit sui ipsius seu propriæ voluntatis abnegationem. Nam præallegatis verbis
B Lucæ evangelistæ adjunxit : Adhuc autem Ibidem.
et animam suam. Apud Matthæum quoque sextodecimo loquitur : Si quis vult venire Matth. xvi, 24.
post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. In his tribus consiliis fundantur tria vota religiosorum : nempe in primo fundatur votum paupertatis ; in secundo, votum castitatis ; in tertio, votum obedientiæ.

Insuper, generalis ratio horum trium consiliorum est. Certum est enim, quod cor humanum tanto integrius atque in-
C tensius fertur et afficitur circa unum, quanto plus a multis revocatur, recolligitur sive abstrahitur. Nam virtus unita fortior est quam dispersa. Estque verbum commune :

Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.

Propterea Augustinus disseruit : Impar quisquam invenitur ad singula, dum confusa mente dividitur ad plura ; et iterum : Nequaquam homo in uniuscujusque operis ratione colligitur, dum mens ejus per di-
D versa partitur. Consuluit ergo æterna, increata et infinita Sapientia Dei, Christus I Cor. i, 24
Salvator, ut ab omnibus præinductis nostrum abstrahamus affectum, quatenus toto corde moveamur in Deum, et accendamur, stabiliamur ac perseveremus in eo.

Præterea, specialis ratio primi consilii est, quia temporalium rerum et divitiarum possessio mentem hominis a divino amore multipliciter impedit ac retardat. Ex hujusmodi siquidem possessione generatur in homine inordinatus et superfluus amor

ad eas : qui avaritia appellatur, quæ ab phes. v, Apostolo idolorum servitus dicitur; multa- Coloss. 5. que vitia ex avaritia oriuntur. Multiplex etiam cura et occupatio ex rerum possessione sequuntur. Et apud Marcum ait Sal- arc. iv, vator, quod divitiarum deceptio verbum Dei in homine fructificare non sinit. Præterea, quam vehementer venerea delectatio animum hominis a divinæ caritatis perfectione præpediat, non est opus demonstrare. Propria quoque voluntas innumerabiliorum vitiorum origo est, nisi per superiorem aliquem refrenetur ac dirigatur. Idcirco religiosorum est ut spirituali patri per obedientiæ votum se subdant, cujus informationi ac jussioni obtemperent exemplo oann. vi, Christi, qui non propriam sed Patris venit hilipp. ii, facere voluntatem, cui obediens factus est usque ad mortem. Unde et religiosus cum uc. xxiii, Christo dicere debet suo superiori : Pater, 5. in manus tuas commendo spiritum meum.

ARTICULUS III.

De definitionibus monachi secundum Climacum.

JOANNES Climacus, abbas montis Sinai, cui alius abbas sic scripsit, Supermirabili, æquali angelo, Patri Patrum et doctori superexcellenti : hic, inquam, Climacus in libro suo quinque definitiones seu potius notificationes monachi ponit, quarum prima est hæc : *Monachus est qui solum ea quæ Dei sunt, agit, cogitat, loquitur, Christo unitus omni tempore, loco et negotio.* Hæc descriptio datur de monacho secundum completam monasticæ vitæ perfectionem : quia ad hoc ordinatur et tendit institutio regularis atque professio monachalis, ut monachus, quantum possibile est in hac vita, transcendat et deserat universa carnalia, transitoria et mundana, omnes suas actiones, cogitationes, affectiones et locutiones secundum legem divinam et regulæ suæ aut statutorum tenorem dirigens et disponens, sicque « solum quæ Dei sunt », id est, quæ Deo sunt placita ac divina, « agit, cogitat, loquitur, Christo unitus » actualiter aut saltem habitualiter in « omni tempore, loco et negotio », quoniam taliter se habendo non peccat, et quamvis venialia, non tamen mortalia peccata conversationi suæ miscentur.

Denique, quamvis non sit possibile fragilitati humanæ in vita præsenti actualiter Deo uniri in omni tempore, loco et negotio, propter instabilitatem cordis humani, ad hoc tamen quotidie conari et tendere debet monachus, ut (auxiliante gratia Dei) in omni tempore, loco et negotio actualiter intentus et unitus sit Deo, quantum possibile est, per meditationem, contemplationem et dilectionem Dei, et rerum divinarum, spiritualium atque cœlestium, distractionibus et evagationibus suæ mentis viriliter ac sollicite resistendo, præsertim tempore orationis ac divini Officii, mentem quoque suam ubique et in omni actu frequenter ad Deum levando per meditationem, adspirationem, compunctionem et orationem internam, tam in mensa quam in via, ac lecto et labore, studio atque colloquio. Et ad hoc debet sibi consuetudinem optimam facere : qua adepta, erit sibi hoc ipsum valde facile et jucundum, imo dulcissimum : hoc quippe agendo, sentiet sæpe intrinsecus suavissimam consolationem a Deo, saluberrimamque compunctionem, et fervidam inflammationem in eo. Ut autem ad hanc consuetudinem sanctam perveniat, pro continuo adjutorio gratiæ Dei Creatorem suum instanter exoret.

Præterea, secunda descriptio monachi a Climaco posita, hæc est : *Monachus est violentia naturæ indesinens, et custodia sensuum indeficiens.* In qua descriptione abstractum ponitur pro concreto, ut sit sensus : Monachus est violentator indesinens sui ipsius. Quum enim dicat Salvator, Regnum cœlorum vim patitur, et violenti Matth. xi, 12. rapiunt illud, id est, qui sibi ipsis salubrem violentiam inferunt, superando inordinatos affectus et vincendo se ipsos, regnum cœleste merentur (arcta namque Ibid. vii, 14. est via angustaque porta quæ ducit ad

vitam beatam) ; hinc constat, quod quanto monachus præ ceteris magis abnegavit se ipsum ac propriæ voluntati renuntiavit, tanto plus tenetur superare naturam suam in omnibus, proprias libertates et concupiscentias abjiciendo, omnemque iram, impatientiam, pigritiam, vanam lætitiam, animositatem et carnalitatem penitus evellendo : quod est in principio non parum difficile, sed tempore procedente et Deo auxiliante fit facile. Insuper dicitur monachus « custodia sensuum indeficiens », id est indeficiens custos sensuum suorum interiorum et exteriorum : oculos, aures, gustum, olfactum, tactum jugiter refrenando et gubernando, ne per eos hauriat animæ mortem ; inutiles quoque imaginationes ac phantasticas apprehensiones et occupationes vitando.

Amplius, tertia descriptio est : *Monachus est sanctificatum corpus, expurgatum os, et illuminata mens.* In qua descriptione ponitur pars pro toto, ut sit sensus : Monachus est homo habens corpus divino cultui consecratum, et a carnalibus inquinamentis mundatum ; habens etiam os a verbis illicitis purum ac sancto silentio decoratum, mentem quoque illuminatam a Deo ad contemplandum cœlestia et æterna.

Quarta descriptio est : *Monachus est mœrens et dolens anima indesinenti mortis memoria.* In qua rursus descriptione ponitur principalis pars hominis pro homine ipso. Ad monachum equidem pertinet esse in quotidiano mœrore et dolore. Primo, propter sui ipsius et aliorum peccata, ut non solum sua sed et totius mundi mala deplangat, et pro omnium salvatione sæpissime ac fidelissime deprecetur. Secundo, præ desiderio regni cœlestis, ut
Ps. XLI, 3. cum Psalmista decantet : Quando veniam et
Ps. CXIX, 5. apparebo ante faciem Dei ? itemque : Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est;
Rom. VII, 24. atque cum Paulo apostolo : Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Tertio, ex compassione Christi, omnia quæ Christus pro nostra salute fecit et pertulit cordialiter revolvendo. Inter-

A dum vero, qui verissime monachus est, lacrimatur ex abundantia spiritualis lætitiæ, et ex incomparabili atque dulcissima complacentia Dei, qua supergratiosissimus et superamœnissimus Deus complacet sibi in contemplatione theorica qua rapitur ad superna. Debet autem monachus vitæ hujus brevitatem et mortem incessabiliter propinquantem indesinenter perpendere.

Postremo, quinta descriptio est : *Monachus est ordo et consistentia incorpo-*
B *ralium in corpore materiali et sordido consummatus.* Ubi rursus abstractum et substantivum concretive et adjective sumendum est, utputa « ordo » pro ordinatus, vel res ordinata vel ordinate se habens, et « consistentia » pro consistens, ut sit sensus : « Monachus est ordo et consistentia incorporalium », id est homo ordinatus et consistens instar angelorum in corpore materiali ac sordido : quia in carne non carnaliter, sed spiritualiter vivere debet, atque angelicam ducere vitam in terris,
C laudibus, orationibus et contemplationibus Dei jugiter insistendo, ut illud Apostoli dicere queat : Nostra conversatio in cœlis est. *Philipp.* III, 20.

Hæc de præinductis descriptionibus monachi tetigi, non secundum scholasticam subtilitatem, sed secundum monasticam simplicitatem, ut ad præmemoratas monachalis vitæ perfectiones quilibet monachus fideliter properet. Qui autem de his descriptionibus scholastice vellet inquirere, haberet in eis aliqua supplendo adjicere, et quomodo multiplex sit descriptio declara-
D re : quod non est speculationis præsentis.

ARTICULUS IV.

De variis considerationibus et motivis quæ abbates et superiores monachorum inducere debent ad reformationem monasteriorum, atque sollicitam gubernationem monachorum suorum.

QUANTO alicui imminet majus periculum, majus damnum graviorque damnatio de negligentia et impia vita sua,

tanto (nisi omnino amens et cæcus sit) A mente sollicitior esse debet ut diligenter et juste se habeat. Porro, quo prælatus altioris est prælationis et dignitatis, et quo pluribus præest, quanto etiam districtius jubetur multipliciusque tenetur ad vitam justam, diligentem ac timoratam, tanto enormius ac damnabilius peccat, si negligenter et inique se habeat.

Nunc ergo patres monachorum advertant, præcipue abbates Ordinis beatissimi Benedicti, quorum uni præcipuo specialiter hæc scribuntur, quam ferventes, justi B et diligentes esse sint obligati in regendo se ipsos et sibi commissos, in corrigendo peccata, in reformando collapsa, in conservando et perficiendo quæ bona sunt. Ait enim in Regula sua vir sanctissimus, re et nomine Benedictus : Sciat abbas culpæ pastoris incumbere quidquid in ovibus suis Christus minus utilitatis potuerit invenire. Et denuo : Meminisse debet abbas, quia cui plus committitur, plus ab eo divinitus exigetur. (Luc. xii, 48.) Sciatque quam difficilem et arduam rem susceperit, utputa regere C animas, ut unumquemque secundum suam capacitatem et indigentiam instruat, corripiat et emendet. Ante omnia, ne dissimulans aut parvi pendens animarum sibi commissarum salutem, majorem gerat sollicitudinem de rebus transitoriis et terrenis quam spiritualibus et æternis, sed semper cogitet quod animas suscepit regendas, de quibus redditurus est rationem. (Hebr. xiii, 7.) Et quantum sub cura sua habere se noverit numerum Fratrum, agnoscat pro certo quia in die judicii ipsarum omnium ani- D marum redditurus est rationem Altissimo, addita sine dubio et animæ suæ ratione : et ita timens semper futuram Christi discussionem de creditis ovibus, quum de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis sollicitus ; et dum admonitionibus suis emendationem aliis administrat, ipse efficitur a vitiis emendatus.

Itaque primo inducere debet quemcumque abbatem ac præsidentem ad diligentissimam sui ac suorum reformationem, gubernationem atque indesinentem ac formidolosam custodiam, magnitudo et velut immensitas quædam sui periculi, sui peccati ac damni infernalis et æternalis supplicii, nisi fecerit quod in se est, id est, debitum officii sui impleverit. Quidquid etenim vitiositatis in subditis fuerit, ei imputatur, nisi debitam diligentiam pro illorum emendatione effecerit. Unde in libro Sapientiæ sapientissime ac terribiliter aliorum prælati ac judices admonentur, dum dicitur : Audite, qui præestis populis, quoniam data est vobis a Deo potestas, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes vestras scrutabitur. Horrende et cito apparebit vobis, quia non recte judicastis : judicium namque durissimum in his qui præsunt fiet, et potentes potenter tormenta patientur. (Sap. vi, 2-7.)

Hinc quoque B. Hieronymus in Regula sua, capitulo septimo, scribit abbatissæ Eustochio, quod et cuilibet abbati non minus est attendendum : Attende (inquit) diligenter quam gravis tibi imponitur sarcina, quæ de subditorum animabus atque corporibus, de verbis ac moribus obligaris apud divinum examen *. Cave, quæso, ne de te etiam levis suspicio in malo possit oriri, ne dispergas quos salvare teneris. Sic ordinata et discreta præcepta subditis proferas, ut etiam depravatæ superbæque mentes animentur ad obedientiæ semitas ; sic dulcis ac mitis sit sermo, ut non duritiei furorem suscitet, sed frangat exortum. Verumtamen vitia viriliter in primordio excidantur : nil quippe periculosius in rectore, quam vana humilitas et negligentia ad corrigendum superbos protervosque subditos.

* [reddere rationem.]

Hinc rursus in Regula sua, capitulo quartodecimo, sanctissimus ait Hieronymus : Cave, quæso, qui præes, ne ex regendi officio eleveris ad alta, et agas illicita et subditorum scandalizativa. Attende frequenter, et stilo ferreo in corde conscribe, quod Christus in cœna novissima dixit discipulis : Qui major est in vobis, fiat ut minor ; et qui præcessor est, sit (Luc. xxii, 26.)

sicut ministrator. Disce igitur a magistro A tuo Jesu officium tibi impositum, ne in eo limites traditæ tibi potestatis excedas. Certe non efficeris dominus, sed minister : *Deut.* vi, 4; *Ephes.* iv, 5, 6; etc. unus enim est Dominus. Etsi reliqui Fratres tibi ut administratori et vicario Christi obediunt, ob id non est tibi data potestas ut inter fratres et filios hunc eleves, hunc deprimas, sicut velis. Sed quid tibi injungatur a Christo institutore regiminis, diligenter attende. Omnium enim rerum monasterii et Fratrum sollicitudo in administratione et providentia tibi in- B jungitur, ut ceteris dormientibus te deceat noctes crebras insomnes peragere, pro utilibus et necessariis domui providendis. Itaque non tantum tibi honor, quantum onus imponitur ; et si feceris sicut decet, præmium maximum consequeris.

Deinceps scribit felix et gloriosus Hieronymus : Non tibi, obsecro, blandiaris de Domini pietate, qui tam diu peccatores sustinet in peccatis. Nam etsi diuturna sit exspectatio, non minus formidandum de vindicta, quæ tanto durior erit, quanto C longius tempus in sustinendo præcessit. Idcirco, si aliter egeris quam teneris, periculum expavescas ; nec ideo minus, si statim divinum non incurras judicium : Dominus enim tuus, qui suis te ovibus *Cant.* i, 5. administratorem et in sua te posuit vinea *Rom.* xiv, 12; I *Petr.* iv, 5. custodem, a te vult de singulis, etiam occultis, exigere rationem. Et si quid eum defraudaveris, te diabolis tradet et in car- *Matth.* viii, 12; xiii, 42; etc. cere infernali poni jubebit, ubi æternus est fletus et dentium stridor, ut sustineas quidquid doloris et pœnæ potest excogita- D ri, quousque debitum universum reddideris. Sed si forte de restituendo debitum confidis, o te fatuum ! nam pro minimo quoque delicto non habent unde restituant homines simul universi, nisi ipse remittere velit cui est restitutio facienda. Felices itaque magisque securi sunt qui subsunt quam qui præsunt. Nam et quanto altior est ascensus, tanto durior est descensus. Ex his concludit Hieronymus : Hæc ideo dixerim, ut advertas, qui præsides, quantis sis periculis expositus, et quanta te prudentia oporteat ambulare in via Dei, ne capiaris ab inimicis et pereas cum tibi commissis.

Præterea, abbatem et quemlibet præsidentem ad agendum juste ac fervide juxta præhabita, provocare debet ineffabilis magnitudo gloriæ sibi divinitus conferendæ, si condigne peregerit debitum sui adimplendi officii. Etenim, quo major erit sua damnatio, tam pro propriis quam pro subditorum peccatis, si fuerit negligens, eo major erit ipsius beatitudo, merces et gloria, tam pro propriis quam pro subditorum meritis atque virtutibus, si fuerit justus ac diligens. Quemadmodum enim subditorum demerita in negligentem, sic eorumdem merita in diligentem redundant prælatum.

Insuper ad idem inducere debet præsidentem amor Christi et pretium sanguinis ejus, et omnia quæ Unigenitus Dei pro hominum fecit pertulitque salute. Non enim negligere debet prælatus oves sibi commissas, pro quarum salvatione incarnatus, in mundoque conversatus, atque amarissima morte occisus est Dei Filius, verus Deus. Hinc devotissimus ille abbas, S. Bernardus, timore concussus, exclamatorie dixit : Heu me miserum ! quo me vertam, si pretiosum istud depositum, utputa gregem mihi commissum, pro quo pretiosissimus ille sanguis effusus est, custodiero negligenter ?

Denique ad idem inducatur qui præest, ex amore fraterno atque paterno spiritualium filiorum suorum, quorum condemnationi æternæ, quæ eis horribiliter imminet si irregulariter vivant, cordialissime compati obviareque debet, incomparabiliter utique magis quam corporali eorum læsioni damnoque temporali. Potissime autem induci debet ad hæc abbas et præsidens, ex sincerissimo Dei amore et zelo divini honoris, quum Deus sublimis et benedictus sit universis et singulis infinite melior, amabilior et honorabilior.

Postremo, quo præ subditis suis abbas

et præsidens majora et plura a Deo sortitus est bona et dona, tanto gratior et pro divini cultus augmento sollicitior esse debet : imo et quo major fructus ex justa conversatione abbatis et præsidentis exoritur, quo item major ruina ex ejus negligentia nascitur, eo diligentior esse tenetur ad bona agenda, itemque ad mala cavenda.

ARTICULUS V.

Exhortatio ad abbates et præsidentes.

(cli. x, 2.) ECCLESIASTICI decimo legitur : Secundum judicem populi, sic et ministri ejus ; et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea. Ex his verbis sancti Patres concludunt, quod præcipua causa ruinæ subditorum est negligentia atque perversitas prælatorum, sub quorum præsidentia vel virtuosa subditorum conversatio cadit et perit, vel eorum qui dudum jam lapsi sunt, deformatio et ruina durat ac perseverat. Hinc apud Jeremiam scribitur : (er. x, 21.) Quia stulte egerunt pastores, et Dominum non quæsierunt, propterea omnis grex eorum dissipatus est. Ad hoc possent quasi innumerabilia ex Scriptura canonica et dictis Sanctorum testimonia introduci.

Merito ergo sanctus pater Benedictus in Regula sua tam ubertim tamque affectuosissime exhortatur abbates, dicendo : Abbas qui præesse monasterio dignus est, semper meminisse debet quod dicitur, et nomen majoris factis implere. Ideo abbas extra præceptum Domini nihil debet docere, constituere, jubere aut agere, sciens quia et suæ doctrinæ ac vitæ atque discipulorum seu monachorum suorum obedientiæ, in tremendo Dei judicio facienda erit discussio. Hinc iterum ait : Ergo quum aliquis suscipit nomen abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis, et omnia opera bona ac sancta factis amplius quam verbis ostendere, ut bonis discipulis mandata Domini verbis proponat, duris vero corde et simplicioribus divina A præcepta factis suis demonstret, ne aliis (I Cor. IX, 27.) prædicans, ipse reprobus inveniatur. Insuper dicit : In doctrina sua abbas apostolicam semper debet observare formam illam qua dicit Apostolus, Argue, obsecra, increpa, (II Tim. IV, 2.) miscendo terroribus blanda : quoniam indisciplinatos et inquietos durius debet arguere; obedientes autem et mites ac patientes, ut in melius proficiant obsecrare. Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox ut cœperint oriri, radicitus ea ut prævalet amputet. Nec ab abbate persona B in monasterio discernatur, nec unus plus ametur ab eo quam alius, nisi quem actibus et obedientia viderit meliorem.

Adhuc idem Dei electus, beatissimus Benedictus, hortatur : Omni sollicitudine curam gerat abbas circa Fratres delinquentes, quia non est opus sanis medicus, sed (Matth. IX, 12.) male habentibus. Et ideo omnino habere se debet abbas ut sapiens medicus, atque immittere quasi occultos consiliatores, videlicet Fratres seniores et sapientiores, qui quasi secrete consolentur et instruant C Fratrem fluctuantem, ac revocent eum ad humilitatis satisfactionem, ne absorbeatur (II Cor. II, 7, 8.) abundantiori tristitia, sed caritas confirmetur in eo, secundum Apostolum, et oretur pro illo ab omnibus. Magnopere enim sollicitudinem gerere debet abbas, et omni sagacitate ac industria curare ne aliquam de ovibus sibi creditis perdat. Noverit enim infirmarum suscepisse se curam animarum. Idcirco pastoris boni imitetur exemplum, qui relictis nonaginta novem ovi- (Luc. XV, 4, 5.) bus in montibus, abiit quærere illam quæ D perierat ovem : cujus infirmitati in tantum compassus est, ut eam sacris suis humeris dignaretur imponere, sicque reportare ad gregem.

Præterea, sciens illuminatissimus et discretissimus pater Benedictus totam congregationis salutem et claustri statum laudabilem ex regimine dependere abbatis, denuo vigilantissime admonet, dicens : Abbas cogitet semper quale onus suscepit, et cui redditurus est rationem villicationis (Ibid. XVI, 2.) suæ ; sciatque oportere se prodesse Fratri-

bus potius quam præesse. Oportet ergo eum esse doctum in lege divina, ut sciat
Matth. XIII, 52. unde proferat nova et vetera ; castum, so-
Ibid. v, 7. brium, humilem, misericordem, ut et ipse misericordiam consequatur. Oderit vitia, diligat Fratres. In ipsa autem correptione prudenter agat, et ne quid nimis, ne dum nimis cupit eradere æruginem, vas frangatur ; suamque propriam fragilitatem sem-
Is. XLII, 3. per attendat, atque meminerit calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus ut vitia nutriri permittat, sed cum discretione et caritate amputet ea, prout viderit cuique expedire, et studeat
Ibid. 4. plus amari quam timeri. Non sit turbulentus aut anxius, vel obstinatus aut excessivus, neque zelotypus aut nimis suspiciosus : quia sic nunquam quiesceret. In suis imperiis sit providus et consideratus ; sitque fervens et discretus in omnibus. Postremo compendiosissime ait : Abbas non conturbet gregem sibi commissum, nec quasi libera agens potestate aliquid injuste
Rom. XIV, 12 ; I *Petr.* IV, 5. disponat, sed cogitet semper quia de omnibus judiciis atque operibus suis Deo redditurus est rationem.

Denique, cur abbas magis conari debet ut diligatur a subditis quam ut timeatur, Hugo super Regulam Augustini ostendit, dicendo : Quia prælatus quanto plus diligitur, tanto libentius auditur. Et magis placet Deo illa servitus quæ ex voluntate et amore fit, quam illa quæ fit ex timore. Propterea dulcis Magister suis discipulis
Joann. XV, 15. loquitur : Jam non dicam vos servos, sed amicos. Non enim vult Deus ut eum timeamus timore servili, ut servi dominum; sed ut eum diligamus ut filii patrem, et ut præcepta ejus faciamus non timore pœnæ, sed amore justitiæ.

Itaque ex præinductis colligitur, quod quanto majoris auctoritatis et prælationis est abbas, tanto oportet eum esse sollicitiorem, humiliorem et exemplariorem, quatenus sicut alios præcedit ordine, ita et sanctitate, ut ejus exemplo discant subditi quomodo vivere debeant : quoniam abbas est velut signum in quod Fratrum

A oculi diriguntur ; unde ex eo vel scandalizantur vel ædificantur. Ideo loquitur Augustinus in Regula : Circa omnes se- *Tit.* II, 7.
metipsum bonorum operum præbeat exemplum ; corripiat inquietos, consoletur I *Thess.* v, 14.
pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes. Hinc de sanctissimo abbate Pacomio, cui angelus de cœlo regulam monachorum in tabulis scriptam attulit, legitur quod districtioni regulæ se ipsum in omnibus subdidit. Unde et ipse Pacomius dixit : Nos ipsi quæ aliis præcipimus
B cum ingenti sollicitudine adimplemus.

ARTICULUS VI.

Quam periculosa sit vita religiosorum negligenter irregulariterque viventium.

QUANTO quis perfectius vivere obligatur, tanto vitiosior est conversatio ejus, si ut tenetur, vivere non conetur : sicque de die in diem magis ac magis in anima excæcatur, induratur, totusque
C insensibilis ad divina et carnalis efficitur, in tantum ut nec propria peccata sentiat vel attendat, neque æternæ damnationis pericula sibi quotidie propinquantia expavescat, sed vane et intimorate se habeat. Et hoc justo Dei contingit judicio : quoniam peccata nostra non solum sunt peccata, sed etiam pœna peccati. Præcedenti namque peccato meremur cadere in sequens, quando de præcedenti peccato statim non pœnitemus. Ideo ait Gregorius : Peccatum quod per pœnitentiam non de-
D letur, suo mox pondere trahit ad aliud. Itaque, quanto religiosi et monachi altioris et perfectioris sunt Ordinis, tanto gravioribus multiplicioribusque quotidie involvuntur peccatis, si ad observantiam regularem non fuerint diligentes. Merito ergo fatetur S. Augustinus : Sicut non vidi meliores his qui in claustris profecerunt, ita non vidi deteriores his qui in claustris virtuose se habere non studuerunt. Imo, ut rursus Hieronymus in Regula sua testatur, sine spirituali caritate (quæ utique

sine humilitate, mansuetudine, patientia, justitia aliisque virtutibus non habetur) claustra sunt tartara, et habitantes in eis sunt dæmones ; cum caritate vero sunt paradisus in terris, et habitatores sunt angeli.

art. II. Præterea, sicut præhabitum est, religiosi ad castitatem, paupertatem et obedientiam cum voto se obligant. Votum LXXXIX, autem, secundum Thomam in secunda secundæ, magis obligat quam juramentum, et maxime votum solenne, quale est votum monachorum. Monachi ergo qui proprium habent aut incontinenter seu inobedienter vivunt, contra vota sua quotidie enormiter peccant, et perjuris pejores redduntur : imo in quolibet actu quo proprietate utuntur vel contra aliquod votorum suorum agunt, gravius crimen incurrunt quam sit ipsum perjurium, sicut doctores concorditer scribunt, videlicet S. Thomas, Petrus de Tarantasia, Alexander de Hales, et alii viri doctissimi ac devoti.

Insuper, secundum Augustinum, qui ad vitandum peccata venialia non exstat sollicitus, nequaquam diu esse sine peccatis mortalibus potest. Nam et divina ait Scri- *Eccli.* II, 4. ptura : Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua, id est, mens seu conscientia tua per peccatum mortale repente dejicietur. Quamvis autem multa contineantur in regulis aut statutis religiosorum ad quæ non tenentur de necessitate præcepti, ita quod statim mortaliter peccent quando in aliquo illorum fuerint negligentes, ut est observatio silentii, surgere alacriter ad Matutinas, otiositates vitare, inutiliter hinc inde discurrere, atque similia ; verumtamen consuetudo excedendi seu assiduitas delinquendi in istis, et non curare nec emendare, non potest a mortali excusari peccato. Propterea religiosi deformati, in quibus parva aut nulla est rigoris aut disciplinæ observantia, qui carnaliter vivunt, et mundanis vanitatibus pleni sunt, otiositati et loquacitati vacantes, innumerabilia pror-

A sus incidunt vitia, non venialia solum, sed et mortalia quoque : imo tota vita eorum est quasi quoddam peccare continuum, præsertim quia et hæc ipsa bona quæ agere videntur, tam negligenter, irreverenter et tepide, tam inordinate atque indebite agunt, ut magis sit offensivum Dei quam honorativum ac reconciliativum ipsius. Tales enim qui in fæcibus suis jugiter manent, qualiter confitentur, qualiter celebrant, qui se in nullo emendant, imo de multis quæ mortalia sunt, nullam B sibi conscientiam facere comprobantur ?

Porro, quam vera sint hæc, ex verbis Patrum sanctorum facile est probare. Dicit enim ille doctissimus et devotus Eusebius Emisenus episcopus in Homiliis suis ad monachos : Ait quodam loco beatus Apostolus : Videte vocationem vestram, fra- *I Cor.* I, 26. tres. Quapropter et nos, dilectissimi, videamus vocationem nostram. Non enim prodest ad locum hunc claustralem venisse, si tales hic sumus quales in sæculo fuimus : nam, ut ait Scriptura, qui multa *Cf. Luc.* XII, 48. C promittunt, necesse est ut multa repetantur ab eis. Quid enim nobis habitatio claustralis prodest, quando tyrannico dominatu in nobis malitia regnat, quando ira superequitat, quando majorem metum in nobis humanus oculus quam divinus inducit, quando nos claustrales qui extra mundum esse nos credimus, mundum intra nos per varias vanitates et iniquitates clausum tenemus ? Ideoque videte vocationem vestram, fratres. Venire quidem ad claustrum, summæ perfectionis exor- D dium est ; sed non perfecte in monasterio vivere, summa damnatio est. Iterum ait : Habet hoc infelix consuetudo peccandi, ut quanto amplius quis peccaverit, tanto minus peccata ipsa intelligat, et tanto plus eum peccare delectet, ut eveniat illi quod ait Propheta : Non est Deus in con- *Ps.* X, 5, spectu ejus ; auferuntur judicia tua a facie sec. Hebr. ejus. Etenim quando subrepit peccandi delectatio, statim diem futuri judicii abscondit oblivio. Econtra, quanto quis sollicitior circa se fuerit, tanto plus metuit,

Prov. xiv, 16. sicut ait Scriptura : Sapiens timendo declinat a malo. Sapiens ergo in compunctione semper est et in metu ; et sicut de præteritis malis pœnitet ac suspirat, ita de futuris periculis pervigili sollicitudine contremiscit. Rursus testatur : Id professio nostra a nobis requirit, ut contra proprias concupiscentias et reprobas voluntates, sed et contra omnem animositatem, carnalitatem atque acediam, jugiter repugnemus. Certumque est, quod nisi quotidie hæc implere universasque passiones et inobedientias quotidie viriliter eradicare conemur, multo pejores in claustro efficimur quam eramus in sæculo, et fiunt novissima nostra pejora prioribus. *Matth.* xii, 45.

Præterea S. Cæsarius præsul in Homiliis suis ad monachos loquitur : Sicut navis posteaquam de pelagi fluctibus evaserit, si in portu sentinata (séu custodita) non fuerit, de minutis guttis impletur, ac mergitur ; sic et monachus, devictis hujus mundi criminibus, quasi periculosis fluctibus, quum ad portum monasterii advenerit, si ibi subrepentia minuta et quotidiana peccata de animæ suæ sentina exhaurire neglexerit, in ipso portu monasterii crimen incurrit naufragii. Sed dicit aliquis : Quomodo potest anima a peccatis minutis et parvis quotidie emundari? Potest utique orando, jejunando, vigilando, veram humilitatem, veram caritatem veramque obedientiam exhibendo.

Iterum ait hic Sanctus : Cum summa humilitate et ingenti sollicitudine admonemus ut non solum peccata criminalia caveamus, sed et parvas negligentias quotidie quasi venena diaboli respuamus. Sunt enim nonnulli qui post religionis professionem nimia securitate solvuntur ; et impletur in eis sententia qua dicitur : *Apoc.* iii, 15, 16. Utinam frigidus esses aut calidus ; nunc autem quia tepidus es, incipiam te evomere de ore meo. Hoc est : Melius tibi esset aut in sæculo remansisse, aut in monasterio esse ferventem ; nunc autem quia et de sæculo recessisti, et tamen ex negligentia tua spiritualem fervorem

A non apprehendisti, tepidus factus, ex ore Domini evomeris. Insuper dicit : Sicut gaudendum est de monacho qui ad monasterium veniens, mansuetudinem, humilitatem, patientiam, mitis humilisque exhibuit ; ita lugendum est de illo qui corpore tantum exisse videtur de sæculo, corde autem in mundo mansisse probatur : qui pro humilitate profert superbiam, pro patientia iracundiam, pro obedientia contemptum, pro caritatis dulcedine venenum malitiæ. Talibus competit illa B B. Petri apostoli vera et multum timenda sententia : Melius illis erat non cognoscere viam justitiæ, quam post cognitionem reverti retrorsum. *II Petr.* ii, 21, 22. Et rursus : Canis reversus ad vomitum suum ; et, Sus lota in volutabro luti. Non est tamen de talibus desperandum, quoniam potens est Deus scintillam compunctionis in eis accendere, omnemque sæculi voluptatem ac vanitatem, quasi spinas tribulosque malitiæ, salubri igne consumere. De quo igne loquitur Christus : Ignem veni mittere in *Luc.* xii, 49. C terram.

Postremo testatur : Qui sola capitalia crimina cogitat, et contra ipsa tantum pugnare contendit, atque de parvis peccatis parvam aut nullam sollicitudinem gerit, non minus incurrit periculum quam si majora committeret crimina. Non ergo parvi pendamus peccata nostra quia minuta sunt, sed timeamus quia multa sunt. Nam et pluviarum guttæ minutæ sunt, sed quoniam plures sunt, flumina implent, domosque subruunt, atque interdum im- D petu suo etiam montes trahunt. Hinc scriptum est : Qui spernit modica, paulatim *Eccli.* xix, 1. decidit ; et iterum : Delicta quis intelligit? *Ps.* xviii, 13. Quis enim dinumerare valet peccata quæ quasi parva et nulla reputantur a nobis, quum tamen Scriptura divina graviter nos pro illis puniendos testetur? Ideo, juxta Salomonis sententiam, omni custodia custodiamus cor nostrum, *Prov.* iv, 23. ut si minuta peccata ad integrum vitare non possumus, saltem tardius et rarius ab eis præveniamur ; quotiesque victi fuerimus, purgare

illa suspiriis atque gemitibus cum Dei A adjutorio festinemus. Hinc S. Pacomius in Regula sua ait : Æstimant Fratres, quod traditiones quas didicerunt humanæ sint, et nesciunt quia pro contemptu etiam minimi mandati, magna negligentes pericula maneant.

ARTICULUS VII.

Exhortatio religiosorum qui lapsi sunt ad reformationem, præsertim propter B *mirabilem spiritualis et virtuosæ vitæ dulcedinem.*

QUUM ergo tam periculosissimum tamque damnabilissimum sit, esse in Ordine et regulam Ordinis non servare, merito religiosi qui stant, cavere debent ne cadant. (I Cor. x, 12.) Porro qui lapsi sunt, festinare debent ut surgant, et suæ reformationi sponte ac prompte consentiant, ut non solum tantam damnationem evadant, sed etiam ut ineffabilem beatitudinem sortiantur : C præsertim quum si fecerint hoc, participes erunt omnium meritorum atque cœlestium præmiorum successorum suorum, quibus viam salutis paraverint et salvationis causam præbuerint.

Sed forsan terrentur propter regularis vitæ rigorem, et quia difficile est consueta relinquere. Verumtamen in hoc veram informationem et consolationem ac animationem recipiant. Quamvis enim in principio sit difficultas, tamen si ad modicum tempus viriliter egerint et constanter pro- D cesserint, protinus supernam consolationem experientur, et divinam ac spiritualem dulcedinem sentient, dum scilicet cœperint divino amore accendi, in virtutibus radicari, ac desuper illustrari ad considerandum vanitatem et incertitudinem vitæ præsentis, pericula impiorum, districtionem divini judicii, acerbitatem inferni, inæstimabilem felicitatem cœlestis palatii, et quanta sit amatorum hujus mundi fatuitas, quanta excæcatio eorum qui suæ reformationi resistunt, qui esse sub jugo diaboli et servitute peccati non verentur, qui propter hæc caduca et vilia perdunt bona cœlestia et æterna. Quum itaque cœperint ista attendere et gustare, et mente tranquillata ac serenata in Deo quiescere, cordialissime de sua reformatione gaudebunt, infinitasque Deo gratias agent quod ad reformationis gratiam tam misericordissime eos perduxerit.

Præterea, spes præmii minuit vim flagelli, ut in libro Sapientiæ legitur : Bonorum laborum gloriosus est fructus. (Sap. III, 15.) Quamvis ergo in principio seu deinceps sit labor et difficultas, tamen consideratio multiplicis et ineffabilis fructus laboris illius, faciet illum laborem æquanimiter ferri atque cum gaudio sustineri. Et nonne incomparabiliter melius est, jam ad modicum tempus propter Deum in ejus obsequio laborare, sicque tot mala evadere et tot bona acquirere, quam nunc infeliciter gloriari et desideriis consentire, atque per hoc tot mala incurrere et tot bona amittere?

Hinc S. Benedictus ait in Regula sua : Constituenda est a nobis dominici schola servitii, in qua institutione nil asperum nilque grave constituturos nos speramus ; sed et si quid paululo restrictius, dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum et conservationem caritatis processerit, non illico pavore perterritus refugias viam salutis, quæ non est nisi angusto initio incipienda, processu vero conversationis et fidei dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei, ut ab ejus magisterio nunquam discedentes, in ejus doctrina usque ad mortem in monasterio perseverantes, passionibus Christi per patientiam communicemus, ut regni ejus mereamur esse consortes. Insuper asserit : Dum duodecim gradus humilitatis ascenderit monachus, mox ad caritatem Dei perveniet illam quæ perfecta exsistens, foras mittit timorem (I Joann. IV, 18.) : per quam universa quæ prius non sine formidine observabat, jam abs-

que ullo labore velut naturaliter ex consu- A etudine incipiet custodire, non timore gehennæ, sed Christi amore et delectatione virtutum.

Hinc quoque S. Cæsarius episcopus loquitur : Orationi et psalmodiæ insistere, lectioni vacare, vigiliis, jejuniis ceterisque exercitiis virtuosis inhærere, quousque in consuetudinem vertantur, laboriosa esse videntur ; quum vero in consuetudinem versa sunt, et non humanis viribus, sed auxilio gratiæ Dei impleri creduntur, non dura nec laboriosa, sed levia atque suavia B sentiuntur, quemadmodum Dominus ait :
Matth. xi, 30. Jugum meum suave est, et onus meum leve.

Denique, quum gaudium seu delectatio oriatur ex unione potentiæ animæ cum objecto convenienti, et præstantissimæ vires animæ sint intellectus et voluntas, Deus quoque sit objectum infinitæ excellentiæ in omni bonitate, dulcedine, pulchritudine, sapientia, omnique opulentia et perfectione ; certum est quod anima virtuosa in unione qua Deo quotidie jungi- C tur per contemplationem et dilectionem, per orationem, psalmodiam, lectionem ac ceteros actus virtutum, vehementer et summe delectetur in Deo, ita ut nil ei sit dulcius quam in divinis jugiter occupari. Quælibet quoque virtus habet delectationem propriam sibi annexam : ideo, quum fuerit quis in virtutibus roboratus, delectabiliter valde exercet actus virtutum. Deus etiam quosdam gratiosissime prævenit, implet, consolatur, accendit, ita ut universa quæ Dei et Ordinis sunt, prom- D ptissime quasi currendo volandoque impleant.

Non ergo sint monachi collapsi ad suam reformationem tardi aut timidi ; et illis libertatibus, vanitatibus ac delectationibus, quibus nihil periculosius, nihil nocentius, nihil damnabilius eis est, libentissime careant ; professionique suæ satisfacere non morentur, et Patrum suorum sanctorum non differant sequi vestigia, si cum illis beatificari optant in patria.

ARTICULUS VIII.

An liceat monachis habere proprium aut peculium, et quid nomine peculii designetur.

Primo videndum quid dicatur peculium : siquidem ignorantes vim terminorum faciliter decipiuntur. Itaque Brito sic ait : Peculium dicitur pecunia de pecudibus habita. Vel, ut verius dicit Ugutio, peculium est parvus citra matrimonium census, positus in potestate filii aut servi ; et super peculium non habet paterfamilias potestatem, sed tantum ille cujus est, et adeo proprium est peculium, quod licet de eo facere filio quidquid vult præter patris voluntatem. Porro, si ita accipiatur peculium, quæstio ista magnam non habet difficultatem. Quod enim religiosus habere nil licite possit adeo sibi proprium, ut de eo sibi facere liceat quidquid voluerit, etiam præter sui spiritualis voluntatem patris, apud sapientes certissimum est. Item non refert quoad difficultatem præsentem, utrum peculium quod quidam religiosi habere se licite arbitrantur, sit de pecoribus aut de blado seu vino aut aliunde. Oportet ergo de significatione peculii plenius loqui.

Itaque in tractatu de Expositione vocabulorum juris, satis plene hinc continetur ; quo legitur : Peculium clericorum est patrimonium clericorum ; peculium namque patrimonium appellatur. Stricto tamen modo, et ut communiter seu usualiter dicitur, peculium est filiorum et servorum, quod pater filio et dominus servo concedit. Sicque peculium isto modo est pusilla substantia a ratiociniis separata, seu substantia patris aut domini data sive promissa servo aut filio. Dicitur autem peculium a pecunia : totum enim quod homines habent, pecunia appellatur. Pecunia quoque a pecudibus nomen sortitur, quoniam quidquid antiqui habebant, in pecoribus consistebat : pecora quippe erant eorum divitiæ, secundum Augustinum libro de

Doctrina christiana. Peculiorum vero aliud A est profecticium, aliud adventicium. Profecticium dicitur quidquid ex rebus patris aut domini proficiscitur, et filio aut servo datur ut in eo negotietur : et est patris aut domini quoad proprietatem ; filii autem vel servi, quantum ad usufructum. Adventicium autem peculium nuncupatur quod filio ab avo paterno seu materno advenit, vel ab altero, vel ex propria fortuna, ut ex testamentis agnatorum vel cognatorum : et quod sic filio advenit, est ipsius quoad proprietatem ; patris autem, quantum ad B usufructum. Sic et in clericis dici potest, ut peculium profecticium clericorum sit quod de bono Ecclesiæ procedit, vel Ecclesiæ contemplatione acquiritur ; adventicium autem, quod acquiritur ex opera, vel alias provenit intuitu personæ. Insuper, peculiorum aliud est castrense, aliud quasi castrense. Castrense dicitur quidquid filius in castris militando acquirit : et illud est filii pleno jure, tam quoad proprietatem quam quoad usufructum. Sed quasi castrense peculium nominatur quod advo- C cati in causis quibus patrocinium præstant, vel magistri in scholis acquirunt. His consonant quæ in Summis doctorum, theologorum ac juristarum de peculio conscribuntur.

Itaque in quæstione qua quæritur, an monachis liceat habere peculium, sumendum est peculium pro peculio profecticio, non adventicio : quoniam monachis nequaquam licet proprietatem habere substantiæ sibi a superioribus assignatæ, sed usus eis conceditur. Et quidquid hic de D monachis scribo, de omnibus personis religiosis quæ se voto ad tria substantialia Ordinum obligaverunt, cujuscumque sint sexus, intelligo. Itaque religiosorum quidam sunt de stricta observantia : qui peculium nec habent, nec licenter posse habere se sentiunt. Alii sunt penitus deformati, lapsi et obtenebrati : qui de proprietate conscientiam sibi non faciunt, sed propria habent, habere plus cupiunt, et licite habere se putant aut fingunt, quia oppositum scire et audire contemnunt, aut certe non curant. Porro alii medio modo se habere videntur : qui habentes peculium, de proprietatis vitio se excusant, dicentes se habere non propria, sed appropriata, quia de licentia abbatis aut superioris talia habent, seque ad resignandum juxta superioris præceptum asserunt præparatos. Denique quidam doctores conantur tales religiosos a proprietatis vitio excusare, dummodo superioribus suis nihil occultent, nec sibi concessis abutantur, et ad prætactam parati sint resignationem.

Nunc ergo diligenter inquirendum et ostendendum est quid in hac quæstione veritas dictet. Itaque, quod habere peculium sit religiosis illicitum, et sanctæ religioni vehementer contrarium, imo religiosi status atque monasticæ vitæ lamentabiliter destructivum, et contra sanctissimorum Patrum qui Ordines instituerunt, intentionem, doctrinam et prohibitionem, jam (quantum fons sapientiæ Verbum Dei *Eccli.* I, 5.
in excelsis præstiterit) demonstrabo : et primo, quod sit contra Scripturam canonicam, id est contra Christi consilia in evangelica lege contenta ; secundo, quod sit contra decreta generalium conciliorum ; tertio, quod sit contra Decretales summorum Pontificum ; quarto, quod sit contra intentiones et præcepta Patrum sanctorum qui Ordines instituerunt ; quinto, quod sit contra doctores scholasticos.

ARTICULUS IX.

Quod religiosum habere peculium aut proprium, sit contra evangelica Christi consilia.

De religiosis administrationem pro bono communi cœnobii non habentibus, intelligenda sunt introducenda, ut infra clarius innotescet.

Præterea, secundum expositores catholicos, Christus in Evangelio duodecim dedit consilia : quorum primum est de vo-

luntaria paupertate, qua omnia relinquuntur, ut Deo liberius perfectiusque vacetur. Hoc autem consilium Christus in pluribus Evangelii locis proposuit, præsertim Matthæi nonodecimo, ubi dixit : Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, etc. ; itemque Lucæ quartodecimo : Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Præterea, quem in his verbis sensum intenderit Christus, et quomodo intelligenda sint ea, nec certius nec verius scire valemus nisi ex verbis et factis eorum quos Spiritu Sancto plenissimos fuisse non dubitamus, videlicet Apostolorum et eorum qui cum Apostolis conversati noscuntur ; deinde ex dictis et factis sanctissimorum virorum et Patrum qui Ordines instituerunt, utputa Hieronymi, Augustini, Basilii, Antonii, Pacomii, Benedicti, atque similium; deinceps ex commentis et expositionibus fidelissimorum expositorum.

Matth. XIX, 21.

Luc. XIV, 33.

Itaque, quod Christi intentio fuit in verbis prætactis perfectam consulere paupertatem, omne peculium excludentem, primo constat ex eo quod (sicut in Actibus Apostolorum describitur) misso in die Pentecostes Spiritu Sancto, et quibusdam millibus Judæorum ad fidem conversis, statim universi illi Ecclesiæ primitivæ fideles vitam communem ducere inceperunt; nec quisquam illorum aliquid proprium possidebat, sed erant eis cuncta communia : quod eos ex informatione Apostolorum, potius autem ex monitione Spiritus Sancti fecisse, dubitare non licet, eo quod Christus talem paupertatem docuerit. Nec quisquam illorum cui administratio commissa non fuit peculium habuit; sed omne pretium quod pro rebus quas vendidit sumpsit, ante Apostolorum posuit pedes, dividebaturque singulis per eos quibus Apostoli commiserunt administrationem illam, prout cuique necessarium fuit.

Act. II, 44; IV, 32.

Ibid. 34, 35.

Amplius, B. Dionysius, quamvis Ordinem nullum fundavit, tamen sexto capitulo Ecclesiasticæ hierarchiæ ritum consecrationis monachorum quo in primitiva Ecclesia consecrabantur, describens atque exponens, apertissime docet, quod monachi ab omni re temporali, ab omni sollicitudine sæculari, ab omni terrena affectione et occupatione debent esse nudi, liberi et abstracti : quod quam longe sit a monachis rem peculiarem habentibus, intelligenti luce clarius innotescit. Et quis piæ mentis potest ambigere, doctorem illum altissimum, divinum Dionysium, de hac re non solum a Spiritu Sancto, sed etiam a magistro suo Paulo apostolo atque S. Hierotheo, ut Dionysius personaliter sæpius innuit, fuisse instructum ?

De Cœl. hier. c. ... *de Eccl.* c. I-III ... *Divin.* n... c. II-IV.

Deinde Patres sanctissimi atque doctissimi qui Ordines instituerunt monachorumque Regulas conscripserunt, certissime credendi sunt clarissime intellexisse ex inspiratione divina, quo sensu Christus voluntariam consuluerit paupertatem; et ipsi secundum eumdem sensum quo Christus illam consuluit, eamdem strictissime præceperunt his qui se ad Ordinis observantiam voto constringunt spontaneo. Præfati vero Patres in Regulis suis paupertatem sic monachis præceperunt, quod peculium prorsus prohibuerunt, ita quod quidam eorum, potissime Augustinus et Benedictus, expresse et nominatim illud prohibuisse monstrantur : quod quia infra diligenter ac limpide ostendetur, nunc supponatur.

At vero idem ex catholicorum dictis expositorum abundantissime potest deduci. Siquidem super illud Matthæi, Si vis perfectus esse, etc., Beda, Rabanus, Albertus, Nicolaus de Gorra et alii dicunt, quod in voluntaria paupertate consistit perfectio dispositive : quia per omnium temporalium abjectionem aufertur cura eorum quæ a dilectione Dei impediunt animum. Unde et Origenes ait ibidem : Non est intelligendum quod in ipso tempore quo quis bona sua tradit pauperibus fiat perfectus, sed quod ex illa die incipiat in eo speculatio Dei, adducens eum ad omnes virtutes. Theophilus quoque scribit illo in loco : Christus dicendo, Vende omnia,

Matth. XIX, 21.

summam paupertatem consuluit : si quid A enim restiterit, illius servus est, scilicet ille qui alia vendidit. Summa vero paupertas repugnat peculio.

Denique, quum (sicut ostensum est) Christus paupertatem consuluerit, ne per curam et occupationem circa rem temporalem ac propriam provisionem impediatur homo a perfectione caritatis divinæ, a qua perfectione religiosus plurimum impeditur habendo peculium (quia ex eo, ut infra patebit, multa et gravia sæpissime vitia oriuntur, prout experientia docet, et B viri prudentes multipliciter probaverunt); rite concluditur et vere elicitur, quod Christus evangelicam paupertatem ita consuluit, quod intentio ejus fuit peculium prorsus excludere. Hoc quippe se ita habere convincitur tam ex perfectissima dilectione Christi ad nos, quam ex summa sapientia ejus, qua orientia caritatis impedimenta prævidit, et vitanda esse consulere voluit. Qui enim alicui præstat consilium, quo eum plus diligit, et quid ei magis expediat clarius conspicit, eo dat ei C consilium magis proficuum. Quum ergo multo utilius, tutius atque salubrius sit paupertatem absque peculio observare, certum est Christum, utputa Dei Sapientiam, *r.* I, 24. talem paupertatem in consulendo intendisse : nam et Dei perfecta sunt opera, *t.* XXXII, secundum Scripturam. Atque, ut asserit Augustinus, ideo Christus prohibuit te jurare, quia noluit te super ripam ambulare, ne *tth.* V, pes tuus in angusto positus labatur in præceps : quum tamen jurare non sit illicitum in se, sed quia usus jurandi est periculo- D sus. Multo plus, o monache, Christus non vult peculium te habere, ne affectus tuus tantam habeat occasionem et incitamentum ruinæ : imo vult te liberum esse ab omni temporalium visco.

Hinc præallegati expositores, loco quo supra testantur, quod consilium paupertatis includit contemptum divitiarum affectu, quoniam valde difficile est, quin ha- *c.* XVIII, bens divitias sive pecunias amore earum aut detineatur aut distrahatur et impediatur a perfecto Dei amore, ne Christum libere et expedite sequatur. Nam qui divitiis implicatur, pedes suos mittit in rete ne possit coram Deo ambulare perfectus : quia divitiæ viscosiores sunt visco, et vix evellitur animus occupatus ab eis.

Rursus, super illud Lucæ, Qui non re- *Luc.* XIV, 33. nuntiat omnibus, expositores conscribunt : Ideo dicit, omnibus, quia integra debet esse renuntiatio, quantum ad sua, et quantum ad suos, et quantum ad se. Similiter super illud in Luca, Bonum est sal, dicunt: *Ibid.* 34. Eum qui vult esse discipulus Christi, oportet omnibus renuntiare, ne per amorem temporalium evanescat. Quemadmodum sal bonum est in se antequam evanescat; quod si evanuerit, ad nihil est utile : ita de monacho proprium peculiumve habente.

ARTICULUS X.

Quod monachum habere proprium aut peculium, sit contra decreta generalium conciliorum.

UNIVERSALIUM synodorum intentio ab exordio fuit et est, quidquid ad fidei rectitudinem et christianæ vitæ veritatem pertinet, conservare et consummare, vel (si opus fuerit) reformare, ut omnia fiant I *Cor.* XIV, 40. in Dei Ecclesia ordinate. Itaque, quod monachi soli Deo debeant esse intenti mundoque mortui, et ab omni carnali ac sæculari sollicitudine liberi et abstracti, proprium nil habendo et omne terrenum penitus abdicando, innotescit ex his quæ in gestis primi atque sanctissimi Nicæni concilii trecentorum decem et octo episcoporum scribuntur, et partim in Decreto, causa 16, quæstione 1, continentur. Sic etenim in gestis illius synodi legitur : Pla- Decret. cuit omnibus residentibus in sancta syn- P. II, caus. 16, q. 1, c. 1. odo Nicæna, ut monachorum conversatio ab omnibus discrepet, discreta sit et abstracta. Monachus enim Græce, Latine dicitur singularis. Unde monachum per om-

nia oportet singulariter agere, id est, ab A omnibus exterioribus se ipsum abstrahere, cunctisque abdicatis soli Deo vivere; intendere et vacare, ut Glossæ testantur.

Insuper Eugenius Papa in generali concilio : Placuit, inquit, communi nostro concilio, ut nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu præsumat, nec quibuscumque se negotiis implicare. Sit claustro suo contentus : quoniam sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio monachus. B Sedeat itaque solitarius et taceat : quoniam mundo mortuus est, Deo autem vivit. Agnoscat nomen suum. Μόνος siquidem Græce, Latine dicitur unus; et ἄχος Græce, Latine dicitur tristis* : unde dicitur monachus, id est unus tristis. Sedeat igitur tristis, et officio suo vacet. Hinc, secundum Hieronymum, officium monachi est lugere, utputa propria et aliorum peccata.

Decret. p. II, caus. 16, q. 1, c. 8.

Thren. III, 28.

* tristitia

Amplius, Alexander Papa II sic ait : Juxta Chalcedonensis tenorem optimi conci- C lii, monachis ad normam S. Benedicti intra claustrum morari præcipimus, vicos et civitates peragrare prohibemus ; quatenus utique juxta regulæ suæ censuram, ab omnibus absoluti, et ab omni proprietate totaliter expediti, Deo conscientia pura vacent. Hinc in sacro Chalcedonensi concilio legitur : Monachos placet nobis quieti operam dare, jejunia observare orationibusque vacare, et nulli sæculari actioni se implicare, imo utique a se cuncta abdicare terrena. Porro, quam præceptorie D hæc dicantur, constat ex eo quod subditur : Prætereuntem vero hæc, decernimus extra communionem esse, ne nomen Domini blasphemetur.

Decret. p. II, caus. 16, q. 1, c. 11.

Ibid. c. 12.

I *Tim.* VI, 1.

Postremo, de his in Lateranensi concilio plenius atque expressius scribitur. Cujus decreta in sequenti ponentur articulo : nam quidam decreta illa adscribunt summo Pontifici, quidam synodo generali ; et utrumque secundum bonum intellectum verificatur.

ARTICULUS XI.

Quod monachum habere proprium aut peculium, sit contra Decretales summorum Pontificum.

TERTIO Decretalium, titulo de Statu monachorum et canonicorum regularium, capitulo *Monachi,* habetur ex determinatione Lateranensis concilii : Monachi nequaquam habere permittantur peculium (id est aliquid eis proprium). Qui vero peculium habuerit, nisi ei ab abbate pro injuncta administratione fuerit permissum, a communione altaris removeatur ; et qui in extremis cum peculio fuerit inventus, nec oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres accipiat sepulturam : quod etiam de universis religiosis præcipimus observari. Abbas vero qui ista non impleverit diligenter, officii sui jacturam se noverit incursurum. Dicitur quoque in eodem concilio : Monachi pro pretio non recipiantur in monasterio. Si quis autem exactus pro sua receptione aliquid dederit, ad sacros ordines non ascendat ; is vero qui eum receperit, officii sui suspensione mulctetur. Hæc et alia multa ibidem habentur, et in Clementinis, capitulo *Ne in agro dominico,* titulo de Statu monachorum.

Decret. lib. III, 35, c. 2

Clemen. lib. III, 10, c. 1.

Denique infra in Decretalibus, eodem titulo, capitulo *Quum ad monasterium,* Innocentius III Papa ait : Prohibemus districte in virtute obedientiæ, sub attestatione divini judicii, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat. Et si quis habuerit proprium aliquid, totum incontinenti resignet ; si vero post hoc proprietatem aliquam habere fuerit deprehensus, regulari monitione præmissa, de monasterio expellatur, neque ulterius recipiatur, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam. Quod si proprietas apud quemquam fuerit inventa in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur, sicut B. Gregorius in Dialogo se narrat fecisse. Unde si quidquam alicui fuerit

cap. 6.

specialiter destinatum, non præsumat illud A accipere, sed abbati seu priori vel cellario assignetur. Nec æstimet abbas quod super habendo proprio possit cum aliquo monacho dispensare : quoniam abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam etiam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.

Præterea, Clemens Papa sanctissimus in epistola quinta (et habetur in Decreto, ...ecret. ..., caus. ...1, c. 2. causa 12) ait : Dilectissimis fratribus et condiscipulis Hierosolymis cum carissimo B fratre et coepiscopo Jacobo habitantibus, salutem. Communis vita omnibus (scilicet clericis) necessaria est, et maxime his qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, et vitam Apostolorum et discipulorum eorum imitari volunt. — Amplius, S. Gregorius Papa Augustino Anglorum scribit ...d. c. 8. episcopo : Quia tua Fraternitas monasterii regulis erudita, seorsum fieri non debet a clericis suis, in Ecclesia Anglorum hanc debet instituere conversationem quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus no- C ...iv, 32. stris, in quibus nullus propria habuit, sed erant illis cuncta communia. Quidquid vero necessitatibus superest, in causis piis et religiosis erogandum est, Christo di- ...xi, 41. cente : Quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.

Si vero quis dicat hæc atque similia esse per dispensationem sublata et immutata, verum dicit quantum ad clericos qui se per votum religionis non adstrinxerunt ad paupertatem, ut sunt canonici sæculares ; sed quantum ad monachos, non D solum non revocata sed et districtissime sunt innovata, et iterum iterumque præ- ...ecret. ...ii, caus. ...q. 1, c. 9. cepta. Unde Urbanus Papa : Quicumque vestrum communem vitam suscepit et vovit se proprium nil habere, videat ne pollicitationem suam faciat irritam ; sed quod Deo pollicitus est, fideliter impleat, ...cle. v, 4. ...ecret. ...ii, caus. q. 1, c. ne damnationem sibi acquirat : quoniam melius est non vovere, quam vota non perficere. — Gregorius quoque Felici scribit episcopo : Ubicumque religiosæ personæ inventæ fuerint, districte atque canonice vivant. Et secundum Gratianum, ad regularem vitam cogendæ sunt, si resistant.

ARTICULUS XII.

Quam diligenter et inviolabiliter observanda sint generalium conciliorum atque summorum Pontificum decreta.

HILARIUS Papa ait : Nulli fas sit sine status sui periculo divinas consti- Decret. p. II, caus. 25, q. 1, c. 4. tutiones vel apostolicæ Sedis decreta temerare, quoniam nos qui summi Sacerdotis administramus officia, transgressionis culpa respiciet, si in causa Dei desides inventi fuerimus : qui* meminimus qua- *quia liter Deus comminetur negligentiæ sacerdotum. Siquidem majori reatu delinquit, qui honore fruitur potiori ; et graviora facit vitia delinquentium sublimitas peccantium. — Denique Leo Papa scribit Anatolio præsuli : Quæ ad perpetuam gene- Ibid. c. 3. raliter ordinata sunt utilitatem, nulla commutatione varientur ; nec ad privatum trahantur commodum, quæ ad bonum commune sunt præfixa. Sed manentibus terminis quos constituerunt Patres, nemo usurpet alienum ; sed intra fines legitimos unusquisque (prout poterit) in latitudine se exerceat caritatis. — Insuper Damasus Papa scribit : Violatores sacrorum cano- Ibid. c. 5. num graviter a sanctis Patribus judicantur, et a Spiritu Sancto, cujus instinctu editi sunt, damnantur : quoniam Spiritum Sanctum blasphemare noscuntur, qui contra eosdem canones, non necessitate compulsi, sed libenter aliquid proterve agunt. — Præterea Zosimus Papa fatetur : Contra Ibid. c. 7. statuta Patrum aliquid condere vel mutare, nec hujus (scilicet apostolicæ) Sedis potest auctoritas. — Marcellinus quoque Papa effatur : Nequaquam quod contra Ibid. c. 8. constitutionem sanctorum Patrum factum fuerit stabit. — Hinc Hormisda Papa testatur : Prima salus est, rectæ fidei re- Ibid. c. 9. gulam custodire, et a constitutis Patrum

nullatenus deviare. — Adhuc autem et A Decret. p. II, caus. 25, q. 1, c. 11. Hadrianus Papa : Generali (inquit) decreto constituimus ut exsecrandum anathema sit, et velut prævaricator fidei catholicæ apud Deum semper reus exsistat, quicumque decreta Romanorum Pontificum in aliquo crediderit vel permiserit violanda. — Ibid. c. 13. Insuper Gregorius Papa disseruit : Hac consona sanctis Patribus definitione sancimus, ut qui sacris obedire canonibus nescit, nec sacris ministrare altaribus nec communionem accipere dignus sit. — Ibid. c. 16. Præterea Leo IV affirmat : Ideo Domino B permittente pastores hominum sumus effecti, ut quod Patres nostri statuerunt, minime excedere debeamus. Contra eorum quippe saluberrima agimus instituta, si quod ipsi divino statuerunt consultu, intactum non conservamus.

Universæ auctoritates istæ etiam in Decreto habentur, causa 25, quæstione 1. Et in eadem causa, quæstione 2, Leo Papa Ibid. q. 2, c. 2. Marciano Augusto : Dispensatio, inquit, nobis est credita ; et ad nostrum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum C nobis consentientibus vel negligentibus Ibid. c. 7. violentur. — Item Gregorius : Institutionis nostræ decreta sine ulla constituimus refragatione servari, nec a quoquam Pontificum in toto vel in parte quacumque occasione convelli decrevimus vel mutari. Idem quoque Virgilio Arelatensi scribens Ibid. c. 9. episcopo : Curandum est, ait, ut quæ pro quiete religiosæ conversationis sunt ordinata, nec dissimulatio negligere nec præsumptio aliqua valeat perturbare ; sed sicut hoc quod ratio exigebat utilitatis oportuit D definiri, ita quod definitum est non debet violari.

Porro hæc omnia, secundum Gratianum, sunt intelligenda, nisi occurrat rationabilis causa mutandi seu dispensandi in his quæ cadunt sub dispensatione. Rationabilis autem causa dispensandi, est urgens necessitas aut vera et manifesta utilitas, prout Leo Papa et Gelasius Pontifex summus ceterique doctores et Patres concorditer asserunt.

ARTICULUS XIII.

Contra quosdam peculium monachorum periculose et imperite excusantes.

QUEMADMODUM quidam doctor in tractatu suo de ista materia recitat, nonnulli doctores excusant peculium monachorum et monialium a vitio proprietatis, dummodo superioribus suis, videlicet abbati aut abbatissæ, nil celent, et ad reddendum seu dimittendum parati sint juxta superiorum voluntatem, nihilque recipiant vel expendant sine illorum licentia.

Denique, ad ea quæ supra inducta sunt art. XI. ex concilio Lateranensi et constitutione domini Papæ, respondent quod prohibitio illa de habendo peculio aut proprio, intelligenda sit quod monachus non debet aliquid possidere aut habere peculium nomine proprio, non autem ibi prohibetur monachus aliquid possidere nomine abbatis, et de expressa permissione ipsius. Similiter dicunt, quod cum monacho non potest dispensari ut habeat proprietatem nomine suo, sed potest cum eo dispensari ut habeat aliquid peculiare nomine abbatis aut monasterii.

Istud videtur inconsideratissime dictum. In ipso namque concilii Lateranensis decreto, peculium luce clarius monachis administrationem communem non habentibus prohibetur, et abbati sub pœna absolutionis a suo officio districte præcipitur ut non permittat aliquem monachorum suorum habere peculium, nisi ratione administrationis, quod item habentes peculium et morientes in eo, secundum determinationem concilii puniat. Quomodo ergo monachus nomine abbatis potest habere peculium, quum abbati prorsus prohibitum sit peculium monacho dare, imo et permittere ut habeat illud ?

Præterea, quæro ab illis peculii monachorum excusatoribus, quomodo intelligunt id quod dicunt, monachum nomine abbatis posse habere peculium. Si namque ita intelligant, nomine abbatis, id est ex

parte seu concessione vel licentia abbatis; A jam patuit quod hoc prohibitum sit abbati, hoc ipsum concedere, licentiare sive permittere. Si autem intelligant, nomine abbatis, id est, in quantum est abbas vel repræsentat abbatem ; constat hoc fatuum risuque dignum esse : siquidem simplex monachus non est abbas, nec repræsentat eum in aliqua publica administratione peculio seu pecuniis indigente. Et loquor nunc de monacho in monasterio sub cura abbatis vivente : quia de monacho ad studium misso, vel pro alia rationabili causa B ab abbate emisso, aliud est.

Præterea, abbas dare vel licentiare non potest monacho id cujus monachus non est capax, et quod voto suo, imo essentiæ art. IX. religionis repugnat. Jam autem in præinductis ostensum est, et infra plenius ostendetur, quod habere peculium, repugnat voto paupertatis, et paupertati monasticæ, quæ est de religionis essentia.

At vero, monachi tenentur ad paupertatem eo modo et sensu quo sancti Patres qui Ordines instituerunt, monachos ad C paupertatem obligare intenderunt. Præcepta etenim prælatorum obligant subditos non tam secundum formam superficiemque verborum, quam secundum intentionem præcipientium, quæ est formale in præcepto, secundum Alexandrum de Hales, Thomam, Albertum, Bonaventuram aliosque concorditer. Certum est autem omni homini veraciter illuminato, quod Patres sanctissimi Ordinum institutores peculium monachis non admiserunt, nec admisissent si monachi id petissent, sed D penitus prohibuissent : imo et nominatim atque clarissime prohibuerunt, ut infra ex verbis et Regulis Hieronymi, Augustini et Benedicti patebit. Non ergo nomine vel permissu abbatis licet monacho habere peculium.

Adhuc autem, in omni præcepto superiorum consideranda est ratio præcepti. Sed Patres sancti qui monachis proprietatem tam districtissime prohibuerunt, non ideo hoc egerunt quia proprietas seu rerum possessio sit mala in se, sed quia ex usu, amore et occupatione rerum propriarum seu divitiarum impeditur homo a perfectione divini amoris, atque a libera et quieta unione mentis suæ cum Deo. Sed sive monachus habeat peculium aut proprium nomine suo sive nomine abbatis, certissimum est eum occupatione, usu, amore, cura et varia occasione peculii sui multipliciter impediri a spirituali profectu et caritatis fervore, contemplationisque puritate, otio et quiete. Elucescit itaque præceptum de paupertate servanda et peculio non habendo sic monachos obligare, quod nomine abbatum suorum non licite queant peculium habere aut proprium.

Præterea, secundum doctores præcipuos, specialiter secundum Thomam et eum sequentes, quando in lege aut in præcepto clare exprimitur intentio legislatoris seu præceptoris, non potest dispensari contra legem aut præceptum, lege illa seu præcepto manente. Cujus ratio patet ex dictis Guillelmi Parisiensis, Raimundi et aliorum, qui dicunt quod quamvis dispensatio videatur esse contra verba legis aut præcepti, non tamen est contra mentem seu intentionem legislatoris vel præceptoris, qui utique contra urgentem necessitatem aut veram utilitatem præcipere nil intendit. Quum ergo in præallegato decreto Lateranensis concilii clarissime exprimatur intentio Patrum de concilio prohibentium illud peculium, utputa ne abbates permittant monachos suos habere peculium, certum est quod abbatibus non licet oppositum, ut scilicet monachi nomine abbatum habeant peculium. Rursus, quum in præallegato synodali decreto contineatur, quod monachis non nisi ratione administrationis pro bono communi eis injunctæ liceat habere peculium, consequens est ut aliis id nullatenus liceat.

Denique, statui monachorum omnino repugnat ut quilibet eorum, manendo in claustro, sui ipsius habeat in temporalibus administrationem et curam : quia per hoc innumerabilia sibi acciderent impedimen-

ta spiritualis profectus ; estque contra intentionem Patrum sanctorum, qui præceperunt ut superior claustri communem habeat curam, administrationem et providentiam monachorum, præsertim in claustro degentium. Et quamvis forte in aliquo casu excogitabili posset ad tempus aliter expedire, propter hoc non est communibus regulis, legibus et præceptis contradicendum aut derogandum.

Amplius, quum prima mater dispensationis sit urgens necessitas, deinde vera evidensque utilitas, attendat qui monachis præest, quid eum cogat ad dandum peculium monachis suis, et quæ eis utilitas inde proveniat : imo, si diligenter pensaverit, videbit quod multiplex inutilitas ac ruina monachis ex peculio generetur, et quod sibi non sit necesse illud concedere, sed ex negligentia, consuetudine prava et aliis causis non bonis introductum sit peculium monachorum.

At vero, secundum dominum Guillelmum Antisiodorensem (quem Albertus super Sententias vocat magnum doctorem) in Summa sua, religiosi seu monachi non solum tenentur ad viam meliorem, sed etiam securiorem. Quum ergo securius sit monacho carere peculio, tenetur illo carere. — Iterum, secundum Augustinum, qui se committit discrimini, peccat mortaliter. Quum ergo doctores devotiores et viri religiosiores communiter reprobent peculium monachorum, quamvis aliqui illud aliquo modo excusent, videntur se ad minus discrimini committere monachi habentes peculium. — Rursus, quamvis monachi non teneantur esse perfecti, tenentur tamen quotidie ad perfectionem tendere et conari. Sed videmus ad oculum, quod religiosi habentes peculium non solum non proficiunt, imo de die in diem magis ac magis declinant et ruunt. — Præterea, secundum Hieronymum, Cassianum et alios, imo sicut experientia quotidie docet, nisi amor habendi fuerit de cordibus monachorum funditus eradicatus, frequenter magis crescit et inflammatur in eis circa parva et

A minima, quam in multis sæcularibus circa majora et plura. Periculosissimum ergo est monachis habere peculium, etiam si aliunde non esset eis prohibitum. — Amplius, ut in Genesi habetur, sensus et cogitatio cordis humani prona sunt in malum ab adolescentia sua. Non ergo expedit circa peculium monachorum loqui remisse, illudque colorare et quodammodo excusare : quia ex hoc religiosi ad peculium proni capiunt occasionem magnæ ruinæ, audaciamque se excusandi, etiam multo plus quam B ab aliquo doctore notabili excusentur.

Gen. VIII, 21.

Præterea, in præallegata Decretali summi Pontificis prohibetur sub attestatione divini judicii, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat : ergo nec nomine abbatis hoc potest, præsertim quum dominus Papa definiat, non licere abbati, imo nec summo Pontifici, quod dispenset super habenda proprietate cum aliquo monacho.

Si vero quis religiosus peculium habens, respondeat se non habere proprium, sed appropriatum ; dicendum est ei, quod C etiam appropriatio talis est vere illicita, et voto paupertatis repugnans, intentioni quoque sanctorum Patrum qui Ordines instituerunt, contraria, et multorum vitiorum occasio, ac spiritualem profectum vehementer impediens. Unde non dubium quin intentio generalis concilii fuit eam prohibere : generalium nempe conciliorum, quæ diriguntur a Spiritu Sancto, intentio est illicita condemnare, collapsa reformare, et ea quæ delinquendi præbent fomentum et speciem habent mali, auferre. Ve- D rumtamen agnoscendum, quod est quædam proprietas civilis, quoad dominium rei et usum, qua quis absolute dicere potest : Hoc est meum. Alia est proprietas peculiaris, qua aliquid conceditur alicui ad usum, remanente principali proprietate seu dominio apud aliam personam seu communitatem. Et quamvis prima proprietas magis repugnet voto paupertatis quam ista secunda, tamen et ista ei repugnat, ut patuit et patebit.

Si autem rursus quis monachorum ta-

lium dicat, Necessitas me compellit habere peculium, quoniam abbas aut superior meus de necessariis non providet mihi nisi dando mihi peculium, per quod de necessariis provideam mihi : si talis rogaret humiliter suum superiorem ut alicui administrationem communem habentium committeret provisionem ipsius, forsitan superior acquiesceret petitioni ipsius. Vel si quis videt se non posse esse securum in claustro aut Ordine quo est, pergere potest ubi vivat securius, seu alio modo potest suæ providere saluti.

Postremo et id mihi objici potest, quia tam districte contra peculium monachorum scribendo, quasi innumerabiles diversarum religionum personas in statu damnationis constituo. Fateor, consideratio ista aliquos terruit, et ad scribendum de ista materia nimis remisse induxit. Quid igitur respondebo? Utique pro præsenti aliud pro responsione non occurrit nisi quod zelo Dei et sanctæ religionis hæc scribo, atque in genere loquor, et viam securiorem ostendo. An vero aliquæ religiosæ personæ habentes peculium secundum modum quem quidam doctores excusant, excusentur in speciali ex aliqua causa occulta, secundum quod aliqua sunt mortalia in genere, quæ tamen in specie excusantur a peccato mortali, propter actus modicitatem vel subreptionem : hoc ego interim divino committo judicio; securior autem via amplectenda est religioso.

ARTICULUS XIV.

Quod habere peculium, sit contra intentionem et jussionem Patrum sanctorum qui Ordines instituerunt.

QUONIAM abbas ille non parvæ auctoritatis cui specialiter ista scribuntur, est Ordinis S. Benedicti, ideo ex ejusdem beatissimi Regula Benedicti ad demonstrationem propositi sumam exordia.

Ait itaque in sua Regula Benedictus : Præcipue hoc vitium proprietatis radicitus de monasterio amputetur, ne quis præsu-
A mat aliquid dare vel accipere sine jussione abbatis, neque habere aliquid proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino (quippe quibus nec corpora sua nec voluntates licet habere in propria potestate); sed omnia necessaria a Patre monasterii sperare oportet. Omniaque sint omnibus communia, nec quisquam aliquid suum esse dicat aut præsumat. Quod si quisquam hoc nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel et
B iterum ; si non emendaverit, correctioni subjaceat.

Iterum ait in Regula : Nullatenus liceat monacho nec a parentibus suis, neque a quoquam hominum, nec sibi invicem litteras vel eulogias vel quælibet munuscula accipere vel dare sine jussione abbatis sui. Quod si etiam a parentibus suis quidquam ei directum fuerit, non præsumat suscipere illud, nisi primo indicatum fuerit abbati. Quod si jusserit suscipi, in abbatis sit potestate cui jubeat illud dare; et non
C contristetur Frater cui directum fuerit, ne occasio detur diabolo. Qui aliter præsumpserit, disciplinæ regulari subjaceat.

Insuper dicit in Regula : Stramenta lectorum sufficiant, matta, sagum, lena et capitale. Quæ tamen lecta frequenter ab abbate scrutanda sunt, propter opus peculiare, ne inveniatur ; et si apud aliquem inventum fuerit quod ab abbate non acceperit, gravissimæ subjaceat disciplinæ. Et ut hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab abbate omnia quæ necessa-
D ria sunt, id est, tunica, cuculla, pedules, caligæ, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabula, ut omnis excusatio auferatur necessitatis. A quo tamen abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostolorum, Quia dabatur singulis prout *Act.* II, 45; IV, 35.
cuique opus erat.

Ex his verbis S. Benedicti, præcipui legislatoris, patris et institutoris monachorum, probatur quam diligentissime ac districtissime prohibuit monachis suis omne proprium atque peculium, in tantum ut

nec tabulam neque graphium permitteret A haberi ut proprium. Quo igitur pacto putandum est, quod pecunias, prædia aut similia permisisset ut peculium a monachis suis haberi? Denique peculium nominatim et expresse prohibuit : non igitur licet abbatibus sui Ordinis contra præceptum hoc agere aut dispensare dando peculium, quum subjecti sint Regulæ illi et præcepto seu legi, non supra illa ; nec a potestate superiori, puta papali, permissa, sed potius manifeste prohibita est eis dispensandi potestas de dando peculium, ut B
art. xi, xiii. jam abundanter deductum est. Rursus, ex hoc quod rem alicui monacho missam, voluit S. Benedictus potius alteri dari quam illi, concluditur quam seriose et integre volebat omnem a suis proprietatem peculiumque excludere.

Præterea B. Basilius, quem Benedictus in Regula sua sanctum suum patrem appellat, dicit in Regula sua : Huic quod est habere aliquod proprium, contrarium est quod in Actibus Apostolorum habetur :
Act. iv, 32. Erant illis omnia communia. Unde conclu- C dit : Si quis inter Fratres aliquid suum esse dicit, absque dubio alienum se facit ab electis Dei et caritate Christi.

Sanctus vero Hieronymus in Regula sua de hac materia plenissime et sapientissime scribit, dicendo : Ædificat fatuus ille in sabulo, qui in vita apostolica et religionis proposito temporales appetit divitias. Hic attendite diligenter ; hic periculum omne est, hic interitus, hic mors æterna. Qui jam omnibus quæ habebant renuntiaverunt, concurrentes ad imitandum pau- D
Luc. ix, 58. perem Christum, qui non habuit ubi caput suum reclinaret, hi ex voto promiserunt nihil temporale, nihil terrenum habere, præter ipsum solum Jesum Christum, sed nec etiam appetere quæ jam dimiserunt.
Ibid. x, 4. Hinc Christus mandavit Apostolis non portare sacculum, neque peram ; ut ex hoc intelligant sectatores vitæ eorum quod nihil proprium in monasterio licet habere :
* nisi quæ certe non tunicam, quæ* ex necessitate portatur, non caligam, nec aliud minimum quodcumque. Ita et vos, carissimi, etsi liceat habere aliquid temporale, ut victum I *Tim.* vi, 8. et tegumentum, quæ duo sufficiunt Christiano, nihil horum alicujus sit vestrum, sed commune sit omne, etiam minimum.

Insuper in Regula sua ait Hieronymus : Itaque obtestor vos omnes et singulos coram Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est omnes, ut aurum et argentum et pecunia cito pertransiens, nulla ratione cor vestrum seducat, retinendo apud se quantumcumque minimum temporale, ultra ea quæ ex necessitate portantur, nec hoc nisi ex licentia superioris. Nudus Jesus nudos quærit sectatores. Quod si ipsum sequi temporale aliquid appetendo volueris, oneratus gravedine nudum sequi non poteris. Hinc dicuntur beati pauperes spiritu, ut *Matth.* v, 3. sciatur quod non sufficit cuncta temporalia in mundo relinquendo ad claustrum accedere, si mens miserrima appetit quæ reliquit. Melius est in sæculo cum aliis divitibus temporalibus rebus insistere, quam in monasterio eas appetere. Propter quod volo, hortor et moneo vos, carissimi, ut hæc perpetuo in vestro monasterio observatio maneat, quod nullus omnino tangere aut aliqualiter retinere audeat per horam censum aut obolum, seu aliud quodcumque minimum, quanquam a sorore aut matre mittatur. Rursus ait sanctissimus iste Hieronymus : Sic, sic sponsum Jesum adstringite mentibus mundis a terrenorum contagione, quoniam secum in habitatione nihil permittit esse terrenum. Sic, sic projicite peras, ut neque marsupia ex latere pendeant, neque opus sit clavibus, ut jam ex ipsis monstretur exteriorum indiciis, quod nihil habetur extrinsecum præter Jesum, quod nihil est clausum quod est deditum usibus omnium.

Præterea, de hac religiosorum communitate et paupertate etiam in Regula S. Augustini notabilia continentur, in tantum ut etiam vestes in uno loco communi sub uno custode vel pluribus jubeantur haberi, ne aliqua vestis potius videatur esse unius quam alterius. Ubi et inter cetera

scribitur : Nullus vestrum sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in unum fiant majori studio et frequentiori alacritate, quam si vobis singulis faceretis pro-
1 Cor. XIII, 5. pria. Caritas enim, quæ non quærit quæ sua sunt, sic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Hinc in principio Regulæ suæ hortatur : Ante omnia sit vobis cor unum et anima una in Domino, et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. Quod autem Augustinus per hæc peculium velit excludere, constat ex his quæ in epistola ad Sammianum disseruit, dicens : Rem peculiarem omnino fuge. Vide quanti et quales de hoc pestifero morbo peculiaritatis perierunt. De peculiaritatis namque radice oriuntur hæc vitia : superbia, inobedientia, avaritia, vana gloria, voracitas, mendacium, loquacitas atque luxuria. Infertque Augustinus : Illum morbum habendi peculium voco morbum pestiferum et illecebrosum ; quem te oportet relinquere, si non vis beatitudinem sempiternam amittere.

Hinc quidam notabiliter ait : Væ vobis monachis qui divites esse cupitis in pecuniis, et per hoc regnum cœlorum amittitis. Qui sponte vovistis Deo observare normam Patrum sanctorum, quorum exemplo radicaremini in regno cœlorum, modo per cupiditatem et sæcularibus negotiis dediti, intrabitis ignem æternum.

Nescio quomodo contra proprietatem et peculium monachorum aliquid clarius, districtius aut seriosius dici possit, quam hi Patres sanctissimi contra illa locuti sunt et scripserunt. Quid ergo quærimus evasionem, decipientes nos ipsos, ut æternaliter pereamus ?

ARTICULUS XV.

Quod monachum habere peculium, sit contra doctores scholasticos.

SUPER materia hac legi tractatum cujusdam doctoris in theologia, quem novi, eoque tempore quo in Colonia studui, fuit cancellarius Universitatis illius ; eratque doctor ille nomine Theodoricus de Monasterio, vir vita, scientia atque facundia clarus, sed et præcipue mitis et pius. Itaque in suo tractatu, capitulo septimo, ostendens quæ personæ religiosæ sint indubitanter proprietariæ, aliquas ponit conclusiones, quarum prima est ista : monachus aut monialis habens pecuniam aut aliam rem sine permissione sui superioris, proprietarius est censendus. Secunda conclusio est : persona religiosa habens pecuniam aut aliud peculium quod superiori suo occultat vel occultare proponit, proprietaria est censenda. Tertia conclusio : persona religiosa habens pecuniam aut aliam rem quam non vult dimittere ad requisitionem sui superioris, est proprietaria. Quarta conclusio : personæ religiosæ cogentes superiorem suum per se aut per alios ad hoc quod det eis licentiam habendi peculium, proprietariæ sunt dicendæ. Quinta conclusio : superior non potest licite pro suæ libito voluntatis tradere conventualibus suis peculium sive pecuniam, illis præsertim qui non habent administrationem sive officium in conventu, quod officium sine pecuniis exercere non possunt : quoniam hoc est superiori prohibitum per jura canonica, ut patuit supra. Sexta conclusio : quando superior transgrediendo præcepta et statuta papalia assignat alicui peculium, ipse quidem graviter peccat, et recipiens tale peculium similiter peccat, et proprietarius est censendus, quoniam habet peculium contra prohibitionem Papæ, qui est super abbatem et abbatissam, præpositum et priorem ; cui etiam magis obedire tenentur personæ religiosæ quam alicui prædictorum seu aliorum.

Harum conclusionum probationem et declarationem dimitto, quoniam conclusiones istæ apud intelligentes per se notæ et certæ sunt. Has quoque conclusiones ait doctor præfatus a duobus theologiæ doctoribus egregiis et devotis, qui et Ordinis S. Benedicti fuerunt, approbatas et positas.

ARTICULUS XVI.

De vitiis monachorum quæ ex peculio et proprietate sequuntur; et quomodo proprietas sine usu minus noceret quam usus absque proprietate.

DOCTOR præfatus in suo tractatu, capitulo quarto, ait : Si scire delectat quare proprietas sive peculium tam rigorose prohibetur, attendite vitia quæ inde sequuntur. Quæ prudentissimi, expertissimi ac devotissimi viri qui religiones instituerunt, consideraverunt, et per experientiam etiam didicerunt. Consideraverunt enim quod ex proprietate seu peculio tanquam ex venenosa radice multa peccata proveniunt, utputa : contumacia, superbia, contentio, partialitas, avaritia, vana gloria, invidia, mendacium, luxuria, occupatio infructuosa, cura superflua, multiplex dissolutio, varia mentis distractio, acedia negligensque divini Officii persolutio atque similia : quoniam abundantes in peculio, ad resistendum suis superioribus fiunt audaces, nec disciplinam et correptionem patienter suscipiunt, partialitates efficiunt; et interdum comessationibus et ebrietatibus vacant, ex quibus ad vitia carnis labuntur, et votum suum de castitate servanda sceleratissime frangunt, sicque ad divina fiunt pigri et acediosi, opusque Dei negligenter persolvunt, atque innumerabiles defectuositates damnabiliter incidunt, non observantes silentium, et sæpe neque jejunium, nec ad commune refectorium veniunt, sicque quotidie magis excæcantur et obdurantur. Contingit quoque frequenter, quod habentium peculium unus multo plus habet quam alius. Quod non videtur consonare justitiæ, quum bona monasterii exstent communia : tamen secundum justitiam unicuique secundum indigentiam suam est tribuendum. Quum ergo tot vitiorum peculium sit origo, justissimum valdeque necessarium est ut religiosis secundum decreta conciliorum et decretales summorum Pontificum sanctorumque Pa- A trum regulas penitus auferatur. Et si religiosi libenter permitterent se a corporali purgari veneno, incomparabiliter libentius debent habere ut ab hoc spirituali veneno æternam damnationem inducente purgentur.

Insuper probat hic doctor, quod magis nocet religioso habere usum peculii sine proprietate civili, quam habere proprietatem sine usu. Proprietas namque in se non est peccatum, nec ad peccandum inducit, nisi per usum rei. Ejus exemplum B est, quod puero vel furioso non noceret proprium habere cultellum, dummodo non haberet libertatem et facultatem utendi illo cultello ; sed habere libertatem utendi ad placitum communi cultello, esset furioso seu puero valde periculosum. Quemadmodum ergo stultum et derisibile esset, si quis paterfamilias prohiberet filio suo habere proprium cultellum, ne cum illo se læderet, et nihilo minus daret ei licentiam utendi ad placitum communi cultello domus ; sic stultum videtur et derisibile, C si pater spiritualis filio suo spirituali prohibet possidere aliquod proprium, et nihilo minus assignat ei aliquam portionem de communibus bonis conventus, conceditque ei usum illius portionis : quia libertas utendi illa portione, est ei magis periculosa quam esset proprietas ejusdem portionis sine utendi licentia, quoniam usus peculii, propter quem vitandum sancti Patres prohibuerunt proprietatem, est propinquior libertati utendi quam proprietati possidendi : imo, quantum ad D progressum de malo in malum, parum aut nihil refert an habeatur usus sine proprietate vel cum proprietate. Præterea, quod amplius est, facile est considerare, quod monachi habentes peculium sæpe immoderantius illo utuntur quam sæculares et conjugati propriis rebus. Conjugati quippe, ob curam statui suo annexam, rebus suis frequenter satis moderate multumque parce utuntur ; monachi vero habentes peculium, quia hujusmodi cura et onere non gravantur, nec

quod restat eis in hereditatem suis relinquere possunt, rebus sibi concessis valde multoties immoderate prorsus utuntur.

ARTICULUS XVII.

Quod ex dictis præfati doctoris sequitur peculium monachorum esse illicitum.

art. xv. SICUT paulo ante inductum est, doctor prædictus inter cetera ponit has duas conclusiones : superior non potest pro libitu suo suis conventualibus tradere peculium sive pecuniam, illis præsertim qui administrationem pecunia indigentem non habent ; item : quando superior transgrediendo præcepta et statuta papalia assignat alicui peculium, graviter peccat, recipiens quoque peculium graviter peccat, et proprietarius est censendus. Quum ergo art. xiii. in superioribus sit ostensum, quod superior conventuali tradendo peculium non habenti officium quod sine pecunia exerceri non potest, nec in itinere posito vel ad studium misso, sed in claustro degenti, agat contra decreta synodalia et contra statuta papalia, itemque contra sanctorum Patrum qui Ordines instituerunt, intentionem, regulas et præcepta ; concluditur quod enormiter peccet, et recipiens a proprietatis peccato non excusetur, præsertim quum doctor iste in suo tractatu, capitulo nono, affirmet : Sancti Patres qui religiones instituerunt, talem modum vivendi nullo modo volebant in monasteriis suis admittere, sed toto conatu excluserunt tanquam plenum periculis. Palam est autem quod præcepta majorum obligant subjectos secundum intentionem majorum.

Verumtamen doctor iste consequenter videtur satis remisse loqui de ista materia, imo remissius quam vere religiosis placet ; atque (ut intellexi) etiam quibusdam doctoribus sæcularibus, oculatis theologis, non placet, quantum ad hoc, ejus tractatus. Videtur tamen mihi quod doctor iste possit in hoc aliqualiter excusari : quia in talibus loquitur magis recitative, dicta scilicet aliorum narrando, vel opinative, quam assertive. Nec immerito eum excuso, quum et ipse in suo tractatu tam reverenter et favorabiliter scribat de Ordine Cartusiensium, undecimo capitulo dicens : Insuper attendite quod ille religiosissimus Ordo Cartusiensium ab exordio suo usque in hunc diem inconcusse servavit modum habendi omnia in communi, et per illum modum profecit in spiritualibus et in temporalibus; aliæ vero religiones, quoad conventus innumerabiles, per peculia defecerunt et quotidie magis decrescunt in spiritualibus et temporalibus, ut flebilis experientia docet. Insuper scribit : Sæpe accidit quod aliqui conventus Ordinis Cartusiensis per sterilitates aut bella aut alia infortunia depauperantur, non tamen modum vivendi de communi dimittunt, sed ipsum firmiter tenent, quacumque paupertate non obstante. Alia quoque laudabilia scribit de Ordine Cartusiensium, et tandem subjungit : Nemo ægre ferat quod specialem facio mentionem de Ordine Cartusiensium. Nam hoc ideo facio, quoniam propter regularem vitam et disciplinam in eo vigentes, ipse est recte regula et mensura aliarum religionum : quoniam, teste Philosopho, decimo Metaphysicæ, primum in unoquoque genere, primum scilicet in perfectione, est mensura aliorum in eodem genere. — Hæc doctor præfatus. Fateor apud quosdam religiosos quasi proverbium esse : Monachus habens obolum, non valet obolum.

ARTICULUS XVIII.

Quod monachorum Ordinis S. Benedicti et aliorum communiter, demptis solitariam vitam agentibus, debeat esse mensa communis cum lectione ad refectorium.

SANCTUS Benedictus ait in Regula sua : Ad horam refectionis qui ante versum non occurrerit, ut omnes simul dicant versum et orent, et simul accedant

ad mensam : qui ergo per negligentiam suam aut vitium non occurrerit usque ad secundam vicem, propter hoc corripiatur. Si denuo non emendaverit, non permittatur ad communis mensæ refectionem, sed sequestratus a consortio omnium reficiatur solus, ablata ei portione sua vini, usque ad satisfactionem et emendationem. Similiter patiatur qui non fuerit præsens ad versum qui post cibum dicitur. Et nullus præsumat ante statutam horam aut postea quidquam cibi aut potus accipere. Iterum ait : Qui pro culpis levibus excommunicantur tantum a mensa, in oratorio satisfaciant usque ad jussionem abbatis. Denique de lectore refectorii facit specialem mentionem, et vult quod talis legat ad mensam qui sua lectione possit ædificare edentes.

Ex his constat quam seriose et fervide beatissimus pater Benedictus voluit monachos suæ religionis ad unam refici mensam, et simul accedere simulque exsurgere. Nam et a communi mensa separari, excommunicatio quædam est, secundum eum, et tanquam pœna pro culpa infligitur. Considerandum vero est quam periculosum esset frequenter a mensa communi se sine rationabili causa subtrahere, nec tamen pœnam pro hoc præfixam atque injunctam in Regula subire et adimplere.

Præterea, in Regula S. Basilii sic habetur : Quum necesse sit omnes venire ad horam prandii, si quis remanet absens, et post prandium venit, quid faciemus ? Respondet S. Basilius : Si necessitate loci vel operis remanserit absens a mensa communi, examinabit et agnoscet qui præest ; si vero quum posset occurrere, non satis egit ut veniret, fateatur culpam negligentiæ suæ, et maneat absque cibo usque ad illam horam qua convenitur ad cibum in posterum diem. — Ecce quam districte ille S. Basilius instituit Fratres venire ad refectorium simul, quam item dire non venientes punivit.

Augustinus quoque ait in Regula sua : Quum acceditis ad mensam, quousque inde surgatis, quod vobis legitur, sine tumultu audite, ne solæ fauces sumant cibum, sed et aures esuriant Dei verbum. Hieronymus etiam scribit in Regula sua : Ut semper pro posse oretis, dum corpus reficitur cibo, saturetur anima lectione. Non est fas etiam sæcularibus, simul cibum terere et inania verba ructare. Hora refectionis mens uniuscujusque sobria intenta sit dulcedini verbi Dei.

Postremo, ex privatis et separatis religiosorum refectionibus atque conviviis multa et magna ac periculosa vitia oriuntur, videlicet : ingurgitatio, loquacitas, dissolutio, saturitas, delectatio sensualis, consolatio carnalis : ex quibus sequuntur concupiscentia et inflammatio corporis, fastidium divinorum, somnolentia, scurrilitas, levitas, perditio temporis infructuosa, imo et vitiosa atque indevota et negligens persolutio operis Dei, quod solum maledictionem meretur, sanctissimo Jeremia dicente : Maledictus qui facit opus Dei negligenter. (*Jer.* XLVIII, 10.) Omnino ergo curet religiosus juxta regulæ suæ tenorem ad communem pergere mensam : quia et hoc fraternam fovet dilectionem, et suspiciones abscindit sinistras. Oppositum vero tanquam detestabilem consuetudinem fugiat.

ARTICULUS XIX.

De sobrietate, silentio et alacritate in Dei obsequio conservandis.

BEATUS Benedictus in Regula : Removeatur, inquit, præ omnibus crapula, ut nunquam subripiat monacho indigeries, quia nihil sic contrarium est omni Christiano ut crapula, sicut ait Salvator : Videte ne graventur corda vestra in crapula vel ebrietate aut curis sæculi hujus. (*Luc.* XXI, 34.) Iterum ait : Legimus vinum omnino monachorum non esse ; tamen, quia temporibus nostris hoc monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, ut non usque ad satietatem bibamus, sed par-

Eccli. XIX. cius : quoniam vinum apostatare facit A etiam sapientes.

Porro de observatione silentii scribit : Omni tempore silentio studere debent monachi, maxime tamen nocturnis horis ; et post Completorium nulli sit loquendi li- Ps. XXXVIII. centia. Faciamus quod ait Propheta : Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Unde si a bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem tacendum est, quanto magis a verbis malis? Scurrilitates autem et verba inania et risum moventia, æterna clausura in omnibus locis B damnamus, et ad tale eloquium discipulum aperire os non permittimus.

Præterea dicit : Ad horam divini Officii, mox quum auditum fuerit signum, summa cum festinatione et alacritate curratur, omni tamen tempore maturitate servata ; et operi Dei nil præponatur. Oratorium sit id quod dicitur, nec aliud quid ibi agatur.

Insuper dicit : Omnes supervenientes hospites tanquam ipsemet Christus susci- Matth. XXV, 43. piantur, quia ipse dicturus est : Hospes C fui, et non collegistis me. Ait iterum Benedictus : Hanc regulam volumus sæpe in congregatione legi, ne quis Fratrum de ignorantia se excuset.

ARTICULUS XX.

Contra irreligiosos religiosos, ex dictis S. Bernardi.

DOCTOR præcipuus monachorum B. Bernardus ait : Video, quod magis doleo, D post spretam sæculi pompam, nonnullos in schola humilitatis (hoc est in claustro) superbiam magis addiscere, ac sub alis mitis humilisque magistri, gravius insolescere, et magis impatientes fieri in claustro quam fuissent in sæculo ; quodque magis perversum est, plerique in domo Dei non patiuntur se haberi contemptui. Video et alios, quod non sine dolore II Tim. II, 4. videri debet, post aggressam Christi militiam, rursus sæcularibus implicari negotiis, rursus cupiditatibus terrenis immergi, cum magna cura erigere muros, et negligere mores. Itane mundum sibi et se mundo crucifixerunt? Nec aliunde hæc Galat. VI, 14. omnia mala contingunt, nisi quia illam qua mundus deserendus est, humilitatem derelinquentes, dum denuo facta sectantur sæcularium, efficiuntur canes reversi ad vomitum. Nullus ordo recipit quidpiam II Petr. II, 22. inordinatum ; quod vero inordinatum est, ordo non est. Unde non adversus Ordinem, sed pro Ordine disputare putandus ero, si non Ordinem in hominibus, sed hominum vitia reprehendero.

Dicitur et veraciter creditur, sanctos Patres vitam monachorum instituisse, et ut in ea plures salvarentur, usque ad infirmos regulæ temperasse rigorem. Absit autem ut eos credam tantas quantas video in plerisque monasteriis vanitates ac superfluitates præcepisse aut concessisse. Miror etenim unde inter monachos tanta intemperantia in comessationibus et potationibus, in vestimentis et lectisterniis et equitaturis et construendis ædificiis inolescere potuit, quatenus ubi hæc studiosius, voluptuosius atque effusius fiunt, ibi ordo melius teneri dicatur. Ecce enim parcitas reputatur avaritia, sobrietas austeritas creditur, silentium tristitia judicatur. Econtra, remissio discretio creditur ; effusio, liberalitas ; loquacitas, affabilitas ; cachinnatio, jucunditas ; mollities vestimentorum et equorum fastus, honestas ; lectorum superfluus cultus, munditia. Quumque hæc alterutrum impendimus, caritas appellatur. Ista caritas destruit caritatem ; hæc discretio discretionem confundit ; talis misericordia crudelitate plena est, qua videlicet ita corpori servitur, ut anima juguletur. Quæ etenim caritas est, carnem diligere et spiritum negligere? Quæ discretio, totum dare corpori, et animæ nihil? Qualis misericordia, ancillam reficere et dominam interficere? Nemo pro hujusmodi misericordia putet se consequi Matth. V, 7. misericordiam, quæ misericordibus pro- Eccli. XXX, 24. mittitur. Bona misericordia, misereri ani-

mæ tuæ; nec potest misericordiam non A mereri, qua fit ut placeas Deo. Alias autem non est misericordia, sed crudelitas; non est caritas, sed iniquitas; non est discretio, sed confusio, inutilis carnis concupiscentiis inservire, et animæ excolendis virtutibus nullam operam dare.

Quis in principio, quum Ordo cœpit monasticus, ad tantam crederet monachos inertiam devenire? O quantum distamus ab his qui in diebus fuerunt Antonii! Siquidem illi quum se invicem per tempus ex caritate inviserent, tanta ab invicem B aviditate panem animarum sumebant, ut corporis cibum penitus obliti, diem plerumque totum jejunis ventribus, sed non mentibus, transigerent. Et hic erat rectus ordo, quando digniori parti (scilicet animæ) prius inserviebatur. Hæc summa discretio, hæc caritas vera, ubi animæ, quarum amore Christus mortuus est, tanta
I Cor. xi, 20. sollicitudine refocillabantur. Nobis autem convenientibus in unum, ut verbis Apostoli utar, jam non est dominicam Cœnam manducare. Panem quippe cœlestem ne- C mo est qui requirat, nemo qui tribuat. Nihil de Scripturis, nihil de salute agitur animarum, sed nugæ et risus et verba proferuntur in ventum. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus: quibus totus intentus, modum nescias in edendo. Interim autem fercula ferculis apponuntur, et pro solis carnibus, a quibus abstinetur, grandia corpora piscium duplicantur. Quumque prioribus fueris satiatus, si sequentia attigeris, videberis tibi nondum gustasse D pisces. Tanta quippe accuratione et arte coquorum cuncta parantur, ut quatuor aut quinque ferculis devoratis, prima non impediant novissima, nec satietas minuat appetitum. Transitur meta necessitatis, sed necdum delectatio superatur. Quis enim dicere sufficit quot modis, ut cetera taceam, sola ova versantur et vexantur, quanto studio evertuntur et subvertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur? Et nunc quidem frixa, nunc assa, nunc farsa, nunc mixtim, nunc sigillatim apponuntur; sicque stomachus obruitur magis quam reficitur. Jam vero de aquæ potu quid dicam, quando nec vinum aquatum admittitur? Et fortiora vina præeliguntur, imo et vina delibuta melle, pigmentorum respersa pulveribus: quod ad nihil aliud valere video, nisi ut vel amplius vel delectabilius potetur. Sed quum venæ vino fuerint ingurgitatæ, toto in capite palpitantes, sic surgenti a mensa quid aliud libet nisi dormire? Si autem ad vigilias surgere cogis indigestum, non cantum, sed planctum potius extorquebis. Quum vero ad lectum venero, requisitus incommodum plango, non crapulæ peccatum, sed quod manducare non queo.

Quid de ipso monastico habitu dicam, in quo non calor sed color requiritur, magisque cultui vestium quam virtutum insistitur? Quæritur ad induendum, non quod utilius, sed quod subtilius inveniatur; non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat; non denique, juxta regulam, quod vilius comparari potest, sed venustius, imo vanius ostentari. Heu me miserum qualemcumque monachum, cui adhuc vivo videre contingit ad ista devenisse ordinem monachalem, quo nullus in terra similior angelicis ordinibus! Fusi jam sumus exterius, et de regno Dei quod intra Luc. xvii, 21.
nos est, non curantes, relictis veris, æternis ac spiritualibus bonis, foris quærimus vanam consolationem de vanitatibus et insaniis falsis; ac jam religionis antiquæ non solum virtutem amisimus, sed nec speciem tenemus. Miles et monachus ex eodem partiuntur panno sibi cucullam et chlamydem; et habitus noster, qui esse solebat humilitatis insigne, jam a monachis nostri temporis in signum gestatur superbiæ: sicque exterior superfluitas et curiositas, interioris vanitatis indicium est. Mollia vestimenta, animi mollitiem indicant. Non tantum curaretur corporum cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. Væ semel et væ iterum religiosis superbis, qui Christi humilita-

r. xvii, tem non sequuntur. Duplici contritione A conteruntur qui hujusmodi sunt : quia et hic pro temporali gloria temporaliter se affligunt, et pro interiori sua superbia in futuro ad æterna supplicia pertrahentur.

Insuper sanctissimus iste Bernardus contra negligentiam ait abbatum : Miror, quum Regula dicat ad magistrum pertinere quidquid a discipulis delinquitur, quomodo abbates nostri talia fieri patiantur : nisi forte, si audeo dicere, nemo confidenter reprehendit in quo se esse irreprehensibilem non confidit. Siquidem humanitatis B est omnium, unde sibi quisque indulget, aliis non vehementer irasci. Dicam, dicam ; præsumptuosus dicar, sed verum dicam : Quomodo lux mundi obtenebrata est? Quomodo sal terræ infatuatum est? Quæ enim, ut cetera taceam, species humilitatis est, cum tantà pompa et equitatura incedere, tantis hominum stipari obsequiis?

Hæc pauca ex dictis magni et divini Bernardi, de his multa saluberrime conscribentis, sunt sumpta : quæ dignanter C ab his quos concernunt cupio legi, ut præ oculis Deum habentes, vitæque hujus brevitatem pensantes, juxta sanctorum Patrum doctrinas ac regulas se emendent.

ARTICULUS XXI.

De modo quo qui præest seu abbas, procedere debet ad reformationem claustri seu gregis sibi commissi.

oann. xv, II Cor. iii, QUONIAM sine auxilio gratiæ Dei nil meritorie agere possumus, imo nec D cogitare, quo major res est reformatio communitatis, eo amplius dependet a Deo, et tanto plus necessarium est speciale subsidium directionis et cooperationis Spiritus Sancti. Abbas ergo sive superior ad reformationem subditorum suorum vere et ordinate volens procedere, in primis humiliet se profundissime coram Deo, propriam insufficientiam ex totis præcordiis confitens, adjutoriumque divinum lacrimose, affectuosissime et indesinenter exorans, ut se illuminet, dirigat et confortet ad exhortandum salubriter, ad agendum exemplariter, ad consummandum feliciter, subditorumque corda dignetur misericordissime intueri, mollificare et aperire ad audiendum et consentiendum ac perficiendum quod eis suadetur et dicitur, et ad quod tenentur. Porro, si abbas viderit se proficere, nequaquam inaniter glorietur, sed Deo humillime regratietur, totumque pietati adscribat divinæ ex intimo corde, ut Deo semper gratus ac subjectus consistat, et ipsum semper in cunctis glorificet.

Secundo, quia (ut S. Dionysius docet) De Eccl. hier. c. v. prælatus tantæ debet esse perfectionis et gratiæ, ut ex plenitudine sua subditis suis communicet ; et plus est docere exemplo seu factis quam verbis dumtaxat ; prædicatio quoque illius non reputatur, cujus vita despicitur : hinc superior debet se ipsum in omnibus exemplarem subditis exhibere, et vitam honorabilem imitabilemque præbere, ne ei dicatur : Medice, Luc. iv, 23. cura te ipsum. De hoc superius multa sunt art. iv, v. allegata ex Regula Benedicti, qualem se debeat abbas exhibere coram Deo et monachis. Abbas ergo ex Dei amore et zelo salutis fraternæ humiliet se ipsum, et subditis suis se humiliter applicet, affabilem reddat, amorosum ostendat, et tam verbis quam factis provocet eos ad viam salutis. Hinc ad Timotheum scribit Apostolus : Esto exemplum fidelium in verbo, in con- I Tim. iv, 12. versatione, in caritate. Prælatus namque est quasi signum in quod subditorum oculi diriguntur. Atque, ut Seneca protestatur, nil in tantum inducit subditos ad virtutes ut exemplaris vita majorum.

Tertio, abbas seu præsidens considerare debet eos qui melioris videntur esse voluntatis ad reformationem, ut illos alliciat sibi et adstringat ac roboret, et tam per se quam per illos procedat ad exhortationem aliorum seorsum et secrete, et primo illorum de quibus est sibi major spes quod debeant consentire : qui si statim non consenserint, patientiam habeat,

nec irascatur, sed oret pro eis, nec cesset. Præcipue quoque laboret inducere seniores ad consentiendum reformationi : qui merito tanto libentius consentire debent, quo se vident viciniores ad mortem, et quo Deus eis pepercit diutius. Senioribus quippe consentientibus, juniores facilius inducuntur et minus audent resistere. Deinde superior incipiat subditos, et abbas conventum generaliter, piissime atque dulcissime exhortari ad emendationem, ad virtutes, ad professionis impletionem. Legatque abbas monachis aliqua verba ex Regula quam sunt professi, potissime ea quæ pertinent ad tria vota omni religioni substantialia, et exponat eis quam periculosum atque damnabile sit voto in professione facto non satisfacere. Præterea, si abbas viderit sibi necessarium esse, vocet ad se aliquos viros religiosos, timoratos et sapientes, præsertim abbates Ordinis sui, qui cum ipso admoneant monachos ad reformationem, et consilio atque auxilio sibi adsistant. Si autem aliqui essent ita rebelles et duri, quod abbas videret se majori et potentiori indigere auxilio, posset episcopi sui advocare subsidium, maxime si sciret episcopum ex corde velle succurrere, et nec precibus neque muneribus flecti debere. Si vero hoc timet, impetret aliquos Deum timentes atque idoneos, quibus episcopus vicem et auctoritatem suam committat : qui venientes, fideliter adstent et cooperentur abbati.

Cf. De Cœlest. hier. c. IV, VIII, XIII. Denique, teste Dionysio, a distanti in distans non fit motus nisi per medium, et de uno extremo non venitur ad aliud nisi medium pertranseundo. Nemo quoque repente fit summus, et paulatim longius itur. Hinc abbas omnia discretissimo atque piissimo moderamine agat, non statim in principio totum Ordinis rigorem monachis imponendo ; sed infirmitatibus imperfectorum condescendat, eosque paulatim ad perfectiora trahere enitatur, ita ut in primis ad observantiam substantialium inducantur, deinde pedetentim ad alia. Et

A quia qui timet Deum nihil negligit, atque *Eccle.* VII, 19.
amanti nihil difficile est, hinc abbas seu quicumque superior magis conetur sibi commissos inducere ad Dei timorem et amoris spiritualis fervorem, quam ad exteriores observantias rigorosas. Nempe, quum cœperint Deum timere atque diligere, spiritualisque vitæ suavitatem aliqualiter degustare, ex se ipsis movebuntur ad observantiam eorum quæ Ordinis sunt, et pro sua salute fient solliciti. Unde nonnulli volentes alios reformare, magis destruunt
B eos, quia indiscrete procedunt, et ab exteriori rigore corporalique observantia sumunt exordium : sicque subditi instar rei quæ violenter movetur, trahuntur, coguntur et tribulantur ; nec tamen proficiunt, quia non habent intra se principium motionis ad bonum, utputa timorem Dei aut caritatem.

Præterea, reformatione incepta, potest abbas aliquos sui Ordinis monachos multum devotos et exemplares ex aliquo alio cœnobio impetrare, qui ad tempus in suo
C sint claustro, ut monachis suis nondum exercitatis in observantiis Ordinis, ostendant verbis et factis modum monasticæ conversationis, formam spiritualis profectus, exercitium devotionis internæ, regularisque observantiam disciplinæ. Gregem etiam reformatum abbas cum diligentia summa custodiat, ne recidivet. Sed et Regulam suæ professionis frequentius legat, ut sciat quomodo eum oporteat in omnibus loqui et operari ; et perseveret fortissime usque in finem. Invocetque quotidie
D beatissimam virginem Mariam in adjutricem, et ceteros Sanctos, eos præcipue ad quos magis afficitur, et Ordinis sui institutorem, ut S. Benedictum, vel alium, si est canonizatus : ut et ipse tandem post hujus vitæ decursum, Sanctorum mereatur cœtibus adunari, et tanto gloriosius coronari quo plures per eum fuerint reformati. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS LIBRI DE REFORMATIONE CLAUSTRALIUM.

DE REFORMATIONE MONIALIUM

DIALOGUS

PROŒMIUM

Christus. — *Vox* Sponsi : *Aperi mihi, soror mea, Sponsa.* Cant. v, 1, 2.

Te alloquor et exhortor, o monialis, quæ in tua professione consecrata, oblata et desponsata es mihi, ut præter et extra me nullum adspicias amatorem, et solenni voto te obligasti adhærere et servire mihi inviolabiliter usque ad mortem in vera paupertate, in sancta mentis et corporis castitate, atque in spontanea obedientia. Et quamvis vota ista non impleas, tamen sororem te voco et Sponsam : sororem, propter communionem naturæ humanæ in me et te ; Sponsam quoque, propter spiritualem desponsationem qua desponsata et dedicata es mihi et meis mancipata obsequiis juxta tenorem Regulæ tuæ; et etiam ideo, quatenus tam amorosis et dulcibus nominibus nominata a me, accendaris meo divino amore, atque celerius convertaris ad me tuum Creatorem, Salvatorem ac Sponsum.

Monialis. — Magna, fateor, et ineffabiliter magna est ista dignatio, quod tu, Domine Jesu Christe, Unigenitus Dei Patris, æterno Patri æqualis, verus Deus et homo in unitate personæ, dignaris me fragilem creaturam vocare tuam sororem ac Sponsam ; tantæ quoque dignationi teneor esse grata. Verumtamen hoc contristat me et affligit, quod asseris me non implere vota quæ tibi in professione mea promisi. Ecce enim, nonne in claustro maneo, habitum mei Ordinis porto, chorum die ac nocte visito, Horas persolvo canonicas, abbatissæ meæ obedio, nec aliquid habeo nisi de voluntate ipsius, nec virum cognosco? Numquid parva aut nulla videntur tibi hæc omnia? Numquid tantus labor erit inutilis, quum tamen dicat Scriptura, Bonorum laborum gloriosus est fructus? *Sap.* III, 15.

Christus. — Quoniam emollitum et compunctum est cor tuum ex dignatione mea et amorosa vocatione qua te nominavi sororem et Sponsam, ideo, ut amplius inflammeris caritate bonitatis ac dulcedinis meæ divinæ ac infinitæ, volo te consequenter sub nomine Sponsi alloqui et hortari, et volo ut tu sub nomine Sponsæ respondeas mihi.

Sponsa. — Hoc facere non auderem, nisi tu ipse, o gratiosissime Sponse, præciperes. Non ergo præsumptioni, sed obedientiæ adscribatur quod te nomino Sponsum meum, et me Sponsam tuam.

Sponsus. — Ita fiat. Sed respondere tibi nunc volo super hoc quod dicis te contristatam atque afflictam, eo quod dico te tua vota mihi promissa non adimplere ; et probo tibi, quod nullum eorum quæ modo dixisti te observare, observes eo modo quo obligaris.

Sponsa. — Dixi in primis, quod in claustro maneo : quod patet ad oculum.

Sponsus. — Corporaliter manes in claustro, sed mente vagaris per mundum ;

et mundum quem corporaliter reliquisti, intra te habes clausum, vana et sæcularia cogitando ac appetendo. Interdum quoque exis de claustro, et visitas tuos propinquos, et quæris mundana solatia. Sæpius quoque optas exire, quum tamen deberes in claustro sub perpetua clausura manere, atque implere quod Spiritus Sanctus per Ps.XLIV,11. Prophetam locutus est tibi : Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui.

Sponsa. — Multa objicis mihi, et in multis accusas me, quæ negare non possum Hebr.IV,13. nec audeo, quoniam omnia nuda et aperta sunt oculis tuis, et cordium intueris secreta. Sed unum dixisti quod admiror et horreo, quod et valde difficile mihi esse videtur. Nam dicis quod deberem in claustro sub perpetua clausura manere : quod non habetur in Regula. Et cur moniales potius essent sic clausæ quam monachi exsistentes Ordinis ejusdem cum ipsis? Aliquos tamen monachos clausos esse cognosco, ut Cartusienses : idcirco nec miror quod moniales Ordinis Cartusiensis sint clausæ. Verumtamen et ipsi Cartusienses ex speciali suorum superiorum licentia aliquando exeunt et visitant suos.

Sponsus. — Ad hæc tibi respondebo plenarie in sequenti articulo.

DE

REFORMATIONE MONIALIUM

DIALOGUS[1]

ARTICULUS PRIMUS.

Quod universæ moniales debeant permanere sub perpetua monasterii sui clausura.

Sponsus. — Hoc scias, quod unusquisque fidelis et Christianus, tam religiosus quam sæcularis, magis tenetur summo Pontifici obedire quam alicui inferiori prælato in omni casu sine exceptione, sicut et doctores catholici super secundum Sententiarum describunt. (dist. XLIV.) Nunc ergo adverte quid vicarius meus, Bonifacius VIII, Pontifex summus, sexto Decretalium ordinasse ac præcepisse legatur : (Sext. lib. III, tit. 16, c. unic.) Cupientes salubriter providere periculoso ac detestabili statui quarumdam monialium, quæ laxatis habenis honestatis et impudenter abjectis monachali modestia ac verecundia sui sexus, nonnunquam discurrunt extra monasteria sua per habitacula sæcularium personarum, et frequenter infra* (* intra) monasteria sua admittunt personas suspectas, in gravem offensam illius cui suam integritatem voluntate spontanea devoverunt, et in religionis opprobrium ac scandalum plurimorum; præsenti constitutione perpetuo irrefragabiliter valitura sancimus, universas et singulas moniales præsentes atque futuras, cujuscumque sint

A Ordinis, debere manere sub perpetua monasterii sui clausura, nisi tali ac tanto morbo aliqua earum laboraret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo aut scandalo commorari. Nulli etiam inhonestæ personæ nec honestæ pateat accessus ad moniales sine speciali licentia superioris, et nisi fuerit manifesta et rationabilis causa : quatenus moniales sic separatæ omnino a publicis ac mundanis conspectibus, valeant Deo servire liberius, et custodire ei diligentius corda sua et B corpora in omni sanctimonia, omni opportunitate lasciviendi sublata.

Considerasne in his verbis, quod statum ac usum monialium exeuntium claustra sua Pontifex summus vocat periculosum ac detestandum, atque quod moniales sic exeuntes laxant habenas honestatis, id est, contra frenum ac virtutem honestatis debitæ agunt, ac impudenter abjiciunt religiosam modestiam ac verecundiam ad sexum femineum præcipue pertinentem ; quod item per hoc offendunt graviter C Deum et me Sponsum cœlestem, cui voluntarie promiserunt suam integritatem et castitatem ; quod etiam exitus talis cedit in opprobrium sanctæ religionis et in scandalum plurimorum ? Si igitur credis me in Evangelio vere dixisse, Væ homini per quem scandalum venit ; et rursus, (Matth. XVIII, 7.)

1 Ex editionibus Coloniæ, Joannis Soteris, 1532, et Joannis Birckmanni Junioris, 1559.

Matth. xviii, 6. Quicumque scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris : si ergo tam grave atque damnabile est scandalizare unum pusillum, quam vitiosum ac damnabile putas esse plurimos scandalizare ? Intuere itaque quam multipliciter exitus ille de claustro vituperetur et offensivus sit Dei.

Sponsa. — Considero ista, et terreor ac contristor.

Sponsus. — Cur ex dictis terreris et contristaris ?

Sponsa. — Partim ob hoc, quia frequenter peccasse me video, et gravia meruisse tormenta, quia tam sæpe et sine necessitate exivi ; magis tamen ob hoc, quia res ardua est et multum difficilis, sub perpetua hac clausura manere.

Sponsus. — O mulier mala ! cur tibi videtur ita difficile semper in claustro manere, nisi quoniam diligis mundum et ea (*I Joann.* ii, 15.) quæ mundi sunt, nec desideria cordis tui figis in me, sicut tua requirit professio, propinquos quoque et amicos tuos sæculares diligis non pura et spirituali, sed potius sensuali affectione ? Porro, si toto corde diligeres me, et vere devota ac spiritualis esses et diligens in custodia cordis tui, ac fervida ad proficiendum in omni virtute, prout pertinet ad omnem religiosam personam ; tunc nihil amplius abhorreres quam de claustro exire, et jucundissimum tibi esset in claustro semper manere : quia sentires quotidie spirituales delicias, et experientia propria te doceret quam vere dulcissimum sit ac salubre, Deo pura mente vacare, et cum tranquilla ac bona conscientia ei esse unitum, et occupari in orationibus, laudibus ac contemplationibus Dei, atque internis, spiritualibus ac mundissimis amplexibus, consolationibus, illuminationibus et visitationibus Sponsi cœlestis frui et recreari : quibus gustatis, mundus et ea quæ mundi sunt, universa solatia vana, carnalia gaudia, ac omnia impedimenta spiritualis profectus et divini amoris atque internæ devotionis et puritatis, verterentur tibi in nauseam et horrorem ac tædium.

Sponsa. — Hæc vera esse credo ac fateor ; sed quis potest ad istam perfectionem venire ?

Sponsus. — Non vides quam multæ sint adhuc vere devotæ moniales, præsertim Regularissæ in partibus istis, et quædam Clarissæ, quæ in sua clausura perpetua libentissime manent, et spiritualibus consolationibus cœlitus refoventur, quibus tam molestum esset suam clausuram exire, quam grave est tibi in claustro semper manere ? Si ergo vis mihi acquiescere, docebo te breviter, qualiter mea gratia adjuvante, possis ad prætactam perfectionem pertingere, et in clausura cum gaudio perseverare.

Sponsa. — Obtemperare tibi intendo ; sed scire desidero anne ante præinductam constitutionem Bonifacii Papæ erant moniales reclusæ vel ad clausuram perpetuam obligatæ, et cur in Regulis Patrum sanctorum non fit mentio de ista clausura, cur etiam monialibus magis quam monachis injungitur hæc clausura ; et item, qualiter res ad hoc devenit, quod moniales jam passim et quasi ubique exeunt claustrum frequenter ac pro facili causa.

Sponsus. — Multa interrogas satis utiliter, quamvis partim feminea curiositate : ad quæ omnia tibi in sequenti articulo ac postea respondebo.

ARTICULUS II.

Quod moniales a principio suæ institutionis fuerunt clausæ, et de causis hujus clausuræ, et qualiter ad violationem clausuræ istius sint lapsæ.

Sponsus. — Sancti Patres, beatissimi institutores Ordinum diversorum, Antonius, Pacomius, Basilius, Augustinus, Benedictus, Franciscus, Dominicus, et alii quidam, Regulas suas primo instituerunt pro viris et monachis, non pro monialibus : idcirco in Regulis Patrum illorum non fit

A mentio de monialibus nec de earum clausuris. Postmodum vero cœperunt non solum viri, sed etiam puellæ ac virgines assumere Ordines a sanctis Patribus institutos; et tunc religiosi Patres rectores monialium Ordinis sui, fecerunt quasdam speciales ordinationes pertinentes ad gubernationem monialium salutarem : inter quas ordinationes una de principalioribus fuit, quod clausæ essent. Aliqui vero Patres sancti Regulas suas primo et directe instituerunt pro monialibus, ut gloriosus Hieronymus; et in illorum Regulis B continetur de monialium clausura perpetua, ut manifeste patet in B. Hieronymi Regula.

Porro Bonifacius Papa, qui jussit moniales esse jugiter clausas, non diu defunctus est : ideo constat quod multis et diuturnis temporibus ante ipsum moniales fuerunt clausæ. Sed per aliquot annos ante ipsum Bonifacium fuerunt lapsæ a sua clausura, sicut et modo sunt. Ideo dedit generale mandatum ut universæ moniales essent clausæ : quod mandatum fuit renovatio ac confirmatio ordinationis Patrum C sanctorum de clausura monialium. Et quia præceptum summi Pontificis maxime ligat, ideo post constitutionem illam Bonifacii Papæ magis obligatæ sunt moniales ad clausuram quam ante. Quemadmodum autem ex negligentia superiorum suorum atque ex propria fragilitate et perversitate lapsæ sunt, et paulatim devolutæ ad transgressionem votorum suorum et aliarum observantiarum multarum ad quas tenentur, sic ad violationem suæ clausuræ miserabiliter devenerunt et corruerunt. D

Insuper, cur monialibus magis quam monachis generaliter jussa est clausura perpetua, facile est pensare : quia videlicet feminæ sunt specialiter ac naturaliter multum instabiles, fragiles, molles ac debiles ratione; ideo periculosissimum est monialibus inter sæculares personas, præcipue inter viros, apparere et conversari, ipsosque inspicere, alloqui et audire. Nec solum monialibus, sed et viris hoc ipsum periculosum est valde : quod totum experientia, proh dolor! frequenter edocuit et quotidie monstrat; nec aliqua lingua potest exprimere quanta peccata et scandala orta sint atque assidue oriantur, ex hoc quod moniales claustra sua egrediuntur et personas visitant sæculares, viros quoque permittunt ingredi sua claustra, et loquuntur cum ipsis. Utinam tumentes uteri et argumenta currentia super terram non demonstrarent hoc ipsum. Præterea, moniales specialiter consecratæ sunt, benedictæ et oblatæ Sponso cœlesti : ideo oculos suos debent avertere ab omni alio amatore, et omnem occasionem infidelitatis et violationis vitare. Certum est quoque quod multo indecentius sit mulieres ac virgines in publico apparere quam viros.

Sponsa. — Ad omnia quæ interrogavi intelligo mihi esse responsum, nec potest his contradici : ideo precor edoceri qualiter possim ad tantam spiritualitatem et devotionem atque internam consolationem pertingere, ut nunquam desiderem claustrum exire nec personam viri adspicere, sed toto corde in cœlesti Sponso quiescam.

Sponsus. — De hoc te libenter docebo; sed prius volo te clarius informare de causis præfatæ clausuræ, et de proprietatibus feminarum, ut cognoscas te ipsam, sicque humilior fias, et scias quam necessaria sit monialibus hæc clausura, et virorum vitare colloquia, consortia et adspectum.

ARTICULUS III.

Quam necessaria et fructuosa sit monialibus clausura perpetua.

Sponsus. — Fidelis et prudens servus meus Hieronymus, quum centum esset annorum, scripsit Regulam monialibus Ordinis sui, in qua tangit qualis communiter sit naturalis dispositio mulierum, et ait : Debilis est nimium sexus quem geritis, fragilis ac mobilis, si suo relinquatur arbitrio; et quamvis virtuosus sit animus mulieris, tamen nisi regatur, nisi dirigatur continue, cito dejicitur a sancto proposito.

Ideo mulieri, quamvis religiosæ, non sit A stricta familiaritas nec incauta collatio cum patre spirituali. Vere non tacebo infelicem miseriam muliebris conditionis sub fervore spiritus, sub caritate nimium stricta, nisi custodia gravitatis ponatur ori : si præbeatur loquendi videndique copia, statim libido carnis de spirituali nascitur caritate. Ideo hortor, carissimæ filiæ, ut quæ Christo desponsatæ estis spirituali conjugio (cui vovistis omnem fidelitatem castitatis, et nullum amatorem cognoscere præter ipsum), quæratis effugere B intuitum faciei cujuslibet viri, quamvis ornatus sit sanctitate, etiam si æqualis sit S. Joanni Baptistæ in meritis. Credatis experto, nihil periculosius est viro quam mulier, et mulieri quam vir : uterque palea, uterque ignis. Dicam audacter. Proh dolor ! Dei templa, vasa Spiritus Sancti et ædificia Deo dicata, fiunt prostibula, nisi diligenti serventur custodia ; et tam nobile depositum, tam pretiosus thesaurus, et heu ! irrecuperabile decus virginitatis aufertur, si incessabilis insidiator diabolus C valeat infigere intuitum per tenuem rimulam alicujus dilectionis ineptæ. Ideo
Prov. IV, 23. omni custodia cor servetur.

Credite mihi, turba sacerdotum aut religiosorum circumvenientium (seu circumeuntium), omnem sanctitatem expellit a consortio mulierum. Ideo, si sacerdos circa aliquam sororum videtur inepta familiaritate adstringi, non sinatur oriri quod non sine magno scandalo removeri potest exortum. Corripiatur a superiore. Si correptus ab inceptis non cessat, remo- D veatur, quantumcumque utilis videatur. Impudici cujusvis pedes limina monasterii nunquam terant. Lingua viri ignita sagitta diaboli est mulieri. Labia viri venena mulieribus præbent, per quæ diabolus vulnerat miserum cor mulieris sagittis tentationum. Vir, cujuscumque conditionis exsistat, aut nunquam appareat coram vobis, aut visus terreat visum vestrum velut horridum monstrum. Propterea volo ut si cum viro omnino loqui oporteat, velum in fenestrula tractum abscondat faciem unius ab alio, nec * liceat videri quod concu- * ne
pisci non licet. Sanctus David videndo II *Reg.* XI, 2 et seq.
capitur ; et tota Scriptura testatur, quod victoria non speratur in isto certamine nisi ex fuga. Secreta verbula suspicione non carent : idcirco præcipio ut nulla sororum loquatur alicui extraneo sine præsentia abbatissæ aut sororum. Inter vos nunquam habeatur mentio de viro, si possibile est. Ultra quam creditur exsultat diabolus, si in corde femineo viget memoria viri. Proh dolor ! infelix conditio sexus vestri. Sanctior mulier si viro adhæreat quantumcumque spirituali affectu, inclinatur tandem ad nefas, si in viro virtus deficiat. Infortunatissimum genus mulierum ! hamo capiuntur ut pisces, ad macellum conducuntur ut bestiæ ; protervæ sunt et ficticia cupiunt, subornata verba deposcunt, fabulas non fastidiunt.

Credite, carissimæ, credite seni pene omnia experto, non possunt jugiter claudi sensus nostri exteriores in tumultibus hominum : ideo solum in silentio et quiete vitantur cogitationes perversæ. Propterea hortor ut non nisi sanctarum mentium verba audire velitis. Tam raro coram vobis vir appareat, tam raro inter vos mentio habeatur de viro, ut puellæ vestræ pene virilem sexum ignorent. Sic consortia hominum fugite, ut ad vos nequaquam perveniat quidquid agatur in sæculo. Solus sponsus vester Jesus Christus constringatur et fruatur a vobis strictis amplexibus. Solæ cum solo Sponso loquamini lectionibus sacris, orationibus laudibusque devotis, aut meditationibus sanctis. Zelotypus valde est Sponsus vester, nullatenus vult sponsas suas venire in publicum, ne concupiscantur ab amatoribus sæculi, et ne ipsæ concupiscant ea quæ mundi sunt. Semper vult solus sponsabus uniri, neminem vult admittere ad solatium. Quod si alium quæritis amatorem, statim recedit, protinusque dissolvit omne spirituale conjugium. Idcirco in monasterio vestro quasi in thalamo maneatis cum Sponso. Extra

monasterii limites nulli vestrum liceat ire. A
Hæc lex, hæc norma, hæc summa professio sit omnibus vobis, ut quæ semel intraverit, post professionem nunquam permittatur exire.

Hæc omnia S. Hieronymus scribit in Regula sua. Et quamvis specialiter scripserit ea monialibus Ordinis sui, nihilo minus ad omnes pertinent moniales. Ex eis patet quam utilis et necessaria sit clausura perpetua monialibus universis, et quanta exsistat fragilitas sexus feminei, et quam defectuosæ sint proprietates feminarum B
communiter ex natura, quæ tamen per gratiam Dei et virtutes reformari possunt ac perfici.

SPONSA. — Documentis et assertionibus tam antiqui, sancti et experti viri Hieronymi est credendum; nec dubito quin magni sit meriti apud Deum, pro ejus amore in clausura perpetua permanere. Sed moniales consuetæ exire et libertate sua gaudere, atque interdum mundanis consolationibus recreari, qualiter poterunt ad hoc induci, ut permittant se claudi ? et quo- C
modo poterunt ad tantam spiritualitatem ac perfectionem pertingere, ut non cupiant de claustro exire ?

SPONSUS. — Ad hæc tibi in sequenti articulo respondebo.

ARTICULUS IV.

Qualiter inducendæ sint moniales ad clausuram et ad observantiam regulæ sicut professæ sunt et tenentur.

SPONSUS. — Sicut tactum est, proprietas D
feminarum communiter est appetere prohibita et negata : idcirco, quum fuerint consuetudinibus pravis infectæ et deformatæ, valde difficile reformantur ; nec informationibus rationabilibus faciliter acquiescunt, sed reclamant, plorant, et suis carnalibus conqueruntur amicis. Verumtamen, quia omnipotenti Deo facile est corda ipsarum illuminare, compungere, emollire, convertere, in primis orandum est pro eis fervide et instanter ; deinde admonendæ et instruendæ sunt pie et seriose, ut bene considerent quid Deo in sua professione promiserint, quam enormiter peccent quotidie, contra suam professionem agendo ac regulam in multis transgrediendo, et quam gravissimam per hoc damnationem promereantur. Idcirco perpendant rigorem divini judicii, et brevitatem atque incertitudinem vitæ præsentis, et quam grave ac intolerabile eis erit æternaliter claudi, torqueri et uri in carcere infernali, quæ modo non volunt per modicum tempus propter Deum manere intra clausuram cœnobii. Insuper exhortandæ sunt ut sapienter advertant quam ineffabiliter magnam gloriam mererentur, si sponte in sua clausura et observantia regulari manerent ; quantum quotidie crescerent in omni virtute, dono et gratia Spiritus Sancti ; quam dulciter visitarentur et consolarentur a Sponso cœlesti, ita quod desuper illustratæ, maxime abhorrerent exitum de clausura, et omnem Dei offensam ac regulæ transgressionem, potissime in his quæ sunt contra tria vota omni religioni claustrali substantialia. Si autem non acquieverint his et consimilibus exhortationibus piis, compellendæ sunt a superioribus suis per viam rigoris, per debitas pœnas ecclesiasticasve censuras, ad observantiam sui Ordinis et clausuram. Propinqui quoque et fautores earum informandi sunt seorsum prudenter de periculositate status monialium attinentium eis.

SPONSA. — Boni essent isti processus ; sed majores ac Visitatores nostri ad deformationem sunt lapsi, et vivunt sicut et nos.

SPONSUS. — Majoribus prælatis, archiepiscopis atque episcopis jussum est in constitutione Bonifacii Papæ præallegata, art. 1.
reformationi monialium operam dare. Verum circa hoc eamdem facere potes objectionem.

SPONSA. — Quid igitur restat ?

SPONSUS. — Deficiente humano auxilio, ad divinum oportet confugere. Monialis itaque cupiens juxta regulam suam ducere vitam salubrem, si hoc in monasterio pro-

prio deformato agere nequit, ingrediatur A aliud claustrum Ordinis sui in quo regularis observantia viget : et si tale invenire nequiverit, intret cœnobium alterius Ordinis in quo virtuosa est vita; et si hoc sine dispensatione facere prohibetur, dispensationem per veros amicos adipisci conetur. Interim vero inter suas consorores conversetur melius quo potest, offerendo Omnipotenti promptum affectum pro opere, et dolendo de eo quod opere non potest implere. Id quoque quod ei a spirituali matre conceditur, habeat non ut proprium, B neque ut domina rei illius, sed tanquam sibi aliquo modo appropriatum pro sua sustentatione, et tanquam procuratrix sui ipsius de licentia superioris; et re illa utatur moderate ac sobrie, nec faciat inde eleemosynam aut aliam erogationem nisi de superioris licentia, sitque semper toto corde parata resignare ad manus superioris, dum ipsa voluerit, quidquid habet. Et si plures essent hujusmodi moniales in uno cœnobio, possent inter se vivere in communi. Itaque ita se habeat quousque C poterit locum acquirere in monasterio virtuose regulariterque viventium.

Sponsa. — Sanum consilium; sed inter perversas et proprietarias religiose vivere et salvari, valde videtur difficile.

Sponsus. — Ita est, sed gratia adjuvante alleviatur : gratiosum autem et copiosum auxilium datur postulantibus illud ferventer ac incessanter.

Sponsa. — Multum periculosa et vitiosa apparet vita monialium quæ vota sua non implent nec regulariter conversantur.

Sponsus. — De hoc consequenter clarius te informabo.

ARTICULUS V.

Quam periculosissima, vitiosissima et damnabilissima sit vita monialium irregulariter conversantium nec sua vota implentium.

Sponsus. — Agnosce et diligenter perpende, quod solennis professio religiosæ personæ plus obligat quam juramentum, ita quod vitiosius est votum quodcumque talis professionis frangere, quam pejerare, ut S. Thomas declarat. Sicque monialis quotiescumque aliquid agit contrarium suæ professioni, toties peccat enormius et magis mortaliter quam pejerans : et tamen perjurium est tam grave peccatum etiam secundum reputationem juris civilis, quod perjuri fiunt omni honore indigni et maxime coram omnibus confunduntur, quamvis semel dumtaxat pejerent. Quam vitiosa ergo, detestabilis atque damnabilis est persona claustralis quæ non semel dumtaxat, sed quotidie, imo multoties quolibet die suam violat professionem, habendo proprium, et proprio illo multis modis ac frequenter utendo? Nam quotiescumque tractat et exponit rem illam peculiarem, seu aliquo modo utitur ea, toties agit contra votum paupertatis, et peccat non solum mortaliter, sed et mortalissime, et enormius quam si pejeraret, violando suam professionem. Et idem judicium est, si agat contra votum castitatis aut obedientiæ, seu contra alia quæ præcipiuntur in regula, vel in professione formaliter continentur.

Summ. th 2a 2æ, q LXXXIX, a. 8

Sponsa. — Heu! quid audio? Quam enormiter sæpe excessi!

Sponsus. — Audi plenius. Quid festinas? In religionibus approbatis excommunicantur a præsidente aut regente, in die Palmarum aut Cœnæ, personæ monasterii proprietariæ : a qua excommunicatione absolvi non queunt quamdiu manent proprietariæ. D Quam vitiosa ergo et damnanda conversatio est earum quæ in proprietate et excommunicatione illa manentes, in die Paschæ et postea communicare præsumunt, atque in tantis manent flagitiis usque ad mortem? Amplius, sicut doctores catholici fideliter probant et dicunt, religiosæ personæ regulam non servantes, sed vitiose viventes, nihil juris habent in bonis cœnobii, quæ deputata sunt observantibus regulam, et vitam vere religiosam ducentibus, non transgressoribus regulæ. Ideo

quidquid moniales proprietariæ et sua vota præceptaque regulæ violantes consumunt et in suos usus convertunt de bonis claustri, hoc totum est furtum et sacrilegium ac rapina, et ad restitutionem tenentur. Insuper, multa continentur in regula, quæ quamvis prima facie non obligant ad mortale peccatum si aliquando non serventur, dummodo persona religiosa suam culpam inde recognoscat, pœnitentiamque assumat ac impleat juxta Ordinis consuetudinem et tenorem seu institutionem ; si tamen frequenter et passim violentur, nec per recognitionem culpæ et satisfactionem emendentur, nequaquam excusari possunt a culpa mortali, ut sunt : fractio silentii, absentia a divinis, omissio jejunii regularis aliquo die ex fragilitate humana, vel ex dispensatione præsidentis, non exsistente causa rationabili ad dispensandum sufficienti. Quum ergo in talibus multis excedant frequenter moniales vota sua et regulæ instituta non implentes, certum est quod ineffabiliter et innumerabiliter multa magna vitia incidunt : quia nec abstinent ab esu carnium, prout regula continet, et in vestium curiositate ac transgressione suæ clausuræ multisque aliis peccant assidue, nec Horas canonicas cum debita gravitate, devotione et observantia temporis cantant et solvunt.

Sponsa. — Si hæc ita se habent, imo quia hæc vera sunt, videtur vita tam vitiosa atque damnabilis in hoc mundo non esse ut vita religiosorum utriusque sexus sua vota et regularia instituta non observantium.

Sponsus. — Sic utique est. Nam et sancti patres Hieronymus, Augustinus ac alii protestantur, quod sicut non viderunt meliores iis qui in religione monastica profecerunt, sic non viderunt pejores et obstinatiores iis qui in eadem non profecerunt, nec sua vota ac debita persolverunt.

Sponsa. — Nisi tales essent omnino excæcati et graviter obstinati, compungerentur et terrerentur ex verbis jam habitis. Et nunc, quæso, doce me qualiter possim ac debeam ad tantam virtuositatem et spiritualem cœlestis Sponsi degustationem pertingere, ut non optem claustrum exire aut mundanas consolationes habere.

Sponsus. — Tam pio ac salubri desiderio satisfaciam modo.

ARTICULUS VI.

Qualiter monialis possit ad tantam virtuositatem atque tam dulcem cœlestis Sponsi degustationem venire, ut non cupiat exire cœnobium nec habere aliquod mundanum solatium.

Sponsus. — Tria sunt quæ omnes religiosi principaliter vovent. Primum est paupertas, id est spontanea abnegatio totius proprietatis in rebus opibusque terrenis : et hæc paupertas est virtus, ad quam non sufficit proprium nil habere, sed non optare nec velle aliquid proprium possidere. Ideo quotiescumque religiosa persona cupit aut nititur habere aliquid proprium aut utitur illo, nisi forsan in extrema necessitate, toties agit et peccat contra hoc votum, et contra hanc virtuosam ac voluntariam paupertatem. Secundum votum est observatio castitatis perpetuæ : quæ est virtus refrenans concupiscentias carnis indesinenter. Ideo religiosa persona non solum frangit hoc votum per commixtionem carnalem, sed etiam quandocumque ex deliberatione rationis consentit in talem commixtionem aut in delectationem veneream, aut appetit eam. Tertium est obedientia : quæ est virtus per quam religiosa persona propter Deum abnegat propriam voluntatem, atque ex corde sponte se subdit ac obtemperat suo superiori. Idcirco ad hoc quod religiosa persona impleat votum hoc, non sufficit quod exterius ac corporaliter agat et impleat quod sibi a superiore suo injungitur, sed tenetur illud implere libenter ex animo. Ordinantur autem hæc tria vota principaliter ac finaliter in hac vita ad dilectionem puram et perfectam. Tria

sunt enim quæ a perfecta dilectione Dei præsertim impediunt. Primum est amor, sollicitudo et occupatio circa terrenas divitias : et hoc impedimentum expellit præfata paupertas. Secundum est voluptas carnalis, et amor sensualis parentum ac propinquorum : quod impedimentum expellit castitas perpetua jam prædicta, quæ sensuales reprimit ac refrenat affectiones. Tertium est propria voluntas et ejus libertas, qua homo juxta libitum suum vadit, intrat, exit, loquitur et operatur : quod impedimentum expellit obedientia.

Porro perfectio vestra in vita præsenti, in pura et fervida Dei dilectione consistit. Itaque via per quam religiosa persona potest et obligatur ad perfectionem ire ac pervenire, est adimpletio horum trium votorum, ut scilicet omnes sensuales et carnales affectiones concupiscentiasque de anima sua exstirpet, abjiciat ac devitet, nec ad aliquam rem terrenam habeat proprietatem, curam aut inordinatum amorem, nec voluntatem suam in aliquo præferat voluntati Dei aut ejus vicarii seu sui superioris. Et si ista impleverit, erit aptissima ad sincerissimum Dei amorem. Nec aliter potest religiosa persona perduci ad divinum amorem, nisi implendo hæc tria quæ vovit, et ad quæ præcipue obligatur. Etenim ingratum est Deo quidquid ei obtulerit homo, neglecto eo ad quod tenetur, quum et Jacobus dicat apostolus : Si quis totam legem impleverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Unde et Salomon loquitur : Qui (inquit) in uno peccaverit, multa bona perdet. Insuper, manifestum est quod unicuique sit delectabile uniri et adhærere ei quem maxime diligit, et esse, loqui et occupari cum illo; molestum quoque est ei elongari ac separari ab ipso, et desideratis amplexibus ejus privari. Ideo quanto plus religiosa persona in amore Dei profecerit inflammataque fuerit, tanto jucundius erit ei in solitudine et silentio, in quiete et claustro, in loco secreto esse et loqui cum Sponso cœlesti, et occupari cum ipso, ipsum

Jacob. II, 10. — *Eccle.* IX, 18.

A orando, laudando, recogitando et contemplando, et ipsum intra se brachiis caritatis amorose ac dulciter constringendo et amplectendo, considerando infinitam et incomparabilem bonitatem, suavitatem et pulchritudinem ejus, atque incircumscriptibilem et immensam sapientiam, pietatem, beatitudinem, perfectionem ac desiderabilitatem et amabilitatem ipsius prorsus deliciosissimam. Quum itaque religiosa persona ita adhæserit et conjuncta fuerit Sponso cœlesti, tunc copiose gustabit æter-
B nam et infinitam dulcedinem ejus, et frequenter, imo assidue illuminabitur, accendetur, implebitur et lætificabitur a Sponso adorando et glorioso : sicque verissime ac promptissime spernet omnia vana, carnalia, mundana, prava ac vilia, et abhorrebit exire ac apparere in publico, tædiosumque erit ei cum hominibus fabulari et tempus infructuose expendere; suavissimum vero erit ei Sponso cœlesti uniri, et cum eo miscere colloquia orando, psallendo, legendo ac meditando sa-
C lubria et divina. Et tunc hilariter ac experimentaliter dicet : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine ! itemque : O quam suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus ! et rursus : Mihi adhærere Deo bonum est; Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.

Ps. XXX, 2[0] — *Sap.* XII, 1 — *Ps.* LXX[II], 28, 26.

Sponsa. — Vere bona et sapientialis doctrina, sed ardua. Ego autem quæ hucusque vixi in proprietate et dissolutione, et absque observantia regulari, sum tota defectuosa et fragilis, nec possum cito aut
D faciliter ita de corde meo abjicere universas sensuales affectiones, inordinatos terrenarum rerum amores ac propriam libertatem, nec possum me ipsam in omnibus sic abnegare et frangere. Quid ergo actura sum? Quo me vertam?

Sponsus. — Noli diffidere, nec pusillanimis esse aut infideliter formidare. Nonne ego veritas summa in Evangelio dixi, Petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis; omnis enim qui petit accipit, et qui quærit invenit,

Matth. [VII,] 7, 8; *Joan.* XVI, 24.

et pulsanti aperietur? Nonne Apostolus ait, Omnia possum in eo qui me confortat? Et tu ergo cum profunda humilitate, cum cordis fiducia, cum ingenti affectu, cum perseverantia forti invoca meum auxilium, directionem et gratiam Spiritus Sancti. Invoca Deum indesinenter, ut mentem tuam purget, illuminet, roboret et accendat, gratiose immutet, atque in omne quod placet ei ipsam vertat ac firmet. Fac tu quod in te est, te ad gratiam disponendo, peccata præterita recolendo, detestando ac confitendo, et Deum, ut dictum est, invocando, et ipse te pie exaudiet.

Philipp. iv, 13.

SPONSA. — Doce me aliqua ex quorum consideratione possit mens mea incitari, roborari ac inflammari ad complendum tria vota præfata, ac cetera quæ utilia aut necessaria sunt ad obtinendum perfectionem ac divini amoris fervorem ac puritatem.

SPONSUS. — Salubris, pia et prudens petitio responsionem meretur condignam et sapientem.

ARTICULUS VII.

De multis rebus ex quarum consideratione debet religiosa persona induci ad exsecutionem efficacem suæ professionis.

Eccli. vii, 40.

SPONSUS. — Scriptura ait : Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. Si ergo et tu diligenter pensaveris tua novissima, qualiter mors amara, periculosa, incerta tibi celerrime et indesinenter propinquet; quam districte a Judice summo judicaberis mox ut anima tua corpus tuum exierit; qualiter tunc æternaliter condemnaberis, nisi professionem tuam impleveris, atque æterna et ineffabiliter magna felicitate privaberis, nisi in vita ista ambulaveris digne Deo, juxta exigentiam tuæ vocationis ac professionis : si, inquam, ista profunde ac frequenter perpenderis, incipies omnia vitia abhorrere, A peccata tua deflere, ad omnem pœnitentiam peragendam corroborari, carnales affectus et mundana solatia detestari ; nec aliquid videbitur tibi difficile per quod poteris metuendissimum Dei judicium tam in morte quam in novissimo die evadere, ab æterna damnatione et acerbissimis inferni suppliciis eripi, atque perpetuam beatitudinem adipisci.

Considera qualiter religiosæ personæ sua vota non implentes, inæstimabiliter præ ceteris in inferno gravissime puniantur, B sicut earum peccata exstant gravissima : et tu, tenera mulier, quæ nunc pati vix potes morsum pulicis, quomodo poteris sustinere dæmonum crudelissimos ictus, morsus et punctiones, supercalidissima infernalis ignis incendia, ac cetera innumerabilia et æterna inferni tormenta? Intuere prudenter quanta stultitia sit, pro parvis et brevibus, vitiosis ac vilibus hujus momentaneæ vitæ delectationibus perdere æternas cœlestis paradisi delicias, superbeatissimæ Trinitatis voluptuosissimam C fruitionem, claram ac jucundissimam visionem divini vultus, sanctorum angelorum et omnium Beatorum societatem amœnissimam atque dignissimam, et ultra hæc omnia, infernalibus flammis perpetuo cruciari, horribilissimas ac turpissimas dæmonum facies pœnalissime intueri, amarissima desperatione repleri. Hoc etenim scias, quod damnati non ita pœnaliter torquentur ab illo calidissimo igne inferni, quantum torquentur in mente, dum cogitant se in tantis suppliciis æternaliter D permansuros.

Secundo incitare te debet ad virilem votorum tuorum impletionem consideratio tuæ professionis, quæ est solennissima promissio facta Deo in sacro loco, in divinæ Missæ officio, coram excellentissimo Sacramento. Quum ergo inhonestissimum sit terreno principi promissionem factam non adimplere, nonne incomparabiliter inhonestius ac vitiosius est tam solennem professionem Deo factam non implere, imo quotidie violare ac frangere, nec vel-

le se dare ad ejus impletionem? Ecce homines sæculares et qui Deum non timent, in tantum abhorrent frangere promissionem, ut unus ab alio captus, et sub promissione redeundi ad tempus dimissus, infra præfixum redeat tempus, quamvis sciat se dure incarcerandum, puniendum, aut forsitan occidendum; et nisi juxta promissionem suam rediret, semper esset infamis, et reputaretur omni fide indignus. Quanto magis persona religiosa quæ suam professionem quotidie violat impudenter, abominabilis, contemptibilis, infidelis ac damnabilissima est coram Deo vero, omnipotenti et sancto? Ideo ait Scriptura (*Eccle.* v, 3.): Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis et stulta promissio.

Tertio ad idem inflammare et roborare te debet consideratio tuæ desponsationis, qua desponsata es mihi Sponso cœlesti, unigenito Filio Dei Patris ac Virginis Matris, et oblata ac consecrata es mihi per celeberrimam promissionem : ideo turpissimum ac sceleratissimum tibi est coram Deo et omnibus Sanctis ejus, quod me relicto, et violata fidelitate mihi promissa, convertis te ad vana, carnalia, sæcularia et immunda, ad consolationes indignas, ad delectationes nefarias, ad aversiones a me; sicque nobilissima et cœlesti desponsatione abjecta et contaminata, das te ad conjunctiones adulterinas, fœdas, vilissimas, ad fornicationes abominabilissimas, spirituales aut etiam corporales. Hoc namque volo te scire, quod omne mortale peccatum, et potissime omnis fractio voti solennis, est fornicatio spiritualis. Ideo vere dictum est ab Augustino, quod omnis anima christiana est Christi sponsa, vel diaboli adultera. Si enim per fidem, caritatem et justitiam Deo adhæret, sponsa est Christi. Si autem Deum relinquens, consentit diabolo et servit ei in vitiis, adultera ejus est, quia per impiam voluntatem ei unitur ac commiscetur: quanto magis monialis cœlesti Sponso infidelis, et gravissimis peccatis se ma-

A culans, atque per suæ professionis violationem diabolo se prosternens, conjungens, subjiciens et conformans, reputanda est et vocanda adultera diaboli? Porro, si ad tantam infidelitatem, impudentiam amentiamque corruerit, ut et carnaliter fornicetur, jam infinita est ingratitudo, turpitudo et vilitas ejus. Talis quoque fornicatio recte sacrilegium appellatur, id est abusus rei sacræ, quoniam corpore suo consecrato Sponso cœlesti tam impudenter, viliter ac impiissime est abutens. B Ecce si nobilissimus atque pulcherrimus filius regis terreni ex sua benignitate desponsasset sibi unam puellam paupérculam, nonne vilissima et stolidissima esset illa puella, si ingrata tantæ dignationi filii regis ipsum relinqueret ac vilissimo ribaldo se commisceret? Quanto magis prorsus vilissima, insipientissima, ingratissima atque turpissima est monialis desponsata unigenito Filio Dei, specioso forma (*Ps.* xliv, 3) præ filiis hominum, quæ Sponsum illum infinitæ dignitatis ac sapientiæ et C decoris relinquit, contemnit et abjicit, sicque diabolo præbet consensum, et mente fornicatur cum rebus caducis, vanis ac vilibus, quibus magis adhæret quam Creatori altissimo?

Sponsa. — Diutius tacere non valeo, quia jam clare conspicio quam infelix, vitiosa et condemnabilis sit conversatio monialium sua vota transgredientium. De præteritis quoque excessibus meis erubesco ac doleo, et me in omnibus emendare propono. Et utinam vehementius erubeD scerem ac dolerem. Idcirco precor te, Domine, meam adjuva et conforta imbecillitatem, et doce me plenius qualiter aptius possim meam implere professionem.

Sponsus. — Bene et salubriter agis exhibendo te docilem, flexibilem, pœnitentem : idcirco de modo proficiendi informare te volo. Verumtamen prius tibi adhuc tangam unam considerationem, quæ merito incitare te debet ad vivendum in observantia regulari absque proprietate.

ARTICULUS VIII.

Quod moniales in communi et regulariter conversantes, multo delectabiliorem dulcioremque vitam, imo et sufficientiorem refectionem habent, quam illæ quæ propria habent et præparant sibi.

Sponsus. — Si malæ feminæ istæ, videlicet moniales proprietariæ et irregulariter conversantes, scirent aut credere vellent quam quietam, dulcem, pacificam et jucundam habeant vitam moniales vere devotæ regulariterque viventes, nequa- B quam diutius in sua irregulari et periculosissima vita manerent, neque quiescerent quousque exsisterent reformatæ. Quid enim jucundius suaviusque pace pectoris, tranquillitate mentis in Deo, securitate conscientiæ bonæ, omni sollicitudine temporalium rerum carere, absque propria occupatione sufficientiam victus et vestitus habere, caritative atque pacifice conversari, et a Sponso cœlesti desuper visitari, illuminari, accendi et consolari, meditationibus sanctis et contemplationi Dei C sincere vacare, in studiis lectionum et orationibus et psalmodiis ex caritatis fervore assidue occupari? Hæc autem monialibus sacris vere devotis, in communi obedienter et caste viventibus, insunt et competunt : quæ etiam in refectoriis suis melius habent quam aliæ, et claustra earum in temporalibus ac spiritualibus prosperantur, dum universæ et singulæ quærunt (...r. x, 24. ...hilipp.) bonum commune et ea quæ Jesu Christi sunt, non commodum proprium et privatum. Porro moniales proprietariæ et ir- D regulariter conversantes, habent varias tentationes, inquietudines, curas, suspiciones, contentiones, murmurationes contra se invicem et contra suos superiores, et molestum est eis durare in claustro, surgere ad Matutinas, occupari in divinis Officiis.

Sponsa. — Hæc omnia experientia docet, et ego ipsa experta sum quanta vitia ex proprietate nascantur. Moniales etenim tales parum aut nihil curant de obedientia A observanda, et pronæ sunt ad indignationes, elationes, rebelliones, partialitates, comessationes, potationes, fabulationes et ludos. Sunt etiam acediosæ, duræ, audaces, mundanis affectionibus, curiositatibus ac variis mentis distractionibus plenæ. Raro quoque carent ira, invidia et concupiscentiis pravis, et divinum Officium negligenter, cursorie et corrupte persolvunt.

Sponsus. — Unum peccatum trahit ad aliud, et quanto quis spiritualior ac virtuosior esse tenetur, tanto ad enormiora et abominabiliora crimina labitur, dum ea ad quæ obligatur, adimplere non nititur.

Sponsa. — Nunc igitur gaudeo atque regratior de gratia illuminationis mihi factæ, per quam ab hujusmodi vita separare me cœpi, et precor nunc edoceri qualiter ad caritatis perfectionem pertingitur.

Sponsus. — Jam dixi tibi, quod spirituales personæ ad eam pervenire non queunt nisi tria principalia vota sua implendo. (art. vi.) Sed et alia plurima exiguntur, videlicet : coertio linguæ a verbis illicitis. Propter quod sancti Patres inter observantias regulares præcipue ordinaverunt observationem silentii, ne persona religiosa loquatur sine licentia. Nam, ut ait Scriptura, qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam, (Prov. xxi, 23; x, 19.) et qui moderatur labia sua, prudentissimus est; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala, (Ibid. xiii, 3; Eccli. xx, 8.) et qui multis utitur verbis, lædit animam suam. Hæc autem refrenatio linguæ et observatio silentii tanto plus necessaria est monialibus, quanto feminæ naturaliter proniores sunt ad fabulandum. Necessaria quoque est sensuum exteriorum custodia : et valde necessarium est moniali volenti in omni virtute proficere et ad caritatis divinæ puritatem approximare, oculos ab incauto adspectu reprimere, potissime in divinis, ne mens distrahatur et pacem internam amittat. Refrenare quoque oportet auditum, ne verba detractoria aut discordiæ seminativa aut murmurativa seu alio mo-

do illicita libenter audiat. Similiter refrenandus est gustus, ne in cibis et potibus quærat delectationem, sed solum necessariam refectionem; nec in speciebus aut confectionibus delectetur, nisi forsan pro medicina. Specialissime vero refrenandus est tactus ab omni incauto contactu, ab amplexu et osculo. Insuper in cibis et potibus moderantiam observare oportet, et
Luc. xxi, 34. implere quod ait Salvator : Videte ne graventur corda vestra in crapula aut ebrietate, vel curis hujus sæculi. Omnia vero hæc ordinantur ad cordis custodiam, ut illud servetur immune ab omni iniqua cogitatione et ab omni affectione injusta.

Sponsa. — Quis potest hæc omnia adimplere?

Sponsus. — Si quis faciat sibi consuetudinem salutarem cogitandi indesinenter præsentiam Dei, ita ut assuescat in omni loco et tempore, in omni actu et negotio cogitare Deum omnipotentem omnia intuentem ac judicantem esse præsentem, implebit (Deo auxiliante) ea quæ dixi : imo et in vera cordis stabilitate ac recollectione in Deo proficiet, cunctaque vitia abhorrebit, et quoties senserit mentem suam esse distractam, statim revocabit eam ad considerationem divinæ præsentiæ. Porro, ut hæc facilius possit implere, imprimat cordi ac memoriæ suæ verba illa
III Reg. xvii, 1. Eliæ dicentis : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. Et verba illa assidue meditetur, ut quoties cœperit distrahi mente, mox verba illa recogitet : sicque in præsentia Dei erubescet se male habere, turpiter cogitare, illicita affectare, et erit custoditus ac timoratus in omnibus. Præterea, oportet ut religiosa persona conscientiam suam quotidie examinet diligenter, et de sero consideret qualiter diem expenderit, quid boni in eo omiserit, quid mali commiserit; sicque de suis pœniteat culpis, et quotidie magis ac magis custodita, timorata, virtuosa esse conetur, totamque vitam suam in profunda humilitate et Dei timore fundet firmissime. Hoc quoque saluberrimum est, ut passionem Jesu Christi omni die diligenter perpendat, et divinum Officium ac Horas cum omni diligentia semper persolvat. Ecce per ista et consimilia poteris ad divini amoris perfectionem pertingere.

Sponsa. — Certe compendiosa et optima documenta : quæ, auxiliante gratia tua, adimplere pro posse conabor.

ARTICULUS IX.

Contra exteriorem ornatum monialium in vestibus.

Sponsus. — Sancti Patres ordinaverunt ac præceperunt ut religiosæ personæ abjecto et vili habitu tegerentur : quatenus in earum vestimentis contemptus sæculi monstraretur, et ipsæ personæ religiosæ per simplicitatem, incultam humilemque figuram habitus sui ostenderent se mortuas esse mundo, et omnem sæculi hujus decorem contemnere. Hinc capitibus monialium ordinaverunt nigrum velum esse superponendum, ad insinuandum quod absconditæ debeant esse mundo, crucifixæ cum Christo. Quæ quum ita se habeant, quæ est ista insania monialium multarum temporis hujus, quæ vestibus curiosis et pretiosis, strictis, plicatis incedunt vestitæ, ut a domicellabus mundanis sæcularibusque puellis discerni vix queant, nisi forsan ex curioso subtilique velo, seu modico scapulari? Numquid moniales istæ quærunt, intendunt et cupiunt complacere Sponso cœlesti, contra cujus doctrinam et jussionem ita se vestiunt et exornant? Nonne moniales tales sunt filiæ Babylonis ac dæmonum, quæ amatoribus mundi quærunt placere et hominum adspectum in se provocare, quæ et extra claustra sua sic evagantur, intuentiumque eas concupiscentiam magis inflammant quam puellæ et feminæ sæculares? Nec solum monialibus, sed et sæcularibus personis talis ornatus penitus prohibetur : quia, ut sancti viri vere locuti sunt, vir aut mulier se ornans, hominumque adspectum in se provocans, quamvis nullum malum inde

sequatur, tamen æternum supplicium patietur, quia venenum præbuit, si quis fuisset qui biberet. A

SPONSA. — In his me graviter excessisse fateor ac pœniteo; nec ignoro quantam in talibus habeant vanitatem.

SPONSUS. — Audi, tu, et audiant ceteræ omnes quid sanctus dicat Hieronymus, cujus verba universas moniales concernunt : Imperfectissimus mulierum affectus semper in vestibus vult placere, et semper in ornamentis exterioribus gloriam quærit. Affectant procul dubio ut B oculi virorum ornamenta inspicientes, tandem figantur in faciem, quatenus oculorum suorum nutibus facilius ad libidinosum incendium provocent. Quid, o communis meretrix, in talibus ornamentis et in pulchritudine tua te extollis et gloriaris? (…s. xl, 6; …cli. xiv, I Petr. i,) Quid est omnis caro, nisi fœnum et cinis, atque (ut verius dicam) massa putredinis, cibus vermium et fœtidissimum stercus? O si te ipsam intus inspiceres, vilissima insensataque mulier, quantum verecundareris de corpore tuo, quod C tanto cultu extollis! Heu, cor infelicissimum, mens infortunatissima, quæ non attendit nec meditatur metuendissimum Dei judicium! Et si illud meditatur, fatuissimum est si appetit quidquam de sæculo et pompis ipsius. In illo enim judicio cœlum (…uc. xxi,) pavebit simul cum terra, omnes virtutes cœlorum movebuntur, angeli trement simul cum Sanctis. Tunc singulorum vita discutietur. (Matth. v, 31.) Semper tuba illa terribilis sonet in auribus vestris : Surgite, mortui, venite ad judicium. Ecce rex in manu potenti D veniet exigere rationem ab omnibus, etiam (…d. xii, 36.) de minimis cogitationibus atque de otiosis ac levibus verbis; et si paratæ non fueritis reddere de omnibus rationem, projiciemini in carcerem infernalem, et audietis a Judice (…bid. xxv,) : Ite, maledictæ, in ignem æternum. Si ista digne attendatis, delectabit vos abjectio vestium, cujus tædet mulierculas fatuas, et rusticanus abjectusque pannus præponetur bysso ac purpuræ, et grossa ac rudia velamina existimabuntur ex sericis. Ista decent moniales, non strictis manicis et compositis pannis, subtili velamine velatis superciliis, cor meretricum prætendere aut habere. Histrionibus et lusoribus regum ac principum relinquenda sunt mollia sæculi. Pudeat nomen religionis habere, et cultu vestium se histrionem ostendere. Idcirco, carissimæ, volo vos sæculo mortuas procedere in veste tam incomposita ac deformi, quod si impudicis oculis liceret vos intueri, potius provocaretur risus quam cogitatio mala. Fateor illas mentiri quæ gloriantur aut dicunt se castitatem mentis et corporis conservare, et in vestibus lubricitatem ostendunt.

SPONSA. — Utinam moniales ista adverterent : certe formidarent se cum ornatu mundano viris atque juvenibus demonstrare, et per mundum vagari; et dato quod nihil vanitatis aut carnalitatis esset in corde ipsarum, tamen talia devitarent, ne animas intuentium scandalizarent spiritualiterque necarent.

SPONSUS. — Bene consideras, quum et Apostolus dicat : Nolite conformari huic (Rom. xii, 2.) sæculo; et, Ab omni specie mala abstinete (I Thess. v, 22.) vos; et rursus dicat Scriptura : Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo (I Joann. ii, 15.) sunt. Quod totum implere potissime spectat ad religiosas personas.

SPONSA. — Habetne abbatissa auctoritatem dandi licentiam monialibus ut habeant pecunias aliquas et quædam similia ad proprium usum, ex quibus provideant sibi?

SPONSUS. — Nec Pontifex summus potest monialibus dare licentiam talem ut habeant propria, seu talia sic eis appropriata sicut multæ moniales nunc habent; nec fuit intentio Patrum sanctorum talem proprietatem aut appropriationem et provisionem sui ipsius admittere sicut jam passim admittitur, nec unquam aliquis Patrum sanctorum talia admisit aut modo aliquo admisisset. Quum igitur præcepta superiorum accipienda sint et servanda secundum formalem intentionem ipsorum, constat

quod nec abbas nec abbatissa nec alius A possit talem dispensationem peragere, aut talem licentiam dare contra ea quæ sancti Patres in Regulis suis et aliis libris apertissime et districte prohibuerunt, prout
p.228 A' et s., 233 D et s. hoc in tractatu de Reformatione claustralium plenius est probatum.

ARTICULUS X.

Quam graviter peccent religiosæ personæ obedientiam non servantes.

Sponsus. — Sine obedientia nemo potest B salvari, quoniam unusquisque tenetur suis superioribus obedire in his quæ pertinent ad jurisdictionem et cathedram præsidentiamque illorum. Imo in omni credente tam grave peccatum est inobedientia, ut Samuel propheta veraciter sit locutus :
I Reg. xv, 22, 23. Melior est obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Quod quum ita sit in unoquoque credente, maxime tamen C in religiosis personis, quæ ex solenni voto ad obedientiam præcipue obligantur.

Sponsa. — Ex hoc elicio quam enormiter peccent moniales quæ ex facili causa, et dum aliquid eis ab abbatissa seu priorissa negatur, indignantur, irascuntur, murmurant, detrahunt et rebellizant, et quamvis abbatissa aliqua eis præciperet, ita tamen dispositæ sunt corde, quod non obedirent.

Sponsus. — Tales sunt perversissimæ, et periculosissime stant, imo gravissime pec- D cant, ac juxta auctoritatem prætactam, ariolis atque idololatris comparantur ; sed et furtum, rapinam sacrilegiumque committunt, quoniam voluntatem suam, quam per votum solenne obtulerunt et subjecerunt Deo et abbatissæ, retrahunt et usurpant sibi, ac ea utuntur contra votum suum et contra voluntatem Dei ac vices ejus gerentis.

Sponsa. — O quam metuenda sunt ista ! et quam periculosa ac damnabilis est vita monialium suam professionem non adimplentium, quæ et suæ reformationi pertinaciter obviant et resistunt, aut certe resisterent si eis proponeretur !

Sponsus. — Quemadmodum ex sua professione tenentur esse multo meliores et virtuosiores sæcularibus feminis, ita ex sua perversitate, inobedientia, pertinacia, sunt multo deteriores et obstinatiores quam feminæ sæculares.

ARTICULUS XI.

Exhortatio monialium ad pœnitentiam et reformationem.

Sponsus. — Attendite et videte vocatio- I Cor. I, 26.
nem vestram, o religiosæ personæ ; considerate vestram professionem, o moniales mihi cœlesti Sponso oblatæ et consecratæ. Venire ad monasterium, et assumere ac profiteri sacram religionem, exordium est et via summæ perfectionis ; sed in monasterio irregulariter vivere, intimorate et sæculariter se habere, nec professionem sacram implere, summa damnatio est. Nolite me spernere, hoc est, nolite mihi carnalem sponsum præponere, nolite alienum amatorem admittere, nec terrenum aliquid mihi præferatis. Nonne ego sum singulis et universis creaturis infinite et incomparabiliter melior, amabilior atque suavior, nobilior, pulchrior, sapientior, potentior, ditior, fidelior, et in omni perfectione, felicitate et gloria excellentior ? Quid ergo displicet vobis in me, ita ut me derelicto, vertatis corda vestra ad vana, carnalia et caduca, in quibus non est salus vestra, nec quietatio desiderii vestri, sed deceptio, inquinatio et æternalis damnatio animarum vestrarum ? Cur peculium vestrum præfertis mihi bono immenso, et potius vultis habere pecuniam modicam ac proprium temporale, quam divitias gratiæ meæ, dona Spiritus Sancti, et spiritualem profectum in omni virtute ? Cur propter vanas et viles ac modicas consolationes externas privatis vos ipsas in vita hac omni consolatione mea interna, spirituali,

angelica ac cœlesti, imo perfecta ac sem- A piterna felicitate et gloria ?

O quam infinita est excæcatio et insipientia vestra, quod ita negligitis vestram salutem, quod ista sensibilia et terrena, vana et cito peritura, præfertis vestro Creatori ac Salvatori, et cunctis spiritualibus bonis æternaliter permansuris ; quod non consideratis nec abhorretis neque defletis periculosissimum et vitiosissimum statum in quo estis, in quo vota vestra quotidie violatis, et ad æternam damnationem non solum itis, sed etiam festinatis et curri- B tis, nec solum ad damnationem æternam, sed etiam ad acerbiora et intolerabilissima tormenta inferni ! Certe, quanto in vita hac vestram emendationem patientius ac longanimius præstolor, quanto nunc benignius ac frequentius vos exhortor, tanto post vitam istam brevissimam acrius vos torquebo, et intolerabilius vos æternaliter condemnabo, nisi adimpleveritis vota vestra, et digne Deo vixeritis juxta exigentiam vestræ vocationis et professionis, de
ıtth. III, præteritis quoque excessibus vestris di- C gnos pœnitentiæ fructus feceritis. Quare differtis converti et reformari, pœnitere
id. xxv, et satisfacere Deo, quum ignoratis diem et horam ? Aperite oculos cordis vestri, et considerate magnitudinem ac multitudinem culparum vestrarum, et intolerabilia inferorum supplicia, quæ indesinenter appropinquant ac imminent vobis, imo et quæ quotidie ineffabiliter vobis augetis : quæ omnia ego cognoscens ac pensans, condoleo vobis. Ideo vos tam clementis-
Tim. II, sime modo exhortor et obsecro ut resi- D piscatis a laqueis inimici, a captivitate diaboli, a servitute peccati, quibus juxta voluntatem dæmonum estis circumdatæ, vinctæ, oppressæ et obtenebratæ.

Quid vobis cum hoc mundo immundo, quem corporaliter reliquistis sacram religionem intrando, spiritualiter quoque relinquere promisistis per solennem professionem, vos obligando ad regulæ vestræ observationem, ad virtuosam et vere religiosam conversationem, ad fidelitatem ac puritatem cœlesti Sponso inviolabiliter observandam ? Quid vobis cum hoc sæculo nequam, in quo quidquid est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ tria vovistis abnegare, vitare, abjicere, per vota castitatis, paupertatis et obedientiæ ? Libenter ergo amore mei perseverate in claustro, ubi me melius, jucundius ac salubrius invenire potestis. Nolite cum curiosa et fatua Dina exire ad videndum sæculares personas : alioqui corrumpemini mente, et forsitan etiam corpore. Nolite temporalia bona claustri indigne consumere ; sed tam juste et sancte vivatis, ut dignæ sitis ea in usum vestrum communem vertere, efficaciterque orare pro illis qui ea claustro dederunt pro sobria sustentatione personarum religiose regulariterque viventium, quatenus orent pro ipsis : alioqui cum sceleratissimis furibus injustissimisque raptoribus æterna inferorum acerbissima recipietis incendia et tormenta gravissima, tanquam abutentes spiritualibus bonis. Cessate ab insipientia vestra. Cur corpora vestra mortalia, sordibus et fœtoribus plena, curiose vestitis et vitiose ornatis, et immortales ac nobiles animas vestras negligitis atque turpissime maculatis, quæ promisistis vos placitas exhibere Sponso cœlesti, qui interiorem ornatum gratiæ ac virtutum sanctorumque operum requirit a vobis ?

I Joann. II, 16.

Gen. XXXIV, 1.

Nunc ergo acquiescite his exhortationibus meis, et quæ mihi promisistis implete. Invocate auxilium gratiæ meæ, et libenter ac copiose vobis succurram. Adhærete et servite mihi fideliter ut vovistis, et post modicum istum laborem dabo vobis coronam vitæ beatæ, et conjungam vos mihi in nuptiis gloriæ æternalis per beatificam vultus mei visionem, per suavissimam deitatis meæ fruitionem, per plenissimam desideriorum vestrorum quietationem et contentationem immobilem. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS DIALOGI DE REFORMATIONE MONIALIUM.

DE VITA ET FINE SOLITARII
LIBRI DUO

DE VITA
ET FINE SOLITARII
LIBER PRIMUS[1]

PROŒMIUM.

s. LXVI, 2. SUPER *quem requiescet spiritus meus,*
ait Deus benedictus, *nisi super hu-*
milem et quietum, et trementem sermo-
nes meos ?
acob. IV, 6. Deus quippe superbis resistit, humili-
s. LXXV, 3. bus autem gratiam præstat. Denique in
pace factus est locus ejus. Pax vero quies
est mentis atque tranquillitas : ideoque
quietam tranquillamque mentem inhabita-
re incircumscriptibili complacuit Deo. Por-
ro beata mens nimiumque felix animus B
cujus tu intima, o bone Jesu, inhabitas.
Sed unde, o rex Messias, o altissime Chri-
oann. I, 18. ste, hoc nobis, ut tu, Unigenite Dei, qui
es in sinu Patris, imo qui in corde item-
que in luce paterni intellectus æternali-
ter incommutabiliterque tanquam gignenti
consubstantiale germen subsistis, ad nos
quoque descendere atque in cordibus no-
stris manere digneris ? Fatemur tibi, Re-
demptor, Domine cœli et terræ, quoniam
Tit. III, 5. non utique ex operibus justitiæ nostræ
Ps. LXXXV, hoc efficis ; sed quoniam tu, Domine, C
s. CXXV, 3. suavis et mitis, propterea magnificasti fa-
s. XXX, 20. cere nobiscum. Enimvero quam magna
multitudo dulcedinis tuæ, Domine ! Ne-
dum enim, o altissime ac superexaltate
Princeps, ad homines venire non horres,

A quin et deliciæ tuæ esse cum filiis ho- Prov. VIII, 31.
minum. Stas namque ad ostium et pulsas, Apoc. III, 20.
quatenus ad aperientem ingrediens, cum
eo cœnes atque quiescas. Præterea, pro- Ephes. II, 4.
pter nimiam caritatem qua dilexisti nos,
descendisti ex fonte summæ mentis usque
in medium dulcissimi virgineique ventris.
Et post hæc in terris visus es, et cum ho- Baruch III, 38.
minibus conversatus. Quid est, o Domi-
nator æterne, quem laudant astra matu- Job XXXVIII, 7.
tina, et jubilant omnes filii Dei, in cujus Ibid. XV, 15.
adspectu nec cœli mundi sunt, cœlorum- Ibid. XXVI, 11.
que columnæ contremiscunt : quid, in- Ps. VIII, 5.
quam, quid utique est homo, quia visitas
eum, quia magnificas eum, quia sic zelas Job VII, 17.
ejus salutem ? Non nobis, Domine, non Ps CXIII, 1, sec. Hebr.
nobis, sed nomini tuo da gloriam. Nunc
equidem, o omnipotens mundanæ moli-
tionis opifex, vere clareque cerno quia
non propter nos nostrave merita hæc no-
bis impendis : quippe qui propter temet- Prov. XVI, 4.
ipsum omnia condidisti ; qui cunctis af- Jacob. I, 5.
fluenter gratisque tribuis, et ob te solum Is. XLIII, 25.
scelera nostra deles. Tu nempe, o sancte
et adorande præceptor, naturaliter et item
independenter bonus es. Estque ipsa tua
supersimplex supersplendensque essentia,
bonitas pura, incircumscripta atque sim-
pliciter quomodolibet perfecta. Et scimus
quia omne bonum sui utique diffusivum

[1] Ex editionibus Coloniæ, Joannis Soteris, 1532, et Joannis Birckmanni Junioris, 1559.

est. At vero, quod melius, sui amplius A communicativum censetur. Tu autem, Deus Sabaoth, præstantissima omnisque penitus invidiæ expers bonitas rite laudaris. Ideoque non igni tam naturale est incendere, nec fonti rivos effluere, nec soli huic sensibili diurnum jubar emittere, ut tibi, Domine Deus virtutum, Deus Israel, divitias gloriæ tuæ communicare, gratiam emanare, clementiæ opem præbere, et ut ad omne dicam, misereri semper et parcere. Denique evidens hujus signum ipsa est desperationis detestatio, quam tu, o B benignissime Deus, eatenus odis, ut eam nunquam ignoscas. O infelicem, ignobilem sceleratamque animam quæ te, o dulcis amabilisque Jesu, excluso atque contempto, facta est habitatio dæmoniorum, domicilium peccatorum, vilium et fœtentium rerum amatrix, et propriarum demum passionum servitrix! Etenim, quum in honore esset, non intellexit; comparata est jumentis insipientibus, et similis facta est illis. *Ps.* XLVIII, 13, 21.

Sæpe, mi carissime frater Jacobe, ali- C quid tibi a me scribi rogasti : quod jam optatam denuo sortitus quietem, lætanter (ut quivi) effeci. Porro opportunitatem adeptus, quod diu aggredi concupivi, nunc orsus sum.

ARTICULUS PRIMUS.

De quo præsens intendat editio, et præsumptionis insuper excusatio.

QUEMADMODUM decimo de Trinitate Augustinus induxit, quæ prorsus igno- D ta sunt, nec amari nec appeti queunt. Nil enim voluntas desiderat, nisi quod ei intellectus repræsentat. Denique quod nec amamus neque concupiscimus, non utique sortiri molimur, nec adipisci contingit. Ideoque de vita ac fine solitarii, utputa quemadmodum ei vivendum sit, et item ad quid cuncta sua exercitia ordinare referreque debeat, pro viribus profari, magis autem scrutari, conabor. Enimvero nunquam utique solitariæ mansionis finem conquires, si vel finalem veramque conversationis hujus perfectionem, aut certe media pertingendi ad eam, ignores. Ei enim qui proficiscitur quo nescit, itineris labor anxius, fructus nullus exsistit.

Sed mox nescio quis adversum me fortassis murmurabit atque objiciet : Cur, inquiens, quod vires tuas eatenus transvolat, tam inconsulte attentas? Siquidem de hac re conscribere, non utique quorumlibet, sed illustrissimorum dumtaxat atque in omni perfectione fixorum opus est. Denique, quemadmodum mysticam theologiam, sic solitariam vitam, nemo utique, non dicam docere, sed nec intelligere valet, nisi qui accepit et sapuit, expertus est atque exercuit. Itaque, quo utique pacto qui solitariæ vitæ nedum fastigia, sed nec vera quidem primordia hactenus apprehendisti, de hac ipsa perfectione docere tractareque satagis? Enimvero non jam a doctrina, sed ab opere ordiri par est. Cœpit (ait Lucas) Jesus. Quid utique? Facere, inquit, demum autem docere. Præterea, ut Hieronymus asserit, monachi præsertimque solitarii opus, non docere, magis vero lugere censetur. — Fateor, respondere non possem, si hæc docendi mente congrederer. Porro, si (ut est) ob id potius hæc edo, ut me in primis interim fructuose jucundeque occupans, exhortans atque erudiens, tuo una desiderio satisfacere queam, non cerno cur reprehendi oporteat. Verumtamen, ut Cicero consulit, a pio itemque discreto corrigi non dedignor. Sed sunt qui quod aut non intelligunt, aut nondum legerunt, irridere atque contemnere, quam venerare et discere, paratiores sunt, prius quis fecerit sciscitantes, quam quid fecerit explorantes. *Act.* I, 1.

ARTICULUS II.

Quod pura et excellentissima divinæ vitæ imitatio sit finis vitæ solitarii.

SANCTI *qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ.* Quoniam quidem creaturæ per- *Is.* XL, 31.

fectio in hoc sita est, ut Creatori pro viribus conformetur (omnia enim aliquam divinæ perfectionis participationem, ut Dionysius ait, sortita sunt; perficiuntur autem eo amplius, quo assimilatio hæc ad Deum vehementiorem fuerit intensionem adepta), hinc, reor, elucescit quoniam rationalis quoque mentis perfectio in conformatione ipsius ad increatam æternamque mentem locanda sit. Ideoque per Moysen Deus sublimis et felix : Estote (ait) sancti, quia ego sanctus sum. Et denique Unigenitus Dei nos orsus affari : Estote (inquit) perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. O vere benignus et essentialiter bonus Dominus! nedum enim dignatur, sed jubet insuper ut ipsi similes simus. Ineffabilis certe dignatio, quia superexaltatus incircumscriptibilisque universorum conditor, rector et princeps, creaturæ suæ similis esse et dici non despicit.

(De Divin. nom. c. I. — Lev. XI, 44. — Matth. V, 48.)

Porro, quemadmodum id ipsum inenarrabilis fore Creatorem dignationis demonstrat, sic indicibilem æque generositatem idem ipsum nobis affert atque impertit. Utinam propriam congeneamque, o homo, nobilitatem agnoscas. Non enim Deus, Dominus et plastes tuus te divitem aut famosum, potentem sive longævum, aut talem quales sunt qui secundum fallacissimam mundi hujus censuram magni effantur, esse jussit, sed sibi te conformari, uniri, approximare præcepit. Nempe quo ipse major atque præstantior, eo id tibi gloriosius (si tamen intelligis) exstat. Sed, heu! homo quum in honore consistat, non sapit, fitque tanquam equus et mulus, quibus non est intellectus. Ideoque Dominus : Assimilavi (ait) te, et non cognovisti me. Et nunc, filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? Redite, quæso, prævaricatores, ad cor; intelligite hæc, qui obliviscimini Deum, nequando rapiat, et arguat, et statuat vos contra faciem vestram, nec sit qui eripiat.

(Ps. XLVIII, 13. — Ps. XXXI, 9. — Is. XLV, 4. — Ps. IV, 3. — Is. XLVI, 8. — Ps. XLIX, 22, 21.)

Innotescit denique (opinor) ex his, quoniam quo supersingulari solique Deo solitarius vicinior est, itemque conformior, eo præclariorem ipsius imitationem sortitur. Est autem proximus Deo; sin autem, in vanum utique ab omnibus loco se segregat, si non vitam quoque pariformiter a cunctis elonget, eamque liberiorem ac sinceriorem possideat. Igitur vere solitarii hæc altissima atque finalis vitæ perhibetur perfectio, quatenus pure et (uti nomen ejus locusque insinuant) excellentissime assimiletur Deo adorando et sancto.

ARTICULUS III.

De vita primi universitatis principii, Dei utique incommutabilis simpliciterque perfecti.

SICUT Deus *Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso*. Porro Deus Spiritus est, et scimus quoniam immortalis et invisibilis : nempe solus puram atque omnimodam immortalitatem habet. Et Deum nemo vidit unquam, quippe qui de se ipso ad Moysen : Non videbit me (inquit) homo et vivet. Deus ergo Spiritus est, mens seu intellectus. Denique, actio vitaque mentis, contemplatio dilectioque censentur. Divinæ igitur et increatæ mentis vita, ipsa est contemplatio qua Deus excelsus se propriamque naturam (quæ supersubstantialis, fontana et item exemplaris universæ veritatis veritas est) invariabiliter atque in ipso æternitatis momento perfectissime comprehendit, et ipsa demum dilectio qua illam suam immensam supersplendentemque bonitatem æternaliter complectitur et amat. Enimvero, quum sit gaudium diffusio animi in conceptione boni, quemadmodum divina essentia purissima est atque plenissima veritas, et infinita quoque, superpulchra incomparandaque bonitas, sic in ipsius utique speculatione, illa præsertim qua eam divinus intellectus intuetur et diligit, incomprehensibilis et immensa, plena itemque perfecta consi-

(Joann. V, 26. — Ibid. IV, 24. — I Tim. I, 17; VI, 16. — Joann. I, 18. — Exod. XXXIII, 20.)

stit lætitia. Ideoque, quemadmodum Aristoteles quoque in Ethicis ait, Deus gloriosus voluptuosissimam ac felicissimam vitam ducit. Nec inepte Rex gloriæ dicitur : eum namque omnis decet honor et gloria, quippe a quo bona cuncta procedunt atque dependent. A

Ps. xxiii, 7, 10. 1 Tim. i, 17.

Adhuc autem hæc primi entis divinique animi vita purissima est atque liberrima : quippe cui contrarii aut alieni nil penitus commiscetur, et quæ præterea ab alio non dependet neque alterius eget. Ipsa siquidem simplicissima est, prima, et sibi per B se, in se et ex se omnino sufficiens. Ideoque Psalmographus : Dixi (inquit) Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Et Deus ipse : Ego sum (ait) Dominus, et gloriam meam alteri non dabo. Nonne etenim manus ejus fecit hæc omnia ?

Ps. xv, 2. Is. xlii, 8. Ibid. lxvi, 2.

At vero vita hæc summæ rationis nobilissima est atque sanctissima. Nobile enim est quod a dignitate principiorum suorum nusquam degenerat. Quumque divini intellectus actio ei convenientissima conna- C turalissimaque sit, quippe quæ impediri nequit et ex propriis profluit ; lucet (ni fallor) quoniam et nobilissima exstat. Præterea, sanctum, ut Dionysius ait, mundum est, immaculatum et virtuosum. Quum igitur Deus superexaltatus non utique aliud sit quam lux incommixta, interminabilis ac indicibiliter simplex, palam quoniam vita ejus sanctissima est, vita certe cuncta sanctificans, puritatis origo, et luminis radix.

De Divin. nom. c. xii.

Enimvero hæc jam nunc inducta vita, D toti sanctæ summæque Trinitati et singulis quoque ejus hypostasibus communis est. Unde alia insuper viventi adorandæque Divinitati actio est, non utique sic communis, sed aut singulis aut quibusdam increatis Personis specialis ac propria. Ipsa est emanatio illa ad intra, qua a Patre Filius, et ab utroque diffunditur Spiritus Sanctus. Verumtamen ne præsentem articulum nimis prolongem, de hac Dei vita in sequenti articulo altius ordiri par est.

ARTICULUS IV.

De emanatione divinarum Personarum ad intra.

NUMQUID *ego qui alios parere facio, ipse non pariam ? dicit Dominus. Si ego qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero ? ait Dominus Deus.* Paulo ante (si rite memini) communicabilitatis ratio et fecunditatis origo, bonitas appellata est : ideoque, si Dei summi et veri bonitas pura immensaque est, constat utique quia infinita quoque fecunditas ei conveniat. Porro fecunditas hæc se continere, et item in se sterilis remanere, non valet. In tribus namque, quemadmodum Plato disseruit, est unumquodque ad operandum idoneum : in scire, posse et velle. Quoniamquidem itaque Dei scientia inobtenebrata est, clara atque certissima, potentia vero omnipotens et non impedita, voluntas autem mere bona et ab omni longe distans invidia ; palam (ni fallor) nil prorsus obstare quin immensa illa divinæ naturæ fecunditas in proportionale sibi germen procedat. Denique, quum creata omnis essentia necessario finita sit, utpote in numero et pondere et mensura consistens, infinitæ Dei communicabilitati proportionari correspondereque nequit. Propterea, præter eam emanationem qua a Deo benedicto creaturæ fluxerunt, est in divinis interior quædam processio, qua ab infinito infinitum procedit. Porro emanatio ad intra in divinis non aliter quam per intellectum itemque voluntatem esse potest. Operatio autem intellectus est cognoscere ; voluntatis vero, diligere. Denique cognoscens, ipso suo cognitivo actu internum intellectualeque verbum de cognito format. Itaque, secundum christianæ traditionem theoriæ, est in Deo intellectualis generatio.

Is. lxvi, 9. in Procemio. Sap. xi, 21.

Ut enim quintodecimo de Trinitate Augustinus edisserit, Pater tanquam se ipsum dicens atque intelligens, genuit Verbum sibi æquale et coæternum. Non enim se

ipsum plene ac perfecte dixisset, si vel minus aut amplius esset in ejus Verbo quam in se ipso. Enimvero divina natura plurificari propter ipsam suam supereminentem et omnino plenam perfectionem non valet : una ergo in utroque essentia perseverat. Unde quinto de Trinitate Hilarius : Ex Deo, inquit, Deus est, ex virtute naturæ in eamdem naturam nativitate subsistit Filius. Et denuo septimo de Trinitate : Per nativitatem, ait, viventis naturæ ex natura viventi, per effluxum vivi ex vivo, dum res in natura non differt, naturam Dei nativitas non degenerat.

Hoc paternæ mentis Verbum, Dei Patris Unigenitus est, quoniam intellectus operatio in similitudine perficitur atque consistit. Denique, quum in Filio quidquid Patris est plenissime splendeat, rite utique Filius invisibilis appellatur Patris imago, splendor paternæ gloriæ et candor lucis æternæ. Hinc nempe Filius : Omnia (inquit) quæ habet Pater, mea sunt.

Coloss. I, 15. Hebr. I, 3. Sap. VII, 26. Joann. XVI, 15.

Amplius autem, videns Pater Filium, Patremque Filius, mutuo sibi complacent, atque in se invicem gaudent. Et ex hoc ab utroque amor quidam emanat, qui mutuæ Patris et Filii dilectionis suavissimus nexus est, insolubile vinculum, plena communio et tranquillitas summa. Fateor, Damascenum laudo et diligo ; sed in hoc nec laudo nec diligo quod ait : Spiritus Sanctus, Patris Spiritus est, et procedit a Patre ; Filii quoque Spiritus est, sed non procedit a Filio. Et rursus : Procedit, inquit, a Patre et quiescit in Filio. Miror quid utique tibi, o magne theologe, sic loqui convenit. Hoc nempe asserens, nedum a Romana Ecclesia et sanctis Latinorum Doctoribus, sed ab excellentissimis demum sanctissimisque Græcorum Doctoribus recessisti : Athanasium, Chrysostomum, Cyrillum et Didymum loquor. Hi quippe concorditer Spiritum Sanctum ab utroque procedere fatentur.

At vero operationes istæ divinæ, vel quæ active vel passive designantur in Deo, a præinductis actionibus, quæ absolute de Deo dicuntur, distinctæ sunt, sed modaliter, non realiter. Non enim aliud censenda est paterna generatio quam divina cognitio, neque rursus aliud perhibenda activa spiratio quam divina dilectio : quemadmodum quoque sapientia genita et sapientia vel gignens vel ingenita, una in Deo substantialiter sapientia, quæ est divina essentia, exstant. Rursusque amor spiratus et amor spirans, unus in Deo amor sunt, quæ est divina natura. Deus enim absolute et amor est et sapientia, denique et Trinitas summa amor est et sapientia. Nec tamen in Deo gignens est genitum, vel spirans spiratum ; neque Sapientia genita est Sapientia gignens, quemadmodum nec Pater est Filius : et tamen et Pater et Filius, et tota insuper Trinitas, una essentia sunt, una virtus, unus intellectus, una voluntas.

art. præced.

ARTICULUS V.

De imitativa illa assimilatione qua divinæ vitæ assimilatur vita humana, præsertim vero solitarii vita.

CREAVIT Dominus *Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam*. Fecit nempe Deus sanctus hominem ab initio rectum, quippe cui originalem concreavit justitiam. Lividi autem machinatione diaboli, Trinitatis homini indita ac impressa imago deformata est. Enimvero originalis homini connata protoplasto justitia, perfecta erat subjectio inferiorum animæ virium sub summa ejus virtute, ut videlicet sensualitas rationi, et voluntati rationali sensitivus appetitus, prompte parerent, neque rebelles usquequaque exsisterent : quo stante ordine, nec caro concupisceret adversus spiritum, nec opprimeret terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Nunc autem, prævaricante Protoplasto, rectissimus ille ordo subversus est. Sunt namque divinæ ratio censuræ, divinæ legi voluntas et rationi ipsi

Gen. I, 27. Eccle. VII, 30. Galat. V, 17. Sap. IX, 15.

ac rationali appetitui sensus et item sensualis appetitus rebelles effecti. Hinc insuper non jam dumtaxat corpus quod corrumpitur aggravat animam, sed et grave, heu! jugum super filios Adæ inductum est : quoniam quidem corpus ipsum, quod immortale fuisset, infirmitati, pœnæ, miseriis atque ad extremum mortis necessitudini obligatum efficitur. Emisit quoque atque ejecit Deus justus Adam et Evam, et in ipsis omnem ipsorum posteritatem ac sobolem, de paradiso voluptatis, ut operarentur terram de qua sumpti sunt ; et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim et flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.

Sap. IX, 15. — *Eccli.* XL, 1. — *Gen.* III, 23, 24. — A — B

Denique, uti non transgrediente primo parente in posteros fuisset transfusa originalis justitia, sic modo vice versa originalis cum semine transfunditur culpa, et facti sumus natura filii iræ, qui eramus gratia filii gloriæ ; sed et prius sumus peccato obnoxii quam geniti, prius damnati quam nati. Hæc igitur vera est nostra felicitas, summa perfectio ac ultimus finis, divinæ nobis concreatæ imaginis reformatio plena atque perfecta.

Ephes. II, 3. — C

Porro, quemadmodum in tribus animæ viribus, memoria videlicet, intellectu et voluntate, Trinitatis in nobis consistit imago ; sic in triformi æque mentis decore, contemplatione scilicet, dilectione et stabilitate, hæc ipsa divinæ imaginis reformatio sita est. Etenim hunc reformationis hujus sortitus decorem, divinæ videlicet assimilationem vitæ adeptus est. Hæc est igitur deiformis vita, et sicut Dionysius ait, deificatio nostra, ut sit mens divinorum speculationi sinceræ intenta, voluntas eorumdem ardore ignita, atque in his memoria stabilita et firma. Hæc perfectio sublimis est, neque repente neque faciliter adipiscibilis possidendaque exstat : ab imo siquidem usque in summum scandere, non subito nec sine labore contingit. Sed de his in sequentibus plenius disserendum est.

D — De Cœlest. hier. c. I; de Eccl. hier. c. II, III; de Divin. nom. c. II, VIII, IX.

ARTICULUS VI.

Quid cum ceteris fidelibus commune habeat solitarius.

Si *vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Hoc universis dictum agnoscimus : nempe absque mandatorum observantia nemini salus reponitur. Denique, consilia his dumtaxat traduntur qui singulare aliquod sanctimoniæ culmen adipisci festinant. Quoniamquidem ergo mandata, non consilia, de necessitate salutis censentur, ad omnium adimpletionem præceptorum singuli obligati sunt. Porro consiliorum observatio nemini in toto indicitur, nec cuiquam omnium suadetur consiliorum assumptio. Non enim eidem statui cuncta competere queunt : quibusdam namque injungitur sanctæ prædicationis officium, aliquibus vero secretioris vitæ arcanum exercitium. Unde secundum multiplices atque diversos perfectionum gradus, varia perhibentur consilia ; et qui deiformiorem sibi eligit vitam, altiora oportet assumat consilia. Enimvero in domo Patris cœlestis mansiones multæ sunt, quemadmodum et electorum multifarii status.

Matth. XIX, 17. — *Joann.* XIV, 2.

Sunt autem consilia quædam singulis qui religiosam monachalemque vitam profitentur communia. Hæc vero illa sunt quæ tribus correspondent virtutibus quæ de uniuscujusque religionis ac Ordinis integritate consistunt : paupertatem, castitatem et obedientiam loquor. Nempe virtutes hæ sic de religionis essentia sunt, ut sine eis Ordo utique nullus subsistat.

Præterea consilia ista tria sunt : unum quod exteriora ac temporalia bona relinquenda suadet, ut est : Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus. Et in hoc certe consilio fulcitur paupertas. Porro aliud carnales libidines et concupiscentias passionesque carnis spernendas inducit, quemadmodum Dominus : Qui non odit (inquit) patrem et matrem, et fratres et sorores, et uxorem et filios, non potest meus esse disci-

Matth. XIX, 21. — *Luc.* XIV, 26.

pulus. Hæc equidem nobis quodammodo conjuncta sunt, et tanquam unum nobiscum exsistunt, et ad carnis demum concupiscentias potissime pertinent. Et in consilio isto castitas ipsa consulitur. Sunt insuper plura in Evangelio sacro ad hoc consilium ordinata. Denique tertium consilium sui ipsius plenam atque omnimodam abnegationem requirit, ut propria quoque libertas propter Dei amorem deseratur. Unde Unigenitus Dei : Qui vult (ait) venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie. *Luc.* IX, 23.

Denique, his tribus virtutibus atque consiliis tres quoque abrenuntiationes correspondent : prima quippe divitiarum est ac exteriorum bonorum ; secunda, propriarum concupiscentiarum et passionum inordinatarum ; tertia proinde, voluntatis propriæ spontanea ac pura abjectio, et omnibus omniumque desideriis spretis, uni summo bono vera inhæsio.

Hæc tria nostræ quoque professioni ac Ordini cum aliorum religionibus communia censentur ; sed in modo diversitas est. Sunt equidem quorum paupertas nostram paupertatem transcendit : quippe qui nec in communi quidem propria possident. Verumtamen in castitatis splendore (quæ dum perfecta est, nedum carnalem copulam, sed omnem quoque carnis affectum, et propter tutelam, carnis quoque convictum atque conspectum depellit), solitariorum videtur præpollere professio.

ARTICULUS VII.

Quid singulare habeat solitariorum intentio atque professio.

Thren. III, 28. SEDEBIT *solitarius et tacebit, quia levabit se super se.* Denique, ne timoris atque superbiæ intelligatur elevatio illa : Ponet (inquit) in pulvere os suum, si forte sit spes. *Ibid.* 29. Si prædeterminatorum memineris, innotescit utique quia humanæ mentis et omnis demum creati intellectus vera ac summa perfectio, aliud prorsus non est quam divinæ imitatio vitæ et similitudo cum increata æternaque mente. Verumtamen imitatio ista varia est, atque secundum diversos status, professiones et ordines, multiformis et distans. Etenim qui minor est in regno cœlorum, id est infimus angelorum, major est illo, id est Joanne Baptista, imo et quolibet viatore. *Matth.* XI, 11. In quo id nobis Christus insinuat, non posse præsentis vitæ statum, quantumcumque perfectum, statui gloriæ esse æqualem. Ut enim Dionysius ait, supremum inferioris ordinis cum infimo ordinis superioris magnam quamdam convenientiam habet, non tamen illud attingit. *de Divin. nom. c.* VII.

Præterea, aliter assimilationem hanc deiformem intendit qui præceptis contentus est, aliterque qui insuper consilia suscipit atque adimplet. Et denuo diversi Ordines secundum varium atque multiplicem institutionum suarum tenorem statutorumque observantiam, nunc effatam Dei similitudinem multiformiter sortiri concupiunt. Nempe qui eam plenius itemque sincerius adipisci desiderant, haud dubium quin plus arduum propositum Ordinemque districtiorem introeant. Elucescit itaque, quoniam uti solitariorum institutio districtissima est, sic utique singularissimam divinæ perfectionis prætendit imaginem.

Enimvero statuta seu regulæ Ordinum media sunt ad veram atque præintentam Ordinis perfectionem ac finem. Itaque, quo media hæc ea quæ ad deificatam vitam conferunt, plenius complectuntur, et item illa quæ deiformis conversationis impeditiva sunt, vehementius tollunt, eo utique præstantiora censentur, et ad diviniorem perfectionem præclarius deducunt. Talia autem (ni fallor) sunt solitariorum Cartusiensiumque statuta. Nempe quid utique eatenus a jugi ac perenni divinorum contuitu, ut cum hominibus convictus ac circa multa cordis distentio, mentem elongat et distrahit ? Porro quid sic præteritorum itemque sæcularium ac temporalium rerum oblivionem inducit quemadmodum solitudo ? Eo namque liberius atque stabilius uni

intendimus, quo longius a multis disjungimur; solitudo autem maxime a cunctis elongat : ideoque ad puram et diuturnam Divinitatis speculationem potissime confert.

art. v. Propterea, in præostensis, non utique qualiscumque, sed pura et excellentissima divinæ imitatio vitæ, solitariorum finis ac scopus appellata est : quatenus præteritorum ac sæcularium mens ipsa oblita, et a curis expers atque inutili formidine tuta, tranquillo securoque animo divinis inhæreat, ipsisque fixa et (ut fas est atque B possibile) jugi et incessabili conversione intendat, quatenus cum Sancto dicere possit : *Is.* xxvi, 9. Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritus meus in præcordiis meis sitivit in te; *Ibid.* 8. rursusque : Nomen tuum et memoriale tuum, Domine, in desiderio animæ. *Exod.* xxxiii, 13. Dicatque cum Moyse Deo : Si inveni gratiam coram te, ostende mihi faciem tuam; *Cant.* i, 3. itemque cum Sponsa : Trahe me post te; *Ps.* lxxii, 28. et cum Psalmographo : Mihi autem adhærere Deo bonum est.

ARTICULUS VIII.

De nexu et ordine abrenuntiationis trifariæ.

Rom. xiii, 1. QUÆ *autem a Deo sunt, ordinata sunt.* Porro in subordinatis, ut Dionysius ait, De Cœlest. hier. c. xiii; de Eccl. hier. c. v; de Divin. nom. c. iv. semper ex bonitate superioris omnis dependet inferioris virtus et bonitas : quemadmodum et sine spiritu caro nihil prodest, *Joann.* vi, 64. et sine caritate fides atque scientia inanes sunt. *I Cor.* xiii, 2.

art. vi. Paulo ante triformem fore abrenuntiationem fatebar : primam exteriorum temporaliumque bonorum, dum videlicet cuncta illa pro Christo lucrando ut stercora arbitramur. *Philipp.* iii, 8. Denique secunda, earum quæ in nobis sunt concupiscentiarum et vitiorum, nobisque carnis propinquitate junctorum, abscisio est : quum scilicet juxta propheticum apostolicumque mandatum, abstinemus a carnalibus desideriis, quæ militant adversus spiritum, *I Petr.* ii, 11. et secundum A divini David consilium, obliviscimur populi nostri et domus patris nostri. *Ps.* xliv, 11. Præterea tertia, propriæ libertatis atque sui ipsius mera puraque relictio definitur. Hujus abrenuntiationis tripartitæ nexus, habitudo et ordo tantus talisque consistit, ut in profitentibus eam, sine secunda nil conferat prima, atque sine tertia nec prima neque secunda, sed nec simul ambæ, quidpiam prosint. De hoc illustrissimi patres nostri Joannes Cassianus et Eusebius Emisenus venusto sermone atque præclaro *Cf.* t. XXVII, p. 166 A' et s. B nimis eulogio effati sunt.

Certissime noveris, o monachalis vitæ professor eremiticæque institutionis amator, nil utique tibi patrocinari agros pecuniasque sprevisse, si non gulæ atque superbiæ et omnis demum circa transitoria affectionis superfluæ motum impetumque contemnis, si non passionum inordinationem coerces, et sensuales quosque appetitus rationis censuræ subjicere studes. Denique, nec exteriora sprevisse, et carnis quoque passionumque incursus frenasse, C inclytum atque sufficiens reputes, nisi intellectum insuper mentisque affectum, per fidei sinceræ constantiam et item amorosam divinorum contemplationem, divinæ voluntati et sapientiæ increati animi subdere satagas.

At vero, quid penitus expedit immobilia itemque mobilia bona jecisse, si eorumdem denuo vili ac immoderato affectu animum coinquinari non pudeat? Et rursus, quid magna multaque odisse inducit, dum parvorum atque paucorum appetitu D vincĭmur atque vincīmur? Enimvero cuncta pro Christo sponte contempsimus, et tamen, heu! sic modicis, curiosis superfluisque rebus colligamur atque immergimur, ut antequam eas relinquamus, et nobis et proximo detrimentum dispendiumque afferamus salutis, prius scandalizemur et scandalizemus, prius pacem puritatemque animi, cujus cuncta sunt agenda intuitu, in propriis fratrumque mentibus et turbari et exstingui sinamus. Miserabilis prorsus eventus et dispositio

misera. Nempe amplius utique confert, cum paucorum minimorumque contemptu bonorum omnem una temporalium affectionem odisse, quam plurima atque immensa fugisse, et minimis nihilo minus vitiose immergi indiscreteque affici.

Fateor, mi dilecte, et proh dolor! quia fateri oportet imperfectum nostrum. Siquidem sic ubertim concessis atque in cellis nostris exsistentibus et ipsis præterea cellis abutimur, ut petentibus vix ea accommodare dignemur, interdumque prælato vehementer (quod dicere pudor est) irascamur, si horum quidpiam auferat aut auferri permittat. Non est utique mens talis ab omni prorsus proprietate sincere expers veraciterque immunis.

's. xciv, 8, Et nunc, fratres, hodie si vocem istam audieritis, nolite obdurare corda vestra, Cor. x, 5. quemadmodum patres nostri qui prostrati sunt in deserto. Et cur utique prostrati ct. vii, 39. sunt, nisi quia corde redierunt in Ægy'xod. xvi, ptum, et quoniam ollas carnium esurie- um. xxi, 5. runt, dicentes, Anima nostra nauseat super Exod. xii, 6. cibo isto levissimo; et quia sederunt manducare et bibere, et surrexerunt ludere, et bid. xvi, et seq.; quoniam murmuraverunt adversus Domi- um. xvi, 1 seq. num et Moysen servum ejus, et quia non s. lxxvii, crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus, et diffidebant vero fidelique Exod. xii, 1-6. Deo, et quoniam adoraverunt vitulum au- 'um. xxv, reum atque conflatilem, et quia fornicati Cor. x, 11. sunt cum filiabus Madian? Hæc omnia in figura contingebant eis, scriptaque sunt propter eruditionem nostram, ne communicemus operibus ipsorum iniquis.

Enimvero quos religionis tædet, qui vel animo tantum, aut certe corporaliter quoque apostatant: nonne ingratissimæ illi plebi, quæ post tam ineffabilia Dei dona tamque stupenda portenta, in Ægyptum denuo remeare cupivit, similes censendi sunt? nisi quod illis insuper deteriores exsistunt, quippe qui non jam de Pharaonica sed diabolica servitute educti, ad terram non typicam ac temporalem, sed veram atque æternam vocati sunt. Denique, qui pristinas alimoniarum amant de- A licias, quibus vel cellicus vel cœlicus panis levis est, et item contemptibilis: nonne populo illi carnium desiderio flagranti atque dicenti, Bene nobis erat in Ægypto, dum sedebamus supra ollas carnium, et comedebamus panem in saturitate, conformes veraciter perhibentur? *Num.* xi, 18; *Exod.* xvi, 3. At vero, dum cibo potuque repleti, ad vaniloquos provolvimur sermones, ad detractiones, ad contentiones: nonne ad instar infidæ gentis consurgimus ludere?

Porro, dum rebelles sumus, et inobe- B dienter profamur indignanterque agimus, contra Dominum ejus quoque vicarium prælatum murmuramus, hoc vere gravissimum exstat. Nempe, ut Augustinus disseruit, nullo peccato eatenus quemadmodum murmuratione plebs illa Hebræa Deum offendit. Et scimus quoniam quasi peccatum ariolandi sit, repugnare, et tanquam scelus idololatriæ, nolle acquiescere. I *Reg.* xv, 23. Prorsus abominandum nobis est facinus tam enorme, ne nos audire contingat quod Dominus ad Judæos: Murmuratores (in- C quit), filii murmuratorum, implete mensuram patrum vestrorum; *Matth.* xxiii, 32; *cf.* S. Aug. in Joann. tract. xxvi 11. itemque quod eisdem martyrum ait primicerius (Stephanum loquor): Vos (inquiens) semper restitistis Spiritui Sancto. *Act.* vii, 51. Etenim optime utique patri spirituali cui non paremus et contra quem murmuramus, cum Moyse contestari incumbit: Non adversum me, sed adversus Dominum est murmur vestrum. *Exod* xvi, 8.

Præterea, increduli diffidentesque ori divino, quos, nisi nimis sollicitos nimium- D que pusillanimes, et spem certam atque immobilem in Deo non habentes, figurant? Sperandum nobis est, quia qui nos de mundo in eremum istam induxit, non utique derelinquet nos neque projiciet; magis autem, quoniam emittet lucem suam et veritatem suam, quatenus nos inducat atque deducat in montem sanctum suum. *Ps.* xlii, 3. Amplius autem, quorum deus venter est, nonne tibi per idololatras illos apte omnino præsignati videntur? *Philipp.* iii, 19. Et rursus, qui toto die cum inflammato corde meant,

qui uruntur, et exteriorem incoinquinationem sibi sufficere putant, et nec sobrietati neque internæ castimoniæ student (quod utique fœdissimum infelicissimumque genus est), per fornicatores illos, ni fallor, ostensi sunt.

Si horum mores gestusque assequimur, quemadmodum illi terram repromissam introire nequibant, sic nec nos cœlestem Jerusalem; et uti illis nil contulit intrasse desertum, conformiter nobis nil proderit introisse cœnobium, cellam vel eremum.

ARTICULUS IX.

Quod universa solitariorum intentio in contemplatione hujus eorum finalis perfectionis incessabiliter dirigenda sit atque figenda.

Philipp. III, 13, 14. *QUÆ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis.* Finis, uti ab Aristotele suscepimus, primum quidem est in intentione, ultimum vero in executione. Ideoque infatigabiliter utique speculandum reminiscendumque nobis est ad quid venimus, hoc est quid sit finis et summa ultimataque ratio atque perfectio ob quam obtinendam cuncta nos reliquisse lætamur, eremumque ingredimur et cellam incolimus. Enimvero, si quo minus, quomodo utique attingemus, aut qualiter perveniemus, non attendentes quo currimus, neque quo proficiscimur contemplantes?

De hac re venerandissimus pater noster Joannes Cassianus eleganter atque facunde ex ore sancti anachoretæ abbatis Moysis disseruit atque conscripsit. Nempe, ut Cf. t. XXVII, p. 135 A' et s. fassus est atque edocuit, omnes artes et disciplinæ, præsertimque omnis ordo itemque religio, *scopon* et *telos* sortitæ sunt. Denique finis hujus obtentu atque contuitu, uniuscujusque artis industrius appetitor, religionisque ardens zelator, cunctos labores et pericula atque dispendia victoriosissime suffert, et libenter æquanimiterque sustentat : quemadmodum in agricolis, in negotiatoribus, in militantibus quoque cernere palam est. Nos igitur, utpote altissimæ professores theosophiæ, zelatoresque perfectionis divinæ, et deiformis demum intendentes imaginem vitæ, hanc mentibus nostris indesinenter imprimere, reminisci atque infigere perfectionem oportet, si eam uspiam adipisci eveniet : quatenus jugiter quid profecerimus quantumve neglexerimus speculemur, et insuper ad eam toties mentis nostræ reducamus intuitum aciemque et contemplationem, quoties nos ab ea deviare sentimus. Et id quoque nobis lætitiæ causa sit, huic propinquasse perfectioni ac fini, eatenusque doleamus quantum ab ea nos deficere ac elongari intendimus. Hæc sancta lætitia, et ista tristitia vera : de profectu gloriari in Deo, de defectu autem contristari in nobis.

Nunc ergo te hortor, qui diligens eremiticæ es institutionis discipulus, scrutare quotidie et indefesso corde in te ipso rimare quid quantumque profecisti, quousque pervenisti, et quam vehementer finali tuæ perfectioni propinquasti. Si tempore longo ac multo cellam occupasti, et nihilo minus vel parum vel nihil internæ atque divinæ perfectionis adeptus es, contristare et luge, quia revera miser es et miserabilis, pauper, cæcus et nudus. Apoc. III, 17, 19. Itaque pœnitentiam age, et vide vocationem qua te I Cor. I, Deus vocavit; atque condignos pœnitentiæ fructus efficiens, vide unde cecideris; Apoc. II et id cujus venisti causa et gratia, apprehendere satage et adipisci festina. Unde Apostolus : Sic (inquit) currite, ut apprehendatis. I Cor. 24. Etenim qui ita peregerit, æquissime prorsus cum Apostolo dicere habet : Ego sic curro, non quasi in incertum; sic Ibid. 26 pugno, non quasi aerem verberans.

Porro, secundum præinductorum Cassiani intentionem verborum, *scopos* seu destinatio professionis nostræ, cordis exsistit munditia; *telos* vero et finis, regnum

cœlorum. Sed in præhabitis, de fine intrinseco præsentisque vitæ perfectione finali sermo defluxit.

ARTICULUS X.

De duplici fine biformique beatitudine.

Rom. VI, 22. NUNC *vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.* Hæc equidem est voluntas Dei, sanctificatio nostra; et ipsa universi nostri exercitii omniumque laborum fructus est ac summa perfectio. Porro, quum vita æterna aliud prorsus nihil sit quam Divinitatis fruitio, dicente ad Patrem Unigenito, Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum; visio autem Dei, cordis sinceritati respondeat, contestante Christo, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: constat quoniam sanctificationis nostræ merces sit Dei visio.

(I Thess. IV, 3. — Joann. XVII, 3. — Matth. V, 8.)

Sed forsitan dices: In præinductis jam traditum est, quoniam divinorum præsenti vitæ possibilis contemplatio, institutionis nostræ finis appellata est: quomodo ergo nunc futuræ vitæ agnitio, propositi nostri finis censetur? — Respondendum, quia in intellectualibus beatitudo et finis coincidunt. Beatitudo nempe ultimatum finaleque bonum exsistit: unde conformis est beatitudinis ac finis distinctio. Est autem beatitudo duplex: una viæ, quæ est visio Dei per speculum fidemque in ænigmate; alia vero patriæ, quæ per speciem exstat. Et denuo sic quoque bipartitur felicitas, ut sit una formalis atque intrinseca: estque menti inhærens perfectio, ut amor et visio. Alia demum objectalis est, itemque extrinseca: ipsa quippe est summum bonum, Deus benedictus et fons felicitatis. Pariformiter itaque et finis valet distingui. Sed in prædeterminatis, de fine informante atque intrinseco præsentis vitæ sermo transivit. Denique, Aristotelis definitio quam in Ethicis introduxit de felicitate, et Boetii quoque descriptio, de formali felicitate suscipienda videtur. Est insuper vitæ hujus felicitas, futuræ inchoatio beatitudinis. Siquidem quo utique nunc ampliorem mentis munditiam adipiscimur, eo utique in patria plenius clariusque contemplabimur. Enimvero idem nunc aio divinæ vitæ imitationem, cordis munditiam, finalemque perfectionem atque præsentis vitæ beatitudinem. Præhabitæ demum beatitudinis divisiones memoriæ donandæ sunt. Interdum namque Deus, interdum vero visio Dei, animi beatitudo vocatur.

(art. V, VII. — I Cor. XIII, 12.)

ARTICULUS XI.

Quod cunctis, præsertimque solitariis, sit discretio summe necessaria.

SI *separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Quid est virtus, ait Aristoteles, scrutamur non ut sciamus, sed ut boni efficiamur. Denique, quemadmodum summus solitariorum philosophus (Antonium innuo) adstruit, omnium virtutum nutrix et mater discretio exstat. Ipsa namque tanquam magistra cunctis certe virtutibus modum statuit ordinemque præfigit. Jer. XV, 19.

Sed quispiam forsan objiciet. Quum enim de ratione virtutis sit secundum debitam rectamque sapientis censuram peragere, quod fieri nequit, si non ordo modusque serventur, et cunctarum circumstantiæ teneantur virtutum, ut videlicet universa tunc taliterque et ibi et ideo agamus, quando, quomodo, ubi et quare agenda sunt: si itaque sic est, quid opus est ceteris insuper virtutibus discretionem adjicere atque adesse? — Sed dicendum, quoniam sæpe utique discretio proprietatem conditionemque quamdam insinuat quæ cunctis est communis virtutibus. Tunc quoque specialis non asseritur virtus, uti instantia illa convincit. Nunc autem discretionem virtutem appello qua inter bonum malumque discernimus, et quid qualiterque ubique operandum sit dijudicamus.

Et sic utique (ni fallor) specialis virtus est, cunctisque virtutibus efficaciam præstat. Nempe, si omnia temporalia tempus habent, estque ridendi tempus atque plangendi, tempus vescendi atque abstinendi, vigilandi et dormiendi, loquendi et tacendi, ambulandi et quiescendi, operandi et vacandi, meditandi itemque scribendi : si, inquam, sic est, discretione certe opus esse opinor, qua quid cuique tempori tribuendum deputandumque est, intueamur, atque intuendo, recte ac discrete agamus, et item in omni virtutum actu rationabiliter sapientialiterque vivamus. Enimvero, ut Augustinus inducit, sine discretione caritas ordinem non servat, humilitas nimis se dejicit, frangiturque ob id regendi auctoritas. Denique sine discretionis præsentia fit obedientia stulta et cæca, ubilibet atque indifferenter in malis quoque obediendum existimans ; largitas etiam se nimis effundit ; timor in desperationem, et in præsumptionem spes ipsa convertitur.

Eccle. III, 1 et seq.

A

B

Porro solitario virtus hæc summe necessaria scitur. Etenim, quo consorte extrinsecoque amplius caret doctore, eo vehementius advertere habet quid in ipso loquatur Dominus Deus, et necesse est ut unctio eum de cunctis edoceat, atque ab ea quæ in se latet discretione regatur, quemadmodum scriptum recordor : A sapiente (id est propria aut certe alterius illuminata ratione) require consilium. Proinde rationabile esse nostrum obsequium, virtus hæc imbuit, et ut ad pietatis profectum corporalis ordinetur exercitatio, consulit : ne sic corpus conteramus, ut spiritui amplius deservire parereque nequeat, neque sic rursus carnem alamus, ut spiritui insolescens repugnet.

Ps. LXXXIV, 9.

I Joann. II, 27.

Tob. IV, 19.

C

D

O quot per indiscretionem, dum nimium videbantur fervere, in nihilum redacti sunt, sicut Baruch testatur, Quoniam (inquiens) non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam ! De hoc in libris Cassiani exempla multa scribuntur, quæ hic inserere prohibet brevitas cui studeo, et experientia ipsa, quæ utinam non tam evidenter nobis pateret. Nempe et hi quoque interdum in quibus prævalere fervor apparet, propter discretionis carentiam citius prolabuntur atque deficiunt. Et cur utique hoc, nisi quoniam mediis ad virtutem (vigilias atque jejunia, solitudinem, itemque silentium, et reliqua demum ad virtutem ordinata exercitia loquor) indiscrete utuntur, nec temporum vitæ suæ horas ac vicissitudines congruentibus debitisque occupant exercitiis, sed prout improbus fervor et impetus proprius movent, procedunt aguntque ?

Baruch III, 28.

Denique ob id felicissimos Patres nostros nedum vehementer profecisse, sed et celeriter insuper universæ perfectionis arcem sortitos cognovimus, quoniam secundum discretionis radiosum dictamen vixerunt, et secundum ipsius ducatum cunctos vitæ atque virtutis suæ actus ordinaverunt : quemadmodum de sanctissimis certe viris Macario, et quem prænominassem Antonio, Agathone atque Pastore, te, o dilecte, legisse non dubito. Hoc equidem veræ discretioni incumbit, ut per eam secundum summæ ultimatæque perfectionis nostræ exigentiam et congruentiam omnia ordinentur atque agantur. Etenim sine discretione nulla perfecte virtus inhæret. Virtutes namque eatenus concatenatæ sunt, quemadmodum Plato et post eum Platonicorum profundissimi, Plotinus, Macrobius et Apuleius, et demum Aristoteles et Andronicus Peripateticus, fassi sunt, ut sine altera una haberi non possit.

ARTICULUS XII.

Unde ad deiformem vitæ divinæ imitationem suspiranti solitario sit ascensus institutionisque hujus assumendum exordium.

SICUT *exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra* *Rom.* VI, 19.

servire justitiæ in sanctificationem. Lapsum in ima ab alto, resurgere satagentem, hinc primum resurrectionem ordiri par est ubi substitit casus. Porro in Protoplastorum prævaricatione, universi ab originalis justitiæ summo vertice usque in originalis culpæ profunda cecidimus. Vertex denique originalis justitiæ, subjectio erat intellectualis portionis animæ sub Deo ; profundissimum vero originalis culpæ, ipsa *Rom.* VII, 23. est lex consistens in membris nostris, reluctans legi nostræ mentis. Ideoque, si vere resurgere, si perfectus esse, si ad originalis conformitatem justitiæ denuo remeare festinas, hinc inchoandum agnosce, ut spiritui seu animæ caro per omnia obsequatur atque obediat, ne adversus spiritum *Galat.* V, 17. amplius concupiscat, sed instar bonæ ancillæ, imperante ratione, mox prompteque pareat, quatenus ad centurionis illius imaginem ratio dicere possit : Dico huic, Vade, et vadit ; et, Veni, et venit ; et ancillæ meæ, Fac hoc, et facit. *Matth.* VIII, 9.

Enimvero subjectio ista in hoc consistit, ut necessitatibus corporis non concupiscibiliter sed rationabiliter provideatur, ne curam carnis in desideriis perficiamus ; *Rom.* XIII, 14. et insuper ut in omnibus quæ ad virtutem puritatemque animi necessaria sunt sive utilia, carnem affligere et item exercitare nunquam cessemus, in jejuniis atque vigiliis, in labore, in disciplinis, in silentio, in solitudine, in refrenatione crapulæ atque luxuriæ, in asperitate vestitus, et ceteris multis, in maturitate incessus, in compositione omnis corporei gestus. Hæc spiritualis ædificii atque internæ reformationis initia exstant. Nempe, si hæc implere observareque renuis, contestor quoniam perfectionem illam verissimam, quam (si rite recolo) in antehabitis solitariæ vitæ eremiticæque institutionis finem causamque fassus sum, nunquam utique obtinebis neque continges. art. V, VII.

Agnovit hoc magnus ille Arsenius, qui se somni necessitudine opprimi cernens : Veni, inquit, serve male. Itemque : Sufficit, ait, monacho, si tamen operator exsistit, horæ somnus unius. Verumtamen, quia durus est hic sermo (siquidem quis potest eum audire ?), propterea Patres nostri in Ægypto, in Scythi, in Cellis, in Thebaide, in Nitria, in Mesopotamia, universaliorem clementioremque regulam elargiti sunt. *Joann.* VI, 61. Tres enim vel (si addere opus est) quatuor dixerunt monacho pro somni quiete horas sufficere. Post matutinalem vero synaxim, somno nequaquam indulgendum sanxerunt. Porro posteriores Patres nostri in Cartusia, antiquum illorum fervorem atque rigorem renovare quidem optantes, sed attingere non valentes, nedum tres vel quatuor, imo quinque vel sex pro somno horas dederunt : non tamen post matutinalium exactionem Laudum corpus reclinandum censebant, inducti (ut reor) causis atque historia quas super hoc Cassianus conscripsit. *Cf.* t. XXVII, p. 29 B' et s. Sed novissimi, quorum, heu ! nos filii sumus, et utinam non amplius tepescamus, post Laudes insuper se somno carere non posse contestati sunt : hincque misericordias nobis effecimus, quatenus vel ex reclinatorii voce, nostra elucescat miseria.

Quid igitur, dilecte mi et in Christo carissime, quid utique restat, nisi ut nosmetipsos non jam dumtaxat humiliemus sub potenti manu Dei, sed insuper odiamus, *I Petr.* V, 6. et vitam nostram spernamus, quippe qui magnorum atque illustrium Patrum nostrorum conversationem, nedum non imitari vel attingere, sed nec ad ejus perfectionem respirare neque ipsius imitationem desiderare audemus ? Etenim, si paulisper protrahimus vigilias, si parsimoniæ præter consuetudinem utcumque studemus, si solitudinis atque silentii paululum districtiores esse servatores enitimur : mox indiscretionis morbo languere, singularitatisque vitio rei censemur ; protinus demum, quod confestim deficiemus audimus ; aiuntque repente, proprii nos esse pertinaciter sensus.

Verumtamen non igitur hæc dico ut præter communem legem, contra seniorum consilium, ultra vires etiam operan-

dum vivendumque consulam. Nihilo minus, quoniam singuli in eodem statu manemus, nec sit qui singulari puritati vacare præsumat, omnes quoque tales atque communes, quemadmodum Dominus novit, perseveramus. Et utinam non ubertim, qui spiritu cœpimus, carne consummemur. (*Galat.* III, 3.) Pigritiam equidem nostram districtionem putantes, non utique de virtute in virtutem indesinenter proficisci conamur; nec tam quid in cellis profecerimus, quam quamdiu in eis manserimus, contemplamur. Erubescere merito habet Cartusianæ sanctitatis professor, nedum novæ legis cultoribus viris, sed veteris quoque Testamenti mulieribus vilior carnaliorque exsistere. Enimvero quomodo Judith illa cilicium induit atque abstinuit, et Esther præterea regalium pompam vestium sprevit, carnem carnisque mollitiem atque libidinem utraque contempsit, veteris Testamenti peritis patere non dubito. (*Judith* VIII, 6; IX, 1. *Esther* II, 15; IV, 16; XIV, 2.) Nos ergo eas aut præcellere satagamus, aut ipsis inferiores fore humiliter confundamur.

ARTICULUS XIII.

De cibo et mensa solitarii.

EX *die primo quo posuisti cor tuum ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua.* (*Dan.* X, 12.) Ideoque Apostolus : Castigo (inquit) corpus meum et in servitutem redigo. (I *Cor.* IX, 27.) Porro in cibo moderamen atque mensuram servare semper, res difficillima est, sic tamen utilis et item necessaria, ut sine ea vera atque divina perfectio conquiri non possit. Nempe qui se cibo ac potu superflue inordinateque replet, non utique ad vigilias erit alacer, non in orationibus purus, neque ad meditandum subtilis; et quemadmodum Cassianus deducit, sine sobrietatis studio, nulla unquam mentis adipisci reformatio valet.

In refectione itaque primo quidem quantitas reservetur, ne superfluitas caput conturbet, sensus obtenebret, et somnolentiam causet. Unde Salvator : Videte (ait) ne graventur corda vestra in crapula vel ebrietate. (*Luc.* XXI, 34.) Non ergo metiamur neque pensemus quantum cibi suscipere congruat ex catino sive paropside, sed ex rationis diligentissima perscrutatione, et ex certa experientia necessitatis naturæ, ne tunc amplius multumque edendum putemus, dum vel scutella repletior aut cibus pretiosior exstat. Denique in edulio qualitas quoque tenenda est, ne delicatior esca paretur, ne forte voluptati magis quam necessitati satisfecisse cernamur. Servavit hanc strenuus ille eremita qui dum in die sacro Paschæ olei parum suscipere rogaretur atque intenderet, meditans primo paulisper in se, caputque fricans : Heu ! inquit, Dominus meus Jesus Christus felle acetoque vescitur, et ego oleo utor ? Unde nec accipere acquievit. (*Ps.* LXVIII, 22; *Matth.* XXVII, 34; *Joann.* XIX, 29.)

Ubertim autem psallentibus nobis aut in divinis lassatis, cibi memoriam callidus hostis immittit, ut vel carnalem delectationem vilemque appetitum et velut recreationem ac consolationem menti, si cibus lautior erit, infundat, aut certe tristitiam, si tenuis. Nos vero celeriter eum pellamus, scientes non idcirco nos divinis insistere, neque propterea Christi fatigari obsequio, ut manducemus, aut carnalibus confoveamur deliciis, aut temporalibus atque vilissimis recreemur lætitiis; magis vero manducare, ut ad divina idonei simus et in præsentis cursu exsilii efficaciter operemur.

Præterea, si vel interdum lautior esca præbetur, coercenda voluptas, neque effundendus est animus : imo prorsus vitandum ne in delicatiori condimento sensualitas gaudeat, sed sic utatur tanquam non utens. Nempe qui contra omnem carnis libidinem seu sensualem delectationem, omnemque supervacuam corporalem quietem, juge bellum subivimus, cavere omnino habemus ne nobis ipsis concupiscentiarum irritamenta carnalium procuremus, tanquam non sufficiat nobis interna fra-

gilitas, originalis infectio atque connata malitia.

Quid dicemus ad hæc? Fateor, frater dilecte, non nobis Patrum vita, non Joannis Cassiani leguntur volumina ut imitemur, sed ut humiliemur, quatenus nec loco nec mercede nec nomine illis nos pares aut dignos putemus, a quorum institutis eatenus declinamus ac tam vehementer deficimus. Fugienda est, ait Antonius, monacho aquæ saturitas. Et Pastor : Vinum, inquit, omnino monachorum non est. Porro Hilarion : Ex quo, asserit, factus sum monachus, nil coctum gustavi. Et magnus quidam eremi cultor: Postquam, inquit, factus sum monachus, nec cibo nec somno repletus sum. Et quid multa ejusmodi enarrare importat? Veraciter namque, nisi Christi clementia itemque discretio adsint, desperationem potius quam profectum hæc hisque similia nobis invehere queunt. Enimvero pauperrimi nos, nedum (ut nunc
rt.præced. fassus sum) ab illorum conversationibus senum abimus, sed a proximorum demum Patrum nostrorum rigore non parum discedimus. Non latet hoc nos, dum domini Guigonis prioris Cartusiæ statuta recolimus.

Præterea, sunt religiosi et monachi (si tamen religiosi et monachi, quippe qui
II *Tim.* iii, 5. formam quidem pietatis habentes, virtutem ejus, heu! abnegant) qui sic ciborum lautitiam optant et appetunt, ut nedum in hoc conformentur mundanis, imo eos præcellant, verificeturque in eis id quod primo Metamorphoseon inducit Ovidius :

. . . . Corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Sic equidem (ut verbis utar paulisper Francisci Petrarchæ, elegantis poetæ, et solitudinis amatoris eximii) non jam dumtaxat in uno corpore, imo in unaquaque paropside, quæ nominata nunc sunt ita compugnant, ut antiquum illud Ovidianum chaos videantur novare. Utinam opprobrium istud non tam ubertim, o dilecte,

A mensis nostris propinquet. Verumtamen sermonem abbrevio, stilumque retraho, quoniam quod concepi, effari non audeo. Unum tamen fatebor, quia utique, ut Boetius in exsilio didicit atque conscripsit, paucis minimisque natura contenta est. De Consolat. lib. ii, pros. 5.
Et quoniam divino caremus ardore spiritualiumque expertes consolationum exsistimus, ad corporalia devoluti sumus, his nos egere opinantes quæ nec natura nec ratio testatur aut dictat. Sed felix atque lætabunda veri devotique solitarii mensa,
B quam ipse propria pulchre perornat præsentia, in divini se pensans vesci vultus conspectu, pro suavissimo cantu benedictionem ante edulium, in eo divinorum contuitum et postremo gratiarum actionem exsolvens; modum insuper seu honestatem tempusque observans, ne se tanquam famelicus canis totus in cibo effundat, sed mentis simul refectioni insudans, hinc librum, hinc alimoniam adspicit, super propria satis dolens miseria, quia tam frequenter eum a spiritualium
C studio carnis necessitudines elongant atque præpediunt, et item cum S. Pastore ac B. Bernardo non aliter ad cibum quam ad carcerem means.

Porro, si lautior pretiosaque esca præstatur, non elabatur a memoria dominica illa in cruce cibatio : dederunt nempe in *Ps.* lxviii, 22.
escam ejus fel, et in siti sua potaverunt eum aceto. Celeriter quippe (ni fallor) hoc crebro cogitanti omnis vilescet ciborum voluptas. Denique qui in sensualibus atque carnalibus delectari non refugit, divinis
D utique itemque spiritualibus consolationibus se ipsum indignum constituit. Ceterum qui delicate nutrit servum suum, postea *Prov.* xxix, 21.
sentiet ipsum contumacem : quoniam qui carnem suam delicate enutrit, comperiet eam legi mentis rebellem, atque (ut Hieronymus asserit) in libidinis ardorem repente spumantem. Ideoque Augustinus: Quemadmodum, ait, stipulam ignis consumit, sic delicata caro animam concremat, atque libidinis fervorem inflammat. Hincque *Rom.* viii, 13.
Apostolus : Si secundum carnem (inquit)

vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

ARTICULUS XIV.

De somno solitarii.

Ps. iv, 9. IN *pace in id ipsum dormiam et requiescam.* Dulce prorsus erat Augustino verbum hoc, nec potest lassatæ carni tam suavis esse corporis quies, quam fuerat ardenti ejus spiritui delectabile verbum istud Psalmographi. O vere in id ipsum!
Ps. ci, 28. Nempe tu, Domine, idem ipse es, et anni
Ps. lxxxix, 4. tui non deficient : quoniam quidem mille anni ante oculos tuos tanquam dies hester-
Malach. iii, 6. na quæ abiit. Denique tu Deus, et non
Dan. vii, 9, 13, 22. mutaris; esque antiquus dierum, sine senio atque dilapsu momentorum : quoniam
Jacob. i, 17. non est apud te, o omnipotens æterneque Deus, permutatio, aut certe vicissitudinum obumbratio.

Sit ergo tibi, o cellæ incola solitudinisque colone, in pace somnus requiesque in Deo, quatenus serena mente atque tranquilla conscientia diurno jam acto tempore dormitum migrans, in Deo tuo dulci, bono et sancto cum pace requiescas, in divinorum reminiscentia obdormiens, et in divino obsequio fatigatam carnem refocillans atque ad futuram vigiliam roborans. Enimvero tunc in pace in id ipsum dormimus atque quiescimus, dum conscientia a peccati remorsu immuni et cum fratribus quoque sincera, in Deo divina meditando obdormientes conquiescimus, non voluptati, sed necessitudini indulgentes, atque ob id ut alacres fortesque ad Dei cultum mox surgamus, nos ipsos pau-
Ephes. iv, 26. lisper reclinantes. Non ergo sol occidat super iracundiam nostram; non solum autem super iracundiam, sed neque super aliquam utique vitiosam affectionem peccatique maculam. Et demum sic nos quieti aptemus, ut in eo mentis sancto affectu quo obdormivimus, viriliter resurgamus, idque menti surgentis protinus obviet in quo obdormientis meditatio requievit. O

A impudicum, vilem pigrumque cellitam qui nec tunc quidem ad divina consurgit, dum surgendi signum pulsumque peraudit! Erubesce, precor, o tepide, tunc lecto incumbere, dum confratres tuos non ambigis Dei hymno insistere, atque ad Deum affectuosam mentem purasque manus le- I Tim. ii, 8.
vare.

Denique suadere modo non audeo, ut amabilem patrem nostrum, magnæ olim procuratorem monachumque Cartusiæ, hincque Lincolniensem antistitem, S. Hu-
B gonem, ipsumque devotissimum Bernardum, imitari conemur : quos vigilantes lectus non utique diu retinuit; qui insuper nullum se tempus eatenus perdere arbitrati sunt quemadmodum id quod dormientes expenderunt. Verumtamen id penitus expedit, ut si mox ad quietem locati dormire nequimus, fixum quidpiam divinorum mente volvamus, quatenus in ipso celerius non undique corde vagantes neque tædio impatientiaque agitati requiescamus.

C Hoc certe modo in pace in id ipsum dormivit, qui se in quadraginta annis in solis præsentia non manducasse asserenti, respondit : Neque me in tot annis sol irasci conspexit. Et sanctus demum Epiphanius, qui B. Hilarioni dixit quoniam cubitum non transiit adversus proximum aliquid habens; atque, quod insuper longe amplius reor : Quoniam nec dormivi, inquit, quempiam adversum me quid habentem, impacatum relinquens. Idcirco non indigne S. Hilarion, qui paulo ante narra-
D vit, Ex quo (inquiens) monachum indui, nil quod per ignem transiit gustavi, Epiphanio ait : Major est, o abba, conversatio tua, et revera major. Etenim, si non simpliciter neque in omnibus major, in hoc tamen utique exstitit major. Enimvero dum, o eremi cultor cellæque mansor, sic in Deo in pace obdormis, Christum utique in cordis tui intimis sepelis, securus quiescis, dæmonibus horribilis es, divinorum revelationi aptus consistis, et item ad Altissimi laudes lætus agilisque consurges.

ARTICULUS XV.

Quid post subjectionem carnis sub spiritu agendum sit, ad deiformem divinæ vitæ assimilationem festinanti.

Eccli. VIII, 31. *SI præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Art. v, XII. In tribus, secundum prætacta, consistebat originalis justitia : in subjectione corporis sub anima, sensualisque partis sub ratione, et rationis sub Deo. Ideoque triformi quoque eget itinere, qui ad mentis puritatem proficisci anhelat. Primum quidem iter in præinducta jam carnis sub spiritu subjectione rite reponitur. Porro in regulatione ac reformatione, in directione ac moderatione passionum, secunda vita sita censetur : quatenus animo nostro dominari discamus, nec ambulemus post illecebras sensus, et intellectuali demum appetitui sensualis prorsus appetitus subdatur, ne nos ira inflammet, ne rancor contorqueat, neque libido deturpet, ne formido pusillanimes, ne elatio præsumptuosos nos statuat, magis autem mites, amorosi, casti, securi humilesque esse conemur. Unde Eccli. XXIII, Sapiens : Omne (inquit) desiderium pravum averte a me.

ARTICULUS XVI.

De nobilitate victricis animæ, et item vilitate animæ concupiscentiis passionibusque subjectæ.

Cant. VI, 3. *PULCHRA es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Hoc a cœlesti æternoque Sponso omni animæ quæ sancta est atque serena, dici cognovimus. Nempe, quomodo utique non pulchra est, quæ a passionum atque facinorum immunis est maculis ? Denique, quæ iræ flammam furorisque impetum, invidiæ corrosionem, et omnem demum aversionem atque contemptum, mititate ac patientia, dilectione ac benignissima humilitate pellit itemque exstinguit, rite (ni fallor) sua- A vis esse censetur. Porro his anima stipata virtutibus, terribilis prorsus est, sed inimicis virtutum atque principibus tenebrarum. Enimvero per temperantiam alimoniæ ac venereorum voluptatem convellens, per fortitudinem quoque mortis impavida, imo pro veritate atque virtute occumbere prona, per prudentiam ubilibet discrete ordinateque operans, et item per justitiam unicuique quod suum est præstans, merito penitus audit a dilecto : Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica Cant. I, 8. B mea.

Verumtamen longe prorsus sit a te, o robusta illustrisque anima, omnis præsumptio atque jactantia. Quanquam etenim passionum sis victrix atque virtutibus splendens, ac per hoc dæmonum turbis horribilis, ita ut cadant a latere tuo mille Ps. XC, 7. et decem millia a dextris tuis ; non tamen tibi insidiari, quamdiu viatrix es, desinet æmulus tuæ salutis. Absorbebit namque Job XL, 18. fluvium per mundanas animas, et non mirabimur ; et habet fiduciam quod influat C Jordanis, id est religiosa mens, in os ejus.

O desiderabilis emundatæ mentis nobilitas ! En enim, o anima, per passionum victoriam, per immunditiæ odium, per virtutum splendorem, Christi efficeris amica et sponsa, Creatoris tui heres et filia. Insuper, per hæc dæmonibus jubes ac prævales, lex tibi ordoque naturæ subjicitur, et quidquid divinitus petis, mox desuper obtines. In carne angelice vivis, et usque in Divinitatis consortium migras, neque a Creatoris tui dignitate ignobiliter D miserabiliterque degeneras. Venerantur te angeli, Deus diligit, dæmon formidat, caro mundusque sub te sunt. Denique hinc abeunti cœli patent, sidereæ mansiones præbentur, et Beatorum præstantur contubernia. Venientem Trinitas sancta amplectitur, et æterna felicitate remunerat.

Porro vilis atque infelix, contemptibilis ac lugenda nimis anima quæ carni ministras, quæ beatitudinis tuæ æmulis servis, quæ peccato itemque concupiscentiis famularis ; quam Deus odit, angeli sper-

nunt, dæmon inhabitat; quæ Creatorem A non curas, imo offendis atque contemnis; quæ Salvatori ingrata es, et in criminibus fœtes, passionibus langues ac sensualitati subjiceris; in qua præterea tyrannica potestate malitia regnat, ira superequitat; quæ demum humanam amplius quam divinam præsentiam veneraris ac metuis.

Proinde ad tantam sæpe obdurationem cæcitatemque prolabimur, ut de ipsa nostra interdum rebellione lætemur, de animositate jactemus, prælato insultemus atque dicamus : Quam constanter illi restiti! B quam bene non parui! quam audacter respondi! Existimabat quoniam ei me semper subjicerem, et ad ejus imperium cuncta implerem. Non enim infelices attendimus quoniam inobediendo, insultando, convitiando, itemque passionibus succumbendo, non aliis, sed nobis noceamus. Sed est utique ita. Nam uniuscujusque malum in suum redundat auctorem : suam quippe linguam maleloquus maculat, proprium cor detractor exulcerat, suæ mentis intelligentiam iracundus obnubilat, suam- C que insuper animam invidus rancoris veneno conspergit.

Ideoque in medio Fratrum positi atque in congregatione viventes, ea quæ et nobis et aliis prosint, sectari conemur : ne aliorum profectui vita nostra præjudicet, ne fervorem confratris tepor noster infrigidet, ne patientiam ejus ira nostra exstinguat, neque ipsius humilitatem nostra depravet superbia, neque mentis suæ decorem nostra inficiat commaculetque immunditia. Enimvero felix certe anima quæ D in congregatione bene versando multorum est gaudium, atque confratribus sanctitatis exemplum; cujus humilitas alterius confundit superbiam, cujus patientia consodalium exstinguit furorem, cujus mititas proximi iracundiam superat, cujus fervor inertiam alieni teporis exsuscitat; quæ Fratrem suum turbatum atque tentatum, mœstum itemque afflictum ædificare consolarique novit. At vero unum quoque certum est, quod Eusebius ille Emisenus fatetur, nimiumque horrendum exsistit, et item incessanter pensandum : quoniam nisi in claustro nostras quotidie circumcidamus et resecemus passiones, multo utique hic deteriores efficimur quam in sæculo viventes exstitimus, sic ut posteriora nostra prioribus fiant pejora. (II *Petr.* II, 20.) Heu! quare negligimus? Cur vocationem nostram non semper adspicimus? Quamobrem velut tuti et tanquam si omnium evaserimus laqueos periculorum vivimus, magis vero dormimus atque tepescimus?

ARTICULUS XVII.

De multiplici corporalium exercitationum, afflictionum, cærimoniarum, jejuniorum ac vigiliarum commodo atque profectu.

SIMILABO *eum viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram.* (*Matth.* VII, 24.) Vas electionis, divinus Paulus : Non est (inquit) prius quod spirituale, sed quod animale. (I *Cor.* XV, 46.) Porro jejuniorum multam esse virtutem insinuans Unigenitus Dei, atque de durissimo dæmonum genere loquens : Hoc (ait) genus dæmoniorum non nisi in oratione et jejunio ejicitur. (*Marc.* IX, 28.) Et Daniel : Eram (inquit) in diebus illis lugens tribus hebdomadibus; panem desiderabilem non comedi, caro et vinum non introierunt in os meum, sed nec unguento unctus sum. (*Dan.* X, 2, 3.) Ideoque, teste angelo, verba ejus coram Altissimo commemorata sunt. (*Ibid.* 12.) Denique Vates hic, et cum eo tres beatissimi atque de regia propagine illustrissimi pueri, Chaldaica lingua, Balthasar, Sidrach, Misach et Abdenago, Hebræa autem, Daniel, Ananias, Misael et Azarias, a regio cibo et vino sponte abstinentes, leguminibus vero et aqua vescentes, cœlitus edoceri illustrarique digni effecti sunt. (*Ibid.* I, et seq.) Præterea, quemadmodum ex asperitate vestitus itemque parsimonia victus sit laudatus a Christo Joannes, Evangelium pandit. (*Matth.* XI, 8, 18.)

Itaque primus corporalium afflictionum fructus, pro peccatis satisfactio perhibetur. Nempe in carne delicatos atque trans-

A gressos, carne quoque torqueri et satisfacere par est. Amplius autem, secunda earum utilitas, præparatio est hominis ad gratiam Creatoris. Dum enim Deus piissimus cernit nos id quod in nobis est fideliter prosequi, ipse mox quod suum est donat, mentemque se cruciantis illuminat. Tertia proinde utilitas, plurimorum est futurorum malorum cautela, impedimentum atque abscisio : coercent equidem carnis impetus passionumque motus, carnis afflictio et vigiliæ sanctæ, et dum corpus attenuant, spiritum roborant. B Quartus fructus, est Christi imitatio, qui a nativitatis suæ primordio corpori dura elegit. Quintus, amplior in futuro felicitas : si enim compatimur, et conregnabimus. (om. VIII, ; II Tim. 12.) At vero sexta utilitas, proximorum ædificatio est : homo enim ea quæ patent et deforis sunt cernit, et inde ædificationem conquirit. (Reg. XVI,) Verumtamen sit in affligente se intentio sancta et humilitas vera, ne sui gloriam quærat, nec inde superbiat quod pro adipiscenda humilitate assumit. Septima demum, nostrarum est exauditio precum : C et hoc jam prætactum, est in Judith et Esther præsignatum, quarum sic Deus preces, præcelebratis jejuniis, exaudivit, ut per manum unius Holofernem, per alterius vero instantiam Aman occiderit. (udith IX, ; ther VII,) Insuper octava utilitas, nequissimorum est spirituum fuga atque ejectio : celeriter quippe hunc dæmonem pellimus, cujus concupiscentiæ vitiisque quibus ipse præsidet et ad quæ nos ferre satagit, efficaciter reluctamur. Certis namque vitiis dæmones certi præsunt, estque eis sin- D gulis deputatum ad quod iniquitatis facinus corda nostra inducant.

ARTICULUS XVIII.

De his qui frustra atque insipienter corporales afflictiones exercitationesque assumunt.

(Tim. IV, 7,) EXERCE *autem te ipsum ad pietatem : nam corporalis* quidem *exercitatio ad modicum utilis est ; pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ.* Porro quid sit pietas, audi Job : Ecce (inquit) recedere a malo ipsa est scientia, et cultus Dei est pietas. (Job XXVIII, 28, juxta LXX.) Denique, quemadmodum colendus sit Deus, palam quoniam oratione et hymno, ipsisque præsertim interioribus atque mentalibus actibus quæ ad latriam spectant. Deus enim Spiritus est, et qui eum colunt, in spiritu colere par est. (Joann. IV, 24.) Quod a Catone quoque eleganter sic expressum est :

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipue sit pura mente colendus.

Pietas ergo in interioribus mentis actibus locanda, amarissimos passionum aculeos tortuososque animæ impetus atque indispositos motus ignorat, nec secum esse permittit. Enimvero qui venenatis iræ, furoris, tristitiæ, itemque rancoris, in quibus aliud prorsus non latet nisi amaritudo amarissima, passionibus contabescit, qui luxuriæ æstibus furit, non utique pius censendus est ; qui vero his expers est, reformatas habens animæ affectiones corque mundatum, is utique pius est. Itaque sine pietate, hujuscemodi corporalis exercitatio ad modicum confert : in se enim et sine habitudine ad pietatem improficua valde est. Verumtamen, quam sit nedum utilis, imo necessaria quoque ad pietatem relata, paulo ante innotuit. (art. præced.)

Quid est ergo, carissime, quod nos sacris diuturnisque vigiliis, abstinentiis multis et consimilibus corporalibus observantiis fatigamus, ea vero quæ in primis atque potissime Deus noster a nobis requirit, nec habemus neque sortiri enitimur, mentem videlicet puram, et in Dei obsequio diligentem atque sollicitam ? Interdiximus nobis sæculi voluptates diversas, carnales illecebras, variasque sensuales delicias ; et nunc a fœdissimis ac pœnalissimis detractionis indignationisque passionibus abstinere nec curamus neque satagimus. Præterea, qui propter Christi amorem, ad relinquendos itemque spernendos carissi-

mos parentum vultus, universos propin- A quos ac sodales dilectos, agros et floridum cum omnibus suis concupiscentiis mundum invictissimi fuimus, jam ab exiguis causis, a parva injuria, a modico verbo, a quotidianis atque levissimis istis negli- *Eccli.* XIX, 1. gentiis (quas qui non vitat, paulatim defluit, et in gravia incidit) vincimur, et velut effeminati succumbentes confodimur. Erubescibilis certe et infelix prorsus conditio : nempe qui maxima, imo cuncta reliquimus, pro vilium rerum appetitu molestissimas ubertim contentiones B murmurationesque movemus, conturbantes alios, propriamque pacem lædentes, ob quam servandam cetera cuncta spernenda sunt. Et cur hoc, nisi quoniam adhuc interior manet inculcata affectio et cupido inexstirpata? Ideoque gaudet super nos æmulus noster, ad hoc nos fugisse omnia cernens, ut nunc minima appetamus, atque propter vilia superemur. Omnia ergo hæc corporalia exterioraque opera ad interiorem reformationem indesinenter vertamus : alioqui inordinata erit conver- C satio nostra, et qui a fervore incepimus, in tepore consummabimur.

ARTICULUS XIX.

De debito solitudinis.

Thren. III, 26. B*ONUM est præstolari cum silentio salutare Dei.* Non sine causa homines fugientes ad solitudinis hujus locum convenimus. Nempe cur utique solitudo instituta censetur, nisi ut nos ipsos plenius D discutiamus, atque Deo omnipotenti puriori liberiorique mente vacemus? Noverimus itaque hoc nos locō huic debere, ut propriam vitam infatigabiliter attendamus, pensemus, dijudicemus, emendemus, atque mundo serenoque corde divinis infigamur. *Ps.* XXVI, 4. Unde Psalmographus : Unam (inquit) petii a Domino, hanc requiram : ut inhabitem *Ibidem.* in domo Domini. Et cur? nisi, Ut videam *Joann.* VIII, 29. (ait) voluntatem Domini : quatenus scilicet quæ placita sunt ei agamus semper atque fideliter. Nos ergo, non proximos, judicemus, increpemus, odiamus, disciplinemus, lugeamus, recolentes præterita, præcaventes futura, considerantes præsentia : quatenus tempora infructuose dilapsa recuperemus, præsentia salubriter occupemus, itemque futura præordinantes, sine offensione curramus.

Insinuat tibi, o cellita, si tamen intelligis, ipsa cella, te mundo huic mortuum atque sepultum, soli autem Christo viventem esse debere. Enimvero hoc (ni fallor) peculiariter nostræ utique conversationi attinet, nil consolationis aut quietis in hac vita requirere, sed nec velle in præsenti bona recipere, magis vero honores respuere, subjectione itemque contemptu gaudere, paupertatem concupere, neque facultates dumtaxat, sed cupidines insuper ab intimis pellere. Non enim ad requiem, non ad dominandum deliciandumque cellam ingredimur, imo ad pugnam atque agonem, et item ut propter Deum mortificemur tota die, ad eremum *Ps.* XLIII. proficiscimur.

Porro, ad eremum venire, summæ quidem perfectionis exstat exordium ; imperfecte autem negligenterque in ea vivere, summa æque exsistit damnatio. Quid equidem prodest, si quietus locus corporaliter teneatur, in præcordiis vero inquietudo versetur? Quid demum confert, si habitaculo insit silentium, incolæ autem vitiorum tumultus et compugnantia passionum, dum exteriora nostra ornat serenitas, interiora vero conturbat tempestas?

Periculosa prorsus res est damnationisque plena, in cella segniter ac carnaliter vivere, torpere, non de die in diem proficere, et nedum non per singulos dies meritis merita bonisque bona conjungere, sed deficiendo, a fervore ad teporem, a spiritu ad carnem descendere. Formidandum quippe huic est quod ait Altissimus : Non permanebit spiritus meus in homine *Gen.* VI in æternum, quia caro est. Et denuo ad pigrum atque ingratum : Quomodo (ait) *Jer.* II, juxta L conversus es in amaritudinem vitis alie-

poc. III, 16. næ? Itemque : Utinam calidus esses aut frigidus; nunc autem quia tepidus es, incipiam te evomere de ore meo.

Denique, quo in loco hoc plura atque ad proficiendum aptiora habemus media, eo utique, si eisdem abutimur, amariora meremur tormenta. Id ergo propheticum ch. VI, 8. nostris semper insideat cordibus : Indicabo (inquit) tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium et justitiam, et sollicitum ambu- iilipp. II, lare cum Deo tuo. Et Apostolus : Cum timore (ait) et tremore vestram salutem operamini.

Certissime itaque elucescit nil prorsus prodesse, si mundum corporaliter quidem reliquimus, et eumdem nihilo minus per desideria prava atque carnalia intra nos inclusum tenemus. Non sunt enim fugiendæ Dei creaturæ eo quod creaturæ, aut quasi essentialiter malæ, sed quoniam in via Dei sunt nobis nocivæ. Quod si eis affectu quidem conjungimur, quid penitus confert quia loco ac corpore et temporum quoque diuturnitate ab ipsis segregamur? Attendamus ergo vocationem hes. IV, 1. nostram, et videamus quomodo digne ambulemus secundum professionem quam coram Deo multisque testibus professi sumus.

ARTICULUS XX.

De exercitiis et occupationibus cellitis discrete sapientialiterque in cellis prosequendis.

or. XIV, OMNIA *autem honeste et secundum ordinem fiant in vobis.* Quo natura entis simplicior est, eo quoque operatio ejus indistinctior; porro cujus substantia compositior est, hujus actio multiformior. Ideoque Dei benedicti, cujus utique essentia est unitas pura, actio æterna est, incommutabilis et ab agente indistincta; atque post hunc, immaterialium illorum ordinibus supernorum spirituum quemadmodum est species simplex, sic et stabilis actio. De-

A nique, humana natura omnibus universi naturis compositior exstat : quippe quæ cum cunctis communicat, et quodammodo omnis creatura exsistit, quemadmodum Dominus : Prædicate (inquit) Evangelium omni creaturæ, id est homini. Elucescit igitur, quia hominis quoque vita et actio compositissima ac summe multiformis consistat. Singulæ nempe vires animæ suas alternatim atque vicissim operationes efflagitant, connaturalesque pro loco, causa et tempore actiones requirunt. Siquidem B nunc operationibus potentiarum partis sensitivæ, nunc vegetativæ, nunc secundum locum motivæ, nunc autem intellectivæ, insistere par est. Et in his quidem ordo servandus est, quatenus secundum rationis censuram atque intellectivæ partis exigentiam ceteræ cunctæ moderentur actiones.

Marc. XVI, 15.

Itaque, quoniam animæ vires et actus multi diversique sunt, et tempora æque distincta; temporibus aptanda sunt opera, singulisque horis sunt exercitia debita C danda : ut dum psallendi tempus est, psallamus; dum meditandi, meditemur; dum operandi, operemur; dum plangendi, plangamus; dum vigilandi, vigilemus; dum dormiendi, dormiamus; dum surgendi, surgamus; dum vescendi, vescamur; dum egrediendi, egrediamur; dum includendi, includamur; dum silendi, sileamus; dum profandi, effemur; dum disciplinandi, disciplinemus; dum orandi, oremus; dum lætandi, lætemur; dum abstinendi, abstineamus. Hoc enim modo omnia nostra D honeste ordinateque fiunt.

ARTICULUS XXI.

Quæ sint sacra dulcissimæ cellæ opera.

QUEMADMODUM Aristoteles ait, finis per se appetibilis est; media vero ad finem a fine in bonitate dependent, atque secundum finis congruentiam venanda ordinandaque sunt. Porro in superioribus art. VII. finis solitarii, eremi causa cellæque ratio

ac cellitæ summa perfectio, pura ac excellentissima divinæ imitatio vitæ statutus est. Hæc demum deiformis imitatio aliud prorsus censeri nequit quam divinorum affectuosa stabilisque contemplatio. Ea itaque opera quæ ad hanc efficacius compendiosiusque perfectionem deducunt, cellitæ exercitia perhibere oportet.

Hæc vero bipartita opinor : quædam cunctis debita atque communia, ea videlicet quæ solitariorum Ordo, regula sive statuta inducunt, ut est Horarum solutio, silentii tenor, jejunii rigor, vigiliarum servatio, atque vestitus abjectio. His quoque congrua deputata sunt tempora, quæ præteriri nefas est de communi lege. Denique alia cellæ opera spontanea sunt, singularia, atque secundum uniuscujusque capacitatem et item dispositionis modum singulis ubi, quando et quomodo expedit applicanda atque donanda. Non enim cunctis cuncta conveniunt, et sicut Dionysius asserit, quod uni est decor, alteri deformitas est; estque huic cibus, quod illi venenum. Sunt insuper exercitia hæc varia multumque distantia : studium scilicet, lectio, scriptio, et extraordinaria itemque spontanea meditatio, atque omnino prostratio, luctus, compunctio. Rursus alia rudiora sunt ac minus utilia : ut est labor manuum, horti cultura, ministerium frequens, hisque conformia. In his ergo se quisquam exerceat, quæ se ferre posse considerat, sibique fructuosiora cognoscit; nec tamen uni semper occupationi neque nimis insistat : imo, quemadmodum Antonio angelus ipse ostendit, nunc spiritualibus, nunc corporalibus vacet.

Eccli. XXXVII, 31. — *Cf.* t. XVI, p. 174 B et 6.

Verumtamen in corporalibus non utique spiritualium oblivisci æquum est, quoniam incessanter quidpiam mentem custodiens devotionemque conservans, animo volvendum ac cordi infigendum exsistit, quo duce ad Deum dirigatur spiritus, atque ad vocationis professionisque nostræ finem animæ revehatur intuitus. Enimvero quidam, secundum Cassiani eloquium, ad hoc hunc sibi assumunt versiculum : Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina. Alii vero hunc : Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua; Domine, non confundar, quoniam invocavi te; aut simile quiddam, uti spiritus suggerit. Verumtamen ego interim hunc prælegi, atque utiliorem mihi arbitratus sum : Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Nempe, quoties mente conturbor aut distrahor immundave meditor, hunc orans versiculum, unde elapsus sim, quo etiam me vertere debeam, protinus audio moxque adverto. Præterea, qui Mariæ devoti sunt, angelicam hoc modo Salutationem aut aliud de ea quidpiam revolvunt.

Ps. LXIX, 2. — *Ps.* XXX, 17, 18. — *Ps.* L, 12.

Itaque, si ferre valemus, ea uberius agamus opera, hisque intendamus frequentius, quæ singulari nostro fini viciniora sunt, mentisque munditiam amplius alunt minusque dispergunt. Porro infirmioribus rudiora propter recreationem indulta sunt. Scribere tamen nobile est monachi inter corporalia opus, quatenus qui lingua prædicare et docere nequimus, libris conscriptis legentes ædificemus, atque prædicandi eisdem materiam relinquamus. Hoc statuta nostra plenius pandunt.

ARTICULUS XXII.

De fructu dignitateque studii.

QUIA *tu scientiam repulisti,* ego *repellam te,* ait Deus sublimis, *ne sacerdotio fungaris mihi.* Et cur hoc utique, nisi (quemadmodum idem ipse denuo asserit) amplius scientiam Dei quam holocausta requirit? Itaque, quoniam omnis Scriptura sacra divinitus inspirata est (fons enim sapientiæ, Verbum Dei in excelso), palam (ni fallor) innotescit, quoniam dum studemus, verba Dei audimus atque percipimus. Et scimus quia cujus sermonem audimus, hic nos alloquitur. Ideoque Hieronymus atque Isidorus : Dum oramus, inquiunt, Deum alloquimur; dum

Osee IV, 6. — *Ibid.* VI, 6. — *Eccli.* I, 5.

autem studemus, nos Deus affatur. Nempe divini (ut Dionysius fassus est) verba Eloquii, non utique humano aliquando sensu allata sunt. Hinc equidem rex Messias : Non vos (inquit) estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Rursusque : Dabitur (ait) vobis in illa hora quid loquamini.

Cf. t. XV. 55 B', 387 B', 432 C. — Petr I, 21. — Matth. x, 20. — Ibid. 19.

Propterea, dilecte, sacra Scriptura, et item Catholicorum volumina, nedum frequenter, sed diligenter insuper reverenterque contuenda sunt atque legenda. Enimvero quis fidelis humilisque minister missam sibi ab illustri benignoque principe epistolam vel segniter legat, aut demum vilipendendam existimet? Nos ergo cur orthodoxorum libros, qui aliud prorsus quam Spiritus Sancti epistolæ censeri nequeunt, sic relinquimus? tam parum curamus, tam raro perlegimus, tam fastidiose audimus? Imo studiosos quoque sæpe arguimus, vel vere vel suspiciose dicentes : Quia deficient, habebitque *studeo, stultum* in supino ; non habet, fatetur poeta, scientia æmulum, nisi nescientem. Utinam hi Christi advertant amabilissimam simulque sanctam atque tremendam sententiam : Qui ex Deo (inquit) est, verba Dei audit. Denique quod mox junxit, vehementius formidandum opinor. Ait equidem : Propterea vos non auditis, quoniam ex Deo non estis. Summo ergo affectuosoque studio divinis insistere libris par est. Nihilo minus in hoc utique præsertim discretionis congruit moderamen servare, atque quid ingenium capere sufferreque possit, sapienter pensare. Non enim singulorum ingenia æque disposita sunt, aut certe eorumdem capacia.

Joann. VIII, 47. — Ibidem.

Res laboriosissima (ut Averroes dixit) est studium ; sataguntque in eo (quemadmodum Alphorabius et Avicenna fatentur) potentiæ animæ tam sensitivæ, exteriores interioresque, quam intellectivæ. Verumtamen, quo labor pœnalior, eo fructus eximior. Attamen, ut reor, studioso atque philosopho, hoc est sapientiæ amatori, studium ipsum suave est laborque levis. Habet namque, secundum Aristotelem, philosophia, et item, secundum theologum Dionysium, theologia, admirabiles sibi atque sinceras delectationes admixtas. Nec ignoramus quia delectatio tenet itemque confortat operantem in opere. At vero, per intellectum a brutis sejungimur, atque cum supermundanis (ut Damascenus induxit) animis communicamus. Job nempe : Erudit (inquit) nos super volatilia cœli et jumenta terræ. Siquidem a ratione, quæ in nobis intellectus est, speciem sortimur. Porro scientia intellectus decor est atque perfectio. Scientia vero per studium adipiscitur. Ideo, si rite concludo, per scientiæ adeptionem angelici sumus bestialesque esse desinimus. Est ergo scientia vehementer amabilis. Denique, qui de illustribus viris conscribunt, eos dumtaxat qui libros quoque ediderunt, annumerant, tanquam scientia illustres constituat. Verumtamen in humilitate fundanda est ac caritate formanda.

Cf. t. XV, p. 485 C; XVI, p. 98 B'. — Job xxxv, 11.

Denique, studii fructum insinuans sacer Hieronymus : Ama, inquit, studia Scripturarum, et celeriter tibi vilescent gaudia carnis. Novi divinorum studium diligens atque intensum, ab exterioribus atque mundanis deliciis, delectationibus quoque carnalibus animam vehementer abstrahere, sicque insuper in se repente studiosum afficere, ut a studio cessare ac surgere, atque ad cibum sive colloquium reliquasque naturæ necessitudines proficisci, ingens sit mentis afflictio.

Adhuc autem, quemadmodum Daniel ait, qui multos erudiunt (vel verbo vel scripto) ad justitiam, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. Unde Sponsa in Canticis Sponsum affari exorsa : Apprehendam te (inquit) et ducam in domum matris meæ ; ibi me docebis. Omnino ergo intendamus studio sancto. Omnis enim scientia* a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante omne ævum. Et sicut in libro Causarum scriptum recordor, causa prima creat scientias.

Dan. XII, 3. — Cant. VIII, 2. — Eccli. I, 1. — * sapientia

Præterea, certis ingeniis certa sunt stu-

dia apta. Sed et naturales atque philoso- A
phici libri, maxime autem Platonis ejus-
que sequacium, non omnibus prosunt ne-
que legendi sunt. Verumtamen ei qui
discreti ingenii est, non mediocriter con-
ferunt, si ordinate legantur. Conformis
quippe est habitudo scientiarum et rerum :
ideoque, quemadmodum Creatori servit na-
tura, sic theosophiæ naturalis scientia. Por-
ro contemplatio ordinis naturæque re-
rum, ut Hugo Richardusque aiunt, ad
Divinitatis speculationem scala est sive
Rom. I, 20. ascensus. Invisibilia namque Dei per visi- B
bilem mundi facturam noscuntur. Peni-
tus ergo corripiendi sunt qui philosophica-
le studium tam indiscrete vituperant, quod
a sanctissimis quoque eatenus prædile-
ctum est.

ARTICULUS XXIII.

Ne operi manuum immoderate insistamus.

De iniquis fari orsus Psalmographus : C
Ps. LXXII, 5. In labore (inquit) hominum non sunt,
et cum hominibus non flagellabuntur.
Quod quam damnosum sit, mox pandit :
Ibid. 6. Ideo (inquiens) tenuit eos superbia, operti
sunt iniquitate et impietate sua. Quocontra
de laborante idem ipse loquens denuo :
Ps. CXXVII, 2. Labores (ait) manuum tuarum quia man-
ducabis, beatus es, et bene tibi erit. Porro
II *Thess.* III, 10. Apostolus : Qui non vult operari (ait), nec
manducet.

Sed dicet quispiam : Numquid manuum
labor eatenus necessarius censendus est, D
ut sine eo non sit nobis reposita salus,
quoniam tam terribiliter intonat aposto-
lica tuba voxque prophetica ? Responden-
dum autem, divini illud mandatum Apo-
stoli non utique omnibus traditum, sed
his præsertim de quibus adjunxit ipse :
Ibid. 11. Audivimus (inquiens) quosdam inter vos
ambulare inquiete, nihil operantes, sed
curiose agentes. Porro evangelizanti de
Luc. X, 7. Evangelio sustentari licere, Christus insi-
I *Cor.* IX, 13. nuat. Nempe qui altario deserviunt, de
altario utique vivunt. Ideoque rursus Apo-
stolus parum esse designans illorum cor-
poralibus participare quibus ipsi spiritua-
lia nostra communicamus : Magnum (ait) I *Cor.* IX,
est, si vobis spiritualia seminavimus, quia
carnalia vestra metimus ? Et nos igitur
qui divinis intendimus atque spiritualibus
mancipati exsistimus, eorum sine periculo
itemque dispendio eleemosynis vescimur,
pro quorum salute spiritualia fideliter ef-
ficaciterque exsequimur.

Denique, labor hominum multiplex est.
Est equidem labor mechanicus, et est de-
nuo labor pœnitentialis atque divinus. Qui
autem in horum neutro consistit, non uti-
que gratiæ Dei consors est, neque salutis
est particeps : quemadmodum hi qui in
divitiis affluunt, in deliciis vivunt, libidini
serviunt, otio vacant. Et quanquam his la-
bor dolorque immixti sunt (uti de se ipsis
peccatores in novissimo die, Scriptura te-
ste, fassuri sunt : Ambulavimus vias diffi- *Sap.* V, 7
ciles ; itemque : Lassati sumus in via ini- *Ibidem.*
quitatis), nihilo minus, quia hæ ipsis viæ
amplius placent delectabilesque exsistunt,
quippe qui Deo dicunt, Recede a nobis, *Job* XXI,
scientiam viarum tuarum nolumus ; et qui
insuper gloriantur quum malefecerint, et *Prov.* II,
exsultant in rebus pessimis : propterea
qui eis inhærent, se otio ludoque vacare
profantur ; et hi miseri sunt, et misera-
biles nimis. Procedit namque tanquam ex *Ps.* LXXII,
adipe iniquitas eorum, transeuntque in af-
fectum cordis. Etenim cum securitate et
absque ullo pavore peccantes offendunt : *Eccle.* VIII, 11.
non enim est timor Dei ante oculos eorum. *Ps.* XIII,

Enimvero, quum sit exterior labor pro-
pter interiorem profectum, quemadmo-
dum mulier propter virum ; sic manuum
sæpe labori, dum oportet, vacandum, ne
mentis quieti sive fervori repugnet, neque
eos minuat, tollat aut lædat. Sed in hac
re sunt qui indiscrete valde se habent :
quippe qui indebitis et ad diviniora depu-
tatis temporibus se manualiter occupant,
ubertim ante Missam, interdum post Ve-
speras ; et interdum nec tunc operari de-
sistunt, dum pro Horis dicendis pulsus

auditur: ad quod ob id eos hostis discreti- A
onis inflammat, quatenus postmodum divi-
nis tepide intersint, phantasiis volvantur,
fatigatione lassescant, debitumque Dei ob-
sequium indevote atque celeriter solvant.
Unde a spiritualibus nunquam in corpora-
lia vel longe aut certe in totum animus
abeat : quin imo sic ab illis ad ista descen-
dat, ut ad ea de facili redire assuescat ;
taliterque demum illis se mutuet, ut istis
pro viribus incessanter inhæreat. Neque
spiritualia agens, ad exteriora festinet, nec
in eis se prorsus effundat ; amplius vero B
a manualibus ad interna acceleret, atque
in ipsis tanquam in his quæ propter se
appetibilia perhibentur, stabiliri festinet.

ARTICULUS XXIV.

Ut non judicemus, nec indignemur, sed nec damnemus neque spernamus.

xxiii, 1. QUI *spernis, nonne et ipse sperneris ?*
ait Sanctus. Nempe qui spernit fra- C
trem suum, odibilis est. Exigit (ni fallor)
a nobis solitariæ mansionis proprietas at-
que statutum, ut sui ipsius unusquisque
solertem unicamque custodiam habeat, se
solum discutiat, judicet, damnet, neque
impunitum relinquat. Mane inquirat quem-
admodum nocturnum tempus exegerit, qua
alacritate divina persolverit ; et item qua-
liter instantem diem fructuose decurrat,
sapienter instituat. Denique vespere con-
tuendum quomodo dies ipse defluxerit,
quid agendorum omissum, quid etiam D
omittendorum commissum, quid profece-
rit, quantumque proficere potuerit, sed
neglexit ; atque advenienti se nocti præ-
paret. Hoc utique modo Arsenium vixis-
se agnovimus. Et scimus quia si quis ita
.lxxxiii, sese instituens ordinet, ibit continuo de
virtute in virtutem, videbitque insuper
Deum deorum in Sion. Itaque, si ceteri
quoque alios judicare, damnare, vilipen-
dere et eis indignari prohibentur, quanto
amplius nos, quos potissime misericordes
et mites, circumspectos et humiles, pa-
tientes et amantes esse oportet ?

Enimvero, quo frequentius itemque sol-
licitius nos alios judicare, et item cetera
jam nominata, sacra vetat Scriptura, eo
utique ei obedire salubrius est, atque non
parere, perniciosius. Advertendum ergo
paulisper quoties atque a quonam judi-
care et damnare vetemur. Nempe Unige-
nitus Dei : Nolite (inquit) judicare, et non *Luc.* vi, 37.
judicabimini ; nolite condemnare, et non
condemnabimini. Denique indignari atque
contemnere prohibens : Qui irascitur (ait) *Matth.*
fratri suo (sine causa), reus erit judicio ; v, 22.
qui vero dixerit ei (subaudiendum, sine
causa), Raca (hoc est indignantis animi
verbum), reus erit consilio ; qui autem
dixerit (sine causa utique), Fatue (quod
ad contemptum pertinet), reus erit ignis
gehennæ.

Quam ubertim præterea nos alios ju-
dicare Vas electionis, divinus Apostolus,
prohibet ! Siquidem in epistola ad Roma-
nos, non longe ab exordio, terribiliter ait :
Propter quod inexcusabilis es, o homo *Rom.* ii, 1.
omnis qui judicas : in quo enim judicas
alterum, te ipsum condemnas. Et post
pauca : Existimas (inquit) hoc, o homo *Ibid.* 3.
omnis qui judicas eos qui talia agunt et
facis ea, quia tu effugies judicium Dei ?
At vero circa ejusdem epistolæ finem ita
asserit : Qui manducat, non manducantem *Ibid.* xiv,
non spernat ; et qui non manducat, man- 3. 4.
ducantem non judicet. Tu enim quis es,
qui judicas alienum servum ? Suo Domino
stat aut cadit. Rursusque post modica :
Tu (ait) quid judicas aut spernis fratrem *Ibid.* 10, 12.
tuum ? Omnes enim stabimus ante tribunal
Christi, et unusquisque pro se rationem
reddet Deo. Non ergo amplius invicem *Ibid.* 13.
judicemus, sed (quemadmodum hortatur
Apostolus) hoc potius judicemus, ne po-
namus offendiculum fratribus aut scan-
dalum.

Elucescit, opinor, ex superbia temera-
rium emanare judicium. Ideoque, quoni-
am in epistola ad Romanos contra super-
biam præsertim disputare intendit sanctus

Apostolus, ob id in hac ipsa epistola tam sordire judicare prohibet : quod nihilo minus alibi quoque effecit. Siquidem prima ad
1 Cor. iv, 5. Corinthios : Nolite (ait) ante tempus judicare, quoadusque adveniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. Igitur, dum peccantem cernimus fratrem, non mox judicantes damnemus neque spernamus, quin potius quid dicat Apostolus remi-
Galat. vi, 1. niscentes, impleamus sic : Fratres (inquit), etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris. Igitur ad mutuam tolerantiam fraternamque compassionem nos hortans, atque in hoc ipso perfectionis plenitudinem sta-
Ibid. 2. tuens sacer Apostolus : Alter (inquit) alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.

Amplius, quemadmodum Augustinus disseruit, duo sunt in quibus judicium vitare debemus : dum videlicet quo animo res gesta est, ignoramus ; et qualis qui excessit sit futurus, nescimus. Unde, quoniam hoc nobis semper ignotum est qualis quispiam erit, nunquam personam judicare absolute debemus : quippe quam in omni momento potest omnipotens clemensque Deus secrete convertere atque mundare. Ceterum, actum nonnunquam, dum utique certum est quo animo factus sit, vel si talis est qui ex proprio genere malus censetur, judicare nihil prohibet. Non itaque idem est, judicare actum, et judicare personam.

Qui sic cum proximo suo se habet, illum scilicet non judicans, vilipendens, damnans, nec ei indignans, sed se semper considerans, spernens atque condemnans : is utique cum eo serene stat, et se ab eo
Eccli. xxxi, 9. sapienter custodit. Sed quis est hic ? et laudabimus eum : fecit enim mirabilia in
Exod. xiv, 21. vita sua ; et mirabiliora utique quam Moy-
III Reg. xvii, 22. ses aquas dividens, aut Elias mortuum suscitans, vel Petrus umbra sua languidos
Act. v, 15. sanans. Magna namque est perfectio ista, neque subito aut certe de facili eam sortiri valemus : siquidem, quemadmodum Patrum nescio quis dixit, nisi posuerit ho-
Allois abbas. mo in corde suo, quia ego solus et Deus sumus in hoc mundo, ad hujus verbi mensuram conscendere nequit. Denique abbas Moyses : Nisi posuerit, ait, homo in corde suo, quia jam tres annos habeat in monumento, perfectionem hanc non continget. Nihilo minus, quia possibilis est, ad eam indefesse curramus ; et quamvis eam nos apprehensuros vix confidamus, ei tamen utcumque propinquare, præclarum putemus.

Porro modus propinquandi, imo et pertingendi, hic est, quem et in Vitaspatrum docemur. Anima namque mea atque confratris mei anima, duæ quædam res sunt ac duæ imagines. Igitur, si propriam animam conspiciam, ejusque peccata, insufficientiam, pigritiam, ingratitudinem, pericula et vilitatem vere et indesinenter contempler, ipse mihi fœtebo, itemque vilescam, nec proximi culpas videbo, neque eum despiciam, quin potius ipse circa me anxius ero atque sollicitus, et justificabitur in conspectu meo etiam ipse injustus. Rite recteque ad hujus proficiscebatur altitudinis arcem perfectionisque culmen, qui ab abbate Pastore interrogatus unde hanc formam perfectionum adeptus, quia nullius se rei in cœnobio contingentis medium faceret, neque de aliis se immisceret, respondit : Ex quo in monasterio fui, posui in corde meo quoniam ego et asinus unum sumus. Præterea et alter, de quo Cassianus conscripsit quia dum ab eo quidam sciscitaretur quomodo tam patienter ejectionem sui a refectorio mensaque Fratrum ferre potuisset, respondens : Fixi, inquit, in animo meo, quia canis et ego unum sumus. O beata rusticitas ! o sancta simplicitas ! Non hanc didicit egregius Plato, nec Aristoteles Græcorum sapientissimus. Hanc certe didicisse scireque mallem quam Aristotelis physicam omnemque philosophiam inanem ac tumentem scientiam.

ARTICULUS XXV.

Ne nos ipsos aliquid esse opinemur, neque in propria confidamus justitia; sed timeamus, atque confratribus nos inferiores arbitremur.

ann.xiii, et seq. ANTE diem festum Paschæ, volens Unigenitus Dei hominem salubriter instituere, veram perfectamque humilitatem et opere et verbo edocuit. Siquidem postquam lavisset pedes discipulorum, inter
uc. xxii, cetera hoc quoque dixit : Qui major est in vobis, fiat tanquam minor; et qui præcessor est, sicut ministrator. Propterea
ccli. iii, Sapiens : Quanto (inquit) major es, humi-
Cor. iii, lia te in omnibus. Scientes ergo quoniam non sumus sufficientes cogitare aliquid a
Cor. iv, 7. nobis tanquam ex nobis, nihilque habemus quod non accepimus, et denuo quoniam nisi Deo conservante nos, nec in bono stare ne in momento quidem vale-
etr. v, 6. mus, humiliemur sub potenti manu Dei, simulque formidantes, sollicite ambule-
ccle. ix, 1. mus, nescientes an amore digni simus, an C odio, neque quo utique modo consummabimur agnoscentes.

Denique apostolicum illud pensantes,
alat. vi, 3. Qui se putat aliquid esse, quum nihil sit, ipse se seducit, juxta sancti Apostoli sa-
om. xii, pientiale consilium, honore invicem præve-
hilipp. ii, niamus, arbitrantes nobis alios meliores : propria namque peccata atque defectus certius clariusque intuemur quam fratrum. Palam prorsus est, quoniam quo nos ipsos profundius discutimus pleniusque agnoscimus, eo aliorum imperfectum mi- D nus attendimus : imo nec si quod est videmus, et si videmus, comparatione propriæ iniquitatis velut nihilum reputamus. Hoc quippe modo se sapientissimus Paulus
Tim. i, 15. conspexit : Venit (inquit) Jesus peccatores salvos facere, quorum ego primus sum.

Verumtamen sunt quorum obtenebratus est oculus mentis, in suis dumtaxat cellis
ann. i, 9. solem illum qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, lucere putantes, sibique vel solum aut certe præ-

A sertim serenitatem adesse imaginantes. Sed non sic, carissime, non sic. Quin potius, dum nobis gratiam infundi sentimus, id magis pensemus atque dicamus : Quia
si Deus ille piissimus, qui utique prope Ps. cxliv,
est omnibus invocantibus eum, cum no- 18.
bis tam indignis tamque ingratis sic clementer gratioseque agit, quanto amplius cum aliis, quos nobis meliores rite censemus?

Semper itaque sermonis sancti patris nostri abbatis Pastoris reminiscamur. Ait B equidem : Debet tam incessanter monachus humilitatem et timorem recolere, quam indeficienter necesse est anhelitum ipsum retrahere. Et alius Patrum : Hæc est, inquit, humilitas vera, ut sub irrationabilibus quoque rebus humiliemus nos ipsos. Et revera hoc merito implere tenemur, quippe qui nos toties omnipotentem Deum, creatorem ac salvatorem nostrum, inhonorasse, offendisse sprevisseque scimus. Unde et Aristoteles ait quia homo bestialiter vivens, brutis decies millies deterior est. Grata Deo res exstat humilitas : quam is celeriter possidet qui
sibi nil boni adscribit. Ideoque David, vir Act. xiii,
secundum cor Dei : Ero (inquit) humilis 22. II Reg. vi,
(id est vilis et modicus) in oculis meis. 22.
Rursusque : Ego (ait) sum vir pauper et I Reg.
tenuis. xviii, 23.

ARTICULUS XXVI.

De custodia cellæ, et quam difficulter sit egrediendum ex ea.

BONUM *est præstolari cum silentio sa-* Thren. iii,
lutare Dei. Æger qui valetudinarium 26.
suum nondum sanatus egreditur, mox vehementiorem languorem incurrit. Sed et fugitivus qui confugii sui locum ubertim relinquit, confestim utique capitur et perit. Valetudinarium tuum, o peccator, est cella. Denique ad eam, mundum deserens, confugisti. Persevera ergo in ea : alioqui quod in secreto studiose congregasti, in publico repente disperges. Neque valebis mentem uni vero stabilique bono infigere,

si corpus a mobilitate et cursu nequeas A cohibere. Enimvero multa prorsus foris occurrunt quæ sinceræ mentis custodiæ atque puritatis internæ impeditiva consistunt. Ideoque, dum pro causa et tempore egredi par est, custodiendi sunt sensus frenandaque lingua; et cordi divinorum quidpiam, ut Climacus ait, imprimendum, quo mens ipsa apud se maneat, seque ab immunditia ac evagatione custodiat, redeatque sic ad cellam cellita quemadmodum exiit. Placita dæmoni res in solitariæ vitæ professo, est frequens loci mutatio; sta- B bilitas autem Deo gratissima est.

Porro evidens prædestinationis indicium ipsa est cellæ jugis custodia : quoniam quidem, ut ait Bernardus, aut raro aut nunquam ad inferos a cella descenditur. A cella vero ad cœlum pauca utique distantia exstat. Nempe cellæ cœlique appellationis et rei parilitas multa exsistit : utriusque enim exercitium idem est, atque in utroque celatur Deus, contemplatur atque complectitur. Denique, reprobum tanquam abortivum evomit cella, eo quod ipsum C capere nequeat cœlum.

Igitur intus in tabernaculo Domini atque in præsentia vultus ejus, libenter cum solo Deo soli sistamus, cum Sancto dicen-
Is. XXIV, 16. tes : Secretum meum mihi. Alioqui multitudinem divinæ dulcedinis nusquam gustabimus. Etenim, quum dixisset Psalmo-
Ps. XXX, 20. graphus, Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine! quibus ipsa gustanda præ-
Ibidem. stetur insinuans : Perfecisti (inquit) eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum; locum demum degustationis D
Ibid. 21. demonstrans : Abscondes (ait) eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum, proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum.

ARTICULUS XXVII.

De silentio et forma loquendi.

Prov. XXV, 28. *SICUT urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Quam sit Christiano, præsertimque monacho, potissimum autem solitario, necessaria atque perutilis linguæ custodia ac loquacitatis exstinctio, ipse quidem frater Domini Jacobus in sua Canonica ostendens : Lingua *Jacob.* 6.
(inquit) ignis est; universitas iniquitatis lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata a gehenna. Ideoque paulo ante : Qui se pu- *Ibid.* I,
tat (ait) religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Denique, ad linguæ refrenationem nos volens inducere Unigenitus Dei Judexque sæculi : Omne (asserit) *Matth.* 36.
verbum otiosum quod locuti fuerint homines, de eo reddent rationem in die judicii. Est autem verbum otiosum, quod aut ratione justæ necessitatis aut piæ utilitatis caret.

Quoniamquidem ergo linguæ domatio eatenus necessaria est tamque difficilis (dicente Jacobo : Omnis natura bestiarum *Jacob.* 7, 8.
et volucrum et serpentium et ceterorum domantur, et domita sunt omnia a natura humana; linguam autem nullus hominum domare potest, facili videlicet conatu; inquietum malum, plena veneno mortifero. Et denuo scriptum est : Si quis *Ibid.* 2.
non offendit in verbo, hic perfectus est vir), hinc itaque beatissimi institutores nostri, omnem volentes nobis immoderatæ locutionis occasionem auferre, silentium summo sanxerunt rigore servandum, ita ut neque vera atque utilia sine præsidentis licentia effari quis audeat. Nempe is solus non utique ad illicita cadit, qui se etiam a licitis caute discreteque cohibet. Etenim hoc modo, quemadmodum Augustinus ait, Dominus omne juramentum prohibuit, non *Matth.* 34.
quia jurare semper malum sit, sed ne per liciti assiduitatem juramenti ad illicitam demum jurationem labamur. Sic a bonis quoque interdum propter obedientiam silere par est. Unde Psalmista : Obmutui *Ps.* XXXVI 3.
(inquit) et humiliatus sum, et silui a bonis.
Rursusque precatur : Pone, Domine, custo- *Ps.* CXL,
diam ori meo, et ostium circumstantiæ la-

biis meis. Porro, si sic interdum a licitis A semperque ab otiosis est lingua frenanda sermonibus, quanto magis a detractione, mendacio atque perjurio, maledicto, impudico, provocativo nocivoque verbo eam prorsus coercere oportet?

Præterea, vitæ beatitudinem in linguæ
s. xxxiii, 14. custodia constituens David : Quis est (ait) homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum.

Elucescit itaque, magnam nimis itemque vehementer proficuam silentii esse virtu- B tem, nec minus grave perniciosumque censendum, quod nonnulli hujus professores virtutis, tam incustoditi tamque leves atque proclives ad loquendum exsistunt : quippe qui de facili et sine necessitate pauca verba, etiam nedum interdum, sed ubertim pronuntiant, non se silentium propterea frangere recensentes, quoniam verba pauca sunt, quum tamen omnis perfecta oratio illicite lata silentio deroget. Denique, etsi ipsum interdum peccatum veniale sit, usus tamen ejus morta- C lis efficitur : ideoque satis formidandum est eis qui sic susurrare et pauca loqui sine licentia et necessitate assuescunt.

Manifestum opinor, quoniam quo quispiam internæ munditiæ ardentior exstat zelator, eo linguæ moderantior esse sat-
Prov. xxi, agit. Siquidem qui custodit linguam suam, custodit animam suam. Hæc namque tria potissimum, linguam scilicet, visum et ventrem, pro mentis puritate servanda, refrenanda seniores illi sanctissimi fassi sunt. Palam est equidem, omnem mentis D internam sanctamque collectionem, spiritualem singularemque gratiam, atque ipsius in Deo mentis fixionem, nullo pene tam repente dispergi, exanimari ac perdi, quemadmodum loquacitate et immodera-
Eccli. , 8. mine linguæ : quoniam qui multis utitur verbis, ut Sapiens ait, lædit animam suam.
Ibid. 5. Et idem ipse denuo : Est (inquit) tacens, qui invenitur sapiens; et est odibilis, qui pro-
Ibid. 13. cax est ad loquendum. Et post pauca : Sapiens (ait) in verbis se ipsum amabilem facit.

Ideoque, quemadmodum scimus (et utinam sciendo sequamur), Patres nostri, a quibus Ordo noster institutionis suæ est sortitus originem, linguæ continentissimi erant. Enimvero, ut legimus, abbas Agathon tribus in ore annis lapidem gessit, quatenus silentium disceret. Et abbas Pambo quum accedenti se episcopo rogaretur a Fratribus ædificationis eloqui verbum : Si non ædificatur, inquit, in silentio meo, non ædificabitur in eloquio meo. Porro abbas Macarius quum ecclesiam egredientibus diceret Fratribus, Fugite, Fratres; illique vicissim sciscitarentur, Quid fugiemus, Pater? digitum mox ille ori superponens : Hoc est, ait, quod fugiendum contestor. Denique senior quum ad Antonium cum Fratribus sibi ignotis, atque inter se varia, prout materia se obtulit, narrantibus, navigio terraque venisset, dixissetque ei Antonius, Bonos itineris tui invenisti comites, abba? respondens ille : Boni, inquit, sunt, sed stabulum eorum ostio caret : quicumque enim vult, ingreditur et solvit asinum.

Sunt ergo præterea in locutione, quemadmodum in aliarum quoque actibus virtutum, certæ circumstantiæ conditionesque tenendæ. Nempe qui sermonem suum perfecte discreteque dirigit, et veram loquendi formam observat, quinque (ni fallor) attendit, utputa quid loquatur, quo tempore, quo loco, cui et quomodo. Ea equidem quæ mentem custodiunt, fervorem inflammant, gratiam alunt, salutique conferunt, loquenda consistunt; quæ vero mentem resolvunt, corque intimoratum efficiunt, prorsus vitanda sunt. Corrumpunt enim I Cor. xv, 33.
bonos mores colloquia mala. Et B. Benedictus : Verba, inquit, scurrilia atque risum moventia, perpetuo anathemate ubique damnamus. Unde Apostolus : Sermo Coloss. iv, 6.
(ait) vester semper sit in gratia sale conditus. Denique tempus est loquendi, et item Eccle. iii, 7.
tempus tacendi. Sed et alia demum loca colloquio, atque silentio alia concessa censentur. Insuper, cui loquimur, adspicere par est. Aptandus est enim sermo capa-

citati, statui, dispositioni et profectui A audientis. Si quoque coram majoribus sumus, est servanda modestia, quemadmodum scriptum est : In medio seniorum ne adjicias loqui. Et rursus Sapiens : In auribus (inquit) insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquii tui. Porro condecens sonus gestusque compositus in locutione serventur. Sed sunt qui se instar aquæ effundunt, nec tempus nec causam exspectant, et interdum neque tunc silere queunt, quum se vel non audiri vel non curari advertunt. Quocontra edocet Sa- B piens : Priusquam audias, ne respondeas verbum ; et denuo : Sapiens tacebit usque ad tempus, lascivus autem et imprudens non servabunt tempus. Rursusque : Ubi non est auditus, non effundas sermonem. Qui enim ad loquendum velox est, non erit sapiens. Est autem virtus magna resque amabilis, ut sit sermo dulcis, et homo affabilis. Unde Sapiens : Nonne (ait) ardorem refrigerabit ros? sic et verbum melius quam datum. Etenim, ut Macarius fassus est, verbum mansuetum atque suave, etiam C duros mollificat, convertit et corrigit ; amarus vero asperque sermo, bonos quoque interdum conturbat.

Eccli. XI, 8. *Prov.* XXIII, 9. *Eccli.* XI, 8. *Ibid.* XX, 7. *Ibid.* XXXII, 6. *Prov.* XXIX, 20. *Eccli.* XVIII, 16.

ARTICULUS XXVIII.

De solitudine fructuosa atque felici.

Osee II, 14. DUCAM *eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.* Est solitudo quædam sterilis et infelix, bestialis, itemque pœ- D nalis, ea utique cui Deus non adest, dum videlicet mens ipsa Deo non exstat intenta, neque divinis occupata, sed sensualiter vivens, pigra tepidaque consistens. Enimvero, quemadmodum ab Aristotele dictum est, inest nobis quiddam divinum : quod non aliud nisi insignitam animæ nostræ summæ Trinitatis imaginem reor. Consistit autem imago hæc in intellectu, voluntate atque memoria. Porro intellectus decor, actus et perfectio, divinorum est contemplatio ; voluntatis vero, eorumdem amor, complexus et affectio ; memoriæ demum, his infigi hisque stabiliri. Igitur, dum homo taliter vivit sicque in solitudine degit, vere solitarius rite censetur ; nec penitus solus est, quippe quia cum illo est qui est omne bonum. Hujus solitudo felix est atque jucunda. Vera namque solitudo est, cor a sollicitudine exteriorique occupatione et item ab omni demum carnali delectatione abstrahere, quatenus se totum possit homo Creatori unire, omnesque suas affectiones, motus et actus in ipsum ordinare atque reducere. Denique qui non sic in solitudine permanet, sed vago instabilique animo per creaturas discurrit, et in earum operationibus virium quæ nobis brutisque communes sunt, occupatur ac perseverat, miser est et miserabiliter solus.

Exod. XXXIII, 19.

Innotescit (opinor) ex his, quam congruenter Aristoteles disseruerit : Homo solus, aut est Deus aut bestia. Quoniam etenim homo naturaliter animal est sociale atque politicum, constat solitarie viventem non proprie dici hominem, sed vel supra hominem, si intellectualiter vivit ; vel infra, si carnaliter. Est itaque vel Deus vel bestia : non per veritatem naturæ, sed propter imaginem participationemque vitæ. Omnis enim natura, ut Boetius ait, in id quodammodo transformatur ejusque nomen recte sortitur, cujus proprietatem imitatur et actum.

De Consolat. lib. I, pros. 10; lib. IV, pros.

Denique, quum sint solitariæ vitæ multa pericula, quemadmodum scriptum est, Væ soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem se ; propterea sapientissimi viri Ordinem statuerunt inter vitam prorsus solitariam cœnobiticamque conversationem medium, utpote de utriusque perfectione aliquid complectentem, et ad utriusque finalem vitæ perfectionem adipiscendam, discretissime moderatum ac eminenter idoneum. Hujus nos sacri Ordinis professores factos lætamur ; detque Altissimus ut efficaces insuper operatores inveniamur.

Eccle. 10.

ARTICULUS XXIX.

De laude solitudinis et cellæ, ex verbis (ut fertur) S. Basilii[1].

m.xxiv, QUAM *pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel! ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut* d. xxiii, *tabernacula quæ fixit Dominus.* Moriatur anima mea morte solitariorum. O vita eremitica, vita angelica, vivarium* animarum, exedra gemmarum cœlestium, curia spiritualium senatorum! Odor tuus cunctorum aromatum fragrantiam superat. Quidquid de te dicitur, dignitati tuæ non æquatur: quoniam lingua carnis nullatenus exprimere sufficit quod de te spiritus invisibiliter sentit. Qui te noverunt, te diligunt; et qui te gustaverunt, præconia tua concinunt. Tu areola aromatum, fons hortorum, ac malum punicum. Tu quanquam inexpertis aut incipientibus forinsecus videaris amara, gustantibus tamen quod intrinsecus latet, dulcissima es atque amœna. Bonum porro est viro, quum portaverit te ab adolescentia sua. Tu castra Dei; tu turris David ædificata cum propugnaculis: mille clypei pendent ex te, omnis armatura fortium. Tu campus divini prælii, spiritualis arena belli, angelorum spectaculum, palæstra fortiter dimicantium. O cella, mors vitiorum, fomentum virtutum! Tu caminus ille Chaldaicus, ubi sancti pueri furentis incendii vires orationibus reprimunt, ardoreque fidei crepitantium contra se flammarum globos exstinguunt. Tu cœlestis doctrinæ schola, artiumque divinarum disciplina. Denique tu paradisus deliciarum, ubi rosæ caritatis igneo rubore flammescunt, liliaque castitatis niveo splendore candescunt, et ipsius demum humilitatis violæ dum imis contentæ sunt, nullis flatibus impelluntur. Tu insuper fornax in qua summi Regis vasa formantur, et ad perpetuum nitorem malleo pœnitentiæ percussa ducuntur.

(Left margin, partly cut off: idarium; ren. iii,; n.xxxii,; nt. iv,; n. iii, 21 seq.)

A Cella præterea illa est scala Jacob, quæ homines vehit ad cœlum, angelosque ad humanum deponit auxilium atque colloquium. Gen. xxviii, 12. Est nempe cella conciliabulum Dei et hominum, secretarium in carne degentium et spirituum supernorum, Dei quoque et hominis arcanum colloquium. Quam pulchra rerum species, quum Frater in cella constitutus nocturnas peragit psalmodias, et quasi pro divinis castris militares custodit excubias! Contemplatur in cœlo cursus siderum, decurrit etiam per B os ejus ordo psalmorum. Præterea cella instrumentum est ubi pretiosi vivique lapides poliuntur, quatenus in structura templi cœlestis postmodum sine ullo cudentis mallei sonitu disponantur.

Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero te in principio lætitiæ meæ, o nobilis sanctaque mansio. Ps. cxxxvi, 6. Tu requies mea in sæculum sæculi; inhabitabo te, quoniam elegi te. Ps. cxxxi, 14. Quam pulchra es et quam decora, carissima in deliciis! Cant. vii, 6. O vita solitaria, vita felix C et sancta, vita divina et libera, vita pura atque angelica! Tu splendor animæ, amica sapientiæ, ornamentum Ecclesiæ, plenitudo gratiæ, consummatio perfectionis, custosque quietis et pacis. Te lex attollit, te prophetia miratur; universique insuper qui vere culmen perfectionis apicemve munditiæ sortiti sunt, tuum agnoscunt præconium. Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritus meus in præcordiis meis sitivit in te. Is. xxvi, 9, 8. Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ meæ. D

ARTICULUS XXX.

Et est laus solitariæ vitæ ex illustrium dignitate virorum qui eam coluerunt.

IN *solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ; egentes, angustiati, afflicti; quibus dignus non erat mundus.* Hebr. xi, 38, 37. Si ab exordio quis rite

[1] *Cf.* Migne *Patrol. lat.* tom. 145, col. 246D et s.

revolvat atque meminerit, hoc (ni fallor) adspiciet, omnia pene divina secreta, non in turba sive frequentia, sed in solitudine atque in abdito, Dei esse amicis ostensa. *Gen.* xii, 1-4; xiii, 14-18; xv, 5-18; etc. Nempe hinc terram natalem Abraham egrediens, dum solus cum Domino in agro consistit, nascituri pollicitationem filii, possidendæque terræ, regalis propaginis, et item innumerabiliter multiplicandi seminis, cœlitus adeptus est. Denique hinc *Ibid.* xxiv, 63. in agrum Isaac, ut meditetur, introiit. Jacob *Ibid.* xxxii, 24-30. dum solus est, cum angelo luctans, Dominumque facie tenus videns, benedictionem et item nominis in dignius transfusionem *Ibid.* xxviii, 11 et seq. sortitur; sed et in agro dormiens, scalam in cœlos protentam, Dominum quoque scalæ innixum prospiciens, angelos etiam ascendentes descendentesque contemplans, plus modico tempore consecutus est solus quam multo comitatus.

Exod. xxxiv, 28, 29. Denique quid montana illa solitudo Moysi contulerit, lex suscepta, radiansque vultus, interiorem designans gratiæ lucem, palam insinuant. I *Reg.* iii, 3-15. Insuper, dum Samuel solus quiescit, tertio vocatus a Domino, arcana divinitus audit. Sed et vir secundum *Ps.* liv, 8. cor Dei : Ecce (inquit) elongavi fugiens, et mansi in solitudine. Præterea IV *Reg.* ii, 12; III *Reg.* xviii, 42; IV *Reg.* ii, 25; iv, 25. Elias, currus Israel et auriga ejus, comparque magistro discipulus Eliseus, nonne in monte Carmeli, itemque alibi, solitariæ atque eremiticæ jecere primordia fundamentaque vitæ? Joannes quoque Baptista, *Matth.* xi, 11. quo post Christum in viris, et post unam neque in feminis major surrexit, veteris novæque legis horizon, nedum sanctificatus, *Luc.* i, 15. sed et Spiritu Sancto in utero matris repletus, nonne antra deserti, teneris sub annis civium turmas fugiens, ne vel levi vitam pollueret labe, expetiit?

Præterea Christi jam recenter ex superpurissima *Ibid.* ii, 7 et seq. Virgine nati supermundani præcones, nonne primordialiter pastoribus in agro in nocturnis vigilantibus tenebris, regis *Is.* ix, 6, juxta LXX. Messiæ ortum enuntiant? Sed et magni consilii Angelus, Christus Dei benedicti, *Matth.* iii, 15. qui venit implere omnem justitiam, ostendere omnem perfectionem, cujus est A omnis actio nostra prorsus instructio, nonne solitudinem ubertim elegit? Nempe ductus est in desertum a Spiritu, haud *Matth.* i[v], 1. dubium quin suo. Oraturus demum, Apostolosque *Luc.* vi, 1[2]-16. electurus, nonne ascendit in montem orare? Porro jam passioni vicinus, *Matth.* xxvi, 36 [et] seq. nedum a felicissimo Apostolorum collegio, sed a tribus insuper secretissimis amantissimisque discipulis oraturus abscessit. Et cur utique? Numquid quia eguit, et non amplius ut suo nos edoceret exemplo?

B Proinde Zachariæ templum ingresso, dum *Luc.* i, 8 [et] seq. solus altari adsistit, Gabriel adest, gignendique filii nomen et vitam revelat. Nec ambiguum exstat quin incomparabili deiformique Virgini, non utique nisi in abdito, et (ut reor) clauso cubiculo, cœlestis paranymphus, Dei veri ex ea vere incarnandi *Ibid.* 26 [et] seq. supernaturalem atque omnino indicibilem partum annuntiaverit.

Amplius autem, discipuli in proximo Paracletum plenissime sortituri, nonne in *Act.* i, 1[3], 14. conclavi clausi solique permanent? Sed et C Apostolorum apostola Christique amatrix præfervida, illustris Magdalena, nonne finaliter ad vastissimam, inviam omnique humano cibo atque solatio destitutam confugit eremum? In qua quid certe profecerit, hinc (ni fallor) elucescit, quod illico triginta (ut scribitur) plus annis cœlitus pasta est, et item septies omni die angelicis in sublime manibus a terra levata est. Porro discipulus quem diligebat Jesus, *Joann.* xx[i], 7, 20. quid divinarum susceperit in exsilii solitudine illustrationum, illa ejus Apoca- D lypsis obscurissima pandit conscriptio.

Quid præterea de sacratissimis sancti evangelistæ Marci discipulis, quos Alexandriæ olim instituit, dignum eloqui queam, qui eremiticam vitam ducentes, infidelium quoque animos in sui admirationem præconiumque moverunt? Hujus rei in libro de Viris illustribus plenius meminit sacer Hieronymus. At vero magni sacerdotes Altissimi et pontifices præelecti, nonne populi fatigati negotiis itemque tumultu, et tranquillæ ferventes desiderio vitæ, cel-

lam humilem desertamque eremum episcopalibus prætulere sedilibus? Nempe quid de se super hoc sanctissimus scribat sentiatque Gregorius, in exordio Dialogorum et super Ezechielem utique lucet. Sed et Ambrosius, uti ejus comprobat mansio, ut licuit hanc vitam exercuit. Denique jam ab eodem felici Ambrosio Augustinus conversus, nonne pro deducendæ instructione vitæ ad simplicem quemdam solitarium abiit, ejusque per omnia consilio usus est, atque de propriis claustrum moliens, eremum incolere orsus est? Hanc etiam vitam quantum dilexit, quamque ab ea invite separatus est, ejus palam pandunt sermones.

Nunc demum quod de Hieronymo affero, ipse sibi, itemque Eusebius, testimonium perhibet. Etenim quam ineffabilia de superbenedicta Trinitate et hierarchiis cœlestibus in vasto degens deserto conspexerit, idem ipse in Regula quam ad Eustochium misit, testatus est. Nempe quid utique ait? Ego, inquit, homunculus, sic abjectus, sic vilis, adhuc vivens in corpore, angelorum sæpe choris interfui, nihil de corporeis per hebdomadas sentiens; et divinæ visionis intuitu, post multorum forte dierum spatia, præscius futurorum, corpori redditus flebam. Quid ibi manens felicitatis habebam, quid inenarrabilis delectationis sentiebam, testis est Trinitas ipsa, quam cernebam nescio quo intuitu; testes sunt et ipsi beati spiritus qui aderant; testis est et conscientia mea, qui tantis bonis ipse fruebar, quot et qualia nescit proferre mollities carnis. Hucusque Hieronymus.

Enimvero antistites magni, Gregorius Nazianzenus, summæ auctoritatis theologus, quem (ut Hieronymus refert et S. Thomas in prima parte inducit) nullus unquam in theologia negare præsumpsit, Petrus quoque Damianus, vir certe doctissimus, et Paduanus ille episcopus, nonne episcopatu relicto ad solitudinem confugerunt? Sed et S. Martinus atque gloriosus pater noster Hugo Gratianopolitanus anti-

LXI, a. 3.

A stes, ad cellam ab urbe semper, dum vacabat aut licuit, tanquam a fluctuoso pelago ad tranquillissimum portum, convolarunt. Quoties Hugoni dixerat Cartusiæ Prior, Ite ad oves? Verumtamen usque in vitæ terminum ille aliud quam solitariam vitam optare nequibat. Denique Bernardus dum in cella quam in domo Montis Dei habebat, paulisper quiescere valuit, paradisi se amœnitate frui censebat. Nihilo minus universis his Cœlestinum Papam, qui ante pauca tempora exstitit, Franciscus B Petrarcha præferre non metuit: quippe qui ipsum quoque papatum, quo in mundo dignitas mirabilior aut major non est, sponte ac jucundissime deserens, ad eremum abiit.

Porro quid amplius immoror, quum vitæ hujus professores tot tantique fuerint, ut digne perfecteque describi non possint? Occurrant memoriæ sancti patres Paulus uterque, Antonius, uterque Macarius, Arsenius, Hilarion, Pambo, Bessarion, Pastor, Serapion, Abraham et Moyses (Hebræis C illis non impares), Sisois, Motois*, Agathon, Paphnutius, aliique demum innumerabiles, in quibus viri mirabiles Mutius et Apollonius: quorum certe præconia lingua nequit effari humana. De horum ac similium vita, solitudine, virtutibus, senio, inclyti viri Hieronymus et Palladius, Cassianus et Gregorius conscripserunt.

*alias Muthues

Sed numquid femineo insuper sexu non est adornata solitudo beata? An non in eis demum quid solitudo possit innotuit? Prorsus et mulierum præelecto catalogo D eo vehementius est solitudo fulcita atque præfulgida, quo est in illis sexus fragilior et sensus mobilior. Quemadmodum equidem de immundissimis purissimos novit cella efficere, in eis, si rite contemplor, præsertim resplendet. Siquidem quid utique de felicissimis illis, sed vere efficaciterque pœnitentibus, eloqui meretricibus digne sufficiam, Pelagia, Theodora, Maria Ægyptiaca, Thaide quam convertit Paphnutius, et Maria Abrahæ eremitæ cognata? Hæc quoniam alibi plene lucent, modo

relinquo. Nempe, si hæc solerter cernamus, agnoscemus penitus, uti etiam honorabilis pater noster Guigo fatetur, suavitates psalmodiarum, studia lectionum, fervores orationum, acumen contemplationum excessusque raptuum, et item rivos lacrimarum, atque sui ipsius veram plenamque notitiam, nulla omnino re magis quam solitudine posse juvari.

ARTICULUS XXXI.

De consurrectione ad matutinale Officium.

Thren. II, 19. CONSURGE, *lauda in nocte, in principio vigiliarum; effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini* Dei tui. Quo ab humano strepitu omnique insuper sono liberius quietiusque consistit tempus nocturnum, eo (ni fallor) sincerius atque ardentius in eo mens ipsa Deo soli intendere valet. Itaque ad divina sacra surgentes, initia laudum et item instantis inchoantes diei divinum obsequium, alacriter surgamus, affectuose inchoemus, atque pro viribus ardenter prosequamur. Fulgeat menti lux interna, dum corpori obtenebratur claritas ista corporea. Levet devotus ad Christum manus suas, quatenus cor ad Dominum Deum suum dirigatur atque in ipso mens pura figatur. Denique nil prorsus in se homo confidens, omnemque sui virtutem a Christo exspectans, primordialiter oris sui janito-
Ps. L, 17. rem efflagitet : Domine (inquiens), labia mea aperies. Moxque insuper, ut facilius exaudiatur, apertionis hujus fructum insi-
Ibidem. nuans : Et os meum (ait) annuntiabit laudem tuam. Continuo quoque Trinitatis superbenedictæ hymnum adjungens : Gloria (ait) Patri, etc. Porro se itemque omnia quæ in ipso sunt ad confitendum, laudandum, benedicendum ac magnificandum
Ps. XCIV, 1. Deum invitans atque inflammans : Venite (inquit), exsultemus Domino. Ab exordio igitur Officii hujus ad Creatorem suum dirigendus est spiritus. Et quemadmodum

A Sapiens docet, Ante orationem (inquiens) Eccli. XVIII, 23.
præpara animam tuam, non instabili vagoque corde ordiri debemus, sed menti divino aliquo impresso, in illius fervore inchoare par est, quatenus id mentem accendat, evagantem recipiat, et ad primævam intentionem reducat.

Insuper, quemadmodum psalmodiæ et chori officio adsistere debere nos convenit, Bernardus edocuit, nostraque statuta elucidant. Sic nempe ait : Moneo vos, Super Cantica, serm. 47.
dilectissimi, pure semper ac strenue divi-
B nis interesse laudibus. Strenue quidem, ut sicut reverenter, ita alacriter Domino adsistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis et remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes ; pure vero, ut nil aliud tunc quam quod psallitis cogitetis : Spiritus Sanctus enim illa hora gratum non recipit quidquid aliud quam debes, neglecto eo quod debes, obtuleris. Verumtamen, ut Cassia-
C nus testatus est, hoc verum est, nisi ad divinius forte aliquid magisque secretum mens ipsa rapiatur, atque in ecstasim corruens, in altiora feratur.

Enimvero, ut Basilius super eo Psalmographi verbo, Psallite sapienter, disseruit, Ps. XLVI, 8.
debet anima unumquodque verbum divinum tam discrete advertenterque proferre, quam distinctim atque discrete sumit et masticat unamquamque buccellam gustus corporeus. Sed et Hugo de S. Victore : Pro syllaba (inquit) neglecta, resumendum est
D verbum, pro verbo versus, pro versu psalmus, et ita deinceps.

ARTICULUS XXXII.

An vere solitarius otiosus dici possit et solus.

SENECA in libro de Brevitate vitæ : Soli, inquit, omnium otiosi sunt, qui sapientiæ vacant; hi quoque soli vivunt. Quæstio ista, an vere solitarii soli otio-

sique queant rite vocari, vocalem dumtaxat, non realem difficultatem complectitur. Siquidem, dum de eadem re idem sentitur, non tamen id ipsum per eadem exprimitur, si tunc doctorum dissensio est, palam non realem, sed verbalem hanc ipsam exsistere. Ideoque de tali materia multum arguere inane opinor.

Sunt itaque qui vere solitarium non debere solum appellari, quoniam cum eo Deus est, asserunt; sed neque otiosum, quia contemplativa vita laboriosissima exstat. Et hæc ait Bernardus, et alii multi. Denique alii eremitas ac anachoretas, solos otiososque ubertim appellant. Unde Augu-
uc. x, 42. stinus vitam ejus quæ optimam partem elegit Mariæ, sæpe otiosam vocavit. Sed et Seneca contemplativos otiosos disseruit : quod et Franciscus Petrarcha sæpius egit. Verumtamen horum concordia facilis est, quippe quæ in acceptione usuque nominis sita est. Interdum equidem hæc vox « solus » miseriam insinuare videtur, ut Bernardus asserit; et tunc utique ei non convenit qui illi intentus est in quo omnium pulchrorum itemque bonorum plenitudo consistit. Si vero solus dicatur qui suæ speciei consortem a se diversum non habet, tunc solitarius eo amplius solus est quo supernaturalius secretiusque vivit. Conformiter quoque otiosus quis dicitur, vel quia nil utile agit, ludo vacans atque libidini; vel quoniam ab exteriori se occupatione elongans, intimis divinisque vacat. Elucescit autem (ni fallor) secundo hoc modo, non primo, solitarium otiosum censendum.

Præterea constat ex his quomodo Hilarius et alii a Deo solitudinem auferant, quum tamen scriptum sit : Videte quod *Deut.* xxxii, 39.
ego sim solus. Et Paulus : Soli (ait) Deo I *Tim.* i, 17;
honor et gloria. Qui est et nunc et in die II *Petr.* iii, 18.
æternitatis Deus sublimis et benedictus. Amen.

DE VITA

ET FINE SOLITARII

LIBER SECUNDUS

PROŒMIUM.

P*ARS mea Dominus, dixit anima mea: propterea exspectabo eum. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Thren. III, 24, 25.

Omnis mortalium cura, atque universorum tam dispar vita, ad unum proficiscitur finem, qui ultimata perfectio ac beatitudo rite censetur. Porro in præsentis t. v, vii. editionis exordio palam traditum memini quemadmodum hic noster finis, omniumque exercitiorum nostrorum finalis et summa perfectio, et item vera felicitas, ipsa sit deiformis vita, aliud utique nil prorsus exsistens quam libera itemque sincera divinorum contemplatio atque dilectio : siquidem his præsertim actionibus a brutis secernimur, et divinis immortalibusque communicamus.

Denique divinæ mentis increata felicitas ab humanæ beatitudine mentis multiformiter differt : primo, quoniam illa infinita perfectaque est, hæc autem limitata ; rursus, quoniam independens est illa, hæc vero dependens ; denuo, quia illa simplex est, hæc composita. Insuper, simplici equidem Deo idem prorsus sunt essentia, potentia, virtus et actio : ideoque divina felicitas simplicissima actio est, quæ nullo A adjuncto perficitur, neque ab essentia Dei distinguitur. In rationali vero anima non idem sunt essentia, potentia, habitus, delectatio et actus. Insuper potentiæ quoque et ipsarum demum operationes a se invicem distinctæ sunt : non enim utique idem sunt intellectus et voluntas, amor et cognitio. Quamvis itaque, secundum præinducta, humana felicitas in operatione lib. I, art. x. intellectus essentialiter sita sit, sitque divinorum cognitio ; quia tamen sine caritate est imperfecta scientia, et item sine di- B lectione informis agnitio, propterea humana felicitas quodam adjuncto perficitur, formatur, completur atque ornatur. Hoc autem amor est, et nedum hoc, sed et delectatio quoque : quippe sine qua nec intellectus nec voluntatis quæcumque actio perfecta est, contentans sive quietans. Hoc ergo modo compositam fassus sum beatitudinem nostram.

Igitur, quoniam de vita et fine solitarii est ista editio, estque in operis hujus libro primo de his quæ media sunt ad finem C solitariæ vitæ pro viribus disputatum ; jam nunc de eo quod omnium vitæ nostræ exercitiorum atque laborum finis est, ipsa videlicet contemplatione et dilectione, paulisper effari ordo exigit, et propter operis complementum par est.

ARTICULUS PRIMUS.

Quod divino intellectui conformetur intellectus humanus, non utique dumtaxat in contemplatione increatæ essentiæ, sed in agnitione insuper rerum creatarum.

Deut.xxxii, 28, 29. GENS *absque consilio est et sine prudentia. Utinam saperent et intelligerent.* Divino vultui cuncta patere, nilque in universo a divinæ præsentia lucis abscondi posse, ratio probat atque auctori-
Job xxii,14. tas. Ideoque quod in Job legitur, Circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat, ironice de Deo dictum est; quippe de quo in eodem scriptum agno-
Ibid. xiii, 27. vimus : Observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti.
Rom.xi,36. Enimvero, quoniam ex ipso, per ipsum et in ipso sunt omnia, quippe qui universorum naturas produxit, ordinem indidit, virtutem impressit, cunctaque in esse conservat; elucescit singula in ejus sapientiæ supermundissima luce cognitive infallibiliterque splendere, nec posse quidpiam ejus ullatenus conspectum effugere. Ipsa siquidem divina essentia universorum species est, ratio, exemplar atque idea : in qua velut in certissimo ac supersplendidissimo fonte æternoque speculo, omnia incommutabiliter et item plenissime con-
Joann.i, 3, 4. stant. Nempe, Joanne testante, quod factum
Luc.xx, 38. est, in ipso vita erat. Omnia namque illi vivunt; et dum mundi hujus nondum esset instituta molitio, cuncta creata in ipso vitaliter idealiterque consistebant. Denique, eo jubente atque dicente, universum imperiali verbo ab omnipotente ac infinita virtute sapientialiter constitutum est. Divinæ ergo scientiæ nostra assimilatur notitia, si ipsa quoque creata complectatur, ordinemque eorum, vires ac proprietates intelligat, species et distinctionem conspicere possit.

Ideoque, quemadmodum S. Thomas in
lib. ii,c. 3. Summa contra gentiles disseruit, hæretica prorsus impietas est, quod quidam arbitrati sunt nil differre ad salutem quidquid
A opinemur de rebus creatis, dummodo de Creatore recte sentiamus. Verumtamen de his quæ in creaturis sunt, et ad fidem non pertinent, nec ad determinationem Ecclesiæ, diversa opinari nil prohibet : ut de inchoationibus formarum, de quidditatibus rerum, de simplicitate animæ et angelorum, de numero orbium, de distinctione esse ab essentia. De his atque similibus dicere potest unusquisque quod ei rationabilius videtur, fidei tamen semper veritate illæsa : quoniam possit quis
B de his tam indocte sentire, quod fidei utique derogaret. Denique et de Deo in quibusdam sine grandi salutis dispendio ac hæretica labe diversimode opinari contingit, quemadmodum est : an Deus sit in prædicamento, et an sit in divinis formalis distinctio. De his tamen utique moderatius loqui par est : est nempe periculum majus.

Utilis itaque est de rebus creatis scientia, quoniam per eam divinæ conformamur notitiæ; et denuo, quia per eam ad divinorum speculationem erigimur, atque
C divinæ sapientiæ capaciores efficimur. Porro per eam in Divinitatis admirationem atque amorem, reverentiam quoque itemque timorem, inducimur. Contemplantes equidem in hoc præclaro Dei effectu, mundo scilicet, ordinem, stabilitatem et regimen rerum, miramur opificem; entium quoque decorem bonitatemque cernentes, causam eorum pulchriorem melioremque intuemur; ex magnitudine insuper rerum, Sap.xiii, 5.
in divinæ majestatis reverentiam mox trahimur, et tam sublimem superexaltatumque
D Principem summe metuendum videmus.

ARTICULUS II.

De contemplatione superineffabilis Dei.

SI *inveni gratiam in conspectu tuo,* Exod. xxxiii, 13.
Domine, *ostende mihi faciem tuam.*
Sanctus Moyses Deum se ubertim facie ad Ibid. 11.
faciem videre contestans, atque cum eo tanquam amico loqui se perhibens, aliam nihilo minus abditam ac non velatam ipsius visionem esse intendens hancque

desiderans : Si inveni (inquit) gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam : claram et non ænigmaticam Divinitatis visionem insinuans atque efflagitans. Sed hæc visio Dei per speciem, non viæ, sed patriæ beatitudo censetur. Ideo *Exod.* XIII, 20. Dominus : Faciem (ait) meam videre non poteris ; non enim videbit me homo et vivet. Unde tradunt theologi non posse hominem Deum per essentiam in vita hac cernere, nec ipsam superadorandæ Deitatis naturam in se ipsa atque per speciem intueri : quod et philosophi probant et approbant. Deus namque infinita est bonitas et immensæ perfectionis essentia. Talis autem natura per speciem perfectionis finitæ plene et per essentiam intelligi nequit. Omnis vero creata species ac intelligibilis forma, substantialiter finita est et limitatæ perfectionis, itemque in genere posita : quumque non nisi creata intelligibilis species possit intellectui secundum naturam inesse, innotescit nullum posse intellectum creatum, Deum per essentiam naturaliter cernere.

Verumtamen eorum quæ de Deo dicuntur, quædam essentialiter, quædam relative, quædam notionaliter, quædam attributive, quædam vero alio aliquo modo de ipso dicuntur. Denique quæ essentialiter de Deo dicuntur, in ipsius contemplationem potissime mentem exaltant. Ut igitur sciscitantibus ac scire optantibus quid sit Deus utcumque satisfieri queat, investigandum est quo seu per quid divina natura propinquissime atque aptissime, magis quoque absolute, et item (ut fas est) plus essentialiter ac in se ipsa speculari possit a nobis. In variis igitur rerum creatarum naturis ac proprietatibus, divinæ naturæ perfectio ipsaque supersimplex Dei essentia multiformiter lucet. Nempe in aliis sapientia, in aliis justitia, in aliis autem benignitas splendet; horumque quodlibet in divinæ speculationem naturæ suo modo introducit. Porro in quibus divina perfectio atque bonitas plenius absolutiusque resplendet, ea de Deo substantialiter ac propriissime

A dicuntur, ejusque agnitionem sinceriorem adducunt.

Prolixa ergo longissimaque perscrutatione ac disputatione relicta, jam nunc celeriter proficiscens, contestor quoniam secundum Aristotelem ac Peripateticos omnes, Deus est, propriissime loquendo, actus purus ; secundum Platonem autem et Proclum, ipsumque demum Areopagitam magnum Dionysium, pura bonitas; secundum Hilarium vero, Damascenum et Thomam, esse tantum. Horum unumquodque subtiliter veraciterque dictum fateor; nec potest aliud inveniri aut dici quo amplius pleniusque insinuari prævaleat quid sit Deus.

B

Enimvero, ut ait Philosophus, actus et potentia dividunt ipsum ens, suntque in omni genere entis, et ex opposito distinguuntur. Est enim actus principium transmutandi alterum in quantum alterum; potentia autem, principium transmutandi ab altero in quantum altero. Deus ergo actus purus verissime perhibetur : quippe qui C stabilis permanens, dat cuncta moveri. Quia autem a nullo moveri potest, nulla ei deest perfectio, nulla nobilitas, actualitas nulla. Ideoque in ipsum accidens cadere nequit; sed quidquid præclarum aut præstantissimum cogitare quis valet, ei sine limitatione et fine, penitus perfecte, simplicissime independenterque convenit. Hinc infert Aristoteles, quod Deus sit honoratissimus intellectus, universorum ultimus finis, primus motor, immobilis, cunctis desiderabilis, infinita separataque virtus, D immaterialis, incorporea ac insensibilis.

Præterea, quum bonum sit quod omnia appetunt, cujus proprietas est sui ipsius communicabilitas sive diffusio ; Deus autem excelsus et sanctus omnibus appetibilis est, et cunctis necessarius ac summe conveniens, sed et ipse cuncta bonificat atque adornat, itemque in vigore conservat : propterea non immerito primum ac propriissimum Dei nomen, secundum Platonem ejusque sequaces, ac divinum Dionysium et S. Hierotheum, Bonum cense-

tur. Denique purum est cui contrarii nil admiscetur. Minoratio autem ac limitatio bonitatis, defectio quædam malitiaque consistit. Quia igitur Deus sublimis bonitas pura describitur, palam utique quoniam bonitatis natura in ipso a plenitudine sui minorata esse non valet, sed quidquid ad bonitatis decorem complementumque pertinet, ei prorsus perfecte adesse oportet. Ideoque immensa incircumscriptaque bonitas, Deus rite definitur. Unde Salvator: Nemo (inquit) bonus nisi Deus. (*Luc.* xviii, 19.)

Amplius autem, dicitur Deus vivens et verus, esse tantum. Esse enim, ut Boetius ait, actualissimum ac formalissimum exstat. Quoniam ergo divinum ens omnis perfectionis plenitudinem universaliter possidet, atque in ipso suo supersimplici separatoque esse, sine omni prorsus compositione quidquid ad entis eminentiam dignitatemque spectat superplene complectitur, omnia actuans, formans atque perficiens; hinc omnino (ni fallor) congruenter Deus benedictus esse tantum asseritur.

Dicitur autem et intellectus universaliter agens, prima causa, fons vitæ, sapientia, spiritus, caritas, atque similibus quibusdam nominibus, de quibus Dionysius in libro de Divinis nominibus plenius elocutus est. Sed quæ nunc introducta sunt, priora sunt, communiora et aptiora: quippe quæ plus utique complectuntur, sincerioremque Deitatis contemplationem efficiunt. — Verumtamen, quoniam de his alibi, operante Altissimo, plenius diligentiusque pro viribus effari intendo, nunc tam festinanter transisse complaceat. Siquidem, ut verbis paulisper Porphyrii ûtar, altissimum prorsus est istud negotium, et item amplioris inquisitionis egens. (*Cf.* t. XXXIV, p. 29 C' et s.)

ARTICULUS III.

De processu contemplationis Dei benedicti ex creaturis.

(*Sap.* xiii, 1, 5.) V*ANI autem sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex. A magnitudine enim speciei et creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Semper in effectu virtus causæ refulget. Sed et quidquid insuper perfectionis atque decoris habet causatum, a causa utique sortitur, et in causa hæc ipsa plenius excellentiusque inveniri oportet. Itaque, quoniam Deum nemo vidit unquam, quippe qui (ut Dionysius ait in epistola ad Dorotheum) invisibilis est propter supereminentem suæ lucis claritatem; si Deum utcumque videre desideras, imaginem ejus intende : mundum hunc loquor. Omnis equidem effectus aliud prorsus non est nisi participata quædam similitudo suæ causæ : causa enim producit sibi simile. Contemplare hunc mundum et omnia quæ in eo consistunt, et scito quoniam quidquid bonitatis et appetibilitatis, quidquid dulcedinis et jucunditatis, quidquid pulchritudinis et felicitatis, quidquid excellentiæ et potestatis, quidquid demum universæ dignitatis ac perfectionis in omni ente creato totoque mundo prospexeris, Deo utique inest, verumtamen præstantiori atque in infinitum pleniori sublimiorique modo. Nempe ipse bonus, cuncta bonificans, sine cujus participatione nil penitus bonum est. (*Joann.* i, 18. *Epist.* v.)

Denique, si id clarius scire optas, specularе universi creationem, conservationem et provisionem. Non præcesserunt merita, et cuncta gratuita bonitate produxit; nec quæ producta sunt conservare omittit. Omnibus quoque providet, tribuens omnibus affluenter et nulli improperans : et tamen nil ei ex his accrescere valet. Præterea, ne hominum quidem, ob quos cuncta sensibilia condita exstant, sic ingratitudine atque sceleribus offenditur, ut bonitatem donaque sua contineat : quin imo solem suum oriri facit super bonos et malos, pluens super justos et injustos. Porro peccatores et hæreticos, Sarracenos, Judæos, Tartaros atque idololatras, nonne sustinet? nonne alit, vestit et ditat? Et certe nisi immensa bonitas esset ac natu- (*Jacob.* i, 5. *Matth.* v, 45.)

raliter clemens, mirum vehementer esset A
quod non totum mundum in nihilum redigeret, eosque terra absorptos in tartarea subito loca deprimeret, tot omni hora sub suo cernens prospectu mala, scelera, turpia iniquaque fieri.

Præterea, si sapientiam Altissimi intueri festinas, respice quam uniformiter, stabiliter et indeficienter cuncta gubernat, quam pulchre rerum species distinxit, quam apte singula propriis locat locis,
.viii,1. nectit ordinibus, quamque suaviter ac connaturaliter universa disponit. B

At vero potentiam virtutis Excelsi si speculari moliris, erige te et adspice alta cœlorum, molem orbium, numerum astrorum, immensitatem elementorum, vasta terrarum, profunda aquarum, multitudinem rerum, specierum et hominum. Quantus ergo qui fecit hæc omnia? Quam po-
.iv,17. tens qui ex nihilo condidit universa; qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt; cujus imperium se usque ad nihili
ciii, 32. quoque regionem extendit; qui respicit terram et facit eam tremere; a cujus fu- C
rore tellus sudore madescit?

Adhuc autem, si tam pulchra sunt atque tam lucida quæ facta sunt, quam speciosus et splendens qui ea effecit? Si tam copiosus in lumine est sol iste sensibilis, ut inspici nequeat, sique indefectibiliter emicans, universa illustret : quid opinandum est de immateriali intellectualique Sole? Nonne utique lux est in se incommutabiliter subsistens, ardens et radians, immenso incessabilique in se ipso splendore refulgens, suique diffusione universa adornans, D
lætificans atque illustrans? Amplius autem, si ab eo balsami odor, mellis dulcedo vinique suavitas : nonne super hæc omnia dulcissimus prorsus est gustus ipsius? Proinde ipse qui ornat cœlum sideribus, orbes planetis, aerem avibus, terram floribus, fronde, ramo, gramine, specierum et fructuum et item herbarum multiplici diversitate ac genere, aquasque piscium inundatione, longissime super hæc omnia sit necesse est.

Verumtamen hæc ex parte dicta sunt. Nempe, si talis tantusque apparet opifex mundi ex his quæ in prospectu nostro sunt, quæ utique sensibilia sunt atque corporea : qualis quantusque videretur, si ea quæ supra nos sunt, quibus ista comparari nequeunt, conspiceremus? Si empyrei cœli superpulchram machinam, si angelicos
ordines ac hierarchias cœlestes, si millia *Dan.* vii, 10.
millium deciesque millies centena millia supermundanorum animorum, animarum ac angelorum, claro videremus intuitu (neque enim omnium corporeorum istorum sensibilis decor aut visibilis splendor, unius valet spiritus beati pulchritudini seu dignitati æquari), nihilo minus omnia hæc, quantumlibet magna et multa, pulchra atque amœna, si ad Creatoris incircumscriptibilem majestatem comparata
pensentur, velut maris arena exigua, im- *Is.* xl, 15.
perceptibile punctum inanisque flatus ap-
parebunt. Siquidem omnes gentes quasi *Ibid.* 17.
non sint, sic sunt coram eo; et in angelis *Job* iv, 18.
suis pravitatem reperit, summumque sui palatii satrapam ac splendidissimum militem, repente tanquam vilissimum stercus abortivumque quod de genitricis ventre projicitur, contrivit, ejecit, damnavit. Id-
eoque Scriptura fatetur : Quoniam tan- *Sap.* xi, 23.
quam momentum stateræ, sic ante te, Domine, est orbis terrarum, et tanquam gutta roris antelucani quæ descendit in terram.

ARTICULUS IV.

Et est speculatio Dei veri ex operibus donisque gratiæ.

M*ISERERIS omnium,* Domine, *quo-* *Sap.* xi, 24, 25.
niam omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti
eorum quæ fecisti. Jam paulo ante ad con- art. præced.
templationem divinorum ex naturali rerum ordine, proprietate ac lege processio facta est; sed sunt alia in quibus longe clarius, et item incomparabiliter plenius, Dei adorandi bonitas, misericordia, caritas

ac munificentia, dignatio atque justitia A splendent. Sunt autem hæc ea quæ ad mysteria gratiæ salutisque nostræ sacramenta pertinent : in quibus primum summumque ipsa est Unigeniti Dei incarnatio, cetera quoque quæ in humanitate assumpta pro nostra salute fecit itemque *Baruch* III, 38. sustinuit, utputa quod cum hominibus *Luc.* II, 21, 22. conversari dignatus est, quod legi subditus, circumcisus atque oblatus est. Denique passio Christi efficacissima est ad divinæ dilectionis miserationisque specu- *Rom.* IV, 25. lationem deductrix. Proinde, quod propter B justificationem nostram resurrexit, quod *Act.* II, 1-4. nobis Paracletum misit, quod cum angelis *Marc.* XII, 25. beatitudinis æqualitatem spopondit, quod *Joann.* XIV, 3. nos ad se assumere ac demum in anima et corpore glorificare disposuit, quod creden- *Luc.* X, 19. tibus in se dæmonia subdidit, ipsamque naturam, rerum quoque naturalem virtu- I *Petr.* II, 9. tem legemque subjecit, quod nos genus *Matth.* XVIII, 18. regium et sacerdotale effecit, solvendi atque ligandi potentiam tribuit : in his Dei nostri benignitas, amor et largitas, dignatio atque clementia præcipue lucent. Enim- C *Joann.* III, 16. vero sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret pro mundo. Deni- *Luc.* I, 54. que, suscepit Israel puerum suum, recorda- *Philipp.* II, 7. tus misericordiæ suæ. Sed et exinanivit se ipsum, formam servi accipiens.

Amoris est ista potestas, ut jungat amantem amato, seque dilecto communicans, nil sibi soli reservet. Itaque quis æternæ supersanctæque Trinitatis amorem circa nos concipere aut eloqui queat? Nam Pater unicum suum Filium, consubstantialem sibi, coæternum ac infinito ardore dilectum, D quem de ipsa sua substantia atque ex pro- *Matth.* III, 17. prio corde genuit, in quo sibi incomprehensibiliter complacet, et quem non minus utique quam se ipsum diligit : hunc con- *Galat.* IV, 4. tulit nobis, hunc misit in mundum, hunc cum tenerrima humillimaque Puella com- *Rom.* VIII, 32. munem habere non sprevit; nec proprio *Is.* LIII, 6. pepercit Filio, sed omnium iniquitates no- *Rom.* VIII, 32. strum in eo reponens, pro omnibus nobis tradidit illum. Quomodo non etiam omnia nobis cum illo donavit? Prorsus omnia nobis cum illo donavit : quippe per quem in II *Petr.* I, 4. *Joann.* I, 12. divinæ consortium traducti naturæ, ut filii Dei efficiamur, potestatem sumus sortiti. Denique per ipsum heredes et amici exsistimus : siquidem si filii, ergo et heredes. *Rom.* VIII, 17. Videte qualem caritatem ostendit nobis I *Joann.* III, 1. Pater, ut filii Dei nominemur et simus.

Præterea, sic Filius nos dilexit, sic intime atque ardenter tamque ineffabiliter amavit, ut naturam nostram hypostatica seu personali unione, qua major immediatiorque esse nequit, superpuræ ac supersublimi suæ divinitati uniret, ipsumque hominem super omnem divinorum ipsorumque cœlestium animorum verticem exaltaret, omnique demum creatæ eum dignitati præferret. Factumque est admirabile ac supermisericordissimum opus : quoniam Deus noster factus est frater noster; Creator noster, natus ex nobis; Judex noster, redemptor noster; et quem totus non capit orbis, intra serenissimæ ac amœnissimæ unius Puellæ se intactum atque suave clausit corpusculum.

Vere utique non sicut delictum, ita et *Rom.* V, 15. gratia. Quia etenim variis atque gravissimis jacebat genus humanum contabescens vulneribus, augebaturque quotidie humana calamitas in omni immunditia et idololatria, recordatus est Dominus quo- *Ps.* CII, 14. niam pulvis sumus, tactusque compassione cordis intrinsecus, descendit a summo *Ps.* XVIII, 7. cœlo, ex Patris gremio, regali solio; et servi formam induens, præcinxit se ut *Philipp.* II, 7. fortissimus gigas, ad auxiliandum se præ- *Ps.* XVIII, 6. parans; accinctusque gladio suo super fe- *Ps.* XLIV, 4. mur suum, transivit docens per universam *Luc.* XXIII, 5. Judæam, incipiens a Galilæa usque ad civitatem sanctam, benefaciens et sanans *Act.* X, 38. omnes oppressos a diabolo ac languoribus atque defectibus variis. Demum sciens *Joann.* XIII, 1. igitur Jesus rex Messias et mundi salvator quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, nos plane volens redimere, suamque caritatem evidenter ostendere, turpissimam et item acerbissimam *Ibid.* XIX. mortem pro nobis sustinuit. O inenarrabilis amor, et incomparabilis misericordia,

dum Unigenitus Dei, Agnus sine macula, ut nos de gehennæ incendio, de immensa miseria, de æterno tormento redimeret, atque angelicæ societatis, divinæ beatitudinis, perpetuæ quoque ineffabilisque lætitiæ consortes statueret, quæ non rapuit [s. LXVIII,] exsolvit, culpam quam non commisit luit, factus pro nobis maledictum, ut nos a [alat. III,] maledicto dissolveret! Pro his benedic, [s. CII, 2.] anima mea, Dominum, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Liquefiat affectio tua in desiderio ejus. Dic ei : Quis [nt. VIII, , 6.] mihi det te fratrem meum, ut inveniam te foris et deosculer, et jam nemo me despiciat? Apprehendam te, et ducam in cubiculum cordis mei ; ibi me docebis, et ponam te ut signaculum super cor meum, ut signaculum super brachium meum : quia fortis est ut mors, o Christe, dilectio tua, dura ut inferus æmulatio tua.

[ap. I, 6.] Porro Spiritus Sanctus, qui essentialiter benignus est, in quo prima ratio doni resplendet, et qui omnis munificentiæ origo est, et naturaliter bonus, universæ nostræ saluti imperscrutabili dignatione cooperatus est. Nempe Prophetas edocuit, Apostolosque implevit, et se per militantem omnem Ecclesiam, præsertim in ejus exordio, copiosissime fudit atque impendit. At [c. I, 35.] vero ipse mundissimam illam, speciosissimam honestissimamque Puellam impræguans, divinæ Prolis fecundam constituit, [XI, 2, 3.] animamque Christi septiformi suo munere eminenter implevit.

ARTICULUS V.

Quam sit fructuosum atque salubre, ubertim dominicæ passionis diligenter reminisci.

[hren. III, 21.] MEMORIA *memor ero, et tabescet in me anima mea ; hæc recolens in corde meo, in Deo sperabo.* Non est in universo quod ad omnem salutem et gratiam eatenus efficax est atque idoneum ut passio Christi. Nempe quid utique tam vehementer spem roborat caritatemque inflammat, quemadmodum considerare Unigenitum Dei tanta pro nostra reparatione operantem ac patientem? Denique, si nos ira accendit, si impatientia pulsat, contemplemur dicentem : Ego quasi agnus [*Jer.* XI, 19.] innocens ductus sum ad immolandum. Etenim tanquam ovis coram tondente se [*Is.* LIII, 7; L, 6.] obmutuit, neque faciem suam ab increpantibus et conspuentibus in se avertit; quin potius pro impiissimis se crucifigentibus amorose exorans : Pater (inquit), [*Luc.* XXIII, 34.] ignosce illis. Porro, si rancor mentem dilaniat, intueamur Dominum ac Regem nostrum, quem nos, si salvi erimus, imitari oportet : quoniam quum adhuc ini- [*Rom.* V, 8-10; I *Joann.* III, 16.] mici essemus, animam suam pro nobis posuit. Præterea, si carnalis quempiam concupiscentiæ libido incendit aut concitat, conspiciat Christum flagellis lacerari, [*Joann.* XIX, 1 et seq.] spinis configi, clavis confodi, cruci affigi, et acerbissimum carnis dolorem pro se pati. Insuper, si nos inanis gloria, mundana vanitas sive superbia inflat, tangit aut movet, cernamus Christum, Dei sa- [I *Cor.* I, 24.] pientiam, alba pro nobis veste illudi, et [*Luc.* XXIII, 11; *Marc.* XV, 17; *Matth.* XXVII, 27 et seq.; etc.] in derisionem purpura indui, spinis coronari, a militibus adorari, et fœtidissimo sputo conspui, propriamque crucem bajulantem egredi, in cruce nudum levari, atque in ea a cunctis contemni, blasphemari, itemque illudi.

Omnem itaque virtutem in dominicæ passionis contemplatione addiscimus, omnemque per eam tentationem evadimus. Quoniam quidem, si gulæ nos passio provocet : nonne aceti fellisque dominici, qui- [*Ps.* LXVIII, 22; *Joann.* XIX, 29.] bus in cruce cibatus est atque potatus, reminiscentes, mox utique triumphamus? Amplius autem, si acediæ nos molestet ignavia, repente (ni fallor) hanc pellimus, si quantum pro nostra salute Rex omnium egerit atque pertulerit, sagaci mente pensemus. Denique quis tam inopinabilem Dei incarnati humilitatem, patientiam, obedientiam, caritatem contemplans, non se humiliare festinet, non mitior fiat, non magis obediat, caritatemque vehementius servet? Quis non se abneget, mundum

contemnat, omnemque carnalem mollitiem cordialiter spernat?

Enimvero non utique cursorie, neque mente distracta, nec sensu vagante, est meditatio ista servanda; sed maturo recollectoque animo exercenda est, nec unquam longe a corde linquenda. Non est enim militantibus vitæ hujus hospitibus, peregrinis et advenis, aliud tam aptum impertitum contra omnem animi morbum remedium, neque vigorosius pro omnium adeptione virtutum indultum subsidium, quam passio Christi : ideoque durantibus exsilii hujus militia atque miseria, nunquam est oblivioni tradenda. Non enim ignoramus quemadmodum in hujus typum legifer ille Hebræus æneum sit jussus serpentem erigere, cujus sanarentur intuitu a serpentino morsu gentes Hebræorum a serpentibus læsæ. Adhuc autem, quam utique impium est, bestiale ac inhumanum, ut sit homo tantorum immemor donorum, caritatis tam fervidæ, tamque immensæ bonitatis, quibus non a temporali solum morte, sed æterno etiam interitu sumus erepti, neque transitoriorum, sed cœlestium participationem bonorum sortiti!

Num. xxi, 8.

ARTICULUS VI.

De ordine contemplativorum.

Cant. i, 7. *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum, et pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum.* Altiora se quærens felix anima Christique sponsa, atque divinissimorum notitiam non ordinate concupiscens, Sponsoque dicens, Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, præinductam meruit amorosam a Sponso increpationem audire. Ideoque mensuram suam quisque intelligat, neque altiora se nondum capax effectus requirat. Est nempe ordo in speculandis. Quoniamquidem enim, uti a Dionysio dictum est, impossibile est aliter nobis splendere divinum radium, nisi variis circumtectum velaminibus sensibilium formarum, ad Divinitatis insignia se satagens erigere contuenda, in primis humanitatis Christi humilia cernere, cernendoque assequi ac conformari festinet : alioqui in malevolam animam non introibit sapientia. Et quemadmodum Cassianus deduxit, qui ethicam scientiam, quæ mores corrigit passionesque restringit, non didicit, ad theoricam utique contemplativamque vitam inhabilis exstat.

Ibid. 6.

De Cœlest. hier. c. i.

Sap. i, 4.

Cf. t. XXVII, p. 302 D et s.

Enimvero, tam secundum philosophos quam theologos, dupliciter est aliquid prius et notius : secundum naturam videlicet, et quoad nos. Nempe secundum naturam notiora atque priora, quoad nos posteriora sunt, itemque plus abdita ac ignota, et vice versa. Divina enim et separata ac immortalia, secundum naturam priora notioraque sunt : quippe quæ plus de actu, dignitate ac lumine habent. Sed quoniam humana agnitio ex sensibilibus ad intelligibilia properat, ipsa visibilia quoad nos priora notioraque sunt. Invisibilia namque divina ex visibilibus conspectantur.

Rom. i, 20.

Unde lucet quoniam Divinitatis altissimorumque speculatio, secundum se utique ampliorem causare devotionem potens est atque idonea. Devotio equidem ex caritate procedit, et in contemplatione fulcitur. Nempe dum rem agnitam diligimus, promptitudo mox oritur obsequendi honorandique eam. Itaque, quoniam divina contemplata secundum se meliora dulcioraque sunt cunctis creatis, secundum naturam quoque cor calidius inflammare devotiusque efficere queunt. Verumtamen mens nostra capax non est, neque de facili ad tam alta sustollitur : ideoque in humilibus interim, præsertimque his quæ humanitatis sunt Christi, exerceri eget, quatenus manuductione hac congrua ad optimorum elevetur intuitum.

Elucescit igitur quibus expediat, quibus etiam insuper obsit ambulare in magnis atque in mirabilibus super se. Non enim omnibus altorum divinorumque studium prohibere par est; sed nec omnibus di-

Ps. cxxx, 1.

Rom. xi, 20. ctum opinor, Noli altum sapere : alioqui A quomodo viri beatissimi, Hilarius, Augustinus, Anselmus, Boetius et Thomas, Trinitatis arcana tam studiosissime forent scru- Hebr. v, 12-14. tati ? Sed parvulis in Christo, quibus lacte opus est, et exercitatos nondum sensus sortitis, id convenire palam est.

ARTICULUS VII.

Quod a contemplativa devotaque mente, felicissimæ virginis Mariæ contemplatio infatigabiliter amplectenda sit.

Cant. iv, 9. V*ULNERASTI cor meum, soror mea, sponsa ; vulnerasti cor meum.* Ab exordio edocemur quemadmodum omnium Gen. iii. 1 et seq. nostrum infectio a femina, instigante diabolo, initiata sit, a viro autem impleta. Ibid. 14. Unde serpenti indignans Creator : Super pectus (inquit) tuum gradieris. Et post pauca ad dæmonem sub appellatione ser- Ibid. 15. pentis : Inimicitias (ait) ponam inter te et mulierem ; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. Nempe C ex tunc, magis autem ab æterno, sapientissima itemque æquissima summæ mentis censura, universam nostræ salutis beatitudinem per feminam reparare atque ab ea ordiri decrevit, consummante operanteque eam viro quem statuit, elegit, assumpsit. Hanc ergo salvatricem feminam nos amare ac venerari par est.

Denique, amplius volens rex Messias, Christus Dominus, propriam exaltare honorareque Matrem, constituit eam inter se judicem nosque judicandos mediatri- D cem, statuit eam apud se nostram advocatam, commisit ei militantem Ecclesiam, subjecit ipsi omnium electorum catervam, eatenus ut nisi per eam nil nobis donetur, ita ut si nos exaudiri, si indulgentiam gratiamque sortiri contigerit, totum per Mariam nos adipisci sciamus, in cujus manu salus nostra reposita est. Ideoque de ea rite suscipitur quod in Apocalypsi scri- Apoc. xii, 1. ptum est : Signum magnum apparuit in cœlo : mulier amicta sole, et luna (id est militans Ecclesia) sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. Elucescit ergo nos hanc Dei amantissimam et superexaltatam Virginem, sacrosanctam Mariam, post Deum debere venerari sublimius, amare ardentius, contemplari sincerius, semperque reminisci atque complecti tenacius. Neque enim est post Deum aliquid tam magnum, tam bonum, tam sanctum, tam necessarium ut ipsa. Vehementer itaque clementissimo Deo regratiari tenemur, qui talem nobis providit B mediatricem, et Matrem tam misericordissimam atque mitissimam, dulcissimam, affectuosissimam, diligentissimam, fidelissimam, sapientissimam, potentissimam, et item in omnibus tam inæstimabiliter efficacem.

Porro, si sincero Mariam corde contemplari moliris, ita procede. Quidquid perfectionis in universis mulieribus esse agnoveris, ei superexcellenter adscribe ; quidquid vero vilitatis ignobilitatisque, longissime ab ea reclude. Proinde, si in feminarum ordinibus mentem protendas, videbis in quibusdam virginitatis splendorem, sed sterilem ; in aliis maternam fecunditatem, sed libidini atque corruptioni obnoxiam ; in aliis rursus etiam in conjugio observatam castimoniam, atque in nonnullis honestatem vidualem. Hæc omnia, quantum ad perfectionem pertinet, in Maria eminentissime erant. Ipsa equidem virgo, nec sterilis ; mater, sed integra ; virum quoque habens, intemerata permansit ; et vidua facta, non utique in deliciis vixit. Hæc omnia ad carnis decorem præcipue spectant. Animæ vero virtutes sanctissimæ Virginis, quis vel intueri aut eloqui queat, quippe quæ in omni virtute tam incomparabilis exstitit ? In quibus tamen humilitatis sinceritas dilectionisque ardor, patientiæ mititas ac obedientiæ plenitudo præfulgent.

Insuper, quam eminenter universas perfectiones has divinæ sanctæque Virgini attribuere debeas, mox conspicis, si unum quod ei singulariter impertitum est, pro-

funde consideres. Quid vero sit hoc si A scisciteris, id utique, quod ipsa veri æternique Dei Mater vera facta est. Ex hoc subito lucet, in omni nobilitate atque virtute, sapientia itemque perfectione eo præclariorem esse Mariam, quo præ ancillis ac famulis matrem præferri condecuit. Quis autem intendere quisve concipere possit, quid perfectionis et gratiæ a tali Filio, tali præstari Genitrici condecens fuit? Nempe, si boni piique filii est, propriam in omnibus pro viribus parentem omni prævenire reverentia atque honore, B ei etiam donare quocumque eguerit, eamque (ut fas est) ditare itemque ornare spiritualibus potissime bonis : is igitur Filius qui verus est Deus, qui legem statuit, qui omnipotens est, munificentissimus, piissimus, immensaque bonitas, quid utique dulcissimæ suæ contulisse Parenti censendus est? Fateor, si linguis angelorum loquar et hominum, hoc tamen effari non possem.

Per incomparabilem ergo excellentiam omnis inerat Mariæ gratia, inestque jam C gloria. Enimvero quanta eam decebat carnis munditia, cujus erat portio superpulchræ Deitati hypostatice unienda? quanta
Ps. XLIV, 12. cordis serenitas, cujus speciem atque decorem etiam ipse Deus concupivit? quanta demum humilitas, ad quam se tam ineffabili dignatione, æterna illa, incircumscriptibilis ac perfecta majestas inclinans descendit, cui Deus subdi disposuit, quam omni suæ creaturæ præferre decrevit? Si non fuisset omnium creaturarum humillima, nunquam utique facta esset univer- D sarum altissima. Denique hoc ipsum quod est veri Dei esse Parentem, cum æterno Patre communem habere Filium, eum a quo Paracletus profluit genuisse : nonne immensam dignitatem confert Mariæ? Siquidem quo fecundior, eo quoque melior est; et quo Deo vicinior, eo prorsus præstantior. Palam est autem, nec cœli nec terræ, nec angeli nec hominis, neque universorum quæ condidit Deus, posse fecunditatem comparari fecunditati Mariæ, quippe quæ eum genuit qui cuncta creavit.

Insuper, omnis feminea imperfectio a Maria est tollenda, et econtrario omnis perfectio eidem adscribenda. Et quidem ignotæ non sunt fragilis hujus sexus imperfectiones innumeræ : inter quas sunt inconstantia, levitas, petulantia, evagatio, et aliæ quas enumerare non expedit. His igitur a benedicta deiformique Virgine longe ablatis, contemplare ut vales mulierem constantem ac pudoratam, honestissimam atque mitissimam; carne pulchram, immotam ac integram; caritate ardentem; sapientem atque prudentem, suavem, teneram ac studiosam. Quid, precor, amabilius ea? Quid demum adhuc miraris quia exsultavit ut gigas Unigenitus *Ps.* XVIII, 6
Dei ad currendam viam, nec substitit splendor paternæ gloriæ, Sapientia Patris, cujus *Prov.* VIII 31.
deliciæ esse cum filiis hominum, donec usque in medium amantissimæ suæ veniret, illicque in virginei uteri suavissima cella novem mensibus requiesceret? Felix nimis Puella cui se Deus tam familiarem exhibuit, cujus filius Creator esse elegit, cujus sibi uterum in thronum thalamumque sacravit, cujus ubera suxit, in cujus gremio sedit, quam toties complexatus osculatusque est, in cujus ulnis tam ubertim quievit, cujus mensæ tam frequenter assedit ac ministravit, cum qua triginta annis tam dulciter, humiliter filialiterque, ignotus aliis, conversatus est. O delectabilissima felicissimaque Maria, me (quæso) in universis maternaliter atque piissime præveni, posside, conserva.

ARTICULUS VIII.

De triplici via atque triformi actione hierarchica.

VIÆ Domini *pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ.* Apex perfectionis humanæ in altissimo quodam sita est, quod *Prov.* III 17.
est secretissima mentis in Deum extentio, seu inhæsio occulta, libera, pura atque ecstatica. Ad quam triplici via pertingitur : quarum duæ, purgativa scilicet et illumi-

nativa, mentem disponunt; tertia autem, A perfectiva videlicet seu unitiva, ingreditur. Denique purgativa in hoc via consistit, ut vitia purgentur, affectionesque seu passiones animæ reformentur, quatenus animæ caro prompte deserviat, rationique sensualitas pareat, atque divinis mandatis voluntas obediat. Hoc autem aliud prorsus non arbitror nisi ad originalis rectitudinem justitiæ animam reformare atque reducere. De hoc in superioribus latius determinatum recordor. (lib. I, art. ..., xii, xv.) Præterea via illuminativa in hoc constituta B est, quatenus menti nostræ summæ lucis splendor infulgeat, resplendeat atque irradiet : ut divinæ anima sapientiæ participationem sortita, ad vilis et pretiosi, veri et falsi, boni et mali discretionem formetur ; atque ea quæ fidei sunt sincere intendat, subtiliter penetret, profunde concipiat, et demum ea quæ fidem corroborant, articulorum quoque ipsius rationes, nexum ac ordinem, acie contempletur serena; ex visibilibus quoque atque corporeis ad invisibilia ac immaterialia erigatur cer- C nenda, discatque summi naturam Opificis ex creatis rimari, ac ipsius invariabilitatem, unitatem, immultiplicabilitatem, perfectionem, simplicitatem, ex temporalibus, compositis ac dependentibus speculari. Præterea via perfectiva tunc adest, dum in amorem transformatur agnitio, ipsaque sapientialis intuitio in caritatis affectum resolvitur, atque a semetipsa mens contemplativa deficiens, religata a sensu, itemque suspensa ab intellectu, in amore liquescit et moritur, atque in summæ veri- D tatis ac bonitatis amorem tota sincere infigitur, nude erigitur, ac libere atque ecstatice stabilitur.

Porro triplici huic viæ triplex quoque correspondet actio sacra hierarchica. Tres nempe (ut Dionysius ait) sunt actiones (De Cœlest. hier. c. iii; De Eccl. hier. c. v, vi.) hierarchicæ : purgare, illuminare et perficere. Et hæ quidem in cœlesti primum hierarchia, hinc vero per imitationem in ecclesiastica quoque hierarchia reperiuntur, verumtamen diversimode valde : siquidem in cœlestibus illis ordinibus non est purgatio ab immunditia aut culpa, sed, ut Dionysius edocet, ab habitu dissimilitudinis minorationeque luminis. (De Eccl. hier. c. vi.) Itaque præinducta via triformi ad angelicarum assimilationem operationum attollimur, et ad ipsarum vitæ huic possibilem conformitatem proficiscimur atque levamur. Omnem equidem mentem supernam Deus sublimis et benedictus purgat, illuminat et perficit seu unit. Non tamen purgat (ut jam fassus sum) a culpa ; neque illustrat ad fidem, sed spem; nec unit ad caritatem suspirantem, sed fruentem atque complexam. Mens vero viatrix proportionaliter purgatur a culpa, illuminatur in fide, perficiturque in dilectione tendente.

Rursus, huic viæ trifariæ triplex insuper correspondet status religiosorum. Viæ namque purgativæ proportionatur status animalis, ad incipientes respiciens ; viæ vero illuminativæ, status rationalis, proficientium exsistens ; perfectivæ autem, status spiritualis, ad perfectos utique pertinens.

Innotescit itaque quemadmodum per viam purgativam efficiatur anima sapientiæ sedes, illuminationumque capax, et ad vitam contemplativam, non tamen summam neque perfectam, idonea. Contemplativa etenim vita bipartitur, ut sit una intuitiva atque formabilis, alia theorica itemque formata. Quarum prima designatur per Rachelem, quæ erat pulchra facie, (Gen. xxix, 17.) non tamen omnino carnalibus mortua ; alia per Mariam, quæ sedebat uni neces- (Luc. x, 39.) sario amorose intenta, et omni carnali affectioni penitus mortua atque in Christo solummodo viva. Denique per viam utramque ad tertiam, in qua humanæ perfectionis vertex est, pervenitur.

ARTICULUS IX.

De altissimo humanæ perfectionis vertice.

NOS *vero revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem* (II Cor. iii, 18.)

tanquam a Domini Spiritu. Mentis igitur A creatæ felicitas, unio ejus est cum increata veritate. Porro unio hæc per intellectum primo efficitur, atque in affectu completur. Est igitur unio quædam vitæ præsentis cum Deo vero, qua in via præclarior esse non valet. Ipsa est, ut Dionysius docet, mystica theologia, seu caliginosa ac occultissima Dei visio : dum videlicet mens contemplativa calidissima dilectione exæstuans, cunctaque creata relinquens, atque ab omni operatione apprehensivarum virium circa creata consistente B quiescens, sensum intellectumque suspendit, atque in divinitatis abyssum erigitur, et libero, nudo ac puro contuitu, in delicias gloriæ Dei absorbetur et rapitur, illique sic intenta exsistit, ut ceterorum omnium obliviscatur.

Unde primo capitulo Mysticæ theologiæ Timotheo loquens Dionysius : Tu autem, inquit, o amice Timothee, circa mysticas visiones forti attritione et sensus derelinque et intellectuales operationes, et omnia sensibilia et intelligibilia, et omnia non C entia et entia ; et ad unionem (ut possibile est) incognite restituere ejus qui est super omnem substantiam et cognitionem. Ea enim tui ipsius et omnium irretentibili et absoluta ecstasi, pure ad supersubstantialem divinarum tenebrarum radium, omnia auferens et ex omnibus absolutus, reduceris.

Nempe in hac Dei mystica visione unitur mens Deo tanquam prorsus ignoto : contemplatur enim eum invisibilem ac incomprehensibilem esse, cunctisque in D infinitum superexaltatum consistere. Ideoque omne nomen quo ipse nominatur, a repræsentatione perfectæ plenitudinis ejus in immensum occumbit ac distat. Et ob id hoc modo Deum videre, est in caliginem ingredi, et item in actuali omnium ignorantia fieri. Unde in epistola ad Caium Epist. 1. Dionysius : Divinæ (ait) tenebræ cooperiuntur omni lumini, et absconduntur omni cognitioni. Appellat autem Dionysius divinas tenebras atque caliginem, inaccessibilem lucis plenitudinem. Hæc porro mentis ad Deum restitutio, per irretentibilem (id est non impeditam inordinato aliquo retrahente affectu) et absolutam ab omnibus ecstasim seu excessum perficitur. Copulaturque demum mens in ea divino splendori, puro ac nudo intuitu, ne per immunditiam passionis aut culpæ oculus mentis offuscetur ; et cuncta transcendens, non jam per speculum ac imagines rerum creatarum, sed in simplici quodam menti impresso divino radio atque fulgore Deum speculatur. Unde ad Titum Dionysius : Verte te, inquit, ad radium. Epist. Ob id secundo capitulo Mysticæ theologiæ dixit Areopagita magnus Dionysius : Secundum hanc nos fieri superlucidam oramus caliginem, et per invisibilitatem et ignorantiam videre et cognoscere quod est super omnem visionem et cognitionem. Siquidem in visione hac tenebrosissima ac superlucida, hoc est vere videre, eum qui videtur, videre omnino invisibilem esse ; et quo mens munda hoc plenius viderit idque profundius contuita fuerit, superbenedictum videlicet illud æternaleque lumen omnino atque omnimode invisibile et imperscrutabile esse, eo clarius illud cernit, tenebrosiusque caligat. Et hoc Dionysius ait : Hoc, inquiens, est videre et cognoscere, supersubstantialem supersubstantialiter per omnium entium ablationes laudare.

Ipsa enim æterna ac adoranda Divinitas omne creatum immensa utique dignitate excellit ; et quo ei mens amplius appropinquat, eo ipsius inaccessibilitas incomprehensibilitasque lucidius animo clarent. Porro, dum caliginem ingressa mens fuerit, jam omnis caligabit agnitio, et secundum analogiam ascensus omne quoque abbreviabitur nomen, tandemque in caligine vox omnis omneque nomen relinquetur atque deficiet. Et uti divinus ait Dionysius, non jam breviloquium, sed sermonis De Th myst. c. privationem omnimode et inintelligibilitatem inveniemus. Hinc quippe quinto capitulo Mysticæ theologiæ sacer theologus

Dionysius : Rursus, inquit, dicamus ascendentes, quod neque anima est Deus, neque intellectus ; nec ratio, neque intelligentia; nec dicitur, neque intelligitur ; nec stat, neque movetur ; nec potentiam habet, neque potentia est, neque lumen ; nec vivit, nec vita est ; neque substantia est, nec scientia, nec veritas, neque sapientia; nec unum, nec unitas ; nec bonitas, neque deitas ; nec spiritus est, nec filiatio, neque paternitas, nec aliud quid nobis aut alicui entium cognitum ; neque quid non entium neque quid entium est ; neque entia eum cognoscunt ut ipse est, neque ipse cognoscit entia secundum quod entia sunt. Neque ratio ipsius est, neque nomen, neque agnitio ; nec tenebræ est, neque lumen ; nec error, nec veritas ; neque est ipsius universaliter positio, neque ablatio. Omnia quippe incomparabiliter ac inexcogitabiliter excedit, et nec numero nec specie nec genere quidquam cum eo communicat.

ARTICULUS X.

De ampliori præinductorum elucidatione, et de subtilissimis quibusdam dictis admirabilis viri domini Joannis Ruysbroeck.

Apoc. II, 17. *VINCENTI dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit.* Innotescit (ni fallor) quoniam quo supersimplici Deo vehementius mens creata propinquat, eo utique amplius simplificatur, et in deiformem subsistentiam sublimius transformatur. Ideoque secundum multiformem accessum ad Deum varii quoque distinguuntur perfectionum gradus.

Enimvero fidelium hi quidem Deo adhærent ut servi fideles, hi autem ut secreti amici, hi vero ut occulti filii. Quorum ista (ut Joannes Ruysbroeck scribit) distinctio est : quoniam fideles servi mortalia quidem peccata diligenter declinant ac divina A præcepta fideliter servant, nondum tamen contemplativi atque interni facti sunt, sed activi, et in activæ vitæ piis sanctisque operibus Deo placere festinant, atque hujuscemodi exercitia magni pendunt et eligunt. Denique secreti amici interna atque affectuosissima Deo adhæsione intenti sunt, et ad spiritualem se gustum transfundentes, consilia quoque implere conantur, et contemplativæ actibus vitæ se tradunt. Verumtamen nondum nudi omninoque simplices effecti sunt, quippe qui necdum B proprietatem omnem reliquerunt, neque sibi ipsis mortui sunt, nec a se ipsis prorsus deficiunt : adhuc enim Dei dona, utputa consolationem internam, mentalem dulcedinem, et item adhæsionem devotam, velut finalia summaque bona, magni pendunt, amant atque desiderant.

Porro occulti filii his utique moriuntur, solique superpulchræ æternæque Divinitati vacantes, nil præter eam magni pendunt, amant, advertunt aut cupiunt. Ideoque in superlucentes divinæ lucis tenebras C eatenus absorbentur, ut sibi penitus mori, ac in amore comburi, itemque in nihilum redigi, et in Deum insuper transformari atque ipsi indissolubiliter videantur uniri. Enimvero in transformatione hac ipsa mentis in Deum, mens ipsa a se defluit ac deficit, et se omnique sui ac ceterorum demum proprietate relictis, in ipsam Deitatis superineffabilem, simplicissimam interminabilemque abyssum, et inscrutabilem quoque inaccessibilemque caliginem, mergitur et demergitur, liquescit et deliquescit, D profundatur et deprofundatur, et (ut omnia simul dicam) annihilatur, et a se ipsa deperditur. Porro in Deo vivit, itemque cum illo, ab omni proprietate, commixtione ac affectione, nuda, pura et libera exsistens, unum efficitur, unus spiritus, una anima, unum esse, una felicitas : alteritatem namque non percipit, quoniam in deiformem simplicitatem meavit. Siquidem in hoc mentis in Deum excessu ecstatico, in supersplendentem quamdam mens sancta caliginem labitur :

nempe superveniens ei divinæ lucis interminabilis ac invisibilis splendor, aciem ejus repercutit, excæcat atque obtenebrat. Sed in obnubilatione hac mens inexstinguibili divinæ dulcedinis divinique amoris siti ignitur; dilectionis quoque impatiens, inquieta est, et donec perfecte obtineat, vehementius incalescit : plus equidem ostenditur quam capere possit. Sed et intrahens Dei influxus ac superducens contactus, animam a se alienat et in alteritatem quamdam transponit : non quod in omnibus his natura aut exsistentia creaturæ mutetur aut desinat, sed quia modus exaltatur deificaturque qualitas.

Præterea, ad hanc mentis perfectionem dignissimam sex fore necessaria testatur homo iste, non ab homine, sed a Deo eruditus. Quæ sunt : pax vera, internum silentium, adhæsio amorosa ; et alia insuper tria, his vehementer eminentiora, et sunt quies in dilecto, obdormitio (ubi videlicet spiritus a se defluit, nesciens ubi vel quomodo), et intuitio quædam caliginis, quam (De Divin. nom. c. VII.) Dionysius irrationalem itemque amentem appellat, in qua spiritus se mortuum sentit et perditum, atque cum Deo unum, et ibi Deus pax ejus est, quies simul et fruitio.

ARTICULUS XI.

De necessitate et præeminentia caritatis.

(I Tim. I, 5.) F*INIS autem præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* Omnium virtutum prima ac ultima est caritas : neque enim sine ea aliqua adest virtus, neque sine ipsa Deo placere quis valet. Denique operatio ostendit an forma vel virtus seu habitus veraciter insit. Qui itaque scire molitur an caritatem veram possideat, contempletur sollicite si ea quæ caritas facit, in se quoque comperiat. Porro quid caritas agat, (I Cor. XIII, 4-6.) pandens Apostolus : Caritas (inquit) patiens est, benigna est ; caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non

A irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Cui hæc præsto sunt, caritatem sortitus est. Qui vero sine his se invenit, non sibi de caritate blandiatur, ne erret. Itaque, si (Jacob. ... 10.) quis omnem legem impleverit, in caritate autem offendat, omnium reus est, nec aliquid sibi prodest : quidquid enim egerimus, si in caritate non proficimus neque manemus, infelices censemur. Nec quidpiam nobis prodesse judicemus, nisi in quantum ad caritatem nobis profecerit.
B Deus caritas est, caritatem diligit, cari- (I Joann. ... 8, 16.) tatem præcepit, caritatem requiret. Qui vitam suam in caritate non stabilit, nec cuncta quæ agit ad eam ordinat, omnium operum suorum se fructu destituit mercedeque privat. Deus enim unitas est, et unionem in suis amat : caritas vero diversos unit et in unitatem reducit, invidia autem dispergit et separat. Porro tanta Dei et proximi exstat caritatis connexio, ut sine altera una haberi non possit. Qui (Ibid. 20.) enim se Deum diligere dicit, et fratrem
C suum odit, mendax est : Deo namque fraternam dilectionem jubenti, inobediens est ; et scimus quoniam qui præcepta Dei (Ibid. V, 2) non servat, non utique eum veraciter amat.

Interea caritatis necessitatem ac superexcellentiam apertissime Paulus insinuans : Excellentiorem (ait) vobis viam demonstro. (I Cor. ... 31; XIII, 1) Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens ; et si habuero prophetiam, et noverim my-
D steria omnia et omnem scientiam, et habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum ; et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Nihil enim sic in nobis odit nilque eatenus in cordibus nostris lædere satagit hostis ut caritatem. Ideoque ei in hoc diligentissime reluctari oportet, quoniam mille artes molitur.

ARTICULUS XII.

De argumentis et fomento ac causa caritatis fraternæ.

Matth. VII, 12. *QUÆCUMQUE vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Sic nempe agentes, diligimus proximos tanquam nos ipsos. Dum enim confratribus sic bonum favemus et exhibemus, malo autem eorum condolemus, quemadmodum proprium bonum nobis ipsis optamus malumque vitamus, tunc utique eos vere diligimus : B sic tamen ut diligamus eos in Deo, ad Deum et propter Deum.

Porro indicia rancoris fraterni ex contrario sumere par est : quoniam uti amoris est unum alteri jungere, se suaque diffundere, in alio velut in se ipso confidere ; sic prorsus invidiæ est unum ab alio separare, alterius bono invidere, non sua nec se velle communicare, neque de alio bona præsumere, atque in universis quæ agit quem quis odit, displicentiam tædiumque habere. Ideoque, ut fertur, hæc quoque C invidiæ argumenta sunt : non sine mentis gravamine de alio cogitare, loqui, audire, nec eum sine commotione adspicere, et omne demum bonum ejus impedire, minuere aut certe pervertere. Non sibi de fraterna caritate applaudat, qui in se ista persentit. Quo quis ista vehementius habet, eo amplius caritatis expers est. Quod si ea plene habuerit, rancore utique languet, et quidquid egerit, inane est, quoniam vera caritate penitus caret. Invidia quippe, q. XXXVI, a. 4 ad 3um. sicut in secunda secundæ Thomas ait, bo- D no naturæ non favet, sed invidet. Et ut Augustinus edisserit, ex ira impatientiaque vel frequenti aut longæva, invidia oritur ; estque gravissimum scelus, quoniam dilectioni, quæ virtutum apex est, directe opponitur.

Denique, ex similitudine nascitur amor, et ex unitate similitudo emanat. Porro ex eodem res nutritur et constat, ut Aristoteles dixit : unde vitæ actuumque parilitas internam affectionem conservat nutritque. A Hinc enim dicitur quoniam omne animal sibi simile amat. Eccli. XIII, 19. Et ut Ambrosius asserit, nil tam secundum naturam quam amare naturæ consortem. Itaque qui cum alio stabilem cupit dilectionem servare, ei (ut fas est) in exercitiis exercitiorumque desideriis parem se exhibeat, idque quo alium offendi gravarive metuit, vitet, semper nihilo minus vera servata rationis censura, ne divino amori inferatur injuria. Hinc equidem dilectio et perseverat, et augetur, et fervet.

ARTICULUS XIII.

De perfecta caritate proximi.

IN hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit ; et nos debemus pro fratribus animas ponere. I Joann. III, 16. Discipulus quem diligebat Jesus, multiformiter prorsus in nobis dilectionem instruit, recommendat atque hortatur fraternam. Nunc nempe pro proximo animam contestans ponendam, ait quod modo inserui. Nunc autem animæ facultates impertiendas fratribus instruens : Qui ha- Ibid. 17. buerit (inquit) substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in ipso ? Unde continuo monens : Filioli (inquit) mei, non dili- Ibid. 18. gamus verbo neque lingua, sed opere et veritate. Et denuo : Nos (ait) scimus quo- Ibid. 14, 15. niam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres : qui fratrem non diligit, manet in morte ; omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et post pauca : Si diligamus (inquit) invicem, Deus Ibid. IV, 12. in nobis manet, et caritas ejus in nobis perfecta est.

Porro quæ sit vera perfectaque proximi caritas, ex præinductis paulo ante Apostoli art. XI. verbis elucescit : ea videlicet quæ patiens I Cor. XIII, 4, 5. est atque benigna, non elata, non irascens, non suspiciosa, nec appetens propria. Etenim vera consummataque caritas tales nos fratribus in cunctis bonis ac malis,

prosperis atque adversis exhibet, quales A ipsi nobis sumus aliosque nobis in omnibus esse optamus. Denique quis utique tam insensatus est atque sic amens, qui de proprio malo non doleat, si sentiat, ac de proprio bono non gaudeat, si agnoscat? Sed et delinquenti sibi quis non utique misericordiam emendæque tempus impendi concupiat, iram vero ultionemque formidet, et sibi eas non infligi desideret? Siquidem penitus (ni fallor) precamur Altissimum, ut dum offendimus, nostram mox fragilitatem imperfectumque B conspiciat, atque ad id quod ei complacet, efficaciam præstet; neque nos transgredientes, ut inimicos sibi atque rebelles existimet, sed ut pauperibus debilibusque ignoscat. Ideoque omnino hoc quoque modo proximis nos exhibebimus, si plenam eorum caritatem sortiti fuerimus.

Enimvero, quemadmodum ex ore sancti anachoretæ Chæremonis abbatis Cassianus conscripsit, qui talis factus est, nullis deinceps peccantium vitiis irascetur, quin potius eorum infirmitatibus peccatisque C condolens, veniam ipsis adipisci a Deo conabitur; seque demum tamdiu similium stimulis passionum impugnatum reminiscens donec miseratione sanaretur divina, non propria erueretur industria, non jam iracundiam, sed misericordiam prævaricantibus impendendam intelligit.

Si autem quis objiciens dixerit : Quomodo ait Cassianus non irascendum indignandumque vitiis, quum dicat Psalmographus, Perfecto odio oderam illos, non *Ps.* CXXXVIII, 22. naturam, sed culpam? Et Gregorius : Com- D passio, inquit, debetur proximo, et rectitudo vitiis, ut in uno eodemque homine diligamus bonum quod factus est, et persequamur mala quæ fecit. — Respondendum autem : irascendum quidem vitiis, ut puniantur in præsenti; indulgendum autem atque orandum ne in futuro æternaliter torqueantur. Sic enim propriis quoque culpis nos irasci oportet, quoniam malum impunitum nequit relinqui. *Job* XXIV, 12. Ideoque, dum tempus causaque requirunt, proximorum peccata nedum increpare, sed et ulcisci demum oportet : quia ad correctionem fraternam universi tenemur. Nihilo minus sic extrinsecus est servandus justitiæ rigor, ne intrinsecus desit pius compassionis dolor. Misericordia namque ex caritate procedit. Et scimus quia benefacit animæ suæ vir misericors. *Prov.* [XI], 17. Siquidem beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Matth.* V, [7]. Ideoque Christus ad Pharisæos : Euntes (ait) discite quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium. *Ibid.* IX, [13]; *Osee* VI, [6].

Præterea, ut Cassianus fatetur, lucidum animæ nondum purgatæ indicium hoc est, in alienis peccatis non condolentis affectum servare, sed austeram justitiæ atque judicii censuram tenere : quippe quæ necdum didicit in quo secundum divinum Apostolum legis Christi plenitudo consistit, dicente Apostolo sancto : Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. *Galat.* VI, [2]. Unde his vitiis monachum subjacere certissimum est, quæ in alio inhumana et item inclementi severitate condemnat. Justus namque (ut Sapiens ait) miseretur animabus peccatorum; viscera autem impiorum crudelia sunt. *Prov.* [XII], 10.

At vero pacis tempore, evidentius nequit perfectæ caritatis fraternæ fore indicium, quam inimicos diligere; necessitatis vero persecutionisque hora, animam ponere, Christo testante : Majorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Joann.* [XV], 13. Si autem quis instet, eo quod secundum Apostolum, quum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est; *Rom.* V, 9. dicendum, eum utique nos dilexisse potissime secundum rationem prædestinationis æternæ : alioqui non utique tanta nobis bona impendisset.

ARTICULUS XIV.

De vera atque sincera caritate, per quam Deo potissime conformamur.

Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. I *Joann.* [IV], 19. Qui alium sincere vereque diligit, non jam propter ea

quæ illius sunt, sed propter ipsum utique eum amat. Porro qui idcirco alium amat, quoniam sibi utilis est, et quia ab eo commodum exspectat et sperat, non illum, sed dona ejus præsertimque se ipsum comprobatur diligere. Ideoque is dumtaxat verus purusque Dei amator censendus est, qui eum, ut possibile est, secundum evangelicum illud præceptum, ex toto corde, totaque mente, totaque anima, et ex omni demum fortitudine sua diligit, non commodi alicujus intuitu, sed nec remunerationis adspectu, vel quia sibi Deus conveniens est eoque ipse eget : quin potius propter connaturalem ac superamabilem suam bonitatem, sanctitatem ac perfectionem ei afficitur, eum amat atque complectitur ; et jam non metu pœnarum, neque felicitatis obtentu, sed propter ipsum nudum boni affectum desideriumque virtutum ac Divinitatis ardorem, Deo adhæret, servit, itemque jugiter et delectabiliter paret. Nempe id æquissimus caritatis ordo efflagitat, ut quæ minus bona sunt, minus desiderentur atque amentur ; quod autem præstantissimum est, ardentissime ac propter se ipsum diligatur, cetera vero, in ordine ad illud et propter illud. Unde solus Deus propter se ipsum summe amandus est. Denique neque nos ipsos, nec propriam salutem aut commodum, nisi in ordine ad Deum, propter Deum, et ob ejus amorem atque honorem, amare debemus.

Matth. XXII, ; Marc. XII.

Præterea, qui ideo tantum Deum diligit, quoniam sibi conveniens est, hincque principaliter ei obedit, ut sibi felicitatem ac dona impendat, non veram atque gratuitam dilectionem, quæ sola meretur, sed naturalem ac imperfectam dumtaxat caritatem, quæ nihil a Deo gloriæ promeretur, quoniam super se inordinate reflectitur, se adeptum agnoscat. Hujuscemodi quippe Dei dilectio ad se injuste conversa, veri amoris, qui semper in altum tendit ac in Deum finaliter scandit, expers est ; et naturalis perhibetur, quoniam ex naturali inclinatione qua cuncti beati esse desiderant, proficiscitur ; et ex informi fide egreditur : ideoque non meretur.

Itaque et nos et propriam salutem in Deo, ad Deum et propter Deum amemus, quatenus cum Sponsa fateri possimus : Ordinavit in me caritatem. Enimvero qui hanc tam ordinatam dilectionem gratia Dei sortitus est, in Dei ac divini amoris similitudinem jam processit. Ille equidem nos dilexit, nil a nobis recipere sperans : bonorum enim nostrorum non eget. Sed propter nos ac nostram salutem nos fecit atque refecit : et hoc non propter nostram justitiam, sed suam munificentissimam bonitatem. Omnia namque propter se ipsum operatus est Dominus. Sic quoque dum eum propter ipsius purissimam bonitatem, non pœnarum horrore, nec præmiorum cupidine, diligimus, deiformes efficimur.

Cant. II, 4. Ps. XV, 2. Prov. XVI, 4.

Denuo, dum inimicos quoque amamus, neque ingratis beneficia exhibere desistimus, divino utique amori, qui solem suum justis ac impiis lucere instituit, bonis ac malis pluviam fundit, omnibusque (quantum in se est) se communicare paratus est, et unicuique ut capere valet se influit, conformes in caritate facti sumus. Quam se Dei assimilationem adeptum Joannes agnoscens : In hoc (inquit) perfecta est caritas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii, quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. Etenim quomodo fragilis humilisque natura in hoc mundo esse potest ut Deus, nisi ad instar caritatis divinæ in bonos et reprobos lenem semper placidumque cordis extendendo caritatis affectum, bonum ob ipsius virtutis amorem efficiens, atque ad adoptionem filiorum Dei pertingens ?

Matth. V, 45. I Joann. IV, 17.

ARTICULUS XV.

De tribus quæ homines ad Dei obsequium trahunt; et cur quidam servi, quidam mercenarii, quidam autem amici appellentur.

S*I quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo.* Tria sunt quæ a peccati libidine mentem avertunt, et ad Dei man-

I Joann. II, 15.

data inducunt. Primum timor est pœnæ. A Scriptum est enim : Timor Domini odit malum. [Prov. viii, 13.] Secundum est spes præmii. Tertium autem caritas est.

Igitur qui Deum timet, non timore illo filiali ac casto qui ex magnitudine amoris emanat, sed ne justa pœna plectatur, servus vocatur. Servi enim est timere tormentum : [Luc. xii, 47.] quia si sciens voluntatem domini, non fecerit secundum voluntatem ejus, plagis vapulabit multis. Et Propheta : [Malach. i, 6.] Filius (inquit) honorat patrem, et servus timet dominum suum. Denique mercena- B rius perfecta nondum caritate formatus ac propria quærens, mercedis aviditate, non amore rectitudinis aut Dei caritate, Deo servit mandataque servat. Et quidem si sic in his timor servilis ac proprii commodi amor consistant, ut de filiali timore atque ipsius Dei filiali dilectione nil penitus adsit, nec servus nec mercenarius quidpiam promeretur : qui enim pœnam metuit et Deum non diligit, sine gratia est. Sed et qui se dumtaxat privato inordinatoque quærit amore, stans ad se C reflexus, non in Deum erectus, divina utique dilectione destitutus est : quod jam [art. præced.] paulo ante lucidius deductum recordor.

Præterea, cui bene operandi ratio nec metus est neque sui lucri cupido, sed virtutis atque munditiæ indissolubilis ac jugis affectio, quem non aliud quam divinæ reverentiæ amor bonique summi fervor oblectant, hic Dei amicus rite asseritur, et is dumtaxat stabilis in bono constansque subsistit : [I Cor. xiii, 8.] caritas enim nunquam excidit ; et ratio atque fomentum quod eum indu- D cit, sincerum est, perpetuum atque divinum. Denique quem quærit, intendit ac adspicit, æternus est, cuncta prospiciens et ubique adsistens. Nempe nil utique huic humanus addet respectus, neque adspicientis creaturæ reverentia ei quidquam adjiciet, neque solitudo tollet aut minuet : quin potius semper atque ubique propriam intra se conscientiam intuens, actuum cogitationumque cunctarum animæ suæ pervigil erit custos, cum Elia Eliseoque dicens : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto [III Reg. xvii, 1 ; IV Reg. iii, 14.] hodie, imo semper atque ubique. Itaque proficisci festinans de virtute in virtutem, a timore ad spem, et item per utrumque ad caritatem meabit.

Porro is quem timor a vitio cohibet, timore ablato, ad id repente quod diligit, reversurus est, nec in bono pacifice stabiliterque mansurus : quoniam in virtutis affectum nondum ascendit. Qui præterea præmiorum cupiditate inducitur, non utique vero summoque bono cor directe impressit. Qui autem Dei dumtaxat nuda et absoluta dilectione inflammatur, non quiescit donec perveniat : quia, Joanne testante, scimus quoniam omnis qui natus [I Joann. v, 18.] est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum, hoc est, non remanet neque finitur in mortali capitalique crimine, quoniam semen Dei in eo perseverat, quia [Ibid. iii, 9.] electus est.

ARTICULUS XVI.

De concordia catholicorum doctorum, et distinctione timoris.

TIMOR non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. [I Joann. iv, 18.] Videntur, ni fallor, si diligenter intueamur, orthodoxi doctores de præsenti materia diversa sentire ; sed rite contemplantibus summa eorum splendebit concordia. Nempe vir a Deo utique mirabiliter eruditus, Joannes Ruysbroeck, in libro de Perfectione filiorum Dei, ubi multa pulchra profundaque scripsit, de servis ac mercenariis loquens, servos mercenariis prætulit, et mercenarios demum ab omni felicitate ac gratia inanes appellat, servos autem in gratia statuit. Cassiani vero rationes atque auctoritas his (ut ap- [Cf. t. XX, p. 274 B'] paret) repugnant. Servis namque mercenarios præfert, et mercenarios quoque qui mercedis operantur intuitu, non omnino evacuat, dicente Psalmographo : Inclinavi [Ps. cxviii, 112.] cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem. Et de Moyse narrans Apostolus : Adspicie- [Hebr. xi, 26.]

bat (inquit) in remunerationem. Rursus, A inter amicos Dei et filios non distinguit Cassianus quemadmodum Joannes Ruysbroeck. Sed horum atque eis majorum concordia clare patebit, si fiat timoris divisio.

Est quippe servilis timor, constituens *Joann.* VIII, 35. servum qui non manet in domo in æternum : et hunc perfecta caritas, quia pœ- *I Joann.* IV, 18. nalis est, penitus ejicit. Hunc servum mercenarius præit. Unde Augustinus : Timor, ait, servilis est, quum per timorem gehennæ continet se homo a peccato ; quo præsentiam Judicis pœnamque metuit, et B timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi æternum bonum, quod non amat, sed timore patiendi malum, quod formidat : non timet ne perdat amplexus pulcherrimi Sponsi, sed ne mittatur in gehennam æterni tormenti. De *Rom.* VIII, 15. hoc timore Apostolus ad Romanos : Non accepistis (inquit) spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba (Pater). Etenim, ut super hæc verba Augustinus asseruit, quamvis servili timo- C re credatur Deo, non tamen creditur in Deum ; et si per eum bonum fiat, non tamen bene : nemo enim invitus bene facit, etiam si bonum est quod facit. Hic ergo timor esse nequit meritorius.

Est igitur alius quidam timor, qui initialis vocatur, qui caritati nondum perfectæ commiscetur, eoque magis pellitur quo caritas magis augetur. Hic timor priorem minuit, et quod ante durum erat, amabilius reddit. Denique timor iste ad fideles servos pertinet, quos Ruysbroeck merce- D nariis præfert. Unde nec simpliciter servos, sed servos fideles mercenariis prætulit. Estque insuper meritorius timor iste ; et *Ps.* CX, 10. tam iste quam alter initium est sapientiæ, et ad caritatem disponens, hic tamen secundus magis atque propinquius.

Præterea, tertius timor est castus et filialis et amicalis, de quo sanctus David *Ps.* XVIII, 10. concinit : Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi. Hunc ardens gignit amor : quo formidamus ne tardet dilectus, ne abeat, ne offendamus, ne eo careamus. Hic timor primum ejicit, et secundum perficit ; estque in caritate perfecta, et quo major est caritas, eo ipse quoque intensior est : quemadmodum indulgentissimum patrem filius ac amantissimum sponsum conjux sollicito reverentur affectu, ne vel paululum offendant piissimum vultum, neve amoris virtus tepescat. De hoc timore ait Scriptura : Timete Dominum, omnes sancti ejus, quo- *Ps.* XXXIII, 10. niam nihil deest timentibus eum ; et denuo : Beatus vir qui timet Dominum, in *Ps.* CXI, 1. mandatis ejus volet nimis.

Hinc insuper constat quemadmodum dictum sit : Jam non dicam vos servos, quia *Joann.* XV, 15. servus nescit quid faciat dominus ejus ; vos autem dixi amicos. Hoc nempe de servitute quam timor facit servilis dictum est. Porro servus bonus, prudens atque fidelis, et servus est et amicus ; sed et omnes insuper qui in gratia sunt, sive filii sint sive amici, servi quoque exsistunt : Deo enim obsequuntur et parent.

Denique, quomodo timor filialis in patria sit tam in angelis quam animabus beatis, et item in omnibus illic æternaliter permanebit, et rursus, qualiter animæ Christi timor hic infuit, et nunc etiam inest, modo relinquo. Hanc namque materiam Magister Sententiarum libro tertio *dist.* XXXIV C et s. pulchre pertractat. Nunc tamen in tantum breviter tangam, non habere timorem istum sanctum eosdem usum et actum in patria quos habet in via : non enim Beati in cœlo metuunt ne Deum offendant aut perdant, aut ejus in ipsis ardor tepescat ; sed remanet illic reverentia, quæ est (ut ait Magister) mixta cum subjectione dilectio. Sic demum et Christo secundum naturam assumptam hic timor inerat, et nunc etiam inest. Nunquam enim Deum offendere aut eo carere timebat, quippe qui nec unquam viator purus exstitit ; sed plus omnibus Divinitatem reveritus est, quemadmodum de ipso prophetavit Isaias : Replebit eum (inquiens) spiritus timoris *Is.* XI, 3. Domini.

ARTICULUS XVII.

De amabilitate divinæ naturæ.

Ps. xvii, 2, 3. DILIGAM *te, Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.* Unumquodque quo fuerit in bonitate præstantius atque in pulchritudine formosius, eo amabilius desiderabiliusque exsistit. Tu autem, o Rex gentium, o Princeps altissime, o summe adorandeque Deus, pura es atque immensa bonitas, cui idem est esse et B bonum esse, quoniam naturaliter bonus es, et quidquid ad bonitatis plenitudinem, decorem dignitatemque pertinet, tibi prorsus cum incomprehensibili, incircumscriptibili ac superexcellenti eminentia majestateque competit. Es enim, o benedicte Creator, o incomparabilis Rex et universorum Dominator omnipotens, omnium bonitatum fontana causalisque bonitas, sine cujus participatione nil vel minimum quid de bonitate sortitur : et quo tibi amplius appropinquat, eo res quælibet melior est; C quo autem magis a te abierit, eo vilior defectuosiorque efficitur.

Præterea, tu, o sublimis et in infinitum cunctis præstantior Domine Deus, pulcher es et separata ac incircumscripta supersubstantialisque pulchritudo. Es enim, o sancte Domine, lumen luminum, superessentiale lumen et interminabilis candor; neque est finis, mensura vel modus clarissimi illius splendoris quo in te ipso æternaliter radians fulges. A tuæ nempe emicatione lucis vultus naturæ ornatur, D universa splendescunt, sol et luna, ignis omneque fulgidum, cœli et sidera claritatem suscipiunt, venustantur ac lucent. Sed et omnium tam supermundanorum quam humanorum mentes ac oculi animorum in lumine tuo vident, discernunt, intelligunt.

Enimvero quidquid in ordinibus universi entis sparsim ac finitæ consistit pulchritudinis, amœnitatis, bonitatis, perfectionis, dulcedinis, tibi, o Deus, simpli- A cissime atque cum immensa excellentia inest. Omne pulchrum, omne amœnum et bonum tua, Domine, pulchritudo incomparabiliter vincit, tuaque dulcedo atque perfectio immense excedit; et quidquid appeti valet, in te superplene quiescit.

Tu enim, o omnium causa, vita es, quæ naturaliter vivis, vita simplex ac pura, quæ totaliter vivis; nec aliquid in te est nisi sincerissima et actualissima vita; nec aliud in te est vivens, aliud vita, aliud vivere, sed ipsa tua essentia vita est, in qua omnis vitæ perfectio, nobilitas ac beatitudo consistunt. Denique ab ea omnis universorum vita effluxit : vita naturæ, vita gratiæ vitaque gloriæ. Ab ejus nempe immediata incessabilique participatione, supercœlestes illæ mentes immortalem ac indissolubilem vitæ vigorem vitamque incorpoream atque felicem suscipiunt.

Porro in tua, Domine, substantia naturaliter et absque simplicitatis injuria superplene comprehenditur omne quod amabile est et appeti valet : æterna et certissima ac cuncta disponens sapientia; virtus fontana, omnipotens atque illimitata, cujus communicatione subsistit omnis virtus creata, neque in ictu oculi perduraret, nisi eam, o Domine, virtus tua manuteneret. Præterea in te, o Altissime, jucunditas immensa felicitasque perfecta. Nullius eges, a nullo dependes, neque aliunde quid suscipis, sed de propriis gaudes, et omnibus sufficis.

ARTICULUS XVIII.

De sincera delectatione atque admirabili dulcedine contemplativæ vitæ.

G*USTATE et videte quoniam suavis est Dominus.* Vera delectatio in unione ne veri boni consistit: dum enim quidpiam bono convenienti sibi conjungitur, naturaliter delectatur. Gaudium igitur mentis in conceptione unioneque intellectualis boni situm est. Quo itaque intellectiva pars animæ sensitiva parte melior est, purior, Ps. xxxiii

nobilior atque præstantior, ipsumque demum divinum ens, quod ejus objectum est, divina videlicet increataque veritas, et item incircumscripta simpliciterque perfecta bonitas, omni sensibili atque create ente sublimius est, dignius, et in omni bonitate, amabilitate ac dulcedine præclarius, eo delectatio itemque dulcedo quæ in contemplatione consistunt, sensitiva omni, carnali atque illicita oblectatione mundiores sunt, suaviores, appetibiliores ac diviniores : ideoque utique admirabiles ac voluptuosissimæ deliciæ in contemplativo animo conquiescunt.

A

B

Denique, eo gaudia ista mentalia dulciora redduntur, quo fuerit anima magis disposita ad divina, et æternorum amplius capax effecta. Si enim necdum rationi sensualitas ipsa obedit, si animo adhuc passiones dominantur, et ad exteriora mens vaga devolvitur; non utique hominem vehementius oblectabunt contemplativæ opera vitæ, oratio, meditatio, psalmodia, compunctio, speculatio, amor, studium, secretum, pax, quies, quam carnales deliciæ exterioraque opera ac sensualis voluptas. Et hoc quidem propter animæ vilitatem, immunditiam incapacitatemque contingit : quoniam contemplativa vita, quantum de se est, alia omni vita incomparabiliter amœnior est, jucundior, eligibilior atque suavior. Sed hoc nemini nisi gustanti expertoque constat. Nempe, ut Gregorius ait, corporales deliciæ dum habentur, in fastidio sunt, aut cito in fastidio fiunt; dum autem non habentur, in desiderio exstant. Spirituales autem deliciæ dum non habentur, fastidiuntur; habitæ vero, amantur atque optantur. Quum enim sit Deus immensa bonitas, ei utique uniri dulcissimum est : et quo fuerit unio ipsa intimior, eo quoque suavitas erit amœnior; et gustanti eam carnalis omnis pausatio et oblectamentum mundanum mox vilescunt, atque in fastidio contemptuque erunt.

C

D

Porro vitæ hujus internæ dignitas et delectatio, ex his quæ de se sacer fatetur Gregorius lucide patet. Siquidem in exordio Dialogorum affari Petrum exorsus, dolens suspiransque ait : Infelix meus animus pulsatus occupationis suæ vulnere, meminit qualis aliquando in monasterio fuerat, quomodo ei cuncta labentia subter erant, quantum rebus omnibus quæ volvuntur eminebat; quod nulla nisi cœlestia cogitare consueverat; quod etiam retentus corpore, ipsa jam carnis claustra contemplatione transcendebat; quod mortem quoque, quæ pene omnibus pœna est, ut ingressum vitæ et laboris sui præmium amabat. At nunc ex occasione curæ pastoralis sæcularium hominum negotia patitur, et post tam pulchram quietis suæ speciem, terreni actus pulvere fœdatur.

ARTICULUS XIX.

De vera ac stabili pace cordis.

BEATI *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Quemadmodum undecimo capitulo de Divinis nominibus ait Dionysius, et nonodecimo de Civitate Dei Augustinus, pacem cuncta desiderant, et propter ejus bonitatem agunt universa quæ agunt : omnium enim bonorum nostrorum finis est. Denique, ut Augustinus definit, pax est tranquillitas ordinis. Ordo autem, inferiorum ac superioris debita est habitudo, ut videlicet secundum superioris exigentiam atque censuram inferiora disponantur ac pareant. Itaque, quum secundum Dionysium, optimum hominis sit secundum rationem esse, dum in homine inferiores omnes potentiæ rationi subduntur, et ejus judicio cuncta prompte atque stabiliter fiunt, tunc mens pacem veram sortita est. Pax nempe perturbationem excludit. Perturbatio vero, rebellio est inferioris a superioris recto justoque ordine. Et quemadmodum, teste Aristotele, optimum in entibus est ordo, sic pessimum in ipsis exstat turbatio. Ideoque obedientia nobis præsertim districtissimeque servanda est.

Matth. v, 9.

De Divin. nom. c. IV.

A Qui enim inobediens est, pacem amittit, ordinem non tenet, et perturbationem, quæ pessima est, suscitat atque inducit. Porro, uti tunc civitas pacem habet, dum secundum gubernatoris voluntatem omnia in ea aguntur, sic quum in cœnobio secundum præsidentis directionem rectam ac rationabilem Fratres disponuntur et vivunt, pacem habet cœnobium. Et væ illi qui eam impedit, aufert aut odit.

Præterea, qui pacis stabilitatem servare conatur immobilem, et item inviolabilem inconcussamque mentis quietem, mititate B et patientia potissime eget, ne injuriis moveatur, neque ira flammescat. Mentis quippe iracundia atque commotio pacem prorsus exstinguit, et Spiritum Sanctum, qui utique non dissensionis, sed pacis spiritus rite dictus est, celeriter a corde depellit. (I Cor. xiv, 33.) Denique pacifico fortitudo necessaria est, ne extollatur in prosperis, neque opprimatur adversis, et ne pacem cordis sui in aliorum potestate constituat, sed ipsam in se statuens, quæ eam extrinsecus aut lædere aut tollere queunt, mox spernat, celeriter pellat, nullatenusque suscipiat.

O dignitas pacis amanda! Siquidem præsentem vitam pax sancta dulcificat, et æternam insuper beatitudinem præstat; turbatio autem de cella atque cœnobio carcerem efficit, atque in futuro tartareum meretur ergastulum. Enimvero monachus pacis expers, nusquam, neque in præsenti, sed ne in futuro quidem, lætabitur; sed cella ei amara est, et infernalis ei carcer amarior erit.

Hæc, mi amantissime frater, conscripsi, ut desiderium tuum adimpleam, meque informem. Fateor equidem, quoniam dum hæc scribo, nec tamen ea quæ scribo in me ipso invenio, erubesco; perfectionemque demum quam me habere debere intelligo nec habeo, vehementer adipisci affecto: quod mihi tibique et omnibus quoque præstet Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS DUORUM LIBRORUM DE VITA ET FINE SOLITARII.

DE LAUDE ET COMMENDATIONE VITÆ SOLITARIÆ

PROŒMIUM

DIXIT Jesus discipulis suis : *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.* Marc. vi, 31.

Fons totius perfectionis, Sapientia increata, Verbum æternum, Unigenitus Dei propter homines homo factus et cum hominibus conversatus, varios modos vivendi instituit ac monstravit, unumque modum altero esse excellentiorem verbis edocuit vel exemplis. Triplicem quippe continentiam commendans atque distinguens, continentiam virginalem laudavit potissime, cui non auream tantum, sed aureolam quoque spopondit; continentiam etiam prætulit vidualem conjugali. Pariformiter vitam contemplativam activæ præposuit vitæ ; et vitam religiosam evangelica consilia adimplentem, vitæ prætulit sæculari.

Porro solitariam vitam verbis et exemplis eminentissime approbavit. Etenim, quamvis ipse in omni loco ac tempore sui incolatus in sæculo isto æque aptus et potens esset ad quemcumque actum virtutum, attamen, ut nos suo informaret exemplo, quosdam præcipuos, spiritualiores diviniores que actus volens explere, solitaria adiit loca, juxta quod legitur apud Marcum : Egressus Jesus, abiit in desertum locum, et ibi orabat ; *Marc.* i, 35. itemque apud Lucam : Exiit Jesus in montem orare. *Luc.* vi, 12. Denique, passione sua imminente Patrem suum ter oraturus, non solum ab undecim prædilectis sibi Apostolis, sed a tribus *Ibid.* xxii, 39-45 ; *Matth.* xxvi, 36-44. quoque sibi familiarioribus se retraxit discipulis, estque avulsus ab eis quantum jactus est lapidis, ut intentissime exoraret, atque paternæ dispositionis arcanum et item humanæ redemptionis mysteria profundissime ponderaret. Denique, quasi ægre ferens turbæ tumultum, et quanta internæ occupationi cum Deo multitudo inducat obstacula innuens : O generatio (inquit) incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? *Marc.* ix, 18. Rursus, ut sanctus evangelista Joannes testatur, Jesus cum suis discipulis frequenter *Joann.* xviii, 2. etiam nocturnis temporibus venit in hortum quo captus est. Estque probabile quod tunc orationibus insistebat ibidem. Et sicut passione instante, ita et ante consuevit se ab ipsis aliquantulum elongare ut oraret abstracte. Quantæ ergo perfectionis et eminentiæ est, solitariam vitam continue exercere, et usque in finem perseverare in ea, quam Filius Dei vicibus interpolatis tam singulariter commendavit atque exercuit? *Matth.* iv, 1; vi, 6; xiv, 23; xxvi, 36-44; *Marc.* vi, 46; *Luc.* ix, 18; etc.

Nunc igitur, universi vitæ solitariæ professores, « venite seorsum », hoc est, a sæculari tumultu, ab humano adspectu, a mundanis rumoribus, a confabulationibus vanis, ab omni mentis evagatione, ab inordinatarum inquietudine passionum, a fluctuatione ac strepitu insipientium cogitationum et imaginationum inanium procul recedite seorsum, « in locum desertum », id est ad contemplationis secretum, a carnalibus et extra fusis hominibus derelictum, qui ea quæ Dei sunt non sapientes, in cordis unione tranquilla, suavi ac fixa, cum incomprehensibili et superdulcissimo Creatore suo quiescere non noverunt ; « et requiescite pusillum » ab occupationibus quæ circa creata versan-

tur, in quibus, tanquam in rebus ex se variabilibus et caducis, veram, salutarem et finalem non poteritis invenire quietem. Nempe cor vestrum propter summi boni contemplationem fruitionemque conditum, permanet inquietum, quousque summo illi superdesiderabilissimo bono fuerit junctum.

Præterea, quies qua in hac exsuli vita quiescere possumus in hoc bono, permodica
Philipp. IV, 7. est et valde pusilla respectu dulcissimæ quietis, et omnem sensum exsuperantis, Beato-
Ps. LXXXIII, 11. rum in patria. Verumtamen quies ista vitæ præsentis in Deo, quantumlibet parva, melior est super millia inquietudinum mundanarum occupationumque externarum. Hæc namque quies est pax pectoris et delectatio spiritualis, seu ipsa contemplativa fruitio qua in præsenti per fidem et caritatem, per cordis munditiam ac sapientiæ donum conjungimur Deo et repausamus ac delectamur in eo. In hoc loco deserto commoratur, quiescit et deliciatur Sponsus cœlestis cum anima solitarii solitudini suum debitum persolventis, in hymnis et psalmis ac laudibus Dei, in orationibus fervidis, meditationibus sacris, in compunctione assidua et lacrimarum profusione devota Altissimo servientis, vacantis, et ipsum intra se omni hora affectuosissime amplectentis, sua et proximorum peccata quotidie deplorantis, pro communi totius Ecclesiæ bono sollicite deprecantis, omnique modo sibi possibili infatigabiliter laborantis.

Ad hujuscemodi conversationis vere ac digne solitariæ exercitia et quietem, solitudinem et secretum, venite, o veri solitarii, perseverando, proficiendo et quasi quotidie
Eccli. XVIII, 6. cum recenti fervore incipiendo in ipsa, juxta quod scriptum est : Quum consummaverit
Philipp. III, 13. homo, tunc incipiet; et denuo : Quæ retro sunt obliviscens, ad ea quæ ante sunt extendo me ipsum. Qui vero hactenus negligentes fuistis et desides, omni excusso torpore, sine dilatione venite, præteritas negligentias expiando, et vitam fortiter emendando, sicque illa exercitia alacriter assumendo, quæ etiam ad omnem religiosum certum est pertinere.

Postremo, qui in mari hoc magno, in inquietissimo sæculo fluctuatis vitiorumque
Sap. V, 7. fluctibus estis operti, qui lassati estis et adhuc sæpe lassamini in via iniquitatis et perditionis, ambulatisque vias difficiles, quamvis interdum vobis videantur dulces ac faciles,
Job XXX, 7. quia esse sub sentibus reputatis delicias, « venite », infelicissimum atque vilissimum jugum vitiorum servitutemque dæmonum prorsus abjiciendo : venite, inquam,
Jer. LI, 6; « seorsum », fugiendo de medio Babylonis et Ægypti ac Sodomæ, de societate, commu-
Exod. XII, 51; *Gen.* XIX, 14. nione et actibus hominum mundanorum atque carnalium, potissime religiosorum et clericorum non regulariter et honeste sed irregulariter ac lascive viventium, in quibus regnat vitiorum confusio et caligo, fœda quoque petulantia carnis, qui tanquam vacca lasciviens declinant a regulis, jussionibus et canonibus Patrum, « in locum desertum », ad sacram religionem, ad luctus ac pœnitentiæ domum, ad solitariam vitam, ad cellæ secretum ; « et requiescite » ibi « pusillum », suave jugum Christi tollendo, et vitam vere monasticam subeundo, continuando ac consummando.

DE LAUDE ET COMMENDATIONE VITÆ SOLITARIÆ[1]

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit solitaria vita.

xod. xx, MOYSES *accessit ad caliginem in qua erat Deus.* Quemadmodum rationalis creatura ad imaginem et similitudinem sui est condita Creatoris, sic sua reformatio, profectus, perfectio, finis, beatitudo et gloria, in assimilatione actuali, conversione, reductione, adhæsione et plena conjunctione cum suo productivo ac salvativo consistit principio, quod in Apocalypsi te-
poc. I, 8. statur : Ego sum Alpha et Omega, principium et finis. Porro assimilatio ista, et participata felicitas, et reductiva mentis creatæ ad suæ salutis fontem, objectum et causam Deum excelsum conversio, in actibus illis principaliter essentialiterque consistit qui superdignissimo Deo intra se et quoad se ipsum conveniunt. Qui utique actus sunt operationes et emanationes ad intra ipsius intellectus ac voluntatis, videlicet : plena et comprehensiva divinæ et increatæ veritatis cognitio, æterna quoque et perfecta divinæ ac summæ bonitatis dilectio, sed et generatio Verbi æterni ex Patre, et emanatio spirati amoris ex utroque, summa etiam, perfecta ac penitus intensive infinita delectatio et complacentia in actibus illis. Itaque, quanto in his actibus mens creata amplius conformatur suo factori, tanto plus reformatur, proficit,
A perficitur, atque præclarius ad Deum suum reducitur, convertitur et unitur, imo et transformatur et tandem quasi totaliter absorbetur in ipsum ; ac per hoc futuræ beatitudini præcipue appropinquat, et suaviter valde prægustat eamdem, ita quod ex sententia et experientia, grata gratulabundaque mente dicere habet : Quam magna *Ps.* xxx, 20.
multitudo dulcedinis tuæ, Domine !

Præterea, contemplatio summæ veritatis est elicitive ac proprie actus doni sapientiæ, id est sapientiæ salutaris, supernatu-
B ralis, infusæ, qua Deum per affectum caritativum et gustum internum cognoscimus : quæ inter septem dona Spiritus Sancti est primum atque dignissimum. Præfata vero dilectio bonitatis divinæ actus est caritatis. Quo igitur in sapientia ista noster plus crescit atque perficitur intellectus, et quanto in sancta caritate perfectior fit nostra voluntas, eo de propinquo magis dispositi sumus ad actualem et sinceram assimilationem cum Deo. Quo autem ipsum summum bonum, unum ac trinum Deum,
C sincerius et amorosius contemplamur, sapientialius ferventiusque diligimus, eo perfectius ei actualiter conformamur, et magis divini ac deiformes efficimur, in futura quoque beatitudine erimus altiores.

At vero, sicut Pater æternus se ipsum clarissime intuendo ac perfectissime cognoscendo, sui ipsius conceptum et Verbum intra se profert ac gignit ; Pater quo-

[1] Ex editionibus Coloniæ, Joannis Soteris, 1532, et Joannis Birckmanni Junioris, 1559.

que et Verbum, quod est Unigenitus Patris, A se invicem cum infinita complacentia diligendo, producunt æternum, increatum, spiratum amorem, utputa Spiritum Sanctum, qui est amor Patris in Filium, et econtra amor Filii in Patrem, quoniam in Patre et Filio una numero est voluntas, a qua amor ille procedit secundum quod est in ipsis tanquam in uno principio spirativo : ita et intellectus noster Deum pro viribus contemplando, quemdam conceptum et verbum, tanquam suæ notitiæ prolem, de Deo intra se format ac profert ; sic et B Deum amando, zelum quemdam seu ferventem affectum ad ipsum, quasi spiritum, intus producit. Insuper, sicut Deus adorandus et gloriosus se ipsum intelligendo ac diligendo, cetera cuncta in se ipso cognoscit, et quantum ad id quod ab ipso habent et sunt, amat ; sic nos quoque Deum contemplando atque amando, cetera in ipso tanquam in causali origine noscimus, et quæ diligenda sunt, ordinate ac consequenter diligimus.

Ecce in istis consistit reformatio et pro- C fectus, perfectio, reductio, conversio, salus et assimilatio nostra ad Deum ; atque ad hoc et propter hoc instituta est eremitica, anachoretica omnisque monastica et solitaria vita, ut in hac assimilatione mentis nostræ cum divina et increata mente quotidie copiosius proficiamus, et ad ejus perfectionem expeditius, celerius ac eminentius perducamur. Multa quippe in vita ista occurrunt obstacula proficiendi, et impedimenta divini amoris ac sapientiæ salutaris : quæ cuncta vitare exsistit difficile. D Multa quoque proveniunt occasione vitæ communis ac socialis, ex mutuo videlicet domesticorum consortio, adspectu, colloquio, cooperatione, auditu, et consimilibus multis, propter quæ evitanda multi Patrum sanctorum elegerunt solitariam vitam, ut tanto quietius, stabilius ac liberius Deo indesinenter essent intenti, quanto longius a societate convictuque hominum remoti erant.

Itaque solitaria vita est conversatio ab humana societate abstracta, et soli Deo (quantum humanæ fragilitati possibile est) intenta, ad plenam assimilationem cum Deo, prout in hac vita fieri valet, finaliter ordinata. De qua diffusius infra tractabitur.

ARTICULUS II.

Quod vita solitaria duplex est, utputa pure solitaria, et vitæ sociali admixta.

F*RATER qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Solus Deus sibi in se et per se sufficit penitus et omnino. Porro omnis creatura alterius eget auxilio. Certum est enim omne creatum omnipotentis Creatoris conservatione et ope incessabiliter indigere, in tantum quod sine supergloriosi Conditoris adsistentia ac manutenentia nec ad momentum posset consistere aut durare. Homo autem in vita hac est creatura vehementer defectuosa et fragilis, ad omne malum ex se ipsa proclivis, ab acie vitiorum, ab inclinationibus fomitis, ab aeriis potestatibus, callidissimis hostibus, impugnatoribus indefessis, faciliter expugnabilis atque vincibilis. Hinc vita pure solitaria convenit paucis, ac virtuosis dumtaxat, in spirituali militia exercitatis, et quos unctio docet de omnibus, prout infra declarabitur plenius.

Prov. XVIII, 19.

I Joann. II, 27.

Idcirco sapientissimo moderamine actum est Spiritus Sancti, ut inter evangelicæ legis religiones, quæ pro maxima parte socialem continent vitam, exstet religio ex vita sociali et conversatione solitaria mixta ac medium tenens : ut Cartusiensis est Ordo, in quo quilibet Fratrum propriam (quantum ad usum) habet ac incolit cellam, in qua et dormit semper ac vescitur, festivis demptis diebus, in quibus in refectorio Fratres simul vescuntur. Horas quoque persolvunt in cellis, Matutinis Vesperisque exceptis ; in festis autem cantant eas in choro, Completorio dempto, quod nunquam nisi in cellis dicunt. Denique diebus festivis tenetur eis capitulum, et habent

post Nonam ad Vesperas usque colloquium. Ceteris diebus degunt in cellulis, quas sine speciali licentia egredi eis illicitum est, nisi horis ex Ordine institutis. Ingens apud eos est quies et grande silentium, nisi quod interdum ab extraneis visitantur. Nec tanta eis est solitudo quin in necessitate, opportunitate tentationeque gravi ad præsidentem (et ad se invicem ex præsidentis licentia vel Statutis) habere queant recursum. Hinc non immerito solitarii appellantur; et sic scribitur eis in epistola quæ S. Bernardo adscribitur: Fratribus de Monte Dei, orientale lumen et antiquum illum in religione fervorem Ægyptium inferentibus occiduis tenebris et Gallicanis frigoribus, solitariæ scilicet vitæ exemplar, conversationis cœlestis formam.

Præterea sunt nonnulli vitam omnino solitariam transigentes: ad quam nihilo minus verus et discretus Cartusiensis etiam in Ordine suo persistens potest pro maxima parte contingere et æquare, solitudini atque silentio operam dando quum ex Ordinis sui permissione licet ei cellam exire et interesse colloquio. Verum in hoc quoque est conservanda discretio.

ARTICULUS III.

De periculo solitariæ vitæ, et cur vita illa non congruat nisi perfectis.

Eccle. IV, 10.
MELIUS *est duos esse simul; habent enim emolumentum societatis suæ: si unus ceciderit, ab altero fulcietur.* Animalia quædam bruta naturaliter solitudine gaudent et amant eam: quibus a natura ita provisum est ut paucis indigeant, et per se ea possint acquirere sibi. At vero homo sicut inter universa animalia præeminet dignitate, ita et amplioris esse indigentiæ perhibetur. Nec obstat quod natura paucis minimisque contenta esse censetur: quoniam de victualibus id constat esse prolatum. Verum, ut ait Scriptura, non in solo pane vivit homo, sed in
Matth. IV. Deut. VIII,

A omni etiam verbo quod procedit de ore Dei. Indiget quippe humana ignorantia instructione multiplici, sicut et infirmitas nostra eget auxilio proximi; in multis quoque sumus ambigui quid magis expediat meliusve consistat; sed et consolatione indigemus et adsistentia in adversis atque periculis. Nec latet quam faciliter sub specie boni fallamur, et quantum variis tentationibus periclitemur, nisi aliunde instruamur ac adjuvemur. Et quamvis omnipotens, omnisciens et ubique præsens B Deus, per se et per angelos sanctos ac cives supernos in omnibus his valeat plene succurrere, attamen naturale et connaturale est homini, per eos quoque qui sibi similes sunt in natura, et ejusdem secum sunt status, utpote viatores, dirigi ac juvari, doceri et gubernari, in tantum ut servi Dei dicantur esse quasi oves sine pastore, et sicut grex sine custode, nec diu posse durare, nisi hujusmodi sibi similem in natura ac statu passibili, quem possint videre et alloqui, habeant directorem ac præsi- C dentem. Hinc etenim sanctus Moyses mortem sibi conspiciens imminere, in Numeris legitur exorasse: Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem qui sit super multitudinem hanc, et possit exire et intrare ante eos, ne sit populus Domini sicut oves absque pastore. Num. XXVII, 16, 17.

Denique experientia docet istud, naturalisque ratio attestatur. Propterea subtilissimus ille indagator naturæ (Aristotelem loquor) in Politicis ait: Homo naturaliter est animal sociale, politicum. Et rursus D prudenter fatetur: Homo solus est deus aut bestia, id est divinus aut bestialis. Itemque Ethicorum octavo: Duo, inquit, simul viventes, ad intelligendum et agendum sunt potentiores. Consonat his, imo et rationem horum assignat sapientissimus Salomon, dicens: Væ soli, quoniam quum ceciderit, non habet sublevantem se. Et si dormierint duo simul, mutuo fovebuntur: unus quomodo calefiet? Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistent ei. Quod totum quam verum est, Eccle. IV, 10-12.

experimur assidue. Nempe, quum homo, A potissime imperfectus, non sit in omnibus bonus judex sui ipsius, indigemus mutuo corripi, admoneri, accendi; et ne quis subito ab hoste callidissimo elidatur ac prosternatur, indiget vehementer a bono adjutore, amico ac socio erigi, confortari, consolari et instrui; quumque plures oculi videant plus quam unus, expedit homini plurima ignoranti, nec universa et singula (ut oportet et expedit) simul considerare valenti, habere suæ militiæ commilitonem ac socium, adjutorem ac ducem. B

Præterea, istud profunde advertit vir sapiens, in Ecclesiastico loquens : Amicus fidelis, protectio fortis; qui invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitæ et immortalitatis; et qui metuunt Dominum, inveniunt illum. Porro his destituitur bonis, his consiliis, auxiliis solatiisque privatur, qui prorsus solitariam ducit vitam. Amicus namque relative dicitur ad C amicum tanquam ad suum correlativum, quemadmodum pater ad filium.

Eccli. VI, 14-16.

Hinc vita solitaria fertur periculosa et ardua, præsertim pusillis et imperfectis, nondum exercitatos sensus habentibus ad discretionem boni ac mali, qui in suis passionibus necdum sunt reformati, nec in suis affectibus stabiliter ordinati : propter quod satis faciliter conturbantur ac fluctuant. Unde et indigent sustentari fideli consorte atque discreto pastore : quia rex sapiens stabilimentum est populi, et D bonis amici consiliis anima dulcoratur. Talium quoque corda nondum sunt satis depurata, tersa, polita ad recipiendum continuo illustrationes supernas, unctiones divinas, directiones, consolationes, corroborationes, inflammationes ac informationes in cunctis a Spiritu Sancto : unde necesse est ipsis humanitus etiam edoceri, corripi, corrigi, gubernari. Idcirco sanctus pater Hieronymus in Regula sua fatetur se satis expertum solitariæ vitæ pericula.

Hebr. V, 14.

Sap. VI, 26.

Prov. XXVII, 9.

Conformiter vir gratia Benedictus et nomine, in sua asserit Regula, solitariam vitam his solummodo convenire qui primo in vita sociali monastica sunt laudabiliter conversati, et se frangere didicerunt, ac contra omnia tela hostis nequissimi ignea edocti sunt præliari. Hoc ipsum præclarissimi viri Basilius et Bernardus testantur. Hinc divinissimus abbas Hilarion a magno ac deiformi Antonio plenarie instructus, probatus ac præmunitus, de præceptoris sui licentia anachoreticam et omnino solitariam vitam feliciter est aggressus.

At vero viri heroici ac perfecti, qui de statu incipientium ac proficientium iter perfectionis attingere jam cœperunt, stabiliti in gratia, armati, habituati ac roborati in Domino, instar Aod ambidextri, inter prospera et adversa regiam viam incedere rite instructi, ad vitam penitus solitariam idonei et condigni sunt : quibus humana præsentia frequenter plus affert impedimenti quam emolumenti; quorum mentes ab omni negligentia ac torpore prorsus purgatæ, queunt (quantum humana permittit fragilitas) incommutabili Deo jugiter esse intentæ, imo quotidie cum majori fervore.

Judic. III, 15.

Verumtamen per hæc nequaquam præfigitur lex omnipotenti et superliberrimo Deo, omnem rerum naturam ac speciem, legem, cursum et ordinem incoarctabiliter transcendenti. Ideo, quamvis nunc dicta regulariter communiterque loquendo sint vera, nihilo minus omnipotentia Spiritus Sancti ubi, quando, quantum et qualiter vult, spirat, movet ac operatur, et eos qui præfato nunc modo nequaquam ad solitariam conversationem exstant dispositi, ad solitariam vitam quando et quos vult trahit, perducit, atque in ea conservat, tuetur, consolatur, et ad omnem hujuscemodi professionis perfectionem apicemque perducere condignatur. Imo, quod revera prorsus mirabilissimum esse cognoscitur, sceleratissimos quosdam, in omni inquinatione et facinorositate habituatissimos, repente ad eremiticam ac solitariam trans-

Joann. III, 8.

tulit vitam, et ipsos in illa fecit ita conspicuos ac præfulgentes, quam vitiosi ac sordidi ante erant præ ceteris. In quibus eminenter impletum est illud Apostoli : 'om. v, 20. Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia. Quocirca hoc denuo summe consistit mirabile, quod non solum in sexu virili, sed in fragilibus itidem feminis nonnunquam id egit : quemadmodum primo libro Vitaspatrum gloriosus refert Hieronymus de abbate Mutio ac alio quodam, de beatissimis quoque Maria Ægyptiaca atque Pelagia verax narrat historia.

ARTICULUS IV.

De fine solitariæ vitæ.

Coloss. III, 1, 2. *QUÆ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens ; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Nihil in sæculo isto felicius Christiano, cui cœleste promittitur regnum. Hinc universorum mentes fidelium ad unum suspirant ac proficiscuntur beatitudinis finem, ad unam veram, æternam salutem, er. III, 23. de qua sanctus loquitur Jeremias : Vere in Domino Deo nostro salus Israel.

Denique ipsemet Dominus Deus noster est beatitudo, finis ac salus nostra, quem- f. Is. XLIII, 11. admodum ait Scriptura : Salus populi ego sum, dicit Dominus. De quo in Deuterono- Deut. XXX, 20. mio fertur : Ipse est vita tua, et longitudo dierum tuorum. Deus namque dupliciter appellatur beatitudo, salus et vita nostra. Primo, quoniam ipse est totius beatitudinis, salutis ac gloriæ nostræ objectum. Propter quod dicitur beatitudo et salus ac gloria objectalis : quia in ipso tanquam in summo et immediato objecto, tota nostra beatitudo et gloria principalis, quæ est præmium essentiale, consistit. Secundo, quoniam ipse est causa nostræ felicitatis et gloriæ. Porro visio ejus fruitiva immediata et clara per speciem, est beatitudo, salus, vita et gloria nostra formalis, menti beatæ inhærens. Insuper Deus in se ipso

A essentialiter, independenter et infinite beatus est, et beatitudo ipsa separata, per se subsistens, superessentialis et immensa.

Itaque omnium electorum beatitudo objectalis una est et eadem numero, utputa Deus simplex, Trinitas adoranda. Beatitudo autem formalis omnium nostrum, ad quam stillat oculus noster, ingemiscit, suspirat, tendit et festinat mens nostra, est una ac eadem specie, designata per diurnum denarium quem singuli accepisse operarii describuntur. Matth. XX, 2, 9, 10. [Sed in fruentibus gradus B habet perfectionis]. Nempe in domo Patris cœlestis multæ sunt mansiones, id est diversi gradus præmiorum, correspondentes Joann. XIV, 2. diversis gradibus meritorum : quæ merita sunt actus virtutum atque beatitudines viæ. De quibus Salvator : Beati (inquit) pauperes ; beati qui lugent ; beati qui esuriunt et sitiunt justitiam. Matth. V, 3, 5, 6.

Insuper beatitudo hæc patriæ, finis est consummatus, in futuro adipiscendus, non solum solitariæ vitæ, sed omnis quoque conversationis monasticæ, imo et actionis C cujuslibet virtuosæ. Diversis vero religionibus, secundum quod ad majorem aut minorem ordinantur ac tendunt perfectionem in vita præsenti, major aut minor beatitudo patriæ correspondet. Quamvis autem cunctis religionibus sit commune tria substantialia vota includere ac spondere, nihilo minus in aliis multis unus Ordo seu una religio differt ab alia in observantiis ac statutis, secundum quod una religio continet statuta plus ardua, et ad obtinendum perfectionem magis accom- D moda, seu etiam majoris perfectionis introductiva, ut sunt perpetua reclusio atque omnimoda ab esu carnium abstinentia, habitatio quoque solitaria segregata per cellas, juge silentium, et consimilia quædam corporis castigamenta, illud redigentia in spiritus servitutem, ut usus cilicii duriorisque strati.

Denique non solum in his minus principalibus et accidentalibus unus Ordo ab alio differt, verum etiam aliquo modo in ipsis substantialibus votis, secundum quod

unus Ordo eminentius se adstringit ad A vota illa quam alter. Sicque Ordo qui promittit simpliciter obedientiam, non contracte, ut Ordo Cartusiensis, censetur perfectior Ordinibus promittentibus obedientiam limitate, videlicet quantum ad contenta et expressa in regula. Conformiter Ordo promittens paupertatem omnimodam in generali ac speciali, judicatur quantum ad hoc perfectior Ordinibus paupertatem voventibus tantum in speciali : et quoad id Ordo S. Francisci præfulgere videtur. Attamen, quoniam in- B ter tria substantialia vota votum obedientiæ exstat sublimius, apparet quod Ordo ad hoc votum perfectius se adstringens, merito (absolute loquendo) perfectior atque sublimior appelletur. Amplius, religiosi reclusi in hoc quoque quantum ad votum castitatis primatum quemdam videntur sortiti, quod non solum ab actu et consensu, sed ab adspectu quoque et colloquio omnique conspectu se segregant feminarum.

Itaque, quo vita solitaria professionis C est altioris, magisque ardua includit statuta, majoris perfectionis introductiva atque compendiosius ad perfectionem perducentia concupitam, intentam, præfixam, eo finis ejus in vita hac est major perfectio, hoc est perfectior assimilatio mentis humanæ cum summa, divina adorandaque mente : quæ assimilatio in contemplatione ac dilectione Deitatis consistit, imo realiter est ipsa superaltissimi Dei contemplatio purior dilectioque ferventior. Omnium quippe evangelicorum Christi consiliorum D finis est perfecta impletio præcepti caritatis divinæ, ut scilicet, quantum in præsenti fieri valet vita, Deum indesinenter toto corde totaque mente ac viribus totis actualiter diligamus : quod absque assidua, pura ac stabili ejus contemplatione nequit impleri, quum non nisi cognitum diligatur, atque ad actualem dilectionem, actualis, prævia ac pariter durans intuitio requiratur, præsertim quum voluntatis objectum sit bonum intellectum, id est intellectualiter apprehensum seu cognitum.

Deut. VI, 5; *Matth.* XXII, 37.

Hic ergo est finis solitariæ vitæ in sæculo isto, Deum excelsum et benedictum tam pure ac stabiliter contemplari, tamque ferventer et indesinenter diligere. Et hoc solitariorum professio proprium habet, Deo tam perfecte atque assidue adhærere, affici, frui, amplecti, sicque vitam angelicam et cœlestem inchoare in terris, tam copiose et experimentaliter futuram beatitudinem in isto exsilio prælibare, tam dulciter prægustare quam dulcis est Deus, supergloriosissimæ Trinitati tam gratiose assimilari, tam perfecte configurari, imo sic unum fieri et esse cum ipsa.

I Petr. II, 3

ARTICULUS V.

Quod ista finalis solitariæ vitæ perfectio sit omni solitario jugiter appetenda, assidue intuenda, indefessoque studio exquirenda.

SEDEBIT *solitarius et tacebit, quia levabit se super se.* Prudens viator pergens per iter obstaculis plenum periculisque repletum, et crudelissimis, fortissimis ac callidissimis hostibus circumvallatum, cum grandi pergit formidine, circumspicit undique, et quo tendit assidue recordatur. Ita et tu, solitarie, in hoc nequam sæculo peregrinans, in hoc loco horroris ac vastæ solitudinis (in quo est serpens flatu adurens, dipsas ac scorpio) degens, contra quem invisibiles hostes fremunt, tabescunt, milleque modis insidiantur ac præliantur, esto coram Deo jugiter formidolosus, in omnibus circumspectus, omni virtutum armatura munitus, ad bella doctissimus ac semper paratus. Attende indesinenter quid Deo promiseris, qualiter vota tua hucusque impleveris. Jam prætactam solitariæ vitæ perfectionem finalem oculis tuæ mentis propone incessanter ; adverte quantum ad eam appropinquasti, quantumque distes ab ea acutissime intuere, perpende, inquire, considera. Hoc supernæ vocationis bra-

Thren. III, 28.

Deut. XXXII, 10; VIII, 15

vium contemplari non cesses ; ejus desiderio viriliter age, et dignam quotidie dietam exerce.

Non desistas proficere ; quidquid boni usque in præsens egisti, pro modico reputa, imo ut nihilum parvi pende, tibi nil inde attribuendo nisi quod admixtum est mali, quatenus ad intentam et concupitam a te ac tibi præfixam hanc perfectionem omni hora propinques. Nequaquam per negligentiam et torporem, per cordis dispersionem et caritatis infrigidationem retrocedas et devies; nec instar cancrorum nunc progrediaris, modo retrogradiaris, sed illud perpende ac imple Apostoli : Quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ priora sunt extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis. *Philipp. , 13, 14.*

Enimvero omnis ars ac disciplina, omne officium, omnis Ordo atque religio ad aliquem tendit fructum et finem, cujus intuitu et amore æquanimiter fert laborem, strenuumque impendit conatum ad adipiscendum hujuscemodi fructum ac finem : quemadmodum in militantibus, negotiatoribus, agricolis et vere studiosis studentibus palam conspicimus, in quibus omnibus spes præmii, fructus laboris, consideratio et desiderium boni optati seu finis intenti accendit, animat et confortat ad laborandum, imo et vim laboris diminuit.

Quum ergo in solitudine efficaciter conversari, fructuose peragere, et contra invisibiles atque visibiles animæ hostes victorialiter præliari, sit vere ars artium, scientia scientiarum, sapientia maxima, gloriosum officium, nobilissima practica celeberrimumque Dei ac angelorum spectaculum, oportet, o solitarie Christi miles, incessabiliter intueri, sapienter pensare ob quem finem arripueris hoc ipsum negotium, cur ad talem veneris vocationem, ad quid te tua adstringat professio, quid voveris ac tenearis Altissimo. Hoc igitur age, et sicut bonus Salvatoris tui miles labora. *Tim. II, 3.* *ebr. XII, 3.* Non fatigetur cor tuum, etiam si

A nonnunquam fragilis caro lassescat. Sit hæc tua professio et tuæ professionis finalis perfectio, atque utriusque retributio sempiterna, gloriosa ac certa, in corde tuo, et meditare de eis in domo et cella tua sedens, ambulansque in claustro, et dormiens ac consurgens ; moveantur quoque inter oculos tuos, et scribas eas in tabulis mentis tuæ, imo et in materiali charta, membrana ac littera, quam in oratorio tuo coram te figas. *Deut. VI, 6-9.*

Postremo, quidquid ad hanc perfectionem obtinendam expediat necessariumve consistat, adverte, exsequere, et imple. Et sicut in themate tangitur hujus articuli, sede, ab exterioribus quiescendo teque in cunctis humiliando, et tace, non solum a silentii fractione omnique oris loquacitate cavendo, sed intus quoque a strepentibus cogitationibus, inquietis affectibus imaginationibusque phantasticis penitus abstinendo ; et leva te super te, contemplando divina, æmulando charismata meliora, atque in assiduam prætactæ perfectionis (ad quam adipiscendam teneris) considerationem figendo cordis tui intuitum et affectum. *I Cor. XII, 31.*

ARTICULUS VI.

De impedimentis præfatæ perfectionis.

ECCE *non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus ut non exaudiat; sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis ne exaudiret.* *Is. LIX, 1, 2.* Si fideliter intueamur quam infinita et incomprehensibilis sit bonitas, liberalitas, misericordia Dei nostri, et quam ineffabilis sit caritas ejus ad genus humanum, quam frequenter et seriose in Scripturis hortetur nos ad confugiendum ad ipsum, ad invocandum se, ad sperandum in ipso, quoties quoque promiserit pietatis suæ effectum implorantibus eum et confidentibus in ipso ; ambigere non valemus quin

ipse superbonus et superpiissimus Deus A paratissimus sit nobis succurrere, concupitam gratiam omnemque desideratam (quantum in ipso est) conferre perfectionem. Verum defectus ex nobis est : quoniam a Dei offensionibus non cessamus, impedimenta gratiæ non vitamus, neque cor nostrum ad gratiæ infusionem sollicite aperimus. Oportet ergo in primis advertere quæ sint prædictæ perfectionis impedimenta : quæ nisi noscantur, non caventur.

art. IV. Denique dictum est, quod universa evan- B gelicæ legis consilia ad divini amoris ordinentur perfectionem. Caritas namque summa et perfectissima virtus est, ad quam ceteræ cunctæ referuntur virtutes. Quidquid ergo caritati contrariatur, præfatæ perfectioni penitus adversatur. Certum est autem omne mortale peccatum caritati contrariari, ita quod simul cum ea nequit haberi, sed eam expellere perhibetur. Directe vero atque formaliter caritati contrariatur rancor, odium sive invidia, prout (teste Philosopho) unum uni C opponitur. Ceterorum autem mortalium vitiorum unumquodque unam aliquam habet virtutem aut actum virtutis sibi directe contrarium : sicut superbia, humilitatem; avaritia, liberalitatem; ira, mititatem.

Insuper caritati valde repugnat amor privatus, sive (ut asserit Augustinus) cupiditas, quæ (ut ait) venenum est caritatis : quod quamvis etiam de avaritia et carnali amore quolibetque mortali verificetur peccato, nihilo minus dum cupiditas appellatur caritatis venenum, cupiditas su- D mitur proprie pro vitio generali, quod est amor privatus, quo homo diligit se in se ; quemadmodum amor spiritualis (seu caritas) est quo super omnia amat Deum, et se ipsum ac alia ex caritate diligenda amat in Deo. Hic itaque amor privatus, omnium radix atque origo iniquitatum, sanctæ exstat caritatis venenum. Minoratio demum illius detestandi amoris, est caritatis profectus et incrementum; mera vero pravi improbique illius amoris eradicatio, est caritatis perfectio. Idcirco, si cupis ad caritatis perfectionem attingere, oportet te privatum amorem de animæ tuæ visceribus funditus exstirpare, ut nullatenus diligas te in te, appetendo aut acceptando ea quæ tuæ naturæ ac propriæ voluntati in se ipsa sunt delectabilia, utilia seu honorabilia, sed ea dumtaxat quæ tibi necessaria sive accommoda sunt per respectum ad veram salutem, et ad appropinquandum ac complacendum Altissimo, atque ad honorandum ipsum in omnibus. Ad quod complendum necesse est omnia Dei offensiva ac inhonorativa totis viribus, omni cum diligentia evitare, non solum mortalia vitia, quæ caritatem prorsus corrumpunt, sed venialia quoque pro posse, quæ caritatem aliqualiter lædunt, debilitant atque infrigidant, ipsius minuendo fervorem.

Præterea dictum est, solitariæ vitæ fi- art. I, IV. nalem perfectionem non solum in ferventi, sincero ac stabili Dei amore consistere, sed item in contemplatione ipsius pura et fixa, quæ est actus doni sapientiæ secundum gradum doni illius perfectum. Qui utique gradus sapientiæ exigit mentem valde reformatam, politam purificatamque esse, imo ad tantam devenisse perfectionem, ut jam habeat fidem cum rationibus credendorum, atque cum purificatæ intelligentia mentis : cui perfectioni multa repugnant, quæ prorsus vitare oportet.

Huic quippe sapientiæ salutari contrariatur prudentia carnis, quæ mors est, se- *Rom.* VIII, 6 cundum Paulum apostolum ; item sapientia impiorum, qui contra se invicem contendendo ac prævalendo gloriantur se esse sapientes. De qua Jacobus dicit apostolus : Si zelum amarum habetis et conten- *Jacob.* III 14, 15. tiones sunt inter vos, nolite gloriari ; non est sapientia ista desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Immansio quoque proprii sensus huic sapientiæ valde opponitur. Et breviter, huic finali solitariæ vitæ perfectioni aut contrariatur aut aliquo modo adversatur seu nocet omne peccatum, omnis negligentia, pigritia et boni omissio, omnis quoque incustodia

sensuum, excessus verborum, cogitationes inutiles ac perversæ, affectiones illicitæ et injustæ; præsertim quoque carnalis voluptas et sensualis affectio, contra quas dedit Salvator consilium relinquendi uxorem, parentes, ceterosque propinquos; et item divitiarum possessio seu avaritia, contra quas consuluit omnia propria vendi, relinqui, et egenis conferri; propria item libertas, contra quam consuluit abnegare se ipsum, et superiori parere : quæ sunt tria principalia evangelicæ legis consilia, in quibus tria monasticæ religionis vota fundantur. Itaque, sicut candidissimæ bysso omnis macula, quantumlibet parva, aliquo modo repugnat et candorem offuscat; sic omne peccatum, quantumcumque minutum, aliqualiter obest, adversatur ac maculam parit purissimæ perfectioni præfatæ.

Matth. XIX, 9. *Ibid.* 21. *Ibid.* XVI, 4; *Luc.* IX, 3.

ARTICULUS VII.

De requisitis ad ejusdem perfectionis adeptionem, et de remediis contra impedimenta nunc tacta.

II Cor. VI, 7.

E*XITE de medio eorum, et immundum ne tetigeritis.* Quanto homo ex se ad omne peccatum est pronior, atque in ordine intellectualium creaturarum inferior, quanto etiam præfata solitariæ vitæ finalis perfectio exsistit sublimior, tanto difficilius est homini ad ipsam pertingere, indigetque continuo Spiritus Sancti auxilio gratioso : cujus benignitate et gratia quanto exuberantius prævenitur, juvatur, accenditur, et intus afficitur ac reficitur, tanto facilius ei est ad illam perfectionem quotidie propinquare, ipsam in brevi acquirere, imo et in acquisita assidue crescere ac firmari et perfici, quoniam ipsa latitudinem habet magnam, suntque in ea gradus diversi, secundum quod inter solitarios et Sanctos unus alio sanctior perfectiorque fuisse cognoscitur.

Præterea constat ad obtinendum perfectionem illam, in primis requiri omnium A impedimentorum ipsius in præcedenti articulo positorum remotionem, potissime universorum mortalium vitiorum. Venialia quoque oportet quotidie deplorare, et ea in se ipso punire per disciplinas et actus pœnitentiæ, atque cum incessanti diligentia fugere ac vitare, stando indesinenter super cordis custodiam, et semper quasi tumentes super se fluctus et tanquam gladium molaremve lapidem proprio capiti imminentem, timendo districtissimum Judicem omnia intuentem : unde et B conscientiam oportet frequenter discutere, expurgare; quotidianas culpas sinceriter cum dolore ac pleno emendationis proposito confiteri, ac deinceps earum omnino vitare occasiones ac iterationes; sicque pro quotidianis excessibus, culpis, negligentiis, omissionibus, pigritiis, sæpissime tundere pectus, ingemiscere, adspirare ad Dominum, cordialiter deprecari, se ipsum in cunctis vehementissime humiliare, aspernari, deflere, accusare; omnem etiam correptionem patientissime C ferre, cunctam adversitatem cum gaudio tolerare, imo gravioribus increpationibus et castigationibus se semper dignum cognoscere ac fateri.

Habac. II, 1. *Job* XXXI, 23.

Insuper, in cibo, potu, somno, vestitu, necesse est non solum vitare excessum, verum etiam in eisdem corpus domare, aliquid necessitati naturæ subtrahere, tamen cum vera discretione. Potissime quoque opus est reprimere linguam, oculos ab evagatione compescere, motus ac impetus passionum penitus refrenare, mentem D a vanis et vilibus cogitationibus pravisque affectibus servare immunem, carnalia abhorrere oblectamenta, et omne opus cultus divini cum ampliori custodia, sollicitudine ac fervore quotidie adimplere; omni demum tentationi strenue reluctari, de se ipso nil prorsus præsumere, totaque mente sperare in Domino, et ejus auxilium jugiter invocare, ipsum devotissime collaudare, magnifice colere, filialiter formidare, affectuose diligere; superioribus quoque corde promptissimo obedire, pro

communi bono Ecclesiæ, pro vivis ac mortuis, A pro propinquis, commissis et benefactoribus, pro infidelium conversione, pro universorum salute, pro pace et omni causa rationabili occurrente, lacrimosas, præcordiales, assiduas Omnipotenti offerre ac fundere preces.

Hæc et consimilia ad obtinendum præfatam perfectionem necessaria censentur, et ista consistunt saluberrima prorsus remedia contra ipsius impedimenta : sic fugere, quiescere et tacere, atque in solitudine permanere, et in ea Deo taliter B militare.

Verumtamen vere et omnino omnipotens ac superliberrimus et benignissimus Deus potest hominem etiam in medio hominum conversantem, imo et in prælatione aut principatu constitutum, ad omnem sanctitatem ac præfatam perfectionem (prout ei placuerit) elevare, perducere ac transferre : sicut et fecit in sancto pontifice Nicolao, in sanctissima Elisabeth, filia regis Hungariæ, landgravia Thuringiæ, aliisque quibusdam : quod valde C privilegiatum, singulare, rarum ac superpiissimum fuisse non ignoratur, imo mirabilissimum exstitisse certissime scitur.

ARTICULUS VIII.

De modo et ordine ascendendi ad finalem solitariæ conversationis perfectionem.

Coloss. III, 9, 10. EXSPOLIATE *vos veterem hominem cum actibus suis, et induite novum, qui renovatur in agnitionem Dei.* Deus D omnipotens et æternus per dona gratiæ suæ in diversis hominibus diversimode operatur. Nempe nonnullos in suæ conversionis exordio tam gratiosissime prævenit, ungit, gubernat, ut directione et informatione humana parum aut nullatenus videantur egere : qui et mox ut converti cœperint, ita absorbentur in Deum, et ad spiritualia efficiuntur tam validi tamque interni, et in spirituali consolatione efficiuntur tam redundantes, ut quum adhuc quantum ad tempus videantur esse in statu ac numero incipientium, quantum ad devotionis eminentiam computari valeant non solum de numero proficientium, sed etiam perfectorum : quales constat fuisse Dei electos Augustinum, Gregorium et Bernardum, imo et innumerabiles alios. Hi communi legi non fuerunt subjecti.

Ceteri non tam subito nec tam sublimiter profecerunt neque proficiunt : qui primo sunt instruendi qualiter corpus suum debite regant, ne crapula aggraventur, Luc. XXI, 34. nec somnolenti sint extraordinarie aut in divinis ; exteriores quoque reprimant sensus, potissime in divinis, ne hauriant vanitates, distractiones aut tentationum materiam ; moribus item foris compositi sint, et intuentibus exemplares, a præteritis culpis fortiter abstinentes, easque integre confitentes, in incessu ac motibus corporis ordinati, maturi, atque in cærimonialibus observantiis diligentes : sicque (juxta Apostolum) curam carnis faciant Rom. XIII, 14. non secundum desideria seu concupiscentiam sensualitatis, sed juxta imperium rationis ; neque de cetero exhibeant Ibid. VI, 13. membra sua arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo ; et in operibus pœnitentiæ exercitent se discrete, carnem suam rationi subdentes, hoc est in servitutem I Cor. IX, 27. spiritus redigentes, et corpus suum loco ac tempore opportuno moderate reficientes cibo, potu ac somno.

Hæc omnia ad incipientes ac animales et ad viam purgativam ac servos fideles pertinere censentur. In quibus quum novus solitarius et religiosus novellus fuerit exercitatus, fundatus, expertus, statum proficientium et rationalium illuminativamque viam ingredi debet, hoc est circa reformationem motuum affectionumque animæ esse sollicitus ac studiose intentus, satagendo ad hoc ut universæ passiones et affectiones partis sensitivæ rationi ac Deo sint subditæ : quatenus de nulla re corporali, sensibili, de nullo eventu, de nullo defectu, de nulla adversitate aut

prosperitate delectetur, tristetur, timeat, A exspectet, extollatur aut afficiatur, nisi secundum Deum et legem divinam rationemque rectam ; sicque in omni virtute morali, in justitia atque prudentia, in intelligentia Scripturarum, crescere enitamur assidue, in omni plane humilitate, patientia, temperantia, mansuetudine, fortitudine, obedientia, quæ est pars justitiæ, in vera quoque discretione, quæ est actus prudentiæ, et in custodita ac erudita locutione, quæ est bonum præcipuum. Hæc est exercitatio status proficientium ac ra- B tionalium illuminativæque viæ, quæ solitariis valde est necessaria ad obtinendum immobilem mentis tranquillitatem in omni eventu, nisi ut de malis culpæ tam suis quam alienis doleant vehementer. Oportet quippe cellitam in humilitate, patientia, mititate prorsus esse fundatum, ne faciliter conturbetur, tristetur, irascatur, amaricetur aut indignetur : quia per talia consolatio spiritualis, devotio actualis, interna tranquillitas, cordis stabilitas, spiritualis profectus plurimum interpolatur, C impeditur ac minoratur.

Præterea, in his jam fortiter exercitatus solitarius seu cellita, vel quicumque religiosus aut virtuosus, viam introeat perfectivam, hoc est statum et gradum spiritualium, perfectorum, seu contemplativorum : qui ab omni iniquitate, impuritate, impetu et commotione passionum jam plenarie reformati, in omni humilitate, patientia, mititate, temperantia, obedientia, discretione firmiter stabiliti ac consummati, omni dono Spiritus Sancti D sublimiter perornati, caritate prorsus accensi, jam per internam munditiam, per caritatis ardorem, per sapientiæ claritatem, per inviolabilem justitiæ zelum, Deo sunt proximi, et quasi secretarii et consiliarii ejus effecti ; et mente stant quasi in contactu continuo Solis justitiæ ac Sapientiæ increatæ, ad recipiendum ab illa quotidie stillicidia gratiarum, illuminationum fluenta, caritatis ardores, opulentiam spiritualem, visitationem secretam, unctionem dulcissimam, allocutionem occultam. Quumque ad ista pervenerit solitarius tam electus, vitam angelicam ac cœlestem ducit in terris, et vere in pace in id ipsum *Ps.* IV, 9. dormit, et obdormit in Domino, et requiescit in suæ salutis fonte : et sic oculi ejus *Ps.* XXIV, 15. sunt semper ad Dominum, benedicitque *Ps.* XXXIII, 2. Deum in omni tempore, nec satiari potest psalmis et laudibus Creatoris, meditationibus sacris affectionibusque divinis ; in his omne tempus brevissimum sibi videtur, et vacat Deo in jubilo.

ARTICULUS IX.

Quid a solitario exigat solitudo.

Ecce *elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* *Ps.* LIV, 8. Quemadmodum tactum est, art. I. ad hoc finaliter solitaria vita est instituta, quatenus solitarius tanto quietius, liberius, stabilius atque perfectius vacet, deserviat et unitus sit Deo, contemplando sinceriter, diligendo ardenter, orando devote, laudando assidue, ac consimilia spiritualia exercendo, quanto plus est ab hominibus elongatus, et humanis colloquiis adspectibusque abstractus. Hoc ergo, o solitarie, requirit a te solitudo, seu potius tua vocatio, tua professio, imo potissime Deus et Judex tuus, ut vel talis consistas, aut certe, si nondum es, ad hoc digne et indesinenter tendas, coneris, adspires, ac omni die propinques. Absit ergo in æternum a te, ut unquam inquietudo maligna, colluctatio passionum, strepitus vitiorum, fluctuatio mentis, phantasia inutilis, suspicio vana, formido inordinata, tristitia sæcularis, quæ *II Cor.* VII, 10. mortem operatur, in tuo versetur corde ; et si pullulet, erumpat aut oriatur, nullatenus immoretur, sed protinus exsuffletur, et mens Dei sui advertens præsentiam et adspectum, confestim erigatur in ipsum, et Christi passionem considerans, salubriter occupetur, oretque animo æquo et psal- *Jacob.* V, 13. lat, atque diabolum cum suis susurriis irrideat et contemnat, illud Jeremiæ atten-

Jer. IV, 14. dens : Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ ? et quod per Michæam *Mich.* II, 1. comminatur Dominus justus : Væ qui cogitatis inutile ; et rursus quod jussit per *Is.* I, 16. Isaiam : Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Nempe, quemad- *Sap.* I, 5. modum Spiritus Sanctus disciplinæ effugit fictum, ita se aufert a cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Increata quoque Sa- *Prov.* VIII, 12. pientia per Salomonem testatur : Eruditis intersum cogitationibus. Tu ergo, o solitarie, erubesce coram Deo inutilia cogitare, viliter occupari, mentis inquietudine agitari.

Denique, quod Deo propitio post hujus momentaneæ vitæ curriculum, æternaliter es acturus in cœlo, jam pro viribus, etsi non continue, tamen assidue exerce in cella. Assuesce te ipsum quotidie cum sancta discretione ad exercitia ista spiritualia ac interna, fientque tibi omni die suaviora, et magis ac magis delectabit te talibus inhærere ; abhorrebis colloquia vana, verba superflua, visitationes humanas, occupationes externas, nisi in quantum obedientia caritasve fraterna exigat eas. Itaque mundum quem corporaliter reliquisti, noli de cetero intra te clausum tenere, neque per temporalia inaniter evagari, neque mundana recolere, nec aliquo modo ad talia affici. Intuere ergo frequenter et imple fideliter quod hortatur, imo et af- *Ephes.* IV, 1, 2. fectuosissime deprecatur Apostolus : Obsecro (inquiens) ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate.

Si ista impleveris, similis erit superior portio animæ tuæ cœlestium regioni sphærarum, in quibus nunquam contingunt meteorologicæ impressiones, ut sunt tempestates, venti, tonitrua, fulgura, imber, nix, grando, ac consimilia quæ in elementari accidunt regione. Quamvis ergo in inferiori et sensitiva animæ tuæ parte, sive ex fomite, sive ex dæmonum suggestione aut humana tentatione, exsurgant motus inordinati, concupiscentiæ pravæ, impetus

A passionum, nequaquam tamen per consensum attingant rationem aut voluntatem.

Sic quoque agendo, recte viro assimilaberis sapienti qui ædificavit domum suam supra petram, id est, habitaculum sui cordis stabilivit in Christo. De quo ipsemet Christus asserit : Omnis qui audit *Matth.* VII, 24, 25. verba hæc et facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificavit, etc. ; et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat B supra petram. Etenim, Scriptura testante, justus quasi fundamentum æternum, et *Prov.* X, 25. homo sanctus in sapientia manet ut sol. *Eccli.* XXVII, 12. Ad quod hortans Apostolus : Stabiles (in- *I Cor.* XV, 58. quit) estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper. Talis sine dubio fuit sacratissima Christi sponsa ac martyr Agatha, quæ immundissimis eam tentantibus dixit hominibus : Mens mea super petram solidata est, et in Christo fundata ; verba vestra venti sunt, promissiones vestræ pluviæ sunt, tortores vestri flumina C sunt : quæ quamvis me impugnent, fundamentum tamen domus meæ cadere non valebit.

Postremo, in his tanquam in speculo contemplare te ipsum, tu solitarie degens. Perpende an adhuc pro modicis causis, pro parvis ac vilibus rebus, pro levi verbo, injuria parva, aut (quod turpius esset) pro correptione caritativa et justa, turbetur et inquietetur cor tuum. Quod si ita est, vide quam pusillus, pauper ac defectuosus exsistas, quam modice profece- D ris, quam longe a tuæ professionis finali perfectione sis distans. Idcirco pœnitentiam age, deplora te ipsum, invoca Deum, renova salubre propositum, aggredere contra te prælium, reprehende et irride te, dicens : Ubi est timor tuus, fortitudo tua, *Job* IV, 6. patientia tua, et perfectio viarum tuarum ? Sicque propone firmissime te in omnibus emendare, patientiam de cetero non solum in parvis, sed in majoribus etiam adversis servare, neque de aliquo contristari, nisi quo elongaris a Deo et displices ei.

ARTICULUS X.

De solitudine fructuosa et infructuosa.

uc. xiii, 7. *SUCCIDE ficulneam : ut quid terram occupat?* Vere fructuosa, nobilis et præclara est solitudo, seu potius solitaria vita, in qua solitarius habet se sicut in præcedenti continetur articulo, hoc est, ut exigit solitudo et solitariæ conversationis professio. Denique iste est solitarius sapiens, qui mediis sibi concessis utitur congruenter ad obtinendum solitariæ vitæ perfectionem finalem, universa media illa ad finem hunc ordinando, eisque taliter et in tantum utendo prout expedientius sibi est ad acquirendum hujusmodi finem. Porro media ista sunt ipsa exterior solitudo, reclusio, abstinentia, jejunium, disciplina, lectio, studium, scriptio, cilicium, atque consimiles corporales exercitationes, in se ipsis ad modicum utiles, nisi ad pietatem, ad cultum Dei, ad sapientiæ actum, ad perfectionem internam congrue referantur. Qui ergo omnia ista exercet humiliter ac prudenter, quatenus mereatur per ea majorem a Deo gratiam adipisci, intus purgari, ad reformationem interiorum suorum proficere, fini suæ vocationis ac perfectionis appropinquare, sapienter se habet ac ordinate, Deum incessanter exorans ac fervide deprecans, totisque viribus ad hoc ipsum cooperans ac laborans, ut per media illa quotidie spiritualior, purior, virtuosior, atque in omni virtute, præsertim in dono sapientiæ et caritatis fervore, fiat perfectior. Talis interea totam suam conversationem in vera ac forti fundat humilitate ac Dei timore : quas duas virtutes debet omnis religiosus, præcipue solitarius, tam indesinenter mente revolvere, quam incessanter persistit anhelitu narium aerem ipsum attrahere, ut sanctus edocuit abbas Pastor.

Porro, qui media illa et exercitia corporalia in se ipsis reputat magna et sistit in ipsis, aride et superficialiter ipsa exercens, neque per ea intus mundari, pro- A ficere, perfici satagens, indiscretus ac stultus est, sine fructu et gustu interno laborans : similis ei qui habet scalam, nec tamen ascendit per eam ; et navem, nec utens ea ad transfretandum ; et medicamenta, quibus ad sui curationem, quum tamen ægrotet, non utitur ; imo similis habenti panem et potum, et tamen ex fame sitique morienti. O quam miser et imprudens est talis !

Præterea, de tali solitario, vel potius solo, solitudini suum debitum non solven- B ti, neque per aptissima quæ habet proficiendi media proficienti, optime in suis loquitur Homiliis Eusebius Emisenus, quem inter viros illustres sanctus ponit Hieronymus : Quid (inquit) nobis prodest habitationis hujus secretum, quando tyrannico dominatu in nobis malitia regnat, ira superequitat, majoremque metum, reverentiam atque custodiam nobis incutit humanus oculus quam divinus ; dum nos qui extra mundum nos esse credimus et mundum nos reliquisse præsumimus et jacta- C mus, mundum intra nos per diversarum vitia passionum, per imagines phantasticas et cogitationes inanes clausum tenemus ? Quid prodest, si locus quietis solum corporaliter teneatur, et inquietudo in corde versetur ? Quid, inquam, prodest, si in habitatione silentium sit, et in habitatoribus vitiorum tumultus et colluctatio passionum ; si exteriora nostra ornet serenitas, et interiora conturbet tempestas ? Nonne similes sumus sepulcris dealbatis, *Matth.* quæ (juxta Salvatoris eloquium) a foris xxiii, 27. D apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, vermibus, serpentibus, et fœtore ac omni spurcitia ? Talibus insipientissimis solis imminet maledictio Judicis summi, qui Scribis et Pharisæis loquens : Vos (ait) estis qui justifi- *Luc.* xvi, 15. catis vos coram hominibus ; Deus autem novit corda vestra ; et rursus : Væ vobis, *Matth.* hypocritæ, qui a foris paretis hominibus xxiii, 27, 28, 33. justi, intus vero pleni estis hypocrisi et iniquitate ; genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ ?

Sciamus ergo parum aut nihil nobis A prodesse, si corpora nostra jejuniis, abstinentiis, vigiliis, disciplinis, veste aspera duriorique strati reclinatorio affligamus, et animas nostras a vitiis, ab inquietudine passionum, a superbia, ira, impatientia non purgemus. Quid prodest corporalis afflictio, si linguam et mentem deturpet detractio? Nonne omnis labor noster in nihil redigitur? O quam periculosum est cellam inutiliter occupare, in qua alius fructuose demoraretur, suisque meritis et precibus fundatori et benefactoribus ac B aliis multis auxiliaretur! Heu, quam impium atque damnabile est, patrimonium Crucifixi, eleemosynas pauperum, beneficia fundatorum indigne consumere, ingrate suscipere, injuste expendere! Nonne scholares ad studendum alicubi missi, parum aut nihil proficientes ac parentum suorum patrimonium dilapidantes, ad suos regressi parentes, ægre et indignanter adspiciuntur? Qualiter ergo Judex ille cœlestis te suo tribunali mox post vitam hanc præsentatum adspiciet, qui in schola vir- C tutum, hoc est in claustro, in quo ad proficiendum te collocavit, post menses et annos, post tempus et tempora, parum aut nil interius profecisti, nec tuæ satisfecisti professioni? Adverte ergo et valde formida
Eccle. v, 3. quod ait Scriptura : Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere ; displicet enim ei infidelis et stulta promissio. Quo constat illam promissionem reputari a Deo stultam et infidelem, quam promittens non nititur juxta vires sine mora implere. Denique, si quis adhuc sæcularis aliquid Deo promit- D tat absque determinatione temporis certi, tenetur hoc ipsum quam cito facultas adfuerit, adimplere : quanto magis religiosus mox ut professionem emisit, eamdem exsecutioni mandare tenetur? Advertat hoc solitarius qui morum suorum conversionem spopondit Altissimo, qualiter id implevit; nec cesset solitudine ceterisque prætactis proficiendi instrumentis ac meritis prudenter uti ac fructuose, crescendo per ea assidue in interiorum suorum reformatione, in mortificatione salubri, in abnegatione obedientiali, in conversatione perfecta.

ARTICULUS XI.

De reformatione interna.

RENOVAMINI *spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate.* *Ephes.* IV, 23, 24. De multiplici ternario quo de infimo ad summum, de via ad patriam, de imperfectione ad perfectionis bravium pervenitur, diversi Patres ac devoti doctores diversimode videntur locuti : attamen dicta eorum in idem redire videntur. Etenim quidam hunc ponunt ternarium : statum incipientium, statum proficientium, statum perfectorum. Aliqui istum : statum animalem, statum rationalem, statum spiritualem. Nonnulli hunc : viam purgativam, viam illuminativam, viam perfectivam. Ceteri istum : virtutem politicam, virtutem purgatoriam, virtutem purgati animi. Et redeunt ista in idem. Status quippe incipientium est in recessu a malo, et primordiali accessu ad bona virtutum. Status proficientium est inchoatum bonum strenue prosequi, et crescere in eodem : quod est interius reformari, in intellectu illuminari, et perfectionem efficaciter cupere. Status perfectorum est per contemplationem gustare quam dulcis est Domi- I *Petr.* II, 3 nus, atque per ferventissimum caritatis ardorem ad mysticæ theologiæ secretum pertingere : quod est introire in sanctua- *Ps.* LXXII, 17. rium Dei, incerta et occulta sapientiæ Dei *Ps.* L, 8. per unitivæ ac flammigeræ sapientiæ donum, et item per actualem desuper infusam irradiationem fulguream, vibrativam, conspicere. Ad primum horum pertinet status animalis, viaque purgativa, et virtus politica seu moralis ; ad secundum, status rationalis, via illuminativa, et virtus purgatoria ; ad tertium, status spiritualis, via perfectiva, et virtus purgati animi seu virtus heroica.

Denique, ad animalem pertinet statum, A corpus in animæ redigere servitutem, exteriores reprimere sensus, foris esse compositum, observantias cærimoniasque forinsecus custodire, per fidei quoque veritatem ab omni hæretica pravitate ac infidelitatis errore discedere, atque per caritatem cunctis creatis ac sibi ipsi Deum præferre, et ei finaliter adhærere. Ad rationalem vero pertinet statum, reformationi interiorum virium principaliter insudare, sensitivi appetitus affectiones et passiones per rationis judicium et per vir- B tutes refrenare, moderari ac rectificare morales, intellectui Scripturarum intendere, et per donum intellectus rationes et argumenta sacræ fidei competenter agnoscere. At vero ad spiritualem attinet statum, Deo glorioso ac adorando sinceriter adhærere, per contemplationem sapientialem intendere, et per purgatum serenissimumque amorem in ipso quiescere, corpore animæ jam subjecto, sensitivaque parte rationi.

Præterea, per originale peccatum defor- C mata multipliciterque infirmata ac læsa natura humana, sensualitate fomite prorsus infecta, ratione etiam obscurata, et voluntate per malitiam vulnerata, necesse fuit hominis reformationem inchoari in parte sensitiva per virtutes morales infusas, in ratione per fidem, in voluntate per spem et caritatem. Sicque initium reformationis intellectivæ potentiæ (utputa rationis) est, sine ambiguitate simpliciter credere juxta Scripturas et doctrinam Ecclesiæ. Profectus rationis est, rationes cre- D dendorum competenter perspicere, in Scripturarum intellectu succrescere, atque in lege divina die ac nocte sollicite meditari ad obediendum eidem. Perfectio rationis est, ea quæ fidei sunt claro quodam intuitu intelligentiæ penetrare, et delectari in consideratione hujusmodi ; argumenta etiam fidei omnemque nexum, consonantiam ac ordinem credendorum limpida mentis acie speculari, altitudinem consilii ac sapientiæ Dei super modo redemptionis generis humani sobrie admirari ; sæpe quoque per raptum et ecstasim in divitias gloriæ Altissimi elevari, ac absorberi in totius sapientiæ infinitum ac supersplendidissimum fontem.

Insuper, initium reformationis voluntatis est, per spem ad futura invisibilia aliqualiter erigi, beatitudinemque cœlestem fideliter præstolari, et item per caritatem summo bono præ ceteris cohærere, et omni peccato caritati contrario repugnare ac dissentire. Profectus voluntatis est, inferioribus virtutibus cum efficacia imperare, omnes quoque motus ac affectiones sensitivæ partis habere assidue magis ac magis sine rebellione subjectas. Perfectio voluntatis est, cunctis affectionibus aliis reformatis, simplificatis ac adunatis seu ordinatis, Deo per ardentissimam caritatem totaliter applicari inseparabiliterque uniri, imo et transformari in ipsum omnino.

Præterea, de reformatione memoriæ dicunt nonnulli, quod reformationis ejus initium sit a distractionibus cor ad Dei recordationem laboriose reducere ; profectus vero ipsius sit meditationibus, contemplationibus, orationibus ac laudibus Dei cum notabili stabilitate faciliter inhærere, sicque in latitudine cordis cum Deo quasi in paradiso deambulare ; perfectio autem ipsius sit sic Deo esse immersam, ut ceterorum omnium, imo et sui ipsius ac proprii actus obliviscatur, nil horum actualiter attendendo, præ nimia et intentissima occupatione ac defixione memoriæ in superamabili ac incomparabili Deo. Verumtamen, secundum philosophos atque theologos, memoria et intellectus seu ratio realiter idem sunt, ita quod intellectus in quantum locus et conservator est intelligibilium specierum, nuncupatur memoria.

Ps. CXVIII, 45; *Gen.* III, 8.

Postremo et hoc scire oportet, quod distinctio hujus triplicis status non est accipienda præcise, videlicet per exclusionem omnimodam unius status ab alio : imo unus eorum aliquid participat de actibus

status alterius. Qui enim in statu est incipientium, eo ipso quod recedit a malo et aliquid agit boni atque ad meliora conatur, est aliquo modo proficiens, præsertim quum in via Dei non proficere dicatur deficere. Sic et proficiens aliquid perfectionis proficiendo attingit paulatim. Porro perfectus quamdiu viator est, tanto plus omni proficit die, quanto perfectior exstat in caritate, quum totius profectus ac meriti caritas sit origo ac radix.

ARTICULUS XII.

Exhortatio ad indesinentem fervidumque profectum.

I Cor. IX, 24. SIC *currite ut comprehendatis*. Non im-
Ps. XLVIII, 13, 21. merito ait Scriptura : Homo quum in honore esset, non intellexit. Hinc ingrati et negligentes efficimur, quoniam magnitudinem et excellentiam donorum ac beneficiorum nobis desuper collatorum ac promissorum non condigne advertimus nec profunde pensamus.

O quanta est gratia ista, quam speciale beneficium, quam maximum donum quod tibi, o religiose ac solitarie, est concessum, quod sequestravit et retraxit te Deus
Ps. LXIII, 3. a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem, et ad tam singulariter sanctum et excellentem solitariorum
Ps. XXX, 21. Ordinem te perduxit; quod te abscondit in abscondito vultus sui a conturbatione hominum, teque protexit ac protegit in tabernaculo suo, in solitario loco, a contradictione linguarum! Cur ergo Deo tuo vicem non reddis? Cur negligis temet-
Philipp. II, 12. Hebr. XII, 28. ipsum, nec cum timore ac tremore tuam operaris salutem, neque cum metu et reverentia, sed cum torpore et negligentia servis ei cui angelorum exercitus cum
Job IX, 13. tremore adsistunt, sub quo curvantur qui portant orbem, de quo fatetur Propheta,
Jer. XLVIII, 10. Maledictus qui opus Dei facit negligenter? Nonne olim Levitis circa carnalia sacrificia ministerium quoddam exhibentibus
Num. XVI, 9. locutus est Moyses, Num parum est vobis
A quod separavit vos Dominus a populo, et junxit sibi ut serviretis ei in cultu tabernaculi? Si ergo tam magnum fuit Deo servire circa sacrificia typica illa in se nihil sanctitatis formaliter includentia, quam incomparabiliter majus est sacerdotem esse Dei viventis in Ecclesia Christi, et corpus ac sanguinem consecrare, tractare, sumere ac ministrare Salvatoris, imo totum Christum Deum et hominem, æterni Patris ac sacratissimæ Virginis unicum Filium, Sanctum Sanctorum, Deo Pa-
B tri offerre, contrectare, accipere? Nonne angeli sancti super tam supernaturalissimo ac præclaro stupent spectaculo? Cur ergo juxta tanti sacerdotii dignitatem non am- Coloss. I, 10.
bulas digne Deo? Quare ullo cessas momento considerare quam magnifice atque piissime Dominus egerit tecum?

Nunc igitur resipisce, et omni negligentia, carnalitate ac torpore exclusis, profunde adverte quanta sit dignitas, pulchritudo, nobilitas, splendor ac gloria solitarii omnisque religiosi suæ professionis
C debitum idonee persolventis. Vide, si potes, ad quantum eminentiæ culmen, ad quam præclarissimas prærogativas ac gratiosissimas appellationes, per efficacem tuæ professionis impletionem ac virtuosam et vere solitariam vitam promovearis. Nonne per charismata gratiarum, per sapientiæ claritatem, per virtutum decorem, per puritatem internam, per custoditam, fructuosam et contemplativam coram Deo conversationem, per odium vitiorum, per ardentem Deitatis amorem efficeris
D non solum servus Dei, imo et filius adoptivus, secretus amicus, heres regni cœlestis, increatæ Sapientiæ sponsus, amantissimus Dei, et tanquam consiliarius ac secretarius Creatoris? Intuere quam deificum et præclarum consistat, cum Deo assidue miscere colloquia in orationibus ac laudibus ejus, ipsum quoque tibi loquentem audire in lectionibus Scripturarum, in inspiratione occulta, in manifestationibus abditorum; insuper Deum intra te brachiis sancti amoris omni hora constringere, deosculari,

amplecti, nec ab eo velle aut posse avelli. A O quam superdignissimum est Deo Patri omnipotenti unigenitum ac supercarissimum Filium ejus quotidie immolare, imo spiritualiter omni hora offerre pro generali bono totius Ecclesiæ, pro vivis ac mortuis, pro parentibus, propinquis, commissis ac benefactoribus, pro infidelium quoque reformatione ac conversione, imo et se ipsum Deo offerre in holocaustum, divino cultui mancipando devotissime ac jucunde se totum !

Hæc perpendat, contempletur ac penetret qui id potest. Ego autem non valeo, B .cxxxviii, sed mirabilis facta est scientia horum magnalium magnificentiæ, munificentiæ et omnipotentiæ tuæ, o Deus, mihi et ex me, confortata est, et non potero ad eam. Præterea, sicut beneficia tanta ac talia comprehendere non valemus, ita nec possumus regratiari condigne : nihilo minus, quemadmodum pro viribus regratiari tenemur, ita et hæc pro posse considerare ac speculari debemus.

Amplius, constat quod quanta est dignitas C solitarii sic viventis, tanta est vilitas, turpitudo, iniquitas in solitudine residentis, nec taliter, sed impie conversantis. ann. viii, Talis namque est servus peccati, minister diaboli, membrum Antichristi ac Satanæ, Deo odibilis ac rebellis, omni bruto deterior, omni cloaca atque cadavere turpior, indignus pane quo vescitur, terra quam calcat, aere quem respirat, imo omni usu et obsequio creaturæ. Quum itaque in isto brevissimo vitæ tuæ residuo ad tam supernaturalem et inenarrabilem nobilitatem et D excellentiam queas pertingere, tamque inæstimabilem in æternitate beatitudinem promereri, tantam quoque vilitatem, fœditatem, iniquitatem ac condemnationem evadere ; noli negligentiæ in te locum præbere, noli remissius agere : imo quotidie accendatur cor tuum, et convalescat spiritus tuus ; et si non solo ac puro Dei amore ad ita conversandum alliceris, saltem prædictorum bonorum desiderium pariter te inflammet.

Præterea, vigilanter adverte quam miserabilem ac miserum arbitrareris præliatorem qui post inclytos congressus ac triumphos arduis bellis foris adeptos, paulo post in proprio loco, in parvis ac levibus pugnis turpiter vinceretur, et pene sine resistentia se traderet hosti. Nonne miserabilior ac infelicior tibi videtur religiosus, præsertim solitarius, qui quum in adolescentia aut juventute sua, adhuc in sæculari vita ac veste degens, robustissimus fuit ad relinquendum simul totum hoc sæculum et cuncta quæ habuit, carissimos quoque parentes, cognatos, amicos ac proximos, deinde se ipsum, nunc post professionem monasticam ac diuturnam in cœnobio mansionem, quum deberet esse *Hebr.* v, 12. magister spiritualis militiæ propter tempus, superatur in minimis, pro uno verbo commovetur ad iram, pro parva re sibi ablata, læsa aut perdita graviter contristatur, atque impatientiæ spiritu velut ebrius agitatur, pro beneficio caritativæ ac justæ correptionis, quam cum gratiarum actione et gaudio merito sustineret, indignatur proterveque loquitur, et mala pro bonis largitur ? Quando aut quomodo talis implebit quod ait Salvator, Beati estis *Matth.* v, quum maledixerint vobis homines, et per- 11, 12; *Luc.* vi, 23. secuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me, gaudete in illa hora et exsultate ? Resipisce ergo a tanta insania, a tam confusibili vita, a tam gravi æternæ damnationis periculo.

Denique, nonne insensatum ac fatuum reputares agricolam, vindemiatorem seu hortulanum, qui se grandi exhauriret labore arando, vitem colendo, hortum purgando, attamen nullum ex iis acquireret fructum ? Sic rudes et excæcati censentur, qui in corporalibus exercitationibus quæ instrumenta ac media sunt virtutum, se ipsos extenuant et affligunt, nec tamen per hæc ad interiorum emendationem, ad virtutum sinceritatem, ad saporem ac sensum internum, ad intentam perfectionem appropiant aut pertingunt, imo (quod per-

niciosissimum periculosissimumque consistit) ad obloquendum aut indignandum, ad murmurandum, ad retribuendum malum pro malo, atque ad similes passiones manent proclives, ita quod nondum inter bonos sæculares computari merentur.

ARTICULUS XIII.

Quam periculosum atque damnabile sit, in solitudine et cœnobio non proficere omni die.

Luc. XII, 48. * multum CUI *multum datum est, multum quæretur ab eo; et cui plus* commendaverunt, plus petent ab eo.* Manifestatum jam est quam multa, magna, præclara et gratiosa contulit beneficia Deus his Galat. I, 4. quos eduxit de hoc sæculo nequam, et in observantia posuit regulari, in solitaria vita; per quod ipsos ab innumerabilibus retraxit ac præservavit peccatis, atque aptissima profectus et perfectionis ac sempiternæ salutis instrumenta ac media providit ac contulit ipsis : quæ quanto majora sunt, tanto sunt graviores excessus abutentium eis. Porro omne peccatum vitæ præsentis, et peccatum est in se, et pœna peccati, in quantum homo prioris peccati demerito quod mox per contritionem non tollitur, incidere promeretur ac incidit sequens peccatum. Unde dixit Gregorius : Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, suo mox pondere trahit ad aliud. Quum etenim homo peccat, a Deo omnino recedit, aut ab ipso aliqualiter se elongat : sicque juste a Deo relinqui totaliter aut in parte meretur; et ita relictus, mox labitur, nisi rursus a Deo misericorditer præveniatur. Hinc solitario Habac. II, 1. periculosum omnino est non jugiter super suam stare custodiam, et beneficiis Dei mediisque salutis sibi collatis abuti.

Luc. XII, 47. Insuper asserit Christus : Servus qui cognovit voluntatem domini sui et non fecit, plagis vapulabit multis. Ex hoc innotescit quantum ex hac parte gravetur negligentia, ingratitudo, duritia religiosorum et solitariorum se prave habentium, qui quum indesinenter die ac nocte audiant, legant, agnoscant Scripturas ac documenta Sanctorum, ita quod natant in ipsis, non compunguntur timore, non accenduntur amore, nec strenue operantur, et (quod damnabilius exstat) ex sua interdum scientia, quamvis pusilla, inflantur, ac suos tuentur errores, et contra corripientem acrius invehuntur. Hæc est Job 28. iniquitas maxima et negatio contra Deum altissimum, propriam culpam excusare, non recognoscere ac fateri.

Præterea, juxta doctores, professio, præsertim solennis, obligat vehementer, et non solum plus quam simplex præceptum, imo etiam magis quam juramentum. Quamvis autem status religionis non sit status perfectionis acquisitæ, est tamen status perfectionis acquirendæ. Propter quod religiosi non tenentur mox esse perfecti, sed de die in diem proficere, ad perfectionem condigne tendendo, adspirando, conando. Idcirco damnabile eis est remissius agere, tepescere, dissolutionem admittere, profectum differre : præsertim quum dictum sit, eum qui aliquid vovit Deo, tem- art. x. pus certum non determinando nec exprimendo, obligari ad voti impletionem citius quo convenienter hoc potest, juxta quod Salomon loquitur : Si quid vovisti Deo, ne Eccle. moreris reddere. Unde scriptum est : Quod Deut. semel egressum est de labiis tuis, obser- 23. vabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo. Hæc advertant qui morum suorum conversionem Deo voverunt, omnes quoque religiosi, qui ex sua professione, quamvis multiplici ac diversa, omnes tamen ad perfectionem idonee tendere adstringuntur; nec differant hoc implere. Hinc sancti Patres testati sunt, eos qui in sacra religione non discunt nec assuescunt et satagunt se ipsos quotidie frangere, abnegare, subjicere, obedire, multo deteriores in cœnobio effici quam erant esseve poterant in vita et habitu sæculari.

Necesse est ergo ut tu qui sanctæ religionis assumpsisti militiam, primum in

te ipsum sis feliciter violentus, et vincas A in cunctis te ipsum, propriam animositatem, vehementiam, carnalitatem, duritiam: quod gratia adjuvante faciliter adimplebis, si discas et assuescas te in Deo dumtaxat diligere usque ad tui ipsius contemptum. Sicque amplecteris gratanter ac lætanter suscipies omne quod expedit tibi ad complacendum Altissimo; subjectione et abjectione gaudebis, in tui aspernatione et omni humiliatione ac persecutione tanquam in cunctis divitiis exsultabis. Hæc est vera religiosorum philosophia, hæc B sanctorum Patrum doctrina : qui etiam contestantur, quod in eremo seu solitudine non perfecte conversari, summa exsistat damnatio.

ARTICULUS XIV.

Quod Christus in suis præceptis ac documentis omnem superbiendi et vane gloriandi occasionem, omnem quoque præsumptionem atque jactantiam abstulit servis suis.

Luc. XVII, 10. *QUUM feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus ; quod debuimus facere, fecimus.* Marc. XII, 29, 30. Quemadmodum ait Salvator, primum omnium mandatum est : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua. Ecce hoc est primum principalissimumque mandatum, cujus impletionem Judex cœlestis primo ac principalissime a nobis requirit, atque dum ejus D fuerimus tribunali præsentati requiret. Quis jam poterit gloriari aut cervicem extendere? Quis audebit de meritis suis præsumere, seque jactare aut alteri præferre, vel magnum se reputare, quum ignoret an primum istud præceptum impleverit, imo quum nesciat an quoad minimum gradum adimpleverit illud, quippe qui nec de hoc certitudinem habet, quod habeat caritatem? Denique dato quod de hoc certitudinem haberemus, et vere sciremus nos efficaciter profecisse, numquid in nobis ipsis inaniter gloriari possemus? Nonne Salvator locutus est, Sine me nihil potestis Joann. XV, 5. facere? atque Apostolus, Quid habes quod I Cor. IV, 7. non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Denique tot et tanta beneficia contulit nobis, quod pro eis nequaquam sufficimus Deo condigne regratiari, aut idoneum rependere cultum, neque æquivalens reddere ei, potissime quum et merita nostra sint dona ipsius : propter quod quanto plus in omni virtute proficimus, quanto majores effecti fuerimus, tanto plus Deo omnipotenti, pio, justo ac liberalissimo grati, subjecti ac humiles esse tenemur. Hinc Salvator sapientissime docuit : Quum feceritis omnia Luc. XVII, 10. quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus. Insuper, bonorum nostro- Ps. XV, 2. rum non indiget Deus. Ideo quidquid egerimus, nullam ei, sed nobis ipsis utilitatem afferimus, sicut et beatus Job ait : Si pec- Job XXXV, 6-8. caveris, quid ei nocebis? Porro, si juste egeris, quid donabis ei? Homini qui similis C est tui, nocebit impietas tua, et filium hominis adjuvabit justitia tua.

Circa jam tacta scribit in Regula sua S. Hieronymus : Quamvis longa macerent jejunia, licet abjecta sit vestis, et longa officiorum ac operum series producatur; si intus desit caritas, nondum ad infimum religionis gradum perventum est. Nulla pro certo vita deterior quam simul degere corpore et non mente; et vere infelices sunt, quibus non una sed diversa inest voluntas. Sit itaque vobis semper unus affectus, una fraternitas, una voluntas, una proportio morum, una jucunditas, una tristitia, ne quod placet uni, displiceat alteri, neque quo unus lætatur, alter tristetur. Quem quantumlibet religiosum non perterreant verba ista? Quis tam perfectus in caritate, quis tam concors suis conventualibus, ut sit ei semper cum illis una, non diversa voluntas, una proportio morum, nec uni complaceat quod displicet aliis, nec unus lætetur quo alter tristetur? Ecce quantum timere habemus ne (quod

absit) vita nostra sit pessima atque a sincera caritate dissentiens, quam optimam esse confidimus. Postremo, teste Apostolo, (I Cor. XIII, 4, 5.) caritas patiens est et benigna, non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt. Quis audet asserere talem se gerere ad proximos caritatem? Timeamus ergo et humiliemus semper nos ipsos, totisque viribus conemur proficere.

ARTICULUS XV.

De actuali mentis elevatione ad Deum assidua, imo et (quantum possibile exstat) continua.

(III Reg. XVII, 1; IV Reg. V, 16.) VIVIT *Dominus, in cujus conspectu sto* hodie. Ad hoc toto conatu indesinenter tende et stude, o religiose, et tu præsertim, solitarie, ut quantum fragilitati tuæ possibile est, in omni actu, loco et tempore, saltem dum vigilas, cor tuum sit actualiter superglorioso, incircumscriptibili, ubique præsentissimo Deo intentum : suspirando ad ipsum, gemendo, pectus tundendo, manus sincere levando, potissime dum es solus; divinæ quoque pietatis viscera affectuosissime invocando pro te ipso et pro toto mundo, pro vivis ac mortuis, et specialiter pro his pro quibus magis tibi incumbit; insuper infinitam Dei excellentiam, majestatem, justitiam, misericordiam intendendo, beneficia ac promissa ipsius pensando, sed et bonitatem ejus purissimam et immensam diligendo ferventer, psallendo et laudando Creatorem tuum alacriter. In his omne tempus tuum expende; nec in comedendo, laborando aut cum aliis conferendo cesses ab istis. Imo nullum inutile verbum cum visitantibus seu aliis habeas, memor archi- (I Petr. IV, 11.) apostolici verbi illius : Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Denique, ubi major est occasio incidendi aliquam culpam cordisque dissolutionem, ut in delicatioribus alimentis, in carorum adventu, in exitu ad advenientes extraneos, ibi sis magis

A custoditus, timoratus, sollicitus, et mente ad Deum suspensus.

Itaque quidquid egeris, quocumque te verteris, a Dei commemoratione, allocutione, oratione et laude non cesses. Nec æstimes tibi istud impossibile (præsupposito gratiæ Dei auxilio) in solitario loco, nec in aliorum regimine ac dispositione forinsecus occupato, quod sanctus rex David in tot et tantis regni negotiis occupatus, in regali implevit palatio : Provide- (Ps. XV, 8.) bam (inquiens) Dominum in conspectu

B meo semper; et item : Oculi mei semper (Ps. XXIV, 15.) ad Dominum. Consuetudo tanquam altera est natura; nec est aliquid ita difficile, quod non facilius fiat usu. Assuesce ergo cor tuum ad ista. Dic animæ tuæ : Benedic, (Ps. CII, 1, 2.) anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus; benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Et rursus : Mihi (Ps. LXXII, 28.) adhærere Deo bonum est. Omne tempus te perdere judica, quo non egeris ita.

Adverte quantum incurras dispendium,

C quantum incommodum, dum cogitas quid inane, dum per inutilia evagaris, quando infructuose te occupas aut otio vacas. Tunc quippe nequissimo hosti aditum præbes ad impugnandum te fortius, ad suggerendum pejora, ad præsentandum tuæ imaginationi vana ac frivola, ad revolvendum in tua memoria illatas tibi injurias, ut contra proximum accendaris et ulcisci te cupias, aut certe aliorum defectus, ut proximos tuos contemnas, dijudices, et sine fraterna compassione indigneris, amarice-

D ris ac sinistre suspiceris de ipsis. Hæc sunt germina pessima, simulacra maledicta depictionesque cordis turpissimæ, quibus puritas cordis fœdatur cœlestisque Sponsi thalamus inquinatur. Si ergo, o anima sancta, Sponsum illum supernum superdignissimum cupis in cordis tui cubiculo jugiter habere præsentem, ejus inspiratione doceri, suis amplexibus frui, in divini amoris incendio crescere; non cesses te ad ipsum dirigere, in ipso quiescere, actibusque prætactis strenue occupari,

atque ab omni offensivo ac inhonorativo præsentiæ tanti Sponsi ac maculativo sui cubiculi diligentissime abstinere.

ARTICULUS XVI.

De pervigili ac perenni cordis custodia.

Deut. IV, 9. Prov. XXVIII, 14. *CUSTODI temetipsum et animam tuam sollicite.* Certe, ut ait Scriptura, beatus homo qui semper est pavidus. Quis enim in medio ambulans laqueorum non timeat vehementer? Attende quam circumspecte, custodite, sollicite gradiatur mercator pretiosas deferens merces per campum raptoribus, latronibus, insidiatoribus solitum incursari. Tu ergo, religiose cellita, noli unquam vana securitate resolvi. Non te putes pericula evasisse : imo hoc scito, quod solitariis invisibiles inimici acrius, incessabilius invidiosiusque insistunt, insidiantur ac irruunt. Itaque, quo pretiosiora tibi a Deo collata sunt munera gratiarum, quo meritis plus abundas, quo diuturnius deservisti Altissimo et pro regno laborasti superno, eo circumspectior esto et timoratior coram Deo ac magis sollicitus in te ipso, ne te jacula tangant ac feriant inimici, ne tentationum sagittis lædaris, ne sub specie boni fallaris; ne spiritui malo succumbens, id est, peccato consentiens, omni tua spirituali opulentia Ps. XL, 12; XII, 5. spolieris ; ne gaudeat super te inimicus, et dicat : Prævalui contra eum.

Indesinenter ergo adverte et recole quod in præsentia summi Dei ubique et semper Job XXXI, 4. sis, degas et ambules, qui universos gresPs. VII. 10; I Par. XXVIII, 9. sus tuos dinumerat, qui cor tuum scrutatur tuaque omnia clarissime intuetur, et pro omnibus his in judicium te adducet. Hunc igitur incomparabiliter time, ejus adorandam superdignissimamque præsentiam devotissime venerare, ab omni ejus offensa diligentissime cave, et sic feliciter adimProv. IV, 23. plebis quod hortatur Scriptura : Omni custodia custodi cor tuum, quia ex ipso vita procedit. In corde quippe est caritas Dei, quæ vita est animæ, radix merendi, A forma et motrix virtutum. Denique cor tuum castrum est et fortalitium spirituale, templum Spiritus Sancti, habitaculum Sal- I Cor. III, 16. vatoris. Quemadmodum ergo in castro ac templo pretiosissimo materiali adhibetur diligens januæ custos, ita in ostio cordis tui stet instar custodis pervigilis timor Dei ingens ac indefessus, omni iniquitati, negligentiæ ac torpori introitum prohibens, divitias cordis sollicite servans, ab omni vanitate, laxatione indiscretioneque retrahens. Scriptum est enim : Si non in timore Eccli. XXVII, 4. B Dei tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.

Porro, si dicas, Quis in vita hac potest sic custodire cor suum ad mala tam pronum, tam instabile, defectuosum ac miserum? audi Apostolum protestantem : Om- Philipp. IV, 13. nia possum in eo qui me confortat; et quod fatetur Psalmista : Qui habitat in ad- Ps. XC, 1. jutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Ideo confidenter ac jugiter invoca Deum, ejus implora auxilium, ipsius adjutorio, non tuis viribus aut meritis, C innitaris, et in ipso quiescas, et ipse te proteget ac juvabit. Fac quoque fideliter quod tuum est; et sicut sagittarii ad signum assidue dirigunt suum visum, ita tu cordi tuo imprime aliquid utile ac salubre, et assuesce illud frequenter recolere, diligenter pensare, et quotiescumque mens tua distrahitur aut distractum te sentis, protinus sine mora ad illius intuitum revoca et attolle cor tuum. Et potes ad hoc assumere verbum prætactum, quod sacra- art. præced. tissimi vates Elias ac Eliseus toties protuD lerunt : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. Hoc etenim verbum recolendo, protinus elevatur mens tua ad divinæ majestatis omnibus præsidentis considerationem, dicendo, Vivit Dominus, qui solus III Reg. XVII, 1; IV Reg. V, 16. propria et imparticipata auctoritate universis et singulis dominatur; atque ad suæ sapientiæ ac providentiæ perfectionem immensam, addendo, In cujus conspectu sto hodie. Et ita fis memor divini judicii, quo ab illo es judicandus, sicque horrore concuteris; sapientiali quoque re-

pleris pudore, quia ex horum advertentia erubescis te in ejus præsentia indigne viliterque habere : et ita custodis cor tuum, cavens et metuens coram summi Judicis cuncta vitia prohibentis adspectu peccare. Hoc est omnipotenti supersanctissimo Deo in sanctitate et justitia deservire. (*Luc.* I, 74, 75.) Hinc verbum illud prætactum, Vivit Dominus, etc., corde ruminare non cesses, ut sis animal mundum, et mirabilem celeriter inde senties fructum.

O quam felix ac meritoria est hæc jugis ac timorata cordis custodia ! Vere sapiens est, qui ad eam assidue ordinat cuncta exteriora et corporalia exercitia sua ; miser vero et stolidus est, qui forinsecus remanens, per diversa hinc inde phantasmata rapitur, negligentius operatur, in divinis distrahitur, et inde quasi securum se arbitratur, quoniam aliquantum temporis expendit in claustro aut cella, corporalia magni pendens exercitia sua monastica, similis S. Briccio, qui adhuc impatiens ac superbus, a sanctissimo Martino juste et pie correptus, mox iracundia inflammatus, virum illum eximiæ sanctitatis acrius reprehendens : Ego, inquit, ab infantia mea Deo servivi ; tu vero in militaribus actibus a pueritia sorduisti, et deinceps in apparitionibus quibusdam phantasticis occupatus, tempus tuum inaniter consumpsisti. Ex quibus verbis Martinus sanctissimus nequaquam turbatus, sensibiliter vidit diabolum ex adverso Briccii stantem, et ipsum ad proferendum talia instigantem. Simus ergo incessabiliter custoditi, et quanto diutius Deo servivimus, quo magis in schola virtutum profecimus, eo custoditiores, sollicitiores timoratioresque simus, exemplo sancti Job protestantis : (*Job* XXIII, 13, 15.) Cogitationem Dei nemo avertere potest, et ipse quodcumque voluit, hoc fecit : idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor.

Denique, sic custodivit cor suum sanctus propheta Habacuc, loquens : (*Habac.* II, 1.) Super custodiam meam stabo, et figam gradum meum super munitionem, et contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me. Sacratissimus etiam Isaias : Super speculam (dicens) Domini ego sum stans jugiter per diem, et super custodiam meam ego sum stans totis noctibus. (*Is.* XXI, ...) Tales item sine dubio exstiterunt homines illi cœlestes, electissimi et sacratissimi patres anachoretæ, Antonius, Hilarion, Macarius, Pastor, Arsenius, et eis consimiles, vitam angelis proximam in terris ducentes.

Postremo, de hac ipsa materia, atque de omni vana, detestabili ac periculosa securitate excludenda, pulchre loquitur præallegatus Eusebius : Saluberrima, inquiens, multumque necessaria est recordatio futuri judicii ac infernalis supplicii, præteritorum quoque commemoratio ac deploratio delictorum. Quod si quis sibi de præteritis suis meritis blandiatur ac innocentem se æstimet, ideoque posse esse securum, perpendat quam incerti et lubrici sunt exitus vitæ, de qua legitur : Ne laudaveris hominem in vita sua. (*Eccli.* XI, 30.) Quod quum perspexerit, etiam si de præterito putat se non habere quod lugeat, de futuro inveniet se habere quod timeat. Nemo ergo de præteritis sit securus. Tanti laquei objecti sunt et extenti ante pedes animæ nostræ, tam innumeri hostes iter nostrum observant, tantæ foveæ, tot prærupta, tantæ rerum difficultates latent inter nos et finem nostrum, viaque ipsa, per se arcta et ardua, tantis (*Matth.* VII, 14.) infernalium et invisibilium hostium insidiis obsidetur, tantos nos scopulos tantosque fluctus transire necesse est antequam ancoram optato in littore collocemus : et putamus nos de præteritis esse debere securos, et absque quotidianis cura, timore ac tremore diem debere transigere ? Quis transiens per arctissimi pontis angustias super profunda fluminis procellosi, etiam si majorem partem inoffenso transierit pede, credat se jam evasisse periculum, quum in ultimo pontis spatio, si paululum titubaverit, casum incurrat quem in medio timuit ? Ita et nos, quamvis jam magnam vitæ hujus partem transierimus innocen-

ter, nullatenus præsumamus, nec incusto-
diti securive simus, quum adhuc pericu-
lum pars extrema minetur. Quis in acie
positus, ante finem certaminis, aut ante
securitatem triumphi, arma deponat, aut
tutum se arbitretur? Nemo ergo securum
debere esse se judicet, antequam ad finem
felici consummatione perveniat. Hæc Eu-
sebius Emisenus.

ARTICULUS XVII.

De stabilitate mentis in Deo.

Hebr. XIII, 9. OPTIMUM *est gratia stabiliri cor.* In
inferioribus istis vix aliquid corde
humano virtutibus destituto instabilius re-
Job XX, 2. peritur. Quod expertus fuit qui dixit : Co-
gitationes meæ variæ succedunt sibi, et
mens in diversa rapitur. Unde non imme-
rito cor hominis comparatum est molæ,
cui si nihil imponatur, motu suo consumit
se ipsam : sic plane nisi mens humana
salubre aliquid intra se tractet ac specule-
tur, distractione sua assidua cogitationum-
que inanium volubilitate continua, in
mortalia tandem peccata delabitur. Quod
animæ intimoratæ solet judicio Dei justo
Ps. LVII, 17. contingere, sicut ipse testatur : Abscondi
faciem meam ab ea, et abiit vaga in via
Ps. XLI, 7. sua. Ideo ait Propheta : Ad me ipsum ani-
Ps. XXIX, 8. ma mea conturbata est. Itemque : Avertisti
faciem tuam a me, et factus sum contur-
batus. Itaque in se et ex se fit homo vagus,
instabilis et turbatus ; in Deo autem et ex
Deo efficitur fixus, constans, tranquillus.

Denique, instabilitas mentis humanæ
convenit ei partim ex naturalibus suis,
quia in intellectualium catena ac ordine
substantiarum est infima ; partim ex cor-
Sap. IX, 15. pore, quoniam corpus quod corrumpitur,
aggravat animam, et deprimit terrena in-
habitatio sensum (id est intellectum) mul-
ta cogitantem. Etenim corporis necessitu-
dines a spiritualibus, interioribus ac divinis
sæpissime retrahunt mentem. Unde et Pla-
to in Phædone disseruit : Quamdiu gesta-
mus hoc corpus et anima nostra congluti-

A nata fuerit huic malo, nunquam plene
sufficienterque adipiscemur quod exopta-
mus : decies enim millena vacationum (id
est contemplationum) impedimenta nobis
inde proveniunt.

Tertio provenit menti instabilitas ista
ex virium animæ multiplicitate. Nempe,
quo creatura exstat simplicior in sua natu-
ra, eo quoque in viribus et actibus suis
simplicior esse cognoscitur ; quo autem
magis composita est in natura atque po-
tentiis, eo in actibus suis multiformior et
B magis diversa ac divisa consistit. Et quam-
vis homo quantum ad suas partes essen-
tiales non sit compositior ceteris mixtis
et materialibus rebus, quoniam constat ex
corpore et anima solum ; attamen quan-
tum ad vires suas et actiones, omni crea-
tura compositior ac multiplicior perhi-
betur. Unde et omnis creaturæ nomine
designatur, Creatore ipso dicente, Prædi- *Marc.* XVI,
cate Evangelium omni creaturæ : quia 15.
cum omni creatura aliquid habet commu-
ne. Quarto, ex fomite ad vitia jugiter incli-
C nante. Quinto, ex passionum sensualitatis
vehementia, multiplicitate ac impetu, quæ
mentem nondum perfectam in utramque
partem multis ac miserabilibus modis in-
clinant, trahunt et agitant. Sexto, ex ma-
gnitudine et multitudine vitiorum, quæ
lumen atque acumen intellectus vehemen-
ter obtenebrant, debilitant et offuscant,
juxta illud : Excæcavit illos malitia eo- *Sap.* II, 21.
rum. Septimo, ex suggestionibus, tenta-
tionibus ac infestationibus dæmonum, qui
infirmorum corda non sinunt figi in uno
D nec in Deo quiescere.

De harum causarum instabilitatis men-
tis humanæ sexta potissime Scriptura te-
statur, sicut fertur Threnorum primo :
Peccatum peccavit Jerusalem, propterea *Thren.* I, 8.
instabilis facta est. Jeremias quoque : Si *Jer.* IV, 1.
abstuleris offendicula tua a facie mea, di-
cit Dominus, non commoveberis. Hinc,
juxta Scripturas, stultus (id est peccator) *Eccli.* XXVII, 12.
mutatur ut luna ; et impii tanquam pulvis *Ps.* I, 4.
quem projicit ventus a facie terræ ; et in *Ps.* XI, 9.
circuitu impii ambulant ; et præcordia fa- *Eccli.* XXXIII, 5.

tui tanquam rota carri, et quasi axis versa- A
tilis cogitatus illius. Unde scriptum est :
Job xi, 14, 15. Si iniquitatem quæ est in manu tua abstu-
Prov. x, 25. leris a te, stabilis eris ; et iterum : Justus
quasi fundamentum æternum ; impius vero
quasi tempestas transiens. — Quum itaque
tot et tantæ sint causæ instabilitatis men-
tis humanæ, non mirum quod difficile
prorsus sit eam stabiliri et simplificari in
Creatore, et quod viribus suis ad hoc per-
tingere nequeat.

Præterea, contra has causas instabilitatis
istius, potissime contra sextam, quæ est B
maxima inter ipsas, præcipue valent ac
prævalent gratia gratum faciens, virtutes
et dona Spiritus Sancti, assuefactio quoque
art. xvi. ad bona, et præfata cordis custodia, sed
et instinctus divinus, adsistentia et inspi-
ratio angelica, lectio Scripturarum. Caritas
demum in tantum confortat ac stabilit cor
Rom. viii, 35. in Deo, ut dicat Apostolus : Quis nos sepa-
rabit a caritate Dei ? Virtutes item morales
contra passionum inquietudinem, vehe-
mentiam ac fervorem valent non parum.
Eccli. xxvii, 12. Sed et sapiens in vera et salutari sapientia C
manet ut sol ; passionatus vero undique
commovetur. Si ergo vis stabiliri ac robo-
rari in Deo, insiste spirituali profectui,
totisque viribus reformationi internæ, re-
frenationibus passionum expulsionique vi-
tiorum, caritatis fervori, sapientiæ salutari,
habituationi virtutum, assuefactionibus ex-
ercitiorum bonorum, atque præinductæ
cordis custodiæ, recollectioni et conversa-
Joann. iv, 24. tioni internæ, ut scias Patrem adorare in
spiritu et veritate, et cum ipso in cordis
tui caritativa latitudine ambulare, imo in D
omni eventu adversitatis ac prosperitatis
in luce veritatis et in virtutum splendore
persistere.

Itaque pro hac stabilitate obtinenda,
æternum et invariabilem Deum totis invo-
cemus præcordiis, et faciendo quod in no-
bis est, conemur et cooperemur ad obti-
nendum eamdem toto conatu mediis jam
prætactis. Postremo, potissime in divinis,
in Horis persolvendis, et tempore orationis
ac celebrationis, meditationis ac psalmo-
diæ, simus potissime custoditi et recollecti,
distractionumque occasiones sollicite de-
vitemus, visum et ceteros sensus frenan-
do, nec aliam occupationem, laborem
considerationemve impertinentem assu-
mendo, exercendo vel admittendo, imo
tunc maxime divinæ majestatis præsen-
tiam attendendo ac honorando.

ARTICULUS XVIII.

Quam timoratos et humiles nos esse oporteat, præsertim propter incomprehensibilia Dei judicia, et ob nostra occulta peccata, quæ et frequenter latent nos ipsos.

N*OLI altum sapere, sed time.* Solitariis *Rom.* xi
multipliciter, callidissime atque ne-
quissime insidiatur tentationemque ingerit
hostis antiquus, et interdum nititur eis
persuadere ut ipsimet tales se reputent
quales ab hominibus æstimantur, videlicet
sanctos seu multum devotos ac ceteris me-
liores. Accidit quoque nonnunquam ut
tanto facilius se extollant, quanto minus
ab hominibus reprehenduntur. Itaque, sic-
ut solitariis negligentibus frequenter mo-
lesta est valde tentatio pigritiæ ac torpo-
ris, quos et præsertim delectat visitatio
seu confabulatio hominum, atque inglu-
vies ; sic solitariis diligentibus ac fervidis
solet se importune ingerere impugnatio
spiritualis superbiæ et gloriæ vanæ. Imo,
sicut (secundum Avicennam aliosque phi-
losophos) in relationibus rationis itur in
infinitum, ita tentatio ista in infinitum ex-
tenditur : quia dum quis tali impugnationi
superbiæ inanisque gloriæ viriliter relu-
ctatur, et cum aspernatione dejicit eam,
mox de tali resistentia ac triumpho resi-
stentem impugnat. Propter quod Climacus :
Quocumque, inquit, projeceris tribulum
istum, stat erecto aculeo. Augustinus quo-
que testatur : Quum viceris prælia omnia,
persuadet tibi inimicus : Euge, euge, quan-
tum potuisti ! quam fortiter dimicasti !
quis comparabitur tibi ? Denique, spiritua-

lia vitia quanto plus latent et quanto minus A percipiuntur, tanto periculosius tentant atque secretius ingrediuntur. Hinc necesse est solitario, imo et omni homini bono, *Ps* XVIII, 13. jugiter formidare et exorare : Ab occultis meis munda me, Domine. Unde timor Dei vocatur corona justitiæ, quoniam instar coronæ superponitur omni actui bono, *Job* IX, 28. prout sanctus Job fassus est : Verebar omnia opera mea.

Nunquam ergo solitarius se extollat, nunquam inaniter glorietur, nunquam se præferat ceteris, quum et Apostolus dicat : B *Cor.* IV, 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Sic et beatus Job dixit : *Job* IX, 21. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Rursus, quo minus adest solitario humanum auxilium, eo plus habet vereri ne aliqua culpa sua occulta, vanitate aut extollentia, fiat divino indignus subsidio.

Præterea, quum humilitas sit virtutum omnium fundamentum, gratiæ receptaculum, sinus propitiationis divinæ, quanto major virtutum perfectio, gratiæ augmen- C tatio, miseratio Dei solitario necessariæ sunt, tanto in profundiori, firmiori et præcordialiori humilitate totam suam fundare debet conversationem. De hac re sancti et venerabiles patres, religiosorum ac solitariorum præcipui illuminatissimique doctores, Bernardus, Climacus, Eusebius, Cassianus, sapientissime sunt locuti.

Ait quippe Bernardus : In veritate didici nil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam ac recuperandam, quam *Rom.* XI, 20. si omni tempore inveniaris coram Deo non D altum sapere, sed timere. Dum gratia tibi inest, time et cave ne eam amittas ; quum amiseris, time ne pereas, sed ora et satage ut ipsam recuperes ; quum recuperaveris, time ne recidivum incurras. Stat firmum Dei propositum et pacis sententia super timentes eum, dissimulans eorum peccata, et remunerans bona, ut miro modo bona *Ibid.* VIII, 28. et mala cooperentur eis in bonum. Insuper, de humilitate ait electus Dei Bernardus : Solet semper esse divinæ gratiæ familiaris virtus humilitas. Nimirum gratia conservandæ humilitatis, divina solet pietas ordinare ut quanto quisque plus proficit, eo minus se reputet profecisse. Nam et si quis usque ad supremum spiritualis exercitii gradum profecerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur, ut vix primum sibi videatur adeptus. Nitentem namque ad altiora oportet humiliter sentire de se, ne dum attollitur supra se, cadat a se, subtus se, nisi in se firmiter per veram humilitatem fuerit solidatus. Sola humilitas est quæ exaltat, quæ ducit ad vitam. Hæc via, nec præter eam est alia ; qui aliter vadit, cadit potius quam ascendit.

Præterea, his concordans Eusebius : Hæc est, inquit, spiritualium ratio proprietasque bonorum, ut quum ea summo labore constet acquiri, tam facile pereant ut vix possit intelligi. Et inde est quod interdum nos sanctos putamus, quoniam secundum mensuram laboris nostri nos profecisse putamus, et detrimenta subsequentia deprehendere vix valemus. O quam frequenter temerarii judicii culpam, vanitatis atque jactantiæ morbum, dum non sentimus, incurrimus ! Porro, quanto quisque sollicitior circa se fuerit, tanto plus metuit, quemadmodum ait Scriptura : Sa- *Prov.* XIV, piens timendo declinat a malo. Sapiens 16. ergo semper in compunctione et metu est, et sicut de malis suspirat præteritis, sic de futuris periculis pervigili sollicitudine contremiscit. Anxii ergo simus ne forte præterita vitia minus defleverimus, et veteribus iniquitatibus novas addiderimus. O quam magni ac diuturni labores subito pereunt, quanta bona jam acquisita de manu nostra multoties rapiuntur, dum id quod adipisci studuimus, custodire negligimus, sicque concessam compunctionem, devotionem et alacritatem per negligentiam, loquacitatem et cordis distractionem amittimus !

Postremo, in epistola ad Fratres de Monte Dei monetur : Absit a corde et ore vestro omnis altitudo, quoniam altum sapere mors

est, et facile est in alto se conspicientem obstupescere, cadere ac periclitari de vita. Nomen humile professioni vestræ imponite; feras indomitas incaveatasque bestias, quæ aliter domari non poterant, vos æstimate et appellate. — Ecce notabile verbum, quod tibi solitario ac recluso est observandum ac adimplendum. Non eremitam, non anachoretam nec contemplativum, aut ceteris præfulgentem aut magis electum, sed duræ cervicis mancipium, indomabile brutum, feram indomitam bestiamque esse te reputa incaveatam.

ARTICULUS XIX.

De lumine discretionis observando in cunctis.

Lev. II, 13. QUIDQUID *obtuleris sacrificii, sale condies; nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo,* sed *in omni oblatione offeres sal.* Hoc sal est discretio. De quo *Marc.* IX, 49. Christus hortatur : Habete in vobis sal. Et sicut cibaria absque salis admixtione communiter exstant insipida, sic opera bona nisi discretione condiantur, sunt Deo non *Rom.* XIII, 1. placita. Quæ enim a Deo sunt, ordinata sunt, non confusa et perturbata.

Denique ad hoc quod sit opus virtuosum, necesse est ut debitis circumstantiis vestiatur, hoc est, ut suo loco ac tempore fiat, ex bona radice et recta intentione ac decenti modo. Ad quod monens Apostolus : Omnia (inquit) decenter et secundum *I Cor.* XIV, 40. ordinem fiant in vobis; itemque : Rationa- *Rom.* XII, 1. bile obsequium vestrum. Sic ergo solitarius unumquodque agat congruo loco et tempore apto seu instituto, cum prudenti consideratione et maturitate, sine præcipitatione et festinantia immoderata. Certe, *Prov.* XIII, 10. ut Salomon loquitur, qui sic agunt consilio, id est inquisitione debita de agendis, reguntur sapientia. Unde in Ecclesiastico *Eccli.* XXXII, 24. legitur : Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis. Apostolus quo- *I Tim.* V, 21. que : Sine præjudicio (inquit), hoc est sine judicio prævio, nihil facias, in alteram

A partem declinando. Hinc, ut Aggæus monet propheta, necesse est ut ponamus cor- *Agg.* I, da nostra super vias nostras, id est, per rationem consideremus assidue et discutiamus actus nostros, an fiant discrete, non plus aut minus, et ne quid ultra vires attentemus, nec citra vires nobis parcamus; imo et vires nostras paulatim experiamur, et si quid supergrediens vires nostras aggressi fuerimus, quum senserimus nos illud continuare non posse, inde cessemus, quum scriptum sit : Quia plus fecit *Jer.* XI, 36.
B quam potuit, idcirco periit. Præterea Dominum quotidie toto deprecemur affectu ut veræ discretionis radio mentem nostram illustret, vires naturæ per vigorem gratiæ roboret, atque ad agendum in omnibus discrete, moderate, prudenter, constanter ac fervide nos semper piissime dignetur dirigere, sicut oravit vir sanctus : Gressus meos dirige secundum eloquium *Ps.* CX[VIII], 133. tuum.

Insuper ad veram spectat discretionem, ut hoc ipsum quod quotidie ex debito Or- C dinis agimus, ut sunt Horæ, celebratio, officium pro defunctis, confessio, satisfactio, cum præcipua diligentia exsolvamus, nec arida quadam consuetudine, sed quotidie magis devote, fervide et attente. Deinde quod supererogamus, simili attentione cum humilitate exhibeamus; et unicuique parti diei ac noctis suum exercitium, opus aut occupationem deputemus ac compleamus; nec per inconstantiam fluctuemus, sed præfata regamur discretione.

D Hæc veneranda et semper commendanda salubris ac prudentialis discretio, ut sanctus et gratiosus ait Bernardus, optime circumcidit, superflua resecat; corporalia ad spiritualia refert; omni virtuti ordinem ponit, ordo modum præfigit, et decorem perseverantiamque largitur. Estque discretio non tam virtus quam moderatrix et auriga virtutum, ordinatrix affectuum, morum doctrix et consummatio perfectionis. Tolle hanc, et virtus vitium erit. Justitia quippe dum modum excedit, in crudelita-

tem convertitur. Et quo zelus ferventior ac vehementior spiritus caritasque profusior, eo vigilantiori opus est discretione. Nam zelus et fervor sine discretione præcipitant : imo interdum valde nociva ac prava sub specie et colore excellentis boni ingerunt se et fallunt.

Amplius, prout sancti et expertissimi Patres edocuerunt, nulla virtus tam expedite atque celeriter hominem facit proficere, et ad concupitam perfectionem pertingere, sicut discretio, prout et præclarissimus solitariæ vitæ athleta deprompsit Antonius.

Indesinenter itaque Dominum exoremus, ut ipse nos dirigat, moderetur ac ordinet, mentesque nostras luce discretionis dignetur semper perfundere, quæ totam animæ irradiet domum, ut cuncta ordinate, tranquille, fructuose delectabiliterque agamus.

ARTICULUS XX.

Qualiter diem expendere inchoemus, et de surrectione ad matutinale officium.

(Thren. II, ...) *CONSURGE, lauda in nocte, in principio vigiliarum; effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini* Dei tui; *leva ad eum manus tuas,* et miserebitur tui. Quid dignius, quid salubrius, quam totum vitæ præsentis tempus in Deitatis cultu expendere? Et quamvis impossibile nobis sit sine interruptione Deo vacare, orationi, laudi, meditationi, contemplationi et actuali caritatis fervori sine interpolatione esse intentos, imo interdum oporteat necessitatibus corporis occupari, corporalia operari, refectioni et somno partem temporis deputare; attamen, dum in corporalibus istis modus servatur, et ipsa prudenter ad spiritualia ordinantur, haud dubium quin totum Deo acceptum sit, atque ad ejus spectet obsequium. Denique admonet nos Salvator, ut (Matth. VI, ...) primo regnum Dei quæramus et ejus justitiam : ideo diem unumquemque a divino inchoare debemus servitio, præsertim ab oratione, laude et gratiarum actione. Rursus, quoniam modicus error in principio fit magnus in fine, imo et processu augetur, satagendum est nobis conatu et cura pervigili, ut matutinale officium cum ingenti devotione, puritate et alacritate incipiamus, prosequamur et compleamus.

Itaque solitarius et omnis vere religiosus, post moderatum ac sobrium somnum dulciter degustatum, et frequenter puris atque subtilibus meditationibus plenum, aut etiam supernis revelationibus decoratum, expergefactus, præmissa Oratione dominica et Salutatione angelica, aut certe et illa antiphona, Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, etc., vel suavi illo versiculo, Veni, Creator Spiritus, mentes tuorum visita, imple superna gratia, etc., imo et præparatoria cordis elevatione ad Deum per meditationes sinceras, juxta quod scriptum est, Ante orationem præpara animam tuam : (Eccli. XVIII, 23.) continuo oris sui custodem invocat Deum, quatenus ipse Omnipotens per gratiam suam servuli sui os aperire dignetur ad taliter orandum, psallendum ac prosequendum Creatoris sui præconia, quod vere complaceat ipsi omnium cordium inspectori, hoc est ita reverenter, recollecte et amorose : Domine (inquiens), labia mea aperies. (Ps. L, 17.) Denique, ut in hoc exaudiatur celerius, mox suum subjungit pium propositum, apertionisque talis fructum insinuans, ait : Et os meum annuntiabit laudem tuam. (Ibidem.) Protinus quoque propriam infirmitatem advertens, eum a quo omnis descendit potestas, in suum deprecatur subsidium advenire, neque in hoc tardare, eo quod periculum sit in mora : Deus (dicens), in adjutorium meum intende, etc. (Ps. LXIX, 2.) Quibus nimirum verbis propriam infirmitatem, imbecillitatem insufficientiamque fatetur, et omne bonum, præsertim meritorium, a Deo conferri. Hinc confestim sacrificium laudis immolat ei, dicendo : Gloria Patri et Filio, etc. Tali demum munitus præambulo, ac tali præmisso exordio, sciens id requiri a se, ut quod suum est faciat, se

A ipsum et omnia interiora sua intellectualia excitat et invitat, hortatur, accendit et animat ad laudandum, adorandum, deprecandum, benedicendum et magnificandum Altissimum, atque ad gloriandum in ipso; et tanquam parum sit hoc, etiam ad gau-
Ps. xciv, 1. dendum ineffabiliter in eodem : Venite (inquiens), exsultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro, etc. Quod dicendo, studeamus toto intellectu et affectu stabilique memoria elevari et ferri in Deum, accendi, gloriari ac figi in ipso, et sic reliqua prosequamur, quatenus in ipso ce-
B leberrimo matutinali officio tam gratiose visitemur, consolemur ac roboremur a Domino, atque tam valide illustremur, accendamur ac impleamur ab illo, quod totum deinceps diurnum Deitatis obsequium alacrius ac perfectius exsolvamus.

Itaque ad Matutinas, omni excusso torpore, alacriter ac jucunde surgamus, atque audito summi Regis signo suscitantisve pulsu, quasi ad epulas nuptiasque vocati, exsiliamus a loco miseriæ, lectulo nostro, sepulcri imagine, in quo velut exanimes
C sopiti jacuimus; et divinarum initia laudum hilariter inchoemus. Non frigus nos retrahat nocturnum, non instans terreat
Ps. lxx, 23. labor; sed gaudeant labia nostra Creatori psallendo, et recedente corporea luce, diurna fulgeat et redundet in mente lux interna. Nempe, quo tempus illud nocturnum ab omni exteriori inquietudine, sono ac strepitu exstat liberius, eo ad sinceriorem mentis ad Deum elevationem, devotissimam psalmodiam et orationem ferventem
D est aptius. Tunc namque sensus exteriores minus a suis immutantur objectis : unde et interiores sensus et imaginatio tunc magis quiescunt. Idcirco non solum tunc homines ad illuminationes supernas revelationesque propheticas, verum et bruta ad recipiendum impressiones quasdam cœlestes tunc dispositiora consistunt. Propter
Job xxxiii, 15, 16. quod scriptum est : Per somnium in visione nocturna, quando sopor irruit super homines et dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina. Hinc illuminatus et eloquens scribit Bernardus : Maxime dum profundum nocturnus sopor inducit silentium, liberior erit oratio ac purior psalmodia. Quam secrete tunc ascendunt, solo arbitro Deo et angelo sancto, qui eas suscipit superno præsentandas altari! quam grate ac lucide verecundo coloratæ rubore! De hoc Chrysostomus in libro de Compunctione, Ambrosius quoque libro de Officiis tractant.

ARTICULUS XXI.

De modo, attentione ac reverentia in psallendo, orando, ac Horis ceteris persolvendis.

TRES *quasi ex uno ore laudabant et benedicebant Deum.* Hoc ad litteram *Dan.* iii
de tribus pueris Deum in fornace ardenti concorditer glorificantibus scriptum est. Quo exemplo docentur viri religiosi concorditer psallere Deo, qui inhabitare facit *Ps.* lxv
unius moris in domo, quemadmodum et Apostolus nos hortatur : Unanimes, uno *Rom.*
ore honorificetis Deum. Si enim in omnibus, quanto magis in divinis detestanda est discordia, dissonantia, displicentia mutua, confusio, scandalum et offensa?

Denique optimum modum psallendi edocuit nos Bernardus, dicendo : Moneo vos, *Super* ... *tica, s.* 47.
dilectissimi, pure semper ac strenue laudibus interesse divinis. Strenue quidem, quatenus sicut reverenter, ita et alacriter Domino adsistatis : non pigri, non somnolenti, non oscitantes; vocibus non parcentes, non præcidentes verba dimidia, nec integra transilientes; non fractis remissisque vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes, sed virili (ut dignum est) sonitu et affectu voces Sancti Spiritus depromentes. Pure vero, ut nil aliud, dum psallitis, quam quod psallitis, cogitetis. Nec solum cogitationes otiosæ et vanæ tunc sunt vitandæ, sed etiam illæ quas Fratres officiati pro communi necessitate frequenter admittere compelluntur. Imo

nec illas tunc consulo admittendas, quæ A paulo ante ex librorum inspectione inerant menti ; quæ quamvis salubres, non tamen tunc salubriter admittuntur : etenim Spiritus Sanctus tunc gratum non recipit quidquid aliud quam debes, neglecto illo quod debes, obtuleris. — Notanda sunt singula verba ista. Verumtamen ex litterali sensu in se aliquando arido, licet tunc mentem raptim ad spiritualem ac mysticum erigere intellectum, sicque
ut. XXXII, sugere mel de petra oleumque de saxo durissimo, non tamen litteralem intelli- B gentiam penitus omittere. Interim quoque dum alius chorus suum decantat versum, expedit mentem ad altiora levare, sic tamen ut sensus versus illius pensetur. Quod si quis, gratia præveniente et superliberrimo Deo intus secretius radiante, absque proprio conamine rapiatur ad altiora, non subest in hoc legi communi.

Præterea, quam attente, humiliter et compuncte debeamus Altissimum invocare, docemur exemplo reorum criminis capitalis, qui si habuerint spem aliquam C impetrandi veniam a judice temporali, videmus quantum se coram illo humilient et prosternant, quam lacrimabiliter deprecentur, quantam satisfactionem spondeant et emendam, et hoc totum pro temporali vita servanda : quanto magis nos multipliciter rei, pro evadenda damnatione ac pœna æterna, pro obtinendis charismatibus Spiritus Sancti in vita præsenti, et pro adipiscenda inæstimabili felicitate ac gloria sempiterna, debemus Deum deorum, quem polus, tellus pontusque con- D tremunt, et ipsa universi machina perhorrescit, coram quo et ipsa numina cum formidine prosternuntur, humillime, affectuosissime, compunctissime exorare, laudare atque extollere ? Itaque ex consideratione infinitæ bonitatis, majestatis et excellentiæ Dei, ex intuitione quoque totius miseriæ, vilitatis, culpæ ac indigentiæ nostræ, exhibeamus nos Deo in omni suo obsequio, in oratione præsertim et psalmodia, maxime vero in celebratione, cum omni ac profundissima humilitate, compunctione, reverentia, attentione, custodia ac fervore ; et ante Horarum, orationum et psalmodiæ inceptionem recolligamus cor nostrum, et simplicemus ac stabiliamus illud in Deo, ejus incircumscriptibilem dignitatem, præsentiam, misericordiam justitiamque pensando, proprias quoque miserias et offensas efficaciter ponderando et aggravando : et ita singula verba sacra quasi ex proprio affectu cum attentione et gustu interno distincte pronuntiemus.

Denique, sic esse orandum sanctus quoque instruit Benedictus in Regula sua : Ex hoc quod servi principum sæculi hujus tam attonite suis regibus obsequuntur, cum omni promptitudine, inclinatione reverentialique apparatu, quibus etiam cum grandi attentione, custodia ac reverentia solent loqui : quanto magis Regi universorum, Principi excellentiæ penitus infinitæ, cujus comparatione totum universum est quasi minutissimum milii granum, oportet nos jugiter obsequi, loqui, adsistere, supplicare ac psallere cum omni nobis possibili veneratione, humilitate, attentione et caritate, præsertim quum et teste Scriptura, maledicti sint qui opus Dei fa- *Jer.* XLVIII,
ciunt negligenter ? 10.

O quam perversum, vile, damnabile est coram tam superaltissimo et superpræstantissimo Deo se negligenter, torpenter, incustodite, indevote habere, nec tantum incomparabilis Dei, sed angelorum quoque sanctorum inhonorare, offendere, contristare præsentiam ! De quibus præclarissimus protestatur Bernardus : O si quis oculos haberet apertos ! videret qua cura, quo gaudio, quanto tripudio sancti angeli intersunt psallentibus, adsunt orantibus, insunt meditantibus, supersunt quiescentibus, ordinantibus et procurantibus præsunt. Certe agnoscunt suos concives, et pro iis qui hereditatem capiunt æternæ *Hebr.* I, 14.
salutis, sollicite congaudent, confortant, instruunt, et provident eis. Hinc ergo attendite angelos quum statis ad orandum

atque psallendum. Ipsi sine dubio devotionem vestram in cœlos ferunt, et vobis gratias referunt.

Nihil in militanti Ecclesia ita repræsentat Ecclesiam triumphantem, sicut chorus psallentium concorditer ac devote. Si ergo, o Frater, quod absit, somnolentia in Dei præconiis venerit tibi, a reclinatorio te averte, et si fieri potest, sta prorsus erecte, faciem frica, lava, te move, et omnem somnolentiam atque acediam prorsus repelle. Postremo ita sanctorum verborum sensui sis intentus, et proprias defectuositates sic intuere, ut de aliorum dissonantia aut errore non cito turberis, proximorumque defectus et onera æquanimiter feras.

ARTICULUS XXII.

De sanctis exercitiis cellæ, et qualiter deceat solitarium totum tempus diei ac noctis occupare atque expendere.

ICor. XII, 31. *ÆMULAMINI charismata meliora; et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Exercitiorum cellæ quædam sunt debita : quibus et præfixæ sunt certæ partes seu horæ diei ac noctis, quando fieri debent. Quorum etiam quædam corporalia sunt, quædam spiritualia. Spiritualia sunt, Horas et Officia defunctorum persolvere, celebrare, et consimilia quædam. Corporalia sunt, corpus somno, vestitu, alimentis fovere. Porro, ferre cilicium, disciplinare corpus, jejunare et abstinere, duro lecto quiescere, inter exercitia corporalia ac spiritualia medio modo se habere videntur. Alia exercitia cellæ non sunt ita determinate præfixa et debita. Horum quoque exercitiorum non debitorum, sed magis spontaneorum, quædam sunt spiritualia, ut meditari, contemplari, diligere, orare, psallere, studere ac legere; alia corporalia, ut jejunium, abstinentia, disciplina, vigilia, ad supererogationem spectantia. Itaque exercitia debita, tam corporalia quam spiritualia, suis sunt horis ac temporibus peragenda. Quod autem superest temporis, quanto plus in spiritualibus exercitiis occupatur, tanto felicius laudabiliusque expenditur, obedientia semper salva : quoniam si alicui externum opus a superiore suo injungitur, debet libenter parere. Verumtamen, si illo gravaretur, et a spiritualibus multum impediretur, posset humiliter præsidenti suggerere ut velit se inde supportatum habere : quod si non voluerit præsidens, patientiam obedientiamque exhibeat.

Præterea, quantum vires permittunt, decet solitarium ad hoc niti et attentare, ut tota die, dum spiritualibus potest vacare, intentus sit psalmodiæ, orationibus et laudibus Dei, meditationi, contemplationi ferventi, seu contemplativo caritatis fervori ; frequenter quoque, et ad minus omni die semel, certa ad hoc deputanda hora, Christi passionem devotissime recolat, et discussioni suæ vitæ ac conscientiæ vacet. Si ergo tantus fervor devotionis alicui detur, et tantus vigor in capite, ut ultra debita legat quotidie unum Psalterium, bona est occupatio illa, præsertim si contemplative ac fervide psallat, et juxta varietatem sensus et affectionis psalmorum ipse psallens formet ac variet suas attentiones, sensus et affectiones. Si vero non convenit alicui quotidie unum legere Psalterium, legat medium, aut quantum suæ devotioni ac viribus senserit convenire, et dominicæ passionis meditationi atque conscientiæ discussioni, contemplationi et consimilibus actibus sanctis tanto plus instet, et frequenter adspiret ad Deum affectuose et lacrimose ; peccata quoque hominum defleat, et pro cunctis fervide deprecetur. Eundo etiam de cella ad chorum ac redeundo, seu alibi transeundo aliudve agendo, ab oratione, psalmodia, meditatione, compunctione, contemplatione non cesset.

Postremo fiducialiter dico, quia si solitarius exercuerit se in istis, de die in diem taliter crescet in sancta caritate, in sapientia salutari, in gustu interno, in

consolatione divina, in mentis munditia, A in mundanorum carnaliumque contemptu, in fruitione Deitatis præambula, in adhæsione, unione ac stabilitate cordis in Deo, quod præfato modo incessabiliter psallere ac spiritualia exercere erit sibi quotidie facilius, dulcius, appetibilius, ita quod eis satiari vix poterit, ac frequenter sibi perfacile erit duo Psalteria uno legere die, nec tamen ob hoc dimittere alia. Tamen, ut tactum est, ad hoc requiruntur naturalia atque gratuita dona satis robusta, nec

Joann. II, discretio vera est relinquenda. Unctio vero B docebit talem de omnibus.

ARTICULUS XXIII.

De refectione sobria.

Eccli. XXXVII, 32- *NOLI avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam : in multis enim escis erit infirmitas.* Nam *propter crapulam multi obierunt ; qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Heu, heu, heu ! istud est unum eo- C rum in quibus a Patrum nostrorum conversatione vehementer distamus, et in tantum deficimus, ut videamur indigni illorum filii nuncupari, a quorum frugalitate, sobrietate et abstinentia in tantum occumbimus. Olim Scythi eremitæ semel in hebdomada reficiebantur : quibus et recens panis cum aqua mediocri erant deliciæ; et si quid fructuum addebatur, superabundantia fuit. Deinde tempore S. Benedicti magis condescensum est humanæ infirmitati, qui inter cetera scripsit in Re- D gula sua : Sufficere credimus ad refectionem quotidianam duo cocta pulmentaria pro infirmitatibus diversorum, ut qui forte ex uno non potuerit edere, ex altero reficiatur. Porro Augustinus in Regula sua : Carnem (inquit) vestram domate abstinentiis quantum valetudo permittit, nec extra horam refectionis aliquid alimentorum sumatur, nisi ab ægrotante. Et quid in nostris continetur primis statutis ? Cibi, inquiunt, nostri Ordinis communes, generaliter sale tantum condiuntur, nisi de misericordia aliud apponatur. Oleum in cellis nunquam teneatur ; secunda, quarta et sexta feriis, pane et aqua (si cui placet) contenti sumus. Ex horum et consimilium consideratione humiliemus et contemnamus conversationem nostram et nos ipsos in infinitum, et perpendamus an rationabilem causam habeamus coram Judice summo recedendi tam vehementer a Patrum nostrorum rigore, et statutorum nostrorum tenore. O quam verum est dictum illud commune, Uno inconvenienti dato, plura sequuntur !

Præterea, in epistola illa ad Fratres de Monte Dei de hac re notabiliter dicitur : Panis furfureus et simplex aqua, olera vel legumina simplicia nequaquam res delectabiles sunt ; sed in amore Christi et internæ delectationis desiderio ventri bene morigerato gratanter ex his satisfacere posse, valde est delectabile. Quot millia pauperum ex iis aut aliquo horum delectabiliter satisfaciunt naturæ ? Facillimum quippe et delectabile esset, adjuncto amoris Dei condimento, vivere secundum naturam, si insania nostra permitteret : qua sanata, statim naturalibus natura arridet. Hinc rursus ibidem : Si manducas, mensam tuam sobrietas tua perornet ; teque manducante, mens tua suam refectionem non negligat, sed aliquid de dulcedine Dei ac Scripturis recogitet ; nec necessitas ipsa carnaliter expleatur. Modus quoque sumendi servetur, et qualitas cibi ac quantitas : nam etiam quantum ad corporis sanitatem, quanto honestius ac ordinatius ingeritur cibus, tanto facilius salubriusque digeritur. Fugienda superflua et condimenta adulterina. De condimentis sufficiat, obsecro, ut comestibiles sint cibi vestri, non etiam concupiscibiles aut delectabiles : sufficit namque concupiscentiæ malitia sua, quæ quum vix aut nullo modo transire possit ad finem necessitatis explendæ, nisi per viam quantæcumque delectationis, si cœperit accipere irritamenta ab eis qui perpetuum

susceperunt bellum adversus ejus oblectamenta, fiunt duo contra unum, et periclitatur continentia.

Præterea, quum sobrietatem moderantiamque servare in cibo ac potu, ad viam pertineat purgativam ac incipientium statum, constat quod sit quasi quoddam spiritualis vitæ exordium ac fundamentum virtutum : idcirco in cibo et potu immoderatus, non sobrius, nondum ad infimum religiosæ ac solitariæ vitæ pervenit gradum. Unde disseruit Cassianus : Quibuslibet escis refectus venter, seminaria parit luxuriæ, nec prævalet mens discretionis gubernacula conservare, ciborum pondere prægravata. Concordat Gregorius : Dominante, inquiens, gulæ vitio, omne quod fortiter egerint homines, perdunt; et dum venter non restringitur, universæ virtutes pariter obruuntur. Etenim pene semper epulas comitatur voluptas, et dum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur : imo et voluptas plerumque sub necessitatis colore se palliat, et una ab alia difficulter discernitur.

Contra hoc vitium Climacus acriter loquitur : Gula, inquiens, est hypocrisis ventris : nam venter saturatus exsistens, indigentiam reboat; refectus, famem reclamat. Gula est conditrix præparationis delectationum, fonsque libidinis. Leo blanditiis mansuescit; caro autem quanto delicatius fovetur, tanto insolentior atque silvestrior redditur. Tu ergo ad mensam recumbens, affer memoriam mortis ac futuri judicii; bibiturus quoque non cesses
Ps. LXVIII, 22; *Joann.* XIX, 29. memorari aceti et fellis quibus Christus rex tuus pro te in cruce potatus est : et ita aut abstinebis, aut suspirabis ac humilius senties de te.

Hinc clamat eximiæ sanctitatis Bernar-
Ps. IV, 3. dus : Filii hominum, usquequo gravi corde, quia pingui corpore? Ut quid diligitis vanitatem et veritatem negligitis? Pinguedo carnis, deliciæ corporis, saturitas ventris, aut ante mortem vos deserent, aut vos in morte illas deseretis. O delicate, deliciis et vitiis circumfusus atque confusus,

A mortem exspectas et confusionem : quoniam regnum Dei non est esca et potus, *Rom.* [XIV,] 17.
sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu Sancto, cum quo utique gaudio stare non valet carnalis delectatio in cibo ac potu.

Et nunc quid nos miseri ad ista dicemus? Quo utemur consilio, nisi ut hoc ipsum quod nobis tam abundanter apponitur, cum gratiarum actione ac Dei timore sumamus, nec delectationem intendamus aut quæramus in cibis ac potibus, semper-
B que excedere vereamur? Quod si interdum aliquid minus solito ministretur, non impatienter feramus, imo cum Apostolo discamus abundare atque penuriam pati, nec *Philip.* [IV,] 12.
assimilemur his reprobis de quibus cantatur : Si vero non fuerint saturati, et *Ps.* LVII[I]
murmurabunt. Non conformemur Judæis, qui propinquantibus Pascha et sabbato, gloriantur tanquam delicatius epulaturi : quibus utique conformantur qui in divino stantes Officio, seu aliud quid agentes, lætantur eo quod lautius manducabunt.
C Præterea absit ut solitarius seorsum solus manducans, inverecundius immoderantiusque manducet ac bibat quam in mensa communi cum aliis, ne homines magis quam Deum et angelos vereri ac revereri probetur.

Postremo, quæ quantaque vitia ex gula nascantur, non latet. Nonne loquacitas, acedia, somnolentia, jucundatio stulta, contentio, libido, evagandi affectio, amissio temporis, excæcatio cordis, infirmitas corporis, privatio gaudii spiritualis, incon-
D sideratio ac consimilia multa inde nascuntur? Quæ omnia ut effugere valeamus, sanctæ sobrietati diligentissime operam demus, et gulam cum suis filiabus atque effectibus, totis semper detestemur, abhorreamus ac evitemus præcordiis, præsertim quum et Salvator locutus sit : Vi- *Luc.* XX[I]
dete ne graventur corda vestra in crapula vel ebrietate, aut curis hujus sæculi. Et S. Benedictus : Nihil, ait, ita vitandum est Christiano (quanto magis monacho?) ut crapula.

ARTICULUS XXIV.

De somno solitarii.

Ps. IV, 9. IN *pace in id ipsum dormiam et requiescam.* Die jam fructuose, pacifice et devote expenso, pergit vere religiosus et feliciter solitarius dormitum, ut lassatum in Dei obsequio corpus, corde infatigabili ac ferventi manente, somno repauset, quatenus paulo post ad matutinale officium viribus innovatis surgat alacriter.

Verumtamen antequam eas dormitum, conscientiam tuam diligentissime investiges, spiritum scopas, vitam discutias; qualiter diem expenderis, quid boni omiseris, quid mali commiseris, perscrutari non desinas. Si quem scandalizasti, offendisti, turbasti, intime dole. Nec solum ores ut tibi ignoscat Omnipotens, sed ei quoque cui fuisti ruinæ occasio, beneficium orationis repende, et cordialiter ac ferventer ora pro ipso : imo et antequam eas ad lectulum, satage illi reconciliari, et veniam pete, ac præveni ipsum in benevolentia caritatis ac opere pietatis, æquitatis et humilitatis ; alioqui mane sequente ante divini celebrationem mysterii age hæc. Ephes. IV, Non occidat sol super iracundiam nostram, imo nec super aliquam mentis inordinationem culpabilem.

Quumque interiora tua sic fueris perscrutatus ac veniam deprecatus adhibita disciplina, et pro communi totius Ecclesiæ bono, pro vivis ac mortuis, pro parentibus, propinquis, commissis et benefactoribus, pro infidelium refrenatione et conversione, pro fidelium reformatione, pro universorum salute ardenter et lacrimose oraveris, teque divinæ commiseris pietati, Completoriis devotissime persolutis, atque dominica passione affectualiter rememorata et firmiter cordi tuo impressa, ipsoque Domino Jesu Christo in intimis animæ tuæ visceribus jam sepulto ac sindone mundæ conscientiæ involuto, ingredere lectulum, memor quemadmodum paulo post deponeris in monumentum. Sicque in A sacris meditationibus seu orationibus, in pace pectoris in id ipsum obdormias, in invariabili superdulcissimo Deo quiescens : ad quem protinus quum evigilaveris mentem reducas, mox surgens, aut si opus est, rursus in ipso obdormiens. Quod si ad placitum tuum nequiveris obdormire, noli tibi per impatientiam aut tædium inquietudinem fastidiumque augere, sed cogitationibus indignis exclusis, meditare divina et ora.

Porro, si carnale quid tuæ occurrat aut B ingeratur imaginationi, inde cor tuum confestim averte, et Christi passionem atque novissima tua ad meditandum protinus apprehende. Omnis inordinata et prava affectio et concupiscentia sensualis ex aliqua prævia cognitiva seu sensitiva apprehensione oritur ac procedit. Si ergo affectionem illicitam concupiscentiamque carnalem cupis effugere, abjicere, vincere ac vitare, non moreris apprehensionem seu cogitationem ex qua orta est, de tuo expellere corde : quam melius expellere C non valebis nisi convertendo cor tuum ad meditandum intente salubria, compunctiva, divina.

Denique erubescat solitarius et omnis religiosus tunc lecto incumbere, torpori vacare inerti, somno locum præbere, dum sui confratres ad Creatoris surgunt obsequium, et corda sua simul cum manibus levant ad Dominum. Thren. III, 41. Usquequo, piger vilis ac negligens, dormies? Prov. VI, 9. Quando de damnoso ac damnabili somno consurges? O mercator insipiens, qui pretiosum nocturD narum tempus vigiliarum sic perdis, in quo confratres tui lucrose negotiantur, et supernobilissimum illud objectum, Deum æternum, vivum et sanctum, intra se ardentissime atque nobiliter complectuntur, et tu interim tanto bono privaris, et te hostibus tuæ salutis dæmonibus irridendum exponis, imo ludibrium facis, angelum etiam tuum sanctum offendis ! Erubesce coram Deo et angelo tuo admittere, agere ac negligenter omittere quod coram homine reverendo vitares.

Itaque, sicut in cibo et potu, ita in somno timeamus ac vitemus excessum, et temporis defleamus jacturam. Qui operator est, superfluum odit somnum. Ferventissimi Patres nullum tempus ita conquerebantur se perdere, sicut quod dormiendo expenderant. Et quid dixit Arsenius? Sufficit, inquit, monacho una hora pro somno, si tamen operarius est. Verum hoc mirari possumus, non sectari. Nihilo minus verum manet quod Climacus dixit : Sicut multa potatio consuetudine tollitur, ita et multa dormitio. Verumtamen commendabilius est horis quieti ex Ordine deputatis dormire, quam tunc vigilare, et tempore divini Officii somnolentia vinci, aut extraordinarie dormitare : optimum
I Cor. xiv, 40. quippe est, ut omnia ordinate fiant in Ordine.

Postremo, in epistola illa ad Fratres de Monte Dei hinc multa subtiliter ac spiritualiter magis quam imitabiliter conscribuntur : Cave, inquit, o serve Dei, ne totus aliquando dormias, ne sit somnus tuus non requies lassi, sed sepultura corporis suffocati ; non reparatio, sed exstinctio spiritus tui. Suspecta res est somnus, nilque temporis ita de nostra deperit vita sicut quod somno deputatur. Sobrium cibum ac sobrium sensum sobrius sequitur somnus. Porro carnalis ille et brutus atque (ut dicitur) Lethæus somnus, servo Dei vitandus est. Iturus ad somnum, aliquid tecum defer in mente, in quo placide ac devote obdormias, sicque facile evigilabis, et surgens agilis eris, faciliter quoque redibis in id unde non totus discessisti.

ARTICULUS XXV.

De moderamine observando in exteriori et corporali labore, ne per illum incurratur detrimentum internæ devotionis, sancti fervoris ac spiritualis profectus.

II Tim. ii, 3. I Tim. iv, 7, 8. *LABORA sicut bonus miles Christi. Exerce te ipsum ad pietatem : nam corporalis exercitatio ad modicum utilis* A *est, pietas autem ad omnia utilis est.* Ad exteriorem et manualem laborem qui ex Ordine aut præsidente injungitur, omnis religiosus, etiam solitarius, debet pro viribus esse promptus. Porro qui in cella degit nec ad exteriorem laborem habet specialem commissionem, sapienter et ordinate se debet habere, ne tali labore se occupet immoderate, aut affectu nimis intenso, ita ut obliviscatur in ipso labore mentem suam ad Deum frequenter erigere orando, meditando et adspirando ad ipsum. B Hoc quippe generalis est regula, quod omnia exteriora et corporalia ad spiritualia et interiora sunt ordinanda, sicut media referuntur in finem. Idcirco, si illis laboribus amplius quis insistat, immoretur ac ferveat, quam ad virtutum expedit incrementum, ad devotionis fervorem, ad stabilitatem et tranquillitatem internam, ad cordis custodiam, ad contemplationis sinceritatem ; non dubium quin noceat atque culpabile sit. Imo, sicut in cibo ac potu, sic in tali labore contingit excedere, præ- C sertim si in rebus curiosis, superfluis inutilibusque versetur et expendatur. Enimvero, etsi labor in se vituperabilis non consistat, tamen in religioso ac solitario potest omnino vituperabilis esse, in quantum majoris boni est impeditivus. Solitarii namque non est circa communia languere, sed meliora ac viciniora saluti exercere ac quærere incessanter.

Potissime demum videntur in isto excedere, qui nec signo divini Officii audito a labore tali desistunt, vel ab oratione et D spirituali se expediunt actu, ut rursus ad laborem hujusmodi celerius revertantur, et item qui post celebrationem ad cellas reversi, mox ad exteriora talia se effundunt, quibus consultius atque salubrius esset usque ad prandium spiritualibus occupari, vel indesinenter psallendo, orando seu meditando, vel (si caput hoc ferre non valeat, aut nondum tanta concessa sit gratia) nunc studendo, nunc scribendo, nunc rursus orando, etc. Studendo quoque et scribendo, frequenter elevandum est cor

cum oratione, fervore, laude ac meditatione ad Deum omne cor incessabiliter intuentem. Hinc in præallegata fertur epistola : A spiritualibus exercitiis in corporalia nunquam longe recedatur, neque in totum ; imo ad spiritualia semper de facili redire animus assuescat, quatenus dum se corporalibus mutuat, spiritualibus semper inhæreat. Corporalia enim sunt propter spiritualia, non econtra.

At vero post prandium et Nonam aptius tempus est laborandi, sic tamen ut in primo pulsu ad Vesperas aut parum ante cessetur, et ex tunc spiritus ad Dominum dirigatur. Sed et infra ipsum laborem frequenter ad Deum adspirare oportet. Qui autem immoderato et indiscreto se fatigant labore, et Horas persolvunt animo imparato, vago, hinc inde per diversa phantasmata discurrente, miserabiliter perdunt, lædunt, negligunt semetipsos.

ARTICULUS XXVI.

Quod solitarius omnisque monachus præcipue debet vitare ac abhorrere temeraria et incauta judicia, nec alios aspernari, neque faciliter indignari, nec irasci.

Rom. II, 1. INEXCUSABILIS *es, o homo omnis qui judicas : in quo enim alterum judicas, te ipsum condemnas.* Quemadmodum in
cap. VI. libro de Ecclesiastica hierarchia magnus Dionysius profunde ac devotissime docet, monachus nominatur a μονάς, quod est unitas : quoniam debet esse custos unius, videlicet sui ipsius ; nec ejus, in quantum est monachus, est aliorum curam præsidentiamque habere, neque alios ex officio purgare, illuminare, perficere, judicare aut disciplinare. Hinc sancti et timoratissimi Patres in eremo vehementissime abhorruerunt proximos judicare, præsertim in dubiis, atque in iis quæ fieri queunt animo bono, aut ex se indifferentia sunt, et in quibus latet agentis intentio.

Denique, dato quod interdum liceat unicuique de actu alterius judicare, sicut dum actus in se ipso et ex genere ac circumstantia seu specie vitiosus consistit, neque recto fieri animo valet ; tamen de ipso agente judicare incautum est, nisi forsan pro tempore illo quo actualiter intentus est operi evidenter et inexcusabiliter vitioso, non postea, quum possit omni pœnitere momento. Judicium quoque ex vehementi et violenta suspicione exstat fallibile, ut si inveniatur simul in lecto nuda cum nudo : quanto magis ex levi et incerta suspicione judicare est fatuum et iniquum? Quod et communiter ex prava et infecta procedit radice, atque frequenter vitium est mortale, præsertim dum quis ex tali judicio ad proximi sui contemptum, detractionem, diffamationem procedere non veretur, et ipsum affirmative accusare præsumit, aut punit vel punire procurat.

In hoc quidam melancholici, passionati, amari, superbi et stulti, audaces, sibi ipsis placentes, inconsiderati et indiscreti periculosissime habent se : qui quanto ex sua perversitate, insipientia, aversione, ad hujusmodi judicia, ad indignationes ac varios passionum motus sunt proniores, tanto plus necessarium eis est ad salutem ut contra hæc vitia diligentissime prælientur, et discant ac assuescant quotidie (imo assidue) considerare, cognoscere, dijudicare, aspernari, accusare, humiliare, disciplinare se ipsos ; et tam interiorem quam exteriorem oculum suum reprimant et refrenent a consideratione proximorum superflua ipsis impertinente, advertentes quod scriptum est : Qui investigator est Prov. XI, 27.
malorum, opprimetur ab eis. Porro viri timorati, prudentes, scientes quam multipliciter possit homo decipi judicando de aliis, eo quod judicare sit actus prudentiæ, in quo multa sunt attendenda, maxime horruerunt alios, potissime sibi non commissos, dijudicare : sicut de hoc in Vitaspatrum multa doctrinalia recitantur exempla. Unde quidam Patrum frequenter orasse leguntur : Domine, mortifica me a proxi-

mo meo, id est, ita custodi atque præserva me ab incauto proximorum judicio, ac si jam mortuus essem.

Præterea, quum Salvator universis com-
Luc. VI, 37. muniter fidelibus jusserit, Nolite judicare, et non judicabimini : quanto magis religiosis, et maxime solitariis, incumbit hoc adimplere ? Hinc circa hoc verbum Theophilus et Cyrillus testantur, quod Christus hoc documento præservavit nos, quantum in ipso est, a pessima peste ac vitio, a quo etiam perpauci religiosi inveniuntur in toto immunes.

Denique, ut vitia ista sollicitius caveamus, pensemus intente quam multoties ac districte in Scripturis prohibeantur. Etenim, præter id quod nunc tactum est,
Joann. VII, 24. rursus in Evangelio ait Christus : Nolite secundum faciem judicare. Apostolus quo-
Rom. XIV, 4, 10, 12, 13. que : Tu (inquit) quis es, qui judicas alienum servum ? Domino suo stat aut cadit. Tu ergo quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum ? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi, et unusquisque nostrum pro se rationem reddet : non ergo amplius invicem judicemus ; sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri aut scandalum. Insuper, quum
Matth. VII, 2. dicat Salvator, In qua mensura mensi fu-
Ibidem. eritis, remetietur vobis ; itemque, In quo judicio judicaveritis, judicabitur de vobis : acerbi isti et celeres suorum judices proximorum merentur a Christo districte dijudicari, et sicut fecerunt, fiet et eis. Propter quod ait Chrysostomus, quod nunquam suorum scelerum indulgentiam consequetur, qui tam inclementer suos judicat proximos. Propter quod denuo ait Apostolus :
Rom. II, 3. Existimas hoc, o homo qui judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quod tu effugies judicium Dei ? Hoc est quod et Jacobus
Jacob. II, 13. sanctus disseruit : Judicium sine misericordia fiet illi qui non fecerit misericordiam ;
Ibid. IV, 11. et rursus : Qui judicat fratrem suum, judicat legem ; si autem judicas legem, non es factor legis, sed judex.

Certe qui hæc et consimilia Scripturarum testimonia non advertit nec intuetur

A neque veretur, miserabiliter ac damnabiliter surdus et cæcus est, imo et insensibilis ad ea quæ Dei sunt ac suæ salutis. Hinc in prætacta sæpe epistola dicitur : Cave ne quos imitari non vis, damnes. Hoc age in ægritudine tua quod egit sanissimus ille qui dixit : Venit Jesus Christus peccatores *I Tim.* I
salvos facere, quorum primus ego sum. Qui enim perfecte examinando se ipsum intelligit, suo peccato nullius peccatum par æstimat quod non sicut suum attendit. Non arbitreris communem non lucere so-
B lem nisi in cella tua, et nullibi esse serenum nisi penes te. An solitariorum Deus tantum ? Malo te æstimare ubique esse serenum præterquam apud te, et pejus sentire de te quam de alio aliquo.

Postremo, hoc ad verum solitarium pertinet, imo ad omnem Christifidelem, peccantibus condolere, imperfectos pie portare, ad universos caritative atque sinceriter affici, pro cunctis fideliter deprecari ; non spernere proximum, quum scriptum sit : Væ qui spernis : nonne et ipse sperneris? *Is.* XXXI
C Age quod docet Eusebius : Ipsi, inquiens, nosmetipsos castigemus, dijudicemus, et quotidianam vitam discutiamus. Dicatque unusquisque in corde suo : Videamus an diem hunc sine peccato transegi. Hodie plus risi et fabulatus sum, fratrem scandalizavi ; iracundus, impatiens, levis in moribus fui ; in cibo, potu ac somno excessi ; otiosus et negligens exstiti ; minus oravi et legi. Quis mihi reddat hunc diem, quem in vanis fabulis totque defectibus perdidi ?

D

ARTICULUS XXVII.

De oris custodia ac diligenti silentio, et de forma loquendi.

SI *quis putat se religiosum esse, non* *Jacob.* I,
refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Quam necessaria ac salubris sit omni religioso refrenatio linguæ, hinc innotescit, quod omnes sancti Patres institutores reli-

gionum seu Ordinum concorditer ordina-
verunt professores regularum suarum non
solum a verbis vitiosis, otiosis, illicitis,
sed etiam a verbis bonis, fructuosis ac
licitis ora sua reprimere, silentium obser-
vare, nec sine licentia loqui, ne occasione
prolationis verborum utilium misceantur
inutilia et illicita. Insuper, quam seriose
voluerunt hoc observari, et quam grave
reputaverunt id violari, hinc elucescit,
quod pro nulla communi quotidianaque
culpa statuerunt tam grandem pœnam in-
fligi sicut pro fractione silentii, utputa,
dorso nudato, a præsidente publice in ca-
pitulo disciplinari, quum in sæculo non
nisi pro magnis criminibus soleat hujus-
cemodi ultio fieri.

Amplius, inter ea quæ in libris Sapien-
tialibus frequentius atque seriosius injun-
guntur, docentur, suadentur, præcipiuntur,
est linguam frenare, loquacitatem vitare,
sapienter ac parce loqui, custoditumque
esse proprii oris : in qua re perfectio et
salus hominis pro maxima constituitur
parte. Imo quam necessaria et fructuosa
sit ista linguæ custodia omni homini Deo
placere optanti, ac salutem consequi cu-
pienti, docet clarissime in sua Canonica
cob.iii,6. apostolus Jacobus, dicens : Lingua ignis
est ; universitas iniquitatis lingua (id est
per linguam) constituitur in membris no-
stris, quæ maculat totum corpus, et inflam-
mat rotam nativitatis nostræ inflammata a
Matth.xii, gehenna. Hinc loquitur Christus : Ex verbis
tuis justificaberis, et ex verbis tuis con-
demnaberis. Hoc est quod in Proverbiis
rov.xviii, Salomon dixit : Mors et vita in manibus
linguæ. Unde ad linguæ refrenationem vo-
Matth.xii, lens nos Judex summus inducere : De om-
ni (inquit) verbo otioso quod locuti fuerint
homines, reddent rationem in die judicii.
cob.iii,2. Hinc ait Scriptura : Si quis in verbo non
offendit, hic perfectus est vir. Et iterum :
Prov. xxi, Qui custodit os suum et linguam suam,
id. xv, 4. custodit ab angustiis animam suam. Lin-
gua placabilis, lignum vitæ ; quæ autem
id. xvii, immoderata est, conteret spiritum. Qui
moderatur sermones suos, doctus et pru-

A dens est. Sicut urbs patens et absque mu- Prov. xxv, 28.
rorum ambitu, ita homo qui non potest in
loquendo cohibere spiritum suum.

Denique, sicut silentium et moderamen
parcitasque sermonis signum est sapientiæ
et effectus prudentiæ (juxta illud Job :
Utinam taceretis, ut putaremini esse sa- Job xiii, 5.
pientes ; in Proverbiis quoque : Stultus si Prov. xvii, 28.
tacuerit, sapiens reputabitur) ; ita loquaci-
tas atque verbositas ex insipientia oriun-
tur et eam ostendunt, prout Scriptura lo-
quitur veritatis : Vidisti aliquem velocem Ibid. xxix, 20.
B ad loquendum ? Stultitia magis speranda
est quam illius correctio. Itemque : Totum Ibid. 11.
spiritum suum profert stultus, sapiens dif-
fert et reservat in posterum.

Præterea, sicut in ceteris actibus bonis,
sic in locutione debitæ circumstantiæ sunt
servandæ, videlicet opportunitas loci, con-
gruitas temporis, modus loquendi, recta
intentio, et cui loquamur, imo et quid.
Corrumpunt enim mores bonos colloquia I Cor. xv, 33.
mala. Unde et sanctus loquitur Benedictus :
Verba scurrilia et risum moventia, perpe-
C tuo anathemate ubique damnamus. Potis-
sime quoque cavendum ne post Vesperas
seu Completorium et ante Primam franga-
tur silentium : quod sicut diligenter ser-
vare, est multum exemplare et causa ma-
gnæ quietis, custoditio puritatis, conscientiæ
munimentum, ac timorati indicium cordis,
evitatio culpæ multiplicis, ac veræ sapien-
tiæ signum ; ita silentii fractio, loquacitas
et esse præcipitem ad loquendum, est fa-
tuitatis indicium, intimorati cordis prodi-
gium, insipientiæ opus, turbationum origo,
D iniquitatis fomentum, inquinatio mentis,
effusio gratiæ, perditio animæ. Hinc S. Ja-
cobus apostolus exhortatur : Sit omnis Jacob. i, 19.
homo velox ad audiendum, tardus autem
ad loquendum, et tardus ad iram.

Si igitur cupis in religione proficere,
atque in cella cum pace et profectu quie-
scere, hoc saluberrimo oris operculo, id
est silentio, claude et signa os tuum :
quoniam sicut vas non opertum immun-
ditiis adimpletur, ita homo ore incusto-
ditus, intus multipliciter inquinatur ac

læditur; nec vitat diu verba detractionis, contentionis, et similia prorsus mortifera, qui non satagit verba cavere superflua minus illicita. Fac saluberrimam violentiam tibi, quousque in consuetudinem ducas integram observationem silentii; et de hoc quotidie discute conscientiam tuam : quod si transgressus fueris, fortiter ingemisce, castiga te ipsum, accusa, et accipe disciplinam, ac emendationem toto corde propone, et invoca
Prov. xvi, 1. Deum in adjutorem, quoniam Domini est gubernare linguam. Hoc itidem scito, quod omnis oratio intelligibilem habens sensum, prolata sine licentia, fractio exstat silentii. Denique in colloquio indesinenter custodi cor tuum, et time ac fuge excessum verborum. Cum visitantibus quoque sic loquere, ut impleas illud Apostoli :
Ephes. iv, 29. Omnis (inquientis) sermo malus ex ore vestro non procedat, sed qui bonus est ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Noli rumores inquirere, nec in talium perceptione læteris; nec sæcularium dissensionum et inquietudinum recorderis, nisi ad deprecandum intente pro omni causa et communi bono Ecclesiæ.

ARTICULUS XXVIII.

Quam dignum, gratum saluberrimumque consistat, dominicam passionem quotidie, imo assidue, intente et affectuose revolvere, pertractare ac reminisci.

Galat. ii, 19, 20. *CHRISTO confixus sum cruci. Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me.* Ecce verba prorsus dulcissima, valde amorosa, maxime instructiva. Configamur cruci clavis fidei et amoris ac imitatione cruciformis conversationis, Christo, id est ad laudem et gloriam ejus, ad Dei honorem ac nostram salutem, ita ut jam non ipsi vivamus, id est, non secundum propriam inclinationem, naturam ac improbam voluntatem
A conversemur, sed juxta Christi doctrinam, exempla, consilia ac præcepta, ut divino cultui totaliter dediti simus, et Deo in holocaustum oblati, igne divini amoris totaliter inflammati; et hoc est Christum in nobis vivere, nosque in ipso per amorosam, plenam ac indesinentem transformationem in ipsum. Et ita vivamus vita gratiæ in fide Filii Dei. Et quod ipse pro omnibus assumpsit, fecit ac pertulit, quilibet nostrum quasi pro se solo ipsum assumpsisse, fecisse ac pertu-
B lisse perpendat. Sic quippe pro omnibus passus est, quod quantum in se fuit et est, maluisset ac mallet adhuc pati pro unoquoque, quam aliquem permitteret condemnari, sicut et magnus, divinus ac ferventissimus præsul, doctor ac martyr Dionysius, senior venerandissimus, in epistola ad Demophilum recitat Christum dixisse ad S. Carpum. Epist. v[...]

Tanta ergo dilectio Filii Dei ad nos inexstinguibiliter nos inflammet, tam acerbissima et ignominiosissima passio quam
C pro nobis sustinuit Unigenitus Patris æterni, verus Deus, in omni persecutione, afflictione et adversitate, in omni rigore pœnitentiæ ac disciplinæ faciat nos penitus patientes, constantes ac hilares, eo quod capiti nostro aliqualiter conformamur et aliquantulam ei reddimus vicem. Nempe, si Regis ac capitis nostri humilitatem, patientiam, caritatem et amarissimam passionem sincere ac profunde perspicimus, in omni depressione, correptione, castigatione, persecutione gra-
D tias Altissimo referemus, omnia illa levia ac modica arbitrantes respectu eorum quæ Deus propter nos incarnatus, pro nobis pati dignatus est. Si efficaciter intuemur qualiter pro nobis in cruce aceto ac felle refectus est, fatebimur nil condignum nos posse ei rependere, etiam si mille annis in pane et aqua abstineamus. Ps. lxv[...], 22; Joan[...] xix, 29.

Itaque quacumque tentatione impetimur, ad dominicæ passionis recordationem mox fugiamus. Si memoria aut delectatio venereorum aut gustus aut tactus

nos cœperit impugnare seu tangere, confestim non sine ingenti compassione intueamur in quali et quanto dolore, angustia et mœrore pependit Dominus universorum, innocens atque mitissimus Agnus Dei, pro nobis in cruce ab hora sexta usque ad nonam, violentissime usque ad (:. xxi, 17,) venarum rupturam, ossium dinumerationem totiusque sacratissimi corporis sui dissolutionem distentus, clavis diris ac grossis crudelissime perforatus ; quando et dolor compassionis ac mœror de ingratitudine ac perditione innumerabilium hominum, major atque pœnalior fuit in eo dolore omni suæ corporeæ passionis ; dum et suæ amantissimæ ac prorsus benignissimæ Matri adstanti, (ann. xix,) cujus dolorosissimam vidit mentem, inæstimabiliter condolebat. Si insensata ambitio, diabolica elatio tentat nos, protinus attendamus qualiter Dominus et Salvator propter nos coram populo est nudatus, (id. 1 et) columnæ alligatus, flagellis laceratus, spinis coronatus, arundine cæsus, consputus, irrisus, blasphematus, contemptus, atque in omnibus plenissimam humilitatem, obedientiam, paupertatem, et quod corpori exstat molestius, præelegit, exhibuit, docuit, commendavit. Porro, si ira, impatientia, rancor, invidia nos cœperit impugnare, indilate pensemus quemadmodum Filius Dei in cruce pro suis interfectoribus, blasphematoribus ac crudelissimis hostibus (uc. xxiii,) fudit precem, atque illorum pro posse excusavit transgressionem ; (LIII, 7.) insuper, qualiter tanquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente obmutuit ; qualiter stetit coram Pilato et Herode vultu in terram fixo, (Matth. III, 14 ; c. xxiii,) ore silente, mitissimo corde, ad tot ac tanta mendosa objecta tranquillus ac patiens. Præterea, si acedia, pigritia, negligentia, vanitas et dissolutio cordis quempiam tentet, mox advertat quanta sit hominis causa cum Deo, quam ponderosum negotium, quam sublimis sit finis humanæ conditionis, pro qua causa expedienda, pro quo negotio terminando, pro quo fine recuperando ac obtinendo ipsemet supersapientissimus Unigenitus Dei factus est homo, conversatus in mundo, suspensus in ligno : (Joann. I, 14 ; Baruch III, 38 ; Act. x, 39.) ex quorum consideratione excitetur accendaturque homo viator ad agendum viriliter, ad patiendum libenter, atque ad perseveranter, ferventer ac infatigabiliter laborandum pro evasione infernalis damnationis, pro adeptione æternæ salutis, pro impetrandis charismatibus gratiarum, pro dejectione adversariarum invisibilium potestatum et omnium suæ salutis inimicorum.

Itaque passionem Domini nostri Jesu Christi quotidie, imo sæpissime recolamus corde recollecto, et per caritatis fervorem Christo uniti, tamque attente ac si præsentialiter ipsum pro nobis pati conspiceremus, et quantum affligeremur si nos, quamvis viles ac rei, talia pateremur : sic, inquam, Christi totalem passionem et compassionem recogitemus mature, distincte, plenarie : primo, ad recognoscendum quod ipse pro nostra redemptione sustinuit universa, ne simus ingrati ; secundo, ad compatiendum, in quantum innocenter sine suo demerito pertulit cuncta ; tertio, ad imitandum ejus vestigia et omnem virtutem quam in sua exhibuit passione ; quarto, ad gloriandum, in quantum passio Salvatoris fuit tam fructuosa ; quinto, ad admirandum quod omnium Dominus tot et tanta pro nobis indignis vermiculis facere ac perpeti voluit ; sexto, ad regratiandum pro omnibus illis et pro beneficiis tantis ; septimo, ad resistendum omni tentationi, ut tactum est ; octavo, ad inflammandum, quatenus consideratione caritatis, passionis, beneficiorum promissionumque Christi, quotidie sancta dilectione fortius accendamur ; nono, ad contemplandum caritatem, misericordiam, justitiam, sapientiam supergloriosissimæ Trinitatis, quæ per hujuscemodi modum decrevit ac voluit reparare et salvare genus humanum. Sic quoque in omnibus iis pensemus quis, qualis et quantus sit qui pro nobis hæc tolerare dignatus est.

Denique hoc sciat omnis qui Deo place-

re et proficere ac salvari desiderat, quod nulla est compendiosior, virtuosior ac salubrior via vincendi omnem tentationem ac vitia, et proficiendi in omni virtute et gratia, quam modo nunc tacto Christi passionem recolere. Ipsa est liber omnis sapientiæ ac virtutis, exemplar altissimæ contemplationis ; et ejus commemoratio jam præfata, in se ipsa est maxime meritoria, Deoque grata et placita.

ARTICULUS XXIX.

Quod electissimam et incomparabilem virgineam Dei Matrem jugiter contemplari, delectabiliter intueri et post Deum summe venerari debemus.

Cant IV, 9. VULNERASTI *cor meum, soror mea, sponsa ; vulnerasti cor meum.* Infinita bonitas, inæstimabilis caritas, liberalissima pietas Dei, exsuli et indigentissimo generi humano in isto exsilio copiosissime providere ac subvenire dignata est. Nempe, quia indigni et inepti eramus per nos ipsos immediate ad Deum majestatis immensæ accedere, et ejus nos vultui præsentare, quem tam dire offendimus, et cui per nos ipsos plene reconciliari nequivimus, providit ac contulit nobis mediatorem efficacissimum atque piissimum, nostræ naturæ consortem et nostræ mortalitatis participem. Verum, quoniam iste mediator non solum est salvator atque miserator piissimus, sed etiam justissimus judex, cujus humanitas deitati est in unitate personæ conjuncta, per quod et ejus humana affectio est miro modo deificata, id est conformissima Deo facta ac divinæ justitiæ assimilatissima, imo et verus Deus secundum principalem et propriam suam naturam ; non solum sincerissime diligendus, sed et vehementissime metuendus est nobis : ideo indigemus etiam persona mediante et advocante ad ipsum pro nobis, quæ sit prorsus misericordissima, omnino piissima atque dulcissima, imo in viscera caritatis et benignitatis totaliter quasi con-

A versa et affluentissime transformata. Hæc est unica illa quam Pater æternus unigenito et superdulcissimo Filio suo prorsus sibi æquali, consubstantiali et coæterno præparavit in veram ac præstantissimam Matrem, quam supermunificentissimus Spiritus Sanctus tanta gratiæ exuberantia, tanta puritate, sanctitate, perfectione ac sapientia adimplevit, ut decuit adimpleri illius Genitricem a quo et ipsemet Spiritus Sanctus vere æternaliterque procedit. Hæc est quam superpulcherrimus et supersa-
B pientissimus ac supernobilissimus Filius Dei ab æterno sibi præelegit in Matrem.

O gloriosissima Domina, purissima Virgo, prædignissima Mater, Maria dulcissima, in quanta celsitudine, felicitate et gloria cerno te positam ! Ecce enim, o omnium felicissima, præclarissima et admirabilissima creaturarum, ecce tu es Patri æterno vere comparentalis, eumdem numero secum Filium habens. Tu unigeniti Filii Dei excellentissima parens, tu singularissimum tabernaculum adorandi
C paracleti Spiritus Sancti, et mater illius a quo ille emanat. Tu superessentialis et superbeatissimæ Trinitatis familiarissima es amica, summa secretaria, imo totius regni et gloriæ ejus consors altissima. Talem ac tantam, tam præamabilem ac perfectam fecit te artifex primus, opifex Deus, quod ipsemet tuum Ps. XLIV, 12.
decorem ac speciem concupivit. Venit ad te, non locum mutando ; intravit in te, in medium cordis tui, omni gratia, virtute ac perfectione illud copiosissime adim-
D plendo, atque in medium virginei supercastissimi uteri tui, ex purissimo sanguine sibi humanæ carnis substantiam ac corpus sanctissimum fabricando, formando ac assumendo ; habitavit et requievit in ventre tuo purissimo mensibus novem, tanquam in throno dignissimo pudoris, aula regia, cœlica cella sanctissima ; et qui æternaliter fluxit et natus est ex corde incomprehensibilis et incircumscriptibilis Patris, temporaliter natus est ac processit ex ventre tuæ deiformis fecunditatis, tan- Ps. XVIII,

quam sponsus de thalamo, geminæ gigas substantiæ, Deus verus et homo perfectus in unitate personæ. Hunc Regem cœlorum, Dominum angelorum, omnium Creatorem ex te natum fovisti in gremio, lactasti sacris uberibus, contrectasti dignissimis manibus, tamque familiariter cum ipso es conversata in sæculo isto annis triginta, quousque prædicare exorsus est, atque exinde secuta es ipsum, quousque in cruce suspensus est.

Quis nunc, o suavissima Virgo, capere queat quantam gratiæ exuberantiam, quantam divinorum charismatum affluentiam dederit tibi Filius tuus, verus Deus et Creator tuus, in omnibus istis? Certe hoc constat, quod tantum ac taliter te præ universis decoravit et sublimavit electis in cunctis donis et beneficiis suis, quantum et qualiter decentissimum fuit Matrem, Reginam Sponsamque singularem decorari, impleri et sublimari præ cunctis famulis et ancillis ipsius. Ecce, o præamabilissima ac prævenerandissima Domina, eo ipso quo facta es Deo Patri comparentalis verique Dei mater, es quodammodo infinitæ dignitatis. Tu jure ac privilegio hujus divinæ maternitatis auctoritatem habes præcipiendi omni creaturæ in esse creato subsistenti in cœlo et terra. Et quid dico, Omni creaturæ, quum et super Deum verum ex te natum videaris auctoritatem quamdam habere secundum ipsius humanam ex te sumptam naturam, secundum
c. ii, 51. quam fuit subditus tibi, teque adhuc et in æternum honorat ut præstantissimam, fidelissimam et dilectissimam suam Matrem?

Tuam, o Domina, dignitatem, sanctitatem et gloriam comprehendere non valemus, te contemplari sumus indigni, tibi condigne obsequi nullatenus possumus. Sed hoc fatemur, quod sicut Creatorem ex creaturis aliqualiter cognoscere possumus in hac vita, quidquid perfectionis ac bonitatis est in rebus creatis ei supereminentissime adscribendo, omni imperfectione seclusa; sic te, o Maria dulcissima, ex
A ceteris feminis contemplamur, quidquid perfectionis, sanctitatis et excellentiæ est in illis, tibi præclarissime attribuendo, omni defectuositate, vilitate et imperfectione sublata. In quibusdam illarum splendet virginitas, sed deest fecunditas; tu autem mater et virgo. Sed cujus mater? Mater utique tui ac omnium Creatoris. In quibusdam fulget fecunditas, sed corruptioni libidinique obnoxia. In nonnullis sublimiter et cum admiratione laudatur in conjugio servata virginitas, in quibus-
B dam castimonia vidualis. Tu autem, o Domina, in conjugio intacta mansisti; vidua quoque effecta, alteri non nupsisti, nec in deliciis unquam vixisti. Nunquam fomitis motum sensisti, atque in terris vivens, omnem angelicam mentem puritate ac dignitate vicisti. Porro translata de via ad patriam, nunc in cœlis gloriosissima es effecta, tanto cunctis supernis civibus beatior atque sublimior constituta, quantum decuit Matrem summi Dei ejus ministris præferri. Quis demum considerare
C prævaleat quantum etiam glorificata sit sanctissima virgineæ, imo Christiferæ ac Deiferæ Matris caro, cujus portio unita est hypostatice Verbo æterno, et in qua quievit Verbum hoc incarnatum, cujus ubera suxit, a qua tot ac tanta accepit obsequia?

Hanc itaque felicissimam Dominam nostram, mediatricem, miseratricem, Matrem et advocatam nostram, et post Deum unicum nostrum refugium, per quam Deus vult nos desuper obtinere quidquid ab
D ipso adipiscimur virtutis et gratiæ: hanc, inquam, post Deum ferventissime diligamus, reverentissime veneremur, devotissime invocemus, primo, quoniam Deus eam talem fecit ac tantam, et quoniam honor Matris honor est Filii ejus ac Dei Patris, et quoniam in se ipsa talis ac tanta est, et quoniam tot et tanta bona per eam sortiti sumus et indesinenter suscipimus, et quoniam ejus miseratione ac ope incessabiliter indigemus, et quia in regno cœlorum ejus præsentia et adspectus tam

ineffabiliter auget accidentale præmium A Beatorum. Ipsam assidue laudemus ac salutemus, ejus beatitudini præcordialiter congratulemur; in ea et per eam benedicamus, laudemus et gratias referamus Altissimo, qui omnipotentiam suam, et omnem caritatem, munificentiam, pietatem et sapientiam suam tam excellentissime declaravit in hac optima incomparabilique Maria; et toties glorietur cor nostrum, quoties reminiscimur ejus. In ipsa post Deum sit jugiter præcipua consolatio nostra; Horas ipsius devote hi- B lariterque legamus, de ipsa devotissime celebremus. Tu, optima Domina, misericordissima advocata, affectuosissima Mater, nos incessanter tuere, adjuva, rege, conserva, deduc et perduc ad portum salutis æternæ.

ARTICULUS XXX.

De studio fructuoso et ordinato.

I Mach. xii, 9. HABEMUS *solatio sanctos libros, qui* C *in manibus nostris sunt.* Quid est sacra Scriptura, nisi doctrina ad nos de cœlo missa? cujus singuli libri sunt quasi epistolæ Spiritus Sancti ad nos desuper destinatæ. Ideo dum studemus, Deus loquitur nobis. Et valde videtur parvi pendere alium, qui ipsius epistolam ad se missam legere non dignatur, aut superficialiter legit. Hinc Scripturas et earum expositiones diligentissime decet nos legere, et quæ non intelligimus, ab eruditioribus quærere, quum dicat Salvator : D Joann. v, 39. Scrutamini Scripturas. Quod quam fructuosum sit, pandit Apostolus, dicendo : Rom. xv, 4. Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. II Tim. iii, 16, 17. Et alibi : Omnis (inquit) Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

Denique, de fructuositate studii hujus ait Gregorius : Sacra Scriptura oculis nostræ mentis quasi speculum quoddam opponitur, ut in ea nostra interna facies videatur. Ibi fœda nostra, ibi et pulchra nostra conspicimus; ibi sentimus quantum proficimus, quantumve a profectu distamus. Hæc a carnalibus ac terrenis mentem ad cœlestia levat, pigritiam negligentiamque repellit, ad pœnitendum ac laborandum inducit, caritatem accendit. Hinc fatur Hieronymus : Utere lectione divina pro speculo, vitia corrigendo, virtutes discendo, pulchra conservando, pulchriora agendo. Et rursus : Pinguissimus, ait, est sermo divinus; omnes in se habet delicias : quidquid volueris ex divino sermone nascitur, sicut tradunt Judæi de manna, quod secundum uniuscujusque sapuit voluntatem. Sap. 20, 21. Sint ergo divinæ Scripturæ tibi semper in manibus, ac mente jugiter revolvantur. Hugo quoque hinc protestatur : Nihil in hac vita sentitur suavius neque avidius sumitur quam Scriptura, quæ mentem ab amore mundi præcipue separat, contra tentationes confortat. Verum (ut idem fatetur) ad sacræ intellectum Scripturæ opus est intima compunctione magis quam profunda investigatione, suspiriis quam argumentis, crebris gemitibus quam argumentationibus copiosis, lacrimis quam commentis, oratione quam lectione.

Itaque in lectione et studio sacræ Scripturæ et in scriptis Sanctorum, præsertim quoque in devotionalibus libris, occupet se horis congruentibus solitarius, non principaliter ad sciendum, sed ad virtuosius conversandum, ad discernendum inter bona et mala, inter vera et falsa, inter sincera et ficta; et quæ salubriter legit, applicet sibi ipsi, in primis se increpando, excitando et inflammando. Verumtamen principalius, salubrius atque divinius est orationibus, psalmis, meditationibus immorari, contemplationi et caritatis fervori insistere, internæ exercitationi et purgationi vacare, quam legere ac studere. Principaliora ergo et salubriora ac magis

divina, principalius, frequentius diuturniusque agantur; et quæ ad illorum profectum plus conferunt, opportuno legantur in tempore ordinate; nec quæ magis delectant, sed quæ magis expediunt sunt legenda.

Præterea, in epistola illa ad Fratres de Monte Dei hinc legitur : Certis horis certæ lectioni vacandum est. Lectio namque fortuita ac varia, et quasi casu reperta, non ædificat, sed animum reddit instabilem; leviterque admissa, levius recedit a memoria. Certis ergo ingeniis est immorandum, et salubrioribus assuefaciendus est animus. Nempe quo spiritu Scripturæ sunt editæ, etiam sunt legendæ. Nunquam etenim ingredieris in sensum Pauli, donec usu bonæ intentionis in lectione epistolarum ipsius et studio meditationis assiduæ spiritum ejus imbiberis. Nunquam intelliges David, quousque per experientiam ipsos psalmorum affectus indueris. Ex lectione hauri salubrem affectum orationisque formam, et ipsam lectionem ac studium frequenter interrumpat oratio. Lege ergo et stude, non ut tempus deducas, nec sic ut memoriam laceres, sed ut proficias et spiritum innoves, memoriam in Deo recolligas et caritatem accendas. Lege quod proposito bono conveniat, intentioni deserviat, animumque detineat, ut aliena cogitare non libeat.

Postremo, consonat præinductis quod quarto libro loquitur Damascenus : Pulsemus ad optimum paradisum Scripturarum, qui dulcissimus, speciosissimus, omnium deiferarum volucrum cantilenis circumsonans, aures nostras demulcet; qui tangit cor nostrum, et contristatum consolatur; qui mentem nostram facit ascendere ad præclaras et instar auri fulgidas theorias. Hauriamus ex hujus paradisi fonte perennes atque purissimas
. iv, aquas salientes in vitam æternam, et insatiabiliter voluptuemur in eo : inconsumptibilem enim possidet gratiam. Unde eodem libro denuo Damascenus : Optimum, inquit, et utilissimum est investigare divinas Scripturas. Sicut enim lignum Ps. i, 3.
secus decursus aquarum plantatum, ita et anima divinis irrigata Scripturis impinguatur, et fructum temporaneum tribuit, ac semper virentibus foliis, id est acceptabilibus Deo actionibus, decoratur : ad actionem etenim virtuosam et immaculatam contemplationem ex Scripturis dirigimur.

ARTICULUS XXXI.

Quod vita solitaria contemplativa, sit excellenter suavis, nobilis ac divina.

INTRANS in domum meam, conquiescam cum sapientia : non enim habet Sap. viii, 16.
amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium. Essentiale præmium Beatorum in patria correspondet perfectioni et magnitudini caritatis, non difficultati laboris diuturnitative temporis, nec multitudini actionis, quemadmodum asserit Augustinus : Non numerositas operum, non diuturnitas temporum, sed major caritas meliorque voluntas auget præmium. Porro, quanto quis in caritate plus proficit, et in ea perfectior fit atque ferventior, tanto delectabilius servit Deo, et exercitia etiam ardua et imperfectis laboriosa, sunt sibi faciliora. Talis ergo multo plus apud Altissimum promeretur per actus sibi delectabiles, faciles ac jucundos, quam imperfectus, piger et negligens per actus sibi laboriosos ac arduos.

Denique hoc ad solitarium ac omnem spectat religiosum, ut per universa quæ agit opera bona studeat in caritate proficere, ad caritatis quoque perfectionem pertingere, ac per hoc Creatori suo promptius ac delectabilius ministrare. Atque, ut constat ex præinductis, ad solitarium pertinet art. i, iv.
perfectio caritatis, et eminentia quædam sapientiæ salutaris quæ donum est. Actus vero doni sapientiæ ex sua natura est dulcis, et tanto suavior quanto sapientia ipsa exstat perfectior.

Præterea, vita solitarii sita est in actibus A circa Deum immediate aut directe versantibus, præsertim in actibus sapientiæ et caritatis, hoc est in contemplatione et amorosa mentis cum Deo unione : qui actus ex sua natura jucundissimi esse noscuntur. Delectatio namque consurgit ac oritur ex unione potentiæ cum objecto convenienti. Deus autem convenientissimum est objectum, incomparabiliter pulchrum, bonum, delectabile et amœnum. Intellectus quoque et voluntas nobiliores sunt animæ vires. Idcirco, quo vires istæ B purius, clarius et amorosius Deo junguntur, eo in tali sancta unione delectatio major consistit ac melior.

Deinde vita contemplativa specialiter sita est in actibus latriæ, puta in orando et Deum laudando ac offerendo : qui etiam actus circa Deum versantur, et ex sua natura delectabiles valde exsistunt, ac menti bene dispositæ, purgatæ, amorosæ, sunt valde jucundi. Etenim ex apprehensione et intuitione summi, infiniti et superpulcherrimi boni, a quo habemus C quidquid sumus et possidemus, atque ex consideratione beneficiorum ac promissionum ipsius, gaudium oritur spirituale et magnum. Quumque consideratio et cognitio veritatis ex se delectabilis sit et jucunda, certum est quod contemplatio summæ et increatæ veritatis et ejus præcipuorum effectuum sit eximie gaudiosa. Et quid in hac vita potest esse jucundius quam superamabilissimo et super omnia carissimo Deo tranquilla ac sincera mente vacare, adhærere, et in ipso a mundi D tumultibus, sæcularibus curis, amarissimis passionibus iræ, impatientiæ, timoris, mœroris, liberum esse, cœlestem conversationem in cella inchoare ac ducere, sicque futuræ felicitatis delicias in vita hac prægustare? Ideo ait vir sapiens : Sapientia erit allocutio cogitationis et tædii mei. (Sap. VIII, 9.) Si namque oriatur in solitario cogitatio vana aut fœda, aut tædium pravum, debet mox per sapientiam et caritatem cor suum ad Deum erigere, et in ipso ac spe felicitatis futuræ consolari, gaudere ac alacer fieri et laudare. Propter quod Jacobus dixit apostolus : Tristatur aliquis ex vobis? oret æquo animo, et psallat. (Jacob.)

Interea patet quod perfectio, nobilitas et deificatio hominis sita sit in elongatione a rebus carnalibus et mundanis, et in appropinquatione ad bona spiritualia ac divina, cœlestia et æterna, imo in amorosa et contemplativa conjunctione cum Deo : quod totum per prætactos fit actus. Sed quoniam (divino Dionysio protestante) omnium divinorum divinissimum est Deo cooperari in reductione animarum ad ipsum, (De Co[el.] hier.) proximis quoque communicare bona sibi desuper præstita (juxta illud : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes), (I Pet[r.] ... 10.) et proximos purgare, illuminare, perficere ; ideo ne solitarius ista penitus privetur aut careat perfectione, debet tanto ferventius, instantius, sollicitius die ac nocte invocare viscera misericordiæ Dei pro bono communi Ecclesiæ, pro cunctis hominibus, pro vivis ac mortuis, pro omni causa et necessitate Ecclesiæ, quanto minus aliis evangelizat. Venientes quoque ad se debet prudenter ac fervide exhortari. Atque ut copiosius exaudiatur, studeat Deo indesinenter toto corde adhærere, totisque viribus ipsum infatigabiliter honorare, ac juxta suæ exigentiam vocationis digne Deo cum profectu assiduo ambulare : (Eph. ... 1; Co[l.] ... 10.) quod agendo promerebitur multis gratiam conversionis, et plus forsan merebitur quam plurimi prædicantes. Propter quod S. Franciscus dicere consuevit Fratribus quos ad prædicandum direxit, ut fructum prædicationum suarum adscriberent orationibus pauperculorum Fratrum qui domi manebant.

ARTICULUS XXXII.

De laude solitariæ vitæ ex verbis et exemplis Sanctorum.

DUCAM *eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.* (Osee) Quemadmodum cella et cœlum in litteris, voce et sono communi-

,IV,IX. cant, ita in actibus : quia, ut patuit jam frequenter, ad hoc instituta est solitaria et cellica vita, quatenus Deo indesinenter (quantum in vita hac fieri valet) inhæreatur per actus qui perfecte et sine interruptione fiunt in cœlo, in cella autem imperfecte respectu perfectionis supernæ, et cum frequenti interpolatione. Unde in præallegata fertur epistola : Sicut cella et cœlum habent ad invicem aliquam cognationem nominis, ita et pietatis. A celando etenim utrumque nomen sortitur : et quod celatur in cœlis, hoc et in cellis ; quod geritur in cœlis, hoc et in cellis, utputa Deo vacare, Deo frui : quod dum secundum ordinem, pie ac fideliter celebratur in cellis, audeo dicere, angeli sancti cellas habent pro cœlis, et æque delectantur in cellis ac in cœlis. Nam quum in cellis jugiter actitantur cœlestia, cella et cœlum similitudine sacramenti, pietatis affectu conformitateque operis fiunt similia. Jamque spiritui exoranti, aut etiam de corpore exeunti, a cella in cœlum non longa est via neque difficilis. A cella quippe in cœlum sæpe ascenditur ; vix autem aut nunquam a cella in infernum descenditur, nisi cogitando de pœnis inferni. Moriens autem vix unquam aliquis a cella in infernum descendit, quia vix unquam aliquis nisi cœlo prædestinatus, in ea usque ad mortem persistit : quoniam filium gratiæ cella tanquam fructum ventris sui fovet ; alienum vero citius abjicit veluti abortivum, vel si aliquamdiu in ea duraverit, non virtutis constantia, sed pertinaci miseria, sic ei est cella quasi carcer.

Præterea, in tractatulo quodam qui S. Basilio adscribitur, de hujus vitæ fertur nobilitate : Solitaria[1] vita cœlestis doctrinæ est schola, divinarumque artium disciplina. Illic Deus est veritas quæ discitur, vita ad quam tenditur, et via qua itur atque ad summæ veritatis notitiam pervenitur. Eremus est paradisus deliciarum, in qua tanquam redolentium species pigmentorum,

(left margin: is Da- 19. / n.XIV,)

A vel rutilantes flores aromatum, ita fragrantia spirant odoramenta virtutum. In solitaria et eremitica vita, rosæ caritatis igneo rubore flammescunt, lilia castitatis niveo splendore candescunt. Ibi et humilitatis violæ, dum imis contentæ sunt, nullis superbiæ passionum flatibus impelluntur. Ibi myrrha perfectæ mortificationis abundat, thus quoque assiduæ orationis emanat.

O eremus, sanctarum delectatio mentium, gustusque intimi inexhausta dulcedo ! Tu caminus ille Chaldaicus, in quo *Dan.* III, 21 et seq.
B sancti pueri vires furentis incendii orationibus reprimunt, et ardore fidei crepitantium contra se flammarum globos exstinguunt : ubi et nexus uruntur, et ardorem membra non sentiunt, quoniam et peccata in eo solvuntur, et in hymnum laudis divinæ anima provocatur : Dirupisti (inquiens), Domine, vincula mea ; tibi sacrificabo hostiam laudis. Tu fornax ubi summi Regis vasa formantur, et ad nitorem perpetuum, malleo pœnitentiæ percussa ac lima salutiferæ correptionis erasa, perveniunt. *Ps.* CXV, 16, 17.
C

O cella, negotiorum cœlestium apotheca, in qua illarum mercium summa reconditur quibus possessio terræ viventium comparatur ! Felix commercium, ubi terrenis cœlestia, transitoriis æterna mercantur. O cella, spiritualis exercitii mirabilis officina, in qua anima sui Creatoris in se restaurat imaginem, et ad suæ redit originis puritatem ! In te brevi carnis afflictione ac fletu exiguo cœleste convivium æternusque risus ac jubilus acquiruntur.
D O cella, sacræ militiæ tabernaculum, procinctus triumphatoris exercitus, castra Dei, turris David, mille clypei pendent ex te, omnis armatura fortium ! Tu campus divini prælii, arena spiritualis certaminis, angelorum spectaculum. *Cant.* IV, 4.

O eremus, mors vitiorum, fomes et vita virtutum ! Te lex attollit, prophetia miratur, et quicumque ad perfectionis culmen pervenerunt, tuum noverunt præconium. Tibi

[1] *Cf.* Migne *Patrol. lat.* tom. 145, col. 246D et s.

Exod. xxiv, 18; xxv et seq. III *Reg.* xix, 4 et seq. IV *Reg.* ii, 9 et seq. *Luc.* i, 80. *Marc.* i, 13. *Gen.* xxviii, 12.

Moyses debet legis acceptæ Decalogum; A per te Elias cognovit Domini pertranseuntis excursum; per te Eliseus duplicem magistri sortitus est spiritum. Et quid amplius dicam, quum et mundi Salvator suum præcursorem atque baptistam sanctissimum tui constituit accolam, et ipsemet quadraginta diebus te inhabitare dignatus est? Tu scala Jacob, quæ homines vehis ad cœlum, et angelos ad humanum deponis auxilium. Tu aurea via, quæ homines ducis ad patriam.

Cella est conciliabulum Dei et hominum, B secretarium in carne degentium et spirituum supernorum. Illuc namque superni cives ad colloquia humana descendunt, ubi non tam linguæ carnis verba componunt, quam sine vocis strepitu facunda mentium arcana patescunt. Cella namque conscia est secreti consilii quod cum hominibus habet Deus. Quam pulchra rerum species, quum Frater in cella constitutus nocturnas peragit psalmodias, et quasi pro divinis castris militares custodit excubias! Contemplatur in cœlo cursus astrorum, C decurrit quoque per os ejus ordo psalmorum. Iste psallendo intrinsecus ad inaccessibilem tendit lucem; illa sibi invicem succedendo, ejus exterioribus oculis visibilem reparant diem.

O cella, tu de superbis efficis humiles, de iracundis mites, de gulosis sobrios, de crudelibus pios, de lubricis castos, de levibus et jocosis maturos ac timoratos. Tu metuenda es malignis spiritibus. Tu animarum es speculum, in quo se mens humana perspicaciter intuens, quod minus D est impleat, quod superfluum, reprimat, quod obliquum est dirigat, quod deforme, componat. Tu nuptialis es thalamus, in quo Spiritus Sancti arrha tribuitur, cœlestique Sponso felix anima fœderatur. Quamvis ignorantibus te amara videaris in cortice, magnum tamen est atque dulcissimum quod intrinsecus latet in te, quum perventum fuerit ad suavitatem medullæ.

O vita eremitica, vita benedicta atque angelica! Tu vivarium* animarum, exedra gemmarum cœlestium, spiritualium curia senatorum. Odor tuus cunctorum aromatum fragrantiam superat, sapor tuus super omnia mella illuminati cordis palatum obdulcat. Quidquid de te dicitur, tuæ dignitati non æquatur, quoniam lingua carnis nullatenus exprimere sufficit quod de te spiritus invisibiliter experitur et sentit. Qui per vestigia tua nunc graditur, peracto vitæ hujus cursu ad societatem sine dubio gloriosam provehitur.

*viridar

Insuper de præconiis eremiticæ ac solitariæ vitæ in statutis Ordinis Cartusiensis pulchre inducitur. Nostis, inquiunt, in veteri novoque Testamento omnia pene majora et subtiliora secreta non in turbis, sed quum soli essent, Dei famulis esse revelata; ipsosque Dei famulos, dum vel subtilius meditari, aut liberius exorare, vel a terrenis per mentis excessum cuperent alienari, fere semper multitudinis impedimenta vitasse, et solitudinis captasse commoditates. Hinc legitur Isaac solus egressus in agrum ad meditandum. Jacob quoque quum solus remansisset, benedictionem dignioremque appellationem est consecutus. Denique quantum Moyses, Elias, Eliseus et Jeremias solitudinem quæsierint, docet Scriptura. Beatissimus etiam Joannes repletus Spiritu Sancto in utero matris, mox ut rationis usum sortitus est, in solitudinem fugit. Imo et omnium Dominus, Jesus Christus, solitaria sæpe adiit loca. Hinc innumerabiles Patres sancti, Antonius, Hilarion, Macarius, Pacomius, Pastor, Arsenius, Benedictus, solitudinem avidissime elegerunt: quorum virtutes imitando, experiemini suavitates psalmodiarum, studia lectionum, fervores orationum, subtilitates meditationum, excessus contemplationum, baptismata lacrimarum, nulla re magis quam solitudine posse juvari.

Gen. x 63. *Ibid.* xx 11; xxxii 29. *Exod.* 1; xxiv, III *Reg.* 4; IV *R* iv, 25; ix, 2; xv *Luc.* i, *Ibid.* 8(*Matt* iv, 1; x 36-44; *M* i, 13; vi *Luc.* ix, etc.

Postremo, quum tam ineffabilis et pene incomparabilis sit solitariæ dignitas vitæ, erubescamus vehementer in cella ac solitudine viliter, negligenter, pigre aut car-

naliter nos habere : imo indesinenter conemur in ea coram Altissimo cœliformiter conversari, et (quantum permittit communis fragilitas) angelicam imitative ducere vitam, atque in omni puritate, sapientia et fervore, in omni tranquillitate, gratia ac virtute incrementa adipisci assidua.

ARTICULUS XXXIII.

De diligenti cellæ custodia, et quam difficulter sit egrediendum ex ea.

[…]g. xiv, *SEDE in domo tua et contentus esto gloria : quare provocas* contra te *malum, ut cadas tu et Judas tecum ?* Cella incipienti, nondum purgato et cura quotidiana egenti valetudinarium est, apotheca sanantium emplastrorum, et hospitale quoddam ægroti. In quo utique loco expedit residere, medicique visitationem æquanimiter exspectare, occasiones quoque recidivi atque ruinæ et læsionis internæ diligentissime præcavere : quæ omnia extra cellam, ex sensuum objectis, humano colloquio et occursu, frequenter occurrunt, in tantum quod unus etiam hujus sæculi sapientium testatus est : Quoties inter homines fui, minor homo redii. Unde et desuper magno Arsenio est prolatum : Si vis salvari, fuge, tace, quiesce. Qui et in solitudine degens, et interrogatus a Patribus cur a communi quoque conventione et collocutione sic abstineret, respondit : Ignoscite mihi ; scit Deus quod diligo vos, sed cum Deo et hominibus simul loqui non valeo.

Porro proficienti cella est schola vir- […]ann. II, tutum magisteriumque cœleste, ubi unctio […]m. II, 7. docet de omnibus, et Dominus dat intellectum ei qui propter Deum sincere se segregat ab externis solatiis, humanis colloquiis, et cunctis suæ salutis obstaculis. Ideo unus disseruit Patrum : Sede in cella, et ipsa cella te instruet. Maximus quoque anachoreta Antonius : In quocumque, inquit, sederis loco, non cito movearis de

A illo. Hinc demum in exercitio illo Cartusiano revera valde salubri, imo et tanto plus sapientiali ac magistrali quanto superficie tenus simpliciori, quod incipit, Volens purgari, asseritur : Quando solitarius exit cellam suam, sine rationabili videlicet causa, proh dolor ! timendum est ne non eructet cor suum verbum bonum, *Ps.* XLIV, 2. eo quod non dicat opera sua Regi, id est, Christo non fateatur neque pronuntiet actus suos, exemplo sancti Job dicentis : Vias meas in conspectu ejus arguam, et *Job* XIII, 15, B ipse erit salvator meus ; atque Psalmistæ, 16. qui loquitur : Delictum meum cognitum *Ps.* XXXI, 5. tibi feci ; itemque : Dixi, Confitebor ad- *Ibidem.* versum me injustitiam meam Domino. Quod quam fructuosum sit ac salubre, pandit subjungens : Et tu remisisti impietatem peccati mei. Ita plane, si solitarius coram Deo rite pensaret ac fateretur quoties et quam dire egressio cellæ fuerit sibi occasio multiplicis culpæ, a tali abstineret egressu, præsertim quum et ipse circumeundo non solum excedat, sed et C Judæ quoque, id est fratri suo confitenti *Gen.* XXIX, Domino, fiat ruinæ occasio verbo aut signo 35. seu facto, aut certe ad ostium ejus sine necessitate pulsando, et illum a sua forsan devotione impediendo, imo ad minus ipsam interrumpendo. In qua re quidam incustoditi, intimorati, inquieti et garruli, sunt miserabiliter defectuosi atque culpabiles : quorum societas familiaris quum sit nociva, exstat vitanda.

Insuper, perfecto contemplativo heroico cella est domus salutis, thronus internæ D quietis, consistorium contemplationis supernæ, habitatioque cœlestis, locus aromatum, solium exuberantium consolationum, imo paradisus voluptatis in terris. Verissime ergo signifer ille solitariorum Antonius dixit, quod sicut pisci aqua est necessaria, sic monacho cella, extra quam sine necessitate tardando, moritur sicut piscis in sicco. Hinc denuo saluberrime fassus est quidam : Fons et origo omnis boni est monachum in sua cella jugiter permanere.

Hinc verus cellita exercitationis internæ cum Deo peritus, ac solitariæ vitæ fructum dulcedinemque expertus, egredi cellam veretur : quam dum ex rationis recta censura est egressurus, oratione se munit, cruce consignat, exeundo orat, tanquam qui fortalitium suum exit et castrum, in quo ab hostibus exsistit securior, ad unionem cum Deo potentior, et ad profectum habilior. Idcirco in statutis Ordinis Cartusiensis docetur : Cellæ incolam diligenter atque sollicite oportet invigilare ne quas occasiones egrediendi machinetur sive recipiat, demptis causis generaliter ab Ordine institutis ; sed potius sicut aquas piscibus caulasque ovibus, sic cellam suæ vitæ necessariam reputet ac saluti. In qua quanto diutius, tanto libentius commorabitur : quam si libenter et ex levibus causis exire insueverit, cito habebit exosam.

Fac igitur tibi consuetudinem bonam, et mane cum Sapientia increata in cella quasi in thalamo cum sponsa. Ibi amplexibus ejus fruere concupitis, contemplare pulchritudinem ejus immensam, et solus cum sola delectare stabiliter : quoniam
Prov. VIII, 31. ipsa ludit in orbe terrarum, et deliciæ ejus
Sap. VI, 14. esse cum filiis hominum ; præoccupat eos
Apoc. III, 20. qui se concupiscunt ; statque ad ostium mentis et pulsat, et ad aperientem gratiose ingreditur, atque cum ipso deliciose reficitur. Molestissimum ergo sit tibi a lumine tanto avelli, tam divinis occupationibus defraudari, a tam salutari adunatione in Deo et amorosa conjunctione cum ipso retrahi et averti, ac foris dispergi.

ARTICULUS XXXIV.

De quotidiana fructificatione, ordinato processu et jugi custodia solitarii.

Deut. IV, 29. QUUM *quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum ; si tamen toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ.* Quid est Deum quærere toto corde, nisi totis viribus intellectus ac voluntatis ? Quid rursus est Deum quærere tota tribulatione animæ, nisi cum ingenti
A formidine, sollicitudine quoque pervigili, cum gravi afflictione et pœnitentiali dolore quod toties atque tam graviter ipsum offendisti, inhonorasti, reliquisti, sprevisti ? Unde habes vehementer metuere occulta ejus judicia, ne forsan te aspernetur, et impleatur in te quod Salomon protestatur : Considera opera Dei, quod nemo possit *Eccle.*
corrigere quem ille despexerit. Time ne 14.
pœnitentiæ tuæ contritio non fuerit vera, quum contritio sit dolor maximus qui est in rerum natura, sicut et Dei dilectio est
B fortissima in natura consistens affectio ; et præsertim quia hucusque fuisti ad recidivum tam pronus, tam incustoditus, levis ac negligens, quum utique pœnitere sit præterita mala deflere, et deflenda non rursus committere.

Hinc valde notabiliter scribit in homilia quinta Eusebius : Qui de præteritis anxius est, id secum cogitat et revolvit, ne forsan insufficienter et nimis parum deplanxerit præteritas culpas, ne forte nondum satisfecerit pro innumeris debitis suis, ne forte
C magis ad veteres iniquitates nova sibi ipsi inflixerit vulnera. Interdum sufficere nobis putamus, quod ad locum istum separatum convenimus, et statum habitumque mutavimus, quod aliquanto hic viximus tempore, aut plurimis annis in Dei fuimus servitute, ac sic perniciosa nos ipsos persuasione fallentes, putamus de omnibus nos debitis satisfecisse, quasi putantes quod excessus nostri spatio temporis evanuerunt. Et quia nos illa obliti sumus, credimus quod de memoria æquitatis di-
D vinæ elapsa sunt. Sed non est ita. Omnia apud illum collecta, omnia apud illum reposita atque signata sunt, quemadmodum sanctus Job, qui contra diabolum tam singulariter dimicavit, loquitur Deo :
Signasti quasi in sacculo peccata mea. Et *Job* XIV,
ipsemet Deus : Nonne (inquit) hæc col- *Deut.* XX[XII],
lecta sunt apud me, et signata in thesauris 34.
meis ? Non putemus tam facile posse remitti semel inusta peccata, profundoque vulnere impressa in visceribus animæ. Multo opus est fletu multoque gemitu et

multo cordis dolore, ad sanandos cordis A interitus ac languores. Tota insistendum est spiritus contritione, ut vetusta vitia multotiesque vulnera repetita, tanquam sagittæ profundius ingestæ de conscientia evellantur. Non sufficit summis labiis di-
g. xv, cere : Peccavi, parce, remitte. Saul dixit,
). Peccavi ; sed non obtinuit veniam illam
g. xii, quam David una pœnitentiæ voce promeruit. Quare? Quia confessionem nuda verba magis quam veri gemitus exprimebant, quoniam non compensabatur cum magnitudine criminis lenta confessio supplican- B tis. Non levi agendum est contritione, ut debita illa redimantur quibus mors æterna debetur ; nec transitoria opus est satisfactione pro vitiis illis quibus præparatus est ignis æternus. Si intelligere cupimus quam graves apud se faciat Judex noster hominum culpas, respiciamus ad pœnas. Nonne pro uno, imo et minimo mortali peccato, infligitur æterna damnatio? — Ex his innotescit, quod omnis resolutio cordis incauta, omnis securitas vana, omnis præsumptio immoderata de venia sint C vitandæ, quum et Salomon contestetur :
. xxx, Est generatio quæ sibi munda videtur, et tamen non est lota a sordibus suis. Nempe, ut sanctus fatetur Hieronymus, necesse est ut multitudini magnitudinique excessuum adæquetur contritio.

Præterea, quam instanter et affectuose, perseveranter et formidolose oporteat Omnipotentem invocare, protestatur præfatus Eusebius : Non vult, inquiens, Deus noster bona sua (videlicet charismata gratiæ et munera gloriæ) nimia inveniendi D facilitate vilescere. Pretiosa et concupiscibilis merces cupidum amatorem avidumque negotiatorem requirit. Ergo ille tantorum munerum repromissor non vult neque acceptat in suo cultu ac opere tepidum, despicit fastidiosum, recusat coactum, respuit indevotum. Etenim lente et parum grate quærere gratiam divini muneris, maxima est injuria remuneratoris. Ideo, quamvis totis animæ et corporis laboribus desudemus, licet totis obedientiæ viribus exerceamur, nihil tamen condignum merito pro cœlestibus bonis compensare et offerre valemus. Verumtamen, nisi cum bona voluntate et aviditate atque lætitia opera Dei egerimus, Deo nos perire noverimus. Idcirco in spe cœlestium promissorum tanto incitemur studio, et tanto inardescamus affectu, ut cum præmiorum ac gloriæ dignitate desideriorum magnitudo concordet. Oportet
igitur adimplere quod ait Scriptura : Ser- *Ps.* XCIX, 2.
vite Domino in lætitia ; itemque : Gaudete *Philipp.*
in Domino semper. Hoc itaque maxime IV, 4.
studeamus, ut illa quæ in Dei honorem agimus, cum claro agamus animo, cum fidei gaudio, atque cum bono devotæ voluntatis affectu.

Sic ergo indesinenter Deum quæramus et invocemus, ita nos ipsos quotidie discutiamus, nostrasque culpas etiam minimas defleamus : non quod aliquam culpam debeamus modicam reputare, sed minimam dico comparative loquendo, respectu majorum. Porro, si Domino Deo
nostro infinite et essentialiter sancto, in *Luc.* I, 74,
sanctitate et justitia, ut nostra requirit 75.
professio, obsequi cupimus, sic venialia quasi mortalia declinemus ac deploremus.
Qui enim negligit modica, paulatim decidit. *Eccli.* XIX,
Non valemus ad perfectionem pertinge- 1.
re, nisi indesinenter coram Deo simus solliciti in omni observantia regulari, in sincera cordis custodia, in consideratione et examinatione totius conversationis nostræ quotidiana, imo assidua et (quantum fieri poterit) continua. Idcirco in omnium exteriorum interiorumque sensuum coercitione, in linguæ refrenatione, in omni cogitatu et affectu custoditi simus et circumspecti, in silentio stricti, ædificativi in verbis, exemplares in omnibus, moderati quoque in cibo, potu, vestitu ac somno, nec curiosi in aliquo. Quidquid egerimus, quocumque ierimus, Deo semper uniti simus orando, meditando, aut simile quid salubre agendo. Insuper, ea quæ quotidie agimus, nequaquam arido usu et superficialiter, sed magis ac magis devote aga-

mus ; omnem privatum, ad se reflexum A improbumque amorem cum universis suis germinibus maledictis effectibusque damnandis, a nobis funditus exstirpemus ; et quantum in nobis est, ab omnibus corripi, despici, deprimi affectemus, sic tamen ut nihil scandalosum, nihil inhonestum, inexemplare, reprehensibile operemur.

Hinc, juxta sanctorum Patrum doctrinam, hoc a religiosis et eremitis peculiariter eorum requirit professio : nihil in hac vita consolationis carnalis requirere,
Luc. xvi, 25. nihil quietis terrenæ ; nec velle recipere B bona in vita sua, imo honores refugere, subjectione et abjectione gaudere, paupertatem studio quærere ; nec solum facultates, sed ipsas quoque cupiditates omnesque inordinatas et indecentes affectiones e cordibus prorsus eradicare. Habendi etenim amor nisi ad integrum resecetur, ardentior est in parvis, et plus torquet in minimis ; et nisi ex corde pauper sis et affectu, paupertas ipsa non virtus, sed miseria est censenda.

Itaque, juxta prætacta, quotidie aliqua C hora pone te in cella tua in loco quieto, juxta omnem practicam prætacti libelli qui incipit, Volens purgari ; et coram Deo cor tuum effunde, dicendo isto aut simili modo : Ecce, Domine Deus sancte, æterne, omnipotens, ego sum peccator ille vilissimus, nequissimus, miserrimus, qui bonitatem, majestatem et caritatem tuam immensam tam frequenter atque enormiter inhonoravi ; qui tuam sanctitatem et justitiam tam innumerabilibus vicibus, heu ! offendi ; qui beneficiis tuis exstiti D tam ingratus ; qui in sancta religione hucusque tam parum profeci, tam negligens, inexemplaris passionatusque fui ; qui circa sacramenta tua dignissima ac pavenda tam irreverenter me habui ; qui (proh dolor !) adhuc quotidie in omnibus tam defectuosus exsisto, tam carnalis, piger, incustoditus et negligens sum, tam distractus et indevotus in Horis, in psalmodia, in cantu, in omni divino Officio, et (quod summe mihi deflendum est) etiam in celebratione, ad quam nec condigne me præparo, atque in ea inattentus et frigidus maneo. Postea quoque ingratus, incustoditus ac levis consisto ; in verbis item excedo et in somno, et tempus mihi concessum infructuose deduco ; multa quoque omitto quotidie bona. De eis ac ceteris meis peccatis ac culpis me coram te toto corde accuso, veniam precor, propono omnino emendam. Ignosce mihi, o Domine ; veram confer contritionem, plenam emendationem ac dignum profectum, et ad celebrandum me apta. His dictis, puni et disciplina te ipsum, atque ad emendationem idoneam exhortare et excita te, dicendo : Cave ne in illis et illis offendas ; vide ut te in istis et istis emendes : alioqui sustinebis tales et tales punitiones.

Sic agendo in brevi multum proficies, illuminaberis et ungeris a Spiritu Sancto, discretionisque radius te docebit. Ad chorum mature ac devote procedes ; in divino Officio tanquam in Omnipotentis præsentia timorate, humiliter, attente, reverenter ac fervide te habebis : sicque alacriter ac custodite ad cellam redibis, non circumspicies, non ridebis, non quempiam alloqueris, non eris levis, nec dissolutis ac levibus fratribus morem geres ; sed dissimulabis et pertransibis, nec ex humano favore neque inordinato alicujus timore peccabis, nec cordis tui rigorem custodiamque laxabis. Sic igitur omnem de cetero diem expende, imo in his quotidie profice. Postremo, quanto ita agendo copiosius desuper illustraberis ac divino amore magis accenderis, tanto limpidius etiam minutissimas culpas quotidianas cernes, considerabis, magisque exaggerabis, deflebis, vitabis.

ARTICULUS XXXV.

De modo et practica proficiendi in divino amore.

Deut. x, 12. *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas* eum, *et ambules in viis ejus, et diligas eum,*

ac servias ei *in toto corde tuo et in tota* art. vi. *anima tua?* Sicut præhabitum est, caritas est virtus dignissima, ceterarum finis, vertex, vita ac forma virtutum : ideo ad perfectam adimpletionem præcepti diligendi Deum toto corde, cetera universa ordinantur præcepta, cuncta quoque evangelicæ legis consilia, omnia documenta et cuncta exercitia nostra. Unde Christus de *Joann.* xvii, 26. suis discipulis loquitur Deo Patri : Notum feci eis nomen tuum, ut dilectio tua in eis sit.

Primum ergo medium proficiendi in caritate, est assidue ac intente hoc ipsum considerare, et omnem suam conversationem, occupationem, cogitationem, locutionem, affectionem, intentionem et operationem ad caritatis referre profectum. Nempe ad sanctæ caritatis incrementum ita in omnibus adspirare, et pro illo tam fideliter laborare, actualiterque illud sic incessanter adspicere, meretur præcipuum divini amoris augmentum : quoniam spiritualiter ad aliquid ire et appropinquare, non est aliud quam ad illud fervide affici et conari, et hoc diligenter cupere adipisci. Imo hoc est non solum ire et propinquare, verum etiam currere ac volare ad Deum, ad profectum, ad gratiæ incrementum et ad veram perfectionem sic affici et conari, tanquam diligenter velle seu cupere caritatis augmentum.

Hinc quippe ait Eusebius : Quotidie addamus ad merita, nec de nobis aliquid præsumamus, quoniam Dei est omne quod possumus. Simus ergo indeficientes in opere Dei, atque assidue ad meliora tendamus. Ipsa namque apprehendendi aviditas, ipsa consuetudo proficiendi, semper nos ad meliora provocabit. Et ubi viderit Deus animi devotionem, ardentiorem insinuabit, faciet et ostendet affectum. Et quantum nos addiderimus ad conatum, tantum ille apponet subsidium; quantum nos apposuerimus ad diligentiam, tantum ille addet ad gratiam, quemadmodum ait : *Matth.* xxv, 29. Habenti dabitur, et abundabit. Gratia ergo de gratia nascitur (major videlicet de mi- A nori), et profectus profectibus serviunt et lucra lucris, et merita meritis lucra efficiunt : ut quanto plus quis acquirere cœperit, tanto plus conetur ac delectetur acquirere, ut acquisitionis lucrum, acquirendi nutriat appetitum. Quæramus igitur usque in finem. Si enim ponamus quotidie in cordibus nostris ascensus (proficiendo et profectum semper majorem optando), nulla infirmitate, nulla ætate lassari et a spirituali ascensu poterimus impediri.

B Secundum medium proficiendi in caritate divina, est frequenter ac diligenter considerare ea quæ ad divinum inflammant amorem. Cognitio namque est quasi via, incitamentum ac ratio ad amorem, ostendens voluntati bonitatem amabilitatemque sui objecti seu voliti, ex qua voluntas instigatur, movetur atque accenditur ad amandum. Porro ad Dei amorem nil ita accendit ut pura et infinita bonitas ejus : quæ utique, quantum ex se est, incomparabiliter magis ad C Deitatis amorem est inflammativa quam aliud aliquid. Itaque contemplari quod Deus in se ipso est bonitas superpurissima, prorsus immensa pulchritudo, dulcedo, sapientia, perfectio, beatitudo, pietas, sanctitas, justitia, liberalitas penitus infinita, superessentialis, separata, superdeliciosa ac delectabilissima, in se simplicissime æternaliterque subsistens, vehementer auget et accendit amorem ad ipsum ; deinde quod ipse prior dilexit I *Joann.* iv, 10, 19. nos ; deinceps diligenter perpendere cun- D cta ipsius beneficia, generalia ac specialia, corporalia et spiritualia, naturalia et supernaturalia, incomparabilia quoque ac præstantissima ipsius promissa, quæ nec I *Cor.* ii, 9. oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt. Si ergo tam amabilia sunt quædam creata aut ob suam bonitatem, virtuositatem et sanctitatem, aut ob suam ingeniositatem, et sapientiæ atque scientiæ claritatem, aut ob suam pulchritudinem ac decorem, aut ob suam liberalitatem ac beneficentiam, aut ob

A suam dulcedinem, pietatem, caritatem, justitiam, vel consimilem rationem : quanto amabilior aut desiderabilior est Deus omnipotens et æternus, in quo omnia ista superplenissime continentur, imo substantialiter unum sunt, et unum simplicissimum, perfectissimum ac incircumscriptibile esse, ita quod omnium rerum creatarum bonitates, amœnitates, dulcedines, sapientiæ, scientiæ, beatitudines, virtutes, liberalitates, justitiæ, pietates ac perfectiones, potestates et pulchritudines B non sunt nisi rivuli parvuli, radii modici, participationes pusillæ bonitatis increatæ, lucis fontanæ, superexuberantissimi fontis, superpulcherrimæ et supersplendidissimæ Deitatis atque superamorosissimæ Trinitatis? Ex horum consideratione in Dei amore totaliter accendamur, et ipsum super omnia integro corde desideremus et amplectamur.

Tertium medium est, multoties adspirare, suspirare et elevari ad Deum cum verbis amorosis, querulosis et deprecatoriis, C hoc aut simili modo dicendo : O benignissime Deus, quando te toto corde amabo? O superpulcherrime Domine, quando tibi pura et affectuosa mente indesinenter ac fervide adhærebo? O Deus dulcissime, quamdiu in meo torpore, tepore, frigiditate manebo? Hæcque dicendo, tundere pectus, plorare ac intueri in cœlum, et addere : O Deus majestatis immensæ, tua sancta dilectione mentem meam vehementer et incessanter accende.

Quarta via est, ex caritate jam habita D mentem ad Deum frequenter erigere cum actuali dilectione. Habitus quippe ex actibus sæpe iteratis augentur, complentur, invalescunt, imo et generari dicuntur. Quocirca sciendum quod diligere, est alicui bonum velle : hinc Deum diligere, est ei velle omne bonum quod ipse est, et omnem honorem, amorem et cultum qui ei a creaturis debentur; ipsum præ cunctis desiderare, et cupere secum esse; de ejus inhonoratione dolere; universæ beatitudini, perfectioni ac gloriæ ejus prææcordialissime congaudere; ipsius venerationem toto posse in omnibus procurare, orando, docendo, hortando, corripiendo, scribendo, exemplariterque vivendo. Itaque per hos actus ferri in Deum frequenter, attente, non lente, valde auget, confortat ac perficit caritatem, præsertim si homo toto conatu feratur in Deum, se ab aliis retrahendo, et quod in se est extreme agendo, tamque intente se ad Deum elevando ut potest : quod faciendo, mox utique crescet in caritate.

Quinta via est, Deum directe ac diffuse rogare quatenus in se divinam suam caritatem dignetur perficere, roborare, augere, formando etiam ad hoc obsecrationes ex proprio corde validas ac ferventes, isto aut modo consimili : Obsecro te, Domine Deus, naturaliter, infinite et incomparabiliter bone, supernaturalis, superpulcherrime et superpiissime, ut propter tuam infinitam bonitatem, dulcedinem, pietatem, digneris me in sancto tuo amore incessanter accendere, totaliter adimplere, omni hora firmare, augere, conservare, possidere, perficere. Et tu, o superaltissima, superessentialis et supergloriosissima Trinitas, ob omnem tuam ad invicem mutuam, superardentissimam dilectionem, et complacentiam superdulcissimam atque immensam, fac me tibi jugiter magis ac magis placentem, et in tuo amore quotidie magis fervidum, stabilem et perfectum.

Sexta via seu medium est, intuitu et amore Dei omnes pravos illicitosque affectus, caritati contrarios aut aliquo modo nocentes, et cuncta peccata diligenter semper vitare, cordeque custoditum, timoratum, sollicitum consistere coram Deo. Sola namque peccata nostra inter Deum *Is.* LIX, 2. et nos dividunt, et faciem ejus a nobis abscondunt, prohibentque dona ejus a nobis. Propterea loquitur Isaias : Iste omnis *Ibid.* XXVI[I], 9. fructus, ut auferatur peccatum.

Si in his viis ac mediis te ipsum strenue ac perseveranter exercitaveris, celeriter sine dubio ad grandem caritatis profe-

ctum, ac paulo post ad magnam ejus perfectionem devenies, et vere fructuosissima erit tua religiosa ac solitaria vita.

ARTICULUS XXXVI.

De contemplatione.

II Cor. III, 8. *NOS vero revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu.* Qui juxta jam introducta fuerit a vitiis expurgatus, in passionibus reformatus, in exercitatione interna fundatus, in caritate sincerus, stabilitus, perfectus, protinus in se feliciter ac copiose experietur quam vere liberalissimus atque ad dandum exuberanter paratissimus sit Deus bonus, adorandus ac infinitus, qui unicuique secundum suam influit præparationem, dignitatem et capacitatem. Menti igitur taliter reformatæ, ac instar splendidi speculi fulgidæ et ornatæ, fons opulentiæ, munificentiæ et dilectionis penitus infinitæ, Deus gloriosus, naturaliter bonus, essentialiter pius incomparabiliterque magnificus atque beneficus, ostendet per donum sapientiæ, per illuminatissimam fidem, per illustrationem theoricam, se ipsum et infinitos suarum divitiarum (id est perfectionum) thesauros, omnem incircumscriptam eminentiam, plenitudinem, immensitatem suæ æternæ, superpurissimæ bonitatis et veritatis, ac supersimplicissimæ unitatis, increatæ felicitatis et gloriæ, supersplendidissimæ pulchritudinis, interminabilis suavitatis, illimitatæ sapientiæ, omnipotentiæ, pietatis, justitiæ, ac superserenissimæ dulcedinis, amœnitatis, gratiositatis et convenientiæ. Itaque mens purgata, contemplativa ac fervida, sic desuper illustrata, elevabitur super se, et contemplabitur Dominum Deum suum tam infinite perfectum et tam perfecte ac perfectionaliter infinitum, tam pure ac naturaliter bonum, tam summe et prorsus incomparabiliter amabilem et superamabilem et superdesiderabilissimum, tam infinite dulcissimum, serenissime gratiosum et supergratiosissime convenientem, serenum, acceptum, tam gloriose et infinite beatum et superbeatissime gloriosum, tam interminabiliter sapientem, omnipotentem, benignum, justum, dignum, nobilem, honorandum.

Quumque Deus excelsus et benedictus sit in se ipso summe et absolute penitus simplex, utpote purus actus, separatissima forma, omnia formans, nihil informans, in quo non est materia limitans, nec potentialitas contrahens, nec differentia finiens seu coarctans ; constat quod omnia ista jam tacta et cetera divinæ essentiæ attributa sint in supergloriosissimo Deo realiter idem, et substantialiter unum simplicissimum esse, in se omnino perfectum ac infinitum, independens, æternum, ideale ac separatum, in quo cum omnimoda identitate, absque omni compositione et additione, est omnium bonorum et pulchrorum ac desiderabilium infinita possessio.

Quumque mens taliter elevata ac Deo contemplative intenta, conspexerit Deum in omni perfectione, sanctitate et gloria esse tam infinitum, et per consequens prorsus omni menti humanæ ac viatrici (imo etiam omni menti angelicæ ac beatæ) incomprehensibilem, atque in infinitum transcendentem ac superantem omnem mentis creatæ capacitatem ; unitur et intenta est Deo tanquam prorsus ignoto quantum ad id quod est : sicque cognoscit quod universa quæ Deo adscribimus, conveniunt ei per modum infinite eminentiorem et perfectiorem quam nos capere et intelligere in vita hac valeamus. Ideo dicit ea verius auferri et abnegari de Deo, quam convenire eidem : quia videlicet non competunt ei per modum nobis notum aut comprehensibilem, sed inæstimabiliter inenarrabiliterque sublimiorem. Et hoc divinus Dionysius vocat intrare caliginem, id est superlucidissimam in se, sed nobis ignotam et incomprehensibilem Dei claritatem, plenitudinem re- De Theol. myst. c. I, II ; Epist. V, ad Dorotheum.

gionemque lucis et veritatis ac sapientiæ A Dei prorsus immensam, et fieri in ignorantia Dei, et per invisibilitatem et incomprehensibilitatem ipsum videre atque cognoscere, hoc est intelligere ipsum omnino invisibilem et incomprehensibilem esse : velut si quis stet in littore totius Oceani, hoc est ei Oceanum ipsum videre, videre se non posse illud totum visu attingere, metiri, finire ; et sicut si quis in ipsam solis lucem in sole formaliter exsistentem suum defigat visum, hoc est ei lucem illam conspicere, conspicere se non B posse eam in sua virtute et puritate oculis irreverberatis conspicere.

Sic igitur contemplemur Dominum Deum nostrum, et interiorem mentis oculum figamus in ipsum cum omni humilitate, reverentia et amore, absque audaci et curioso scrutinio ; et intueamur quod ipse est esse purum, simplicissimum, incircumscriptum, bonitas infinita, veritas increata, unitas summa, superbeatissima vita, sapientia prorsus immensa, virtus omnipotens, superliberrima quoque volun- C tas, pulchritudo separata et interminata, dulcedo illimitata, sicque de ceteris perfectionibus ejus.

In horum contemplatione inflammetur cor nostrum, et divini amoris ardore totaliter succendatur. Sicque Deo profundius uniatur, ac abdite, tanquam ignoto, lucide pariter et obscure ferventissime infigatur : quod magnus Dionysius mysticam nominat theologiam, quæ fertur secretissima et ferventissima mentis cum Deo locutio, ad quam sincerissimæ caritatis D æstuantissimum desiderium introducit. In hac contemplatione, lumine divino menti contemplativæ clarius infulgente, caritatis quoque ardore valenter prædominante, mens ipsa paulatim præ admiratione majestatis ac serenitatis Dei altissimi defluit ac deficit a se ipsa, atque in divitias rapitur gloriæ Dei omnipotentis, et in Deitatis pelagus absorbetur, in abyssum luminis sempiterni demersa ; ac igne amoris seraphici eam penitus depurante, subtiliante ac transformante et quasi deglutiente, in superdilectissimum Deum verum transit, omnino alienata a se, et obdormit in dilecto, dulciterque requiescit in pace in *Ps.* IV, id ipsum, translata a rerum tumultu ad gaudia interni ac cœliformis silentii, ad serenissimum et tranquillissimum diem, ad superpurissimi luminis regionem, ubi a suo superbenignissimo Creatore dignantissime amplexatur, deosculatur, exhilaratur, ungitur, fecundatur ; et de sua acceptatione pro tunc certificatur, ac ea quæ fidei sunt certissima acie intuetur. Ipsa quoque econverso Sponsum illum cœlestem brachiis caritatis amplectitur et adstringit, atque in superbeatissimæ Trinitatis mutuo nexu, amore et osculo se mediam invenit : eodem quippe nexu, amore et osculo quo superadorandæ et superglorificandæ tres Personæ se invicem mutuo diligunt, stringunt et amplexantur, universos quoque prædestinatos pariter amant et complectuntur, æternaliter utique invariabiliterque omnino, quamvis viatoribus hoc non pandant, nisi quibusdam, ut placet, modo nunc tacto aut alio.

Insuper, ad contemplationem hujusmodi pertingit viator interdum ex creaturarum consideratione : quoniam quidquid perfectionis, amabilitatis, dulcedinis, pulchritudinis, sapientiæ, potestatis et gloriæ inest effectibus et creatis divisim et imperfecte, incomparabili et superpræstantissimo convenit Creatori simplicissime et perfecte, cum excellentia penitus infinita.

Eminentius vero pertingit mens ad contemplationem hanc per anagogicam illustrationem et pure intelligibiles formas, per supernaturalia et divina charismata, per sapientiam unitivam, caritatem flammigeram, et fidem rationibus credendorum purificatæque mentis intelligentia decoratam.

Præterea, nonnunquam mens absque suo conatu, improvise, repente ad contemplationem hanc et mysticæ theologiæ intuitum, raptum et ecstasim elevatur, pietate Dei immensa per prævenientem præstrin-

gentemque gratiam misericordissime eam prævenientе, ipsumque apicem affectivæ et verticem intellectivæ potentiæ immediate tangente, illuminante et inflammante tam valide, ut imbecillis creatura confestim et quasi instantanee defluat et deficiat a se ipsa, et super se mirabiliter ac gratiosissime transferatur, in tantum ut non queat (quamvis velit) reniti, utpote libertate arbitrii jam quasi ad horam suspensa atque sopita. Et hæc est vere pia ac felix prostratio, qua mens creata Omnipotenti succumbit, et a supergratiosissimo vincitur Sponso : cujus amœnitate, complacentia, pulchritudine et amore prorsus dejicitur, irreluctabiliter superatur ; non violenter opprimitur, sed suavissime ac prorsus amorose allicitur, fructuose conjungitur, intime sociatur, idque tamdiu quousque placuerit Sponso eam dimittere ac sibi ipsi remittere : quæ sibi relicta, præ solito clarius cernit propriam imperfectionem, defectuositatem et calamitatem, ineffabilem quoque Sponsi æterni circa se caritatem, dignationem et pietatem ; ideo diligentius nititur se purgare, purius conversari, gratior reperiri, ut ad degustatos amplexus aptior fiat et complacentior Sponso.

Interdum autem ad contemplationem hanc mysticam perducitur anima munda ac amorosa ascensoriis gradibus, ipsa se præparante per abstractionem a materialibus rebus, et per elevationem theoricam, per sinceram orationem ardentissimumque puræ dilectionis affectum, prout hoc primo capitulo Mysticæ theologiæ ac deinceps ibidem docet seraphicus ac illuminatissimus Dionysius ille.

ARTICULUS XXXVII.

De contemplatione superessentialis et supergloriosissimæ Trinitatis.

Ephes. I, 17. PATER *gloriæ det vobis spiritum sapientiæ in agnitione ejus.* De unius summi et incircumscriptibilis Dei contem-

A platione multa vera atque subtilia dixerunt et conscripserunt philosophi. Porro superexcellentissimæ Trinitatis non habuerunt notitiam, saltem ex lumine naturali. Quamvis etenim ad ponendum emanationem in Deo ad intra, personarumque pluralitatem in simplicissima Deitate, quædam probabiles rationes ac pulchræ persuasiones, non tamen demonstrativæ argumentationes ex lumine naturali queunt induci, quamvis nonnulli sint aliter opinati. Porro divina Scriptura desuper revelata atque in
B supernaturali lumine rite fundata ac inviolabiliter stabilita, nos edocet sic in superincomprehensibili Deo consistere essentiæ unitatem simplicissimamque naturam, ut nihilo minus sit in ipso vera trinitas supersanctarum et supervenerabilium Personarum : quæ quum sint ejusdem numero essentiæ, merito consubstantiales, coæquales et coæternæ creduntur ac asseruntur.

Nempe, quemadmodum Deus est bonitatis penitus infinitæ, ita et fecunditatis
C immensæ. Hinc Pater æternus se ipsum plenissime et superclarissime intuendo, sui ipsius conceptum ac Verbum intra se profert ac gignit : cujus Verbi productio recte generatio appellatur, quum sit productio consimilis sibi germinis in natura, ex sua substantia, secundum similitudinis rationem ac proprietatem. Hinc et Verbum illud æternum Unigenitus Dei Patris verissime nuncupatur. Hæc est generatio æternalis, intellectualis, invariabilis, superpurissima, et emanatio naturalis, origo, causa Ephes. III, 15.
D et fons universæ generationis, paternitatis productionisque naturalis in cœlo et terra. Porro Pater æternus et Unigenitus ejus se invicem æternaliter intuentur et penitus comprehensive intelligunt cum caritate, jucunditate ac complacentia omniformiter et omnifarie, intensive et perfectionaliter infinita ; sicque se invicem intuendo ac diligendo, ac taliter sibi mutuo complacendo, æternaliter, invariabiliter concorditerque producunt quemdam eis communem zelum, seu vehementissimum, singularis-

simum ferventissimumque in se subsistentem amorem, qui dicitur amor spiratus ab amore inspirato Patris ac Filii, et ab amborum concordi (imo et una numero) voluntate, ut in eis est immediate procedens : qui non Filius, sed Spiritus Sanctus vocatur, quamvis Patri ac Filio consubstantialis exsistat, quoniam non secundum proprietatem et rationem similitudinis, sed amorosæ cujusdam zelationis atque tendentiæ et impulsionis in alium profluit et emanat, quum sit amor spiratus Patris in Filium, et econtra. Hinc merito nominatur amor et Spiritus, nexus et unio, pax, osculum, suavitas et amplexus Patris ac Filii.

In hac igitur superdignissima et superfelicissima Trinitate, unaquæque divina et increata Persona tam diligit se ipsam quam alias duas Personas superdulcissimo, superferventissimo penitusque intensive infinito amore. Et quoniam unaquæque earum plene et splendidissime aliam intuetur ipsaque fruitur, constat quod mutua illa dilectio infinite delectabilis sit. Et breviter, quælibet increata Persona se ipsam aliamque utramque cum infinita lætitia inspicit, supersuavissime fruitur, et superæstuantissime amat. Ecce hæc est vita, beatitudo et gloria superexcellentissimæ Trinitatis. His caritatis deliciis, his mutuæ dilectionis amplexibus, his alternæ atque communis fruitionis supergaudiosis suavitatibus nil dulcius, nil tranquillius, nil felicius potest excogitari.

Denique, in hac superbenedicta Trinitate est omnis sanctæ mutuæ dilectionis et complacentiæ virtuosissima et superexuberantissima ratio, quum unaquæque superveneranda et superamanda Persona sit bonitatis ac sapientiæ et pulchritudinis penitus infinitæ. Estque inter eas summa propinquitas, imo et substantialis identitas, realis absolutaque unitas, clarissima quoque cognitio, plena communio, societas summa, familiaritas maxima, consistentia sempiterna.

Hæc omnia dulciter ac sobrie contemplemur, in his amorose sinceriterque lætemur. Tam infinitæ beatitudini Domini Dei nostri totis congratulemur præcordiis; ipsum honoremus indefesse viribus totis; in ejus crescamus amore, in sapientiali cognitione, in puritate mentali. Non solum temporalia et carnalia ac terrena spernamus, sed omnem quoque inordinatum ad ea affectum prorsus eradicemus : imo et nos ipsos tandem totaliter relinquamus, ita ut tam amorose ac valide elevemur, transformemur ac figamur in abyssum lucis et veritatis æternæ, quod nec proprium actum, neque nos ipsos, nec quidquam attendamus aut reminiscamur creatum; et ita erimus unum cum Domino. Quod ut obtinere possimus, in solo Deo purissime nos amemus, omni prorsus evulso privato amore; et sic omne illud optemus et complectamur quo Deo placere, appropinquare et uniri queamus. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS LIBRI DE LAUDE ET COMMENDATIONE VITÆ SOLITARIÆ.

DE VITA INCLUSARUM

PROŒMIUM

QUAM *magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine!* Ps. xxx, 20.

Hæc sunt verba beatissimi David regis atque prophetæ, qui fuit electissimum organum Spiritus Sancti, quia per ipsum ardentissima et sententiosissima verba locutus est Spiritus Sanctus. Itaque sacratissimum vas illud misericordiæ Dei, rex David, divinæ consolationis suavitatem copiose expertus, atque in divitias gloriæ Dei raptus, et ibidem quam vere et incomparabiliter ac penitus infinite in se ipso dulcis sit Deus noster per experientiam doctus, ex admiratione divinæ pietatis, liberalitatis ac dignationis circa suos electos stupens ac deficiens, cum fervore et gratiarum actione ac gaudio exclamavit : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine! Si enim tanta invenitur dulcedo in rebus istis inferioribus et terrenis, in melle et floribus, in cibis et potibus, in speciebus et herbis, in unguentis, in quibusdam etiam lignis et gemmis : quanta credenda est esse dulcedo omnium Creatoris? Quidquid enim bonitatis, amabilitatis, perfectionis et suavitatis est in creaturis sparsim atque finite et imperfecte, hoc totum est in Deo creatore unitim, perfecte et infinite. Idcirco in Deo est infinita dulcedo : imo magis proprie veriusque loquendo, Deus sublimis et benedictus essentialiter est infinita suavitas, ita quod sua incircumscripta essentia est dulcedo prorsus immensa.

II Reg. XXIII, 2.

Sed quemadmodum Deus omnipotens et æternus est in se ipso ineffabiliter simplicissimus spiritus, non solum omni corporali substantia, sed etiam omni spiritu creato incomparabiliter simplicior; sic ejus dulcedo quum sit spiritualissima atque purissima, non nisi ab hominibus spiritualibus et purgatis in hoc mundo gustatur, percipitur et sentitur degustatione frequenti, experimentali, perfecta. Interdum tamen misericordissimus Deus incipientibus et imperfectis dat aliqualem suæ suavitatis saporem, ut eos sibi alliciat et confortet, consoletur et doceat ad quid tendere debeant, et quam bonum atque salubre sit Deo altissimo obsequi : qui etiam sibi deservientes in hac peregrinatione, in hoc exsilio, in præsenti certamine et labore tam benignissime visitat, tam dulciter recreat, et quid in futuro adepturi sint sæculo, jam eos tam abundanter prægustare concedit, quatenus, sicut cantat Ecclesia, ex perceptione præsentium munerum certa sit exspectatio futurorum. Certum ergo est, quod quanto fuerit homo ab omni carnali affectu purgatior, a multimoda evagatione collectior, a multiplicibus variisque occupationibus simplificatior, tanto capacior est consolationis divinæ, experimentalisque degustationis suavitatis supernæ, imo et intromissionis in sanctuarium Dei, ut illustratus, elevatus et raptus in Deum, in participatione suæ tranquillissimæ pacis et infinitæ quietis obdormiat, in abysso lucis immensæ suavissime demergatur, ex vehementia amoris divini a se ipso totaliter alienetur, atque in Deum, qui essentialiter caritas est, transformetur; sicque tam ingenti divinæ dulcedinis perfunditur sapore, ut cum sancto David exclamet : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine!

I Joann. IV, 8, 16.

DE

VITA INCLUSARUM[1]

ARTICULUS PRIMUS.

De motivo hujus tractatuli.

NUPER misi caritati tuæ brevem epistolam, o venerabilis ac devota atque in Christo carissima Mater; et quia epistola illa tibi complacuit, supplicasti ut aliquid amplius tibi scribam : ad quod me prorsus inidoneum ex corde profiteor, nec tuam personam venerando senio decoratam, in spirituali conversatione tot annis exercitatam, meis arbitror exhortationibus aut in- B formationibus indigere. Confido namque,
ann. II, quod unctio Spiritus Sancti doceat mentem tuam de omnibus; et dum a me defectuoso ac indevoto informationem optas, parvitatem meam tua humilitate non mediocriter ædificas atque instruis. Sed sicut de beatissimo Hilarione scribit S. Hieronymus, quod ille appropinquante jam tempore suæ resolutionis ex senectute decrepita, quando alii solent tepidius agere, quotidie majori flagrabat desiderio spiritualis profectus; ita et tu Sancti illius C vestigia sectari conaris.

Sed ne immoderata laude animam tuam affligam, tantumdem tetigisse sufficiat,
cli. XI, præsertim quum scriptum sit : Ne laudes hominem in vita sua. Verumtamen veraciter virtuosi quum se laudari percipiunt, nequaquam inaniter gloriantur, sed Deo omne bonum cum gratiarum actione et humilitate adscribunt, et se ipsos magis A humiliant, certissime cognoscentes quod nostra merita sunt Dei dona, et quod non solum bona operari ac loqui, sed etiam *Philipp.* II, velle et posse a Deo habemus, sine cujus 13. inspiratione, caritate et gratia nihil est meritorium, nihil sanctum. Hinc de suis virtuosis actibus non solum non extolluntur, sed et intime ac humillime deflent quod bonis sibi desuper misericorditer datis tot mala, tot defectuositates, distractiones, negligentias atque pigritias admiscuerunt, ita quod universæ justitiæ no- *Is.* LXIV, 6. stræ panno menstruato assimilantur.

Itaque, quum in vita hac nemo sit ita mundus, ita perfectus, ut non sit magis magisque mundandus ac perficiendus, eo quod tota hæc vita sit via, cursus et pere- II *Cor.* V, grinatio ad vitam beatam futuram, in qua 6; *Hebr.* XI, 13. via non progredi regredi est; hinc desiderio tuo satisfacere studui, et de vita inclusarum, non tam pro tua persona sene exercitata, quam pro junioribus et incipientibus, ista conscripsi.

ARTICULUS II.

De initio vitæ emendatioris in reclusorio.

QUONIAM initium operum bonorum confessio est malorum, hoc omni Christiano se emendare volenti commune est, ut in primis de universis suis peccatis cordialiter doleat, tanto intensius quanto graviora fuerint sua peccata, ut magnitudo

[1] Ex editionibus Coloniæ, Joannis Soteris, 1532, et Joannis Birckmanni Junioris, 1559.

doloris magnitudini vitiorum proportionetur; deinde integraliter confiteatur, et pœnitentiam sibi injunctam persolvat; insuper divina observet præcepta, mandata quoque Ecclesiæ et superiorum suorum; deinceps secundum exigentiam vocationis seu professionis suæ digne Deo conversari conetur.

Persona ergo reclusa sapienter advertat cur corporaliter a cunctis se abstrahat et recludat : ideo utique, ut omnium mundanorum (quantum possibile) obliviscatur, quatenus divinorum jugiter reminiscatur. Idcirco mentem suam a phantasiis et imaginibus rerum sensibilium purget, a curis sæcularibus eam evacuet, ab inutilium rerum memoriis mundet, ut dicere valeat
Ps. xxiv, 15. cum Propheta : Oculi mei semper ad Do-
Ps. lxxii, 28. minum; itemque : Mihi autem adhærere Deo bonum est. Sed quia hoc ipsum a principio adimplere non est potestatis humanæ, præsertim fragilitatis ac instabilitatis mentis femineæ, hinc primo necesse est personæ reclusæ, divinæ pietatis gratiosum subsidium incessabiliter cum omni fiducia humillime invocare, consuetudinem orandi sibi efficere, et manus ac oculos simul cum corde ad Deum levare,
Thren. iii, 41. quemadmodum Jeremias hortatur : Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlos.

Verumtamen, quoniam Deum laudare est actus altior, cœliformior magisque angelicus quam orare, propterea reclusa, tempore procedente et ipsa in spiritualibus proficiente, assuescat in Dei laudibus occupari, in hymnis et psalmis se exercere, imo ex proprio corde, prout Deus concesserit et devotio instigaverit, verba amorosa atque dulcissima divinæ laudis proferre, infinitam Dei bonitatem, pietatem, omnipotentiam, sapientiam, beatitudinem collaudando, ejusque beneficia recolendo, ut dicere possit illud Prophetæ :
Ps. ciii, 33. Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo
Ps. xxxiii, 2. meo quamdiu sum; et rursus : Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Si in his exercitiis se

A cum diligentia humili et cordis sui custodia pervigili ad modicum exercitaverit tempus, statim experiri incipiet spirituales delicias, consolationes internas, et quam vere dulcissimum sit in cordis puritate cum Christo miscere colloquia, familiariter loqui cum Deo, rore Spiritus Sancti perfundi. Præterea, quædam sunt orationes laudibus Dei permixtæ, quales sunt multæ in libro Psalmorum; et illis insistere exsistit tam salubre, ut dicat Psalmista :
Laudans invocabo Dominum, et ab inimi- *Ps.* xv
B cis meis salvus ero.

ARTICULUS III.

Quam saluberrimum sit passionem Christi stabiliter infigere menti.

SICUT testatur Scriptura, corpus quod *Sap.* ix
corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Hinc mens humana in hoc miserabili statu non diu manet actualiter fixa in Deo, neque in cœlestibus stabiliter C perseverans : imo, quod lamentabilius est, etiam tempore orationis et laudis divinæ ac meditationis internæ toties et tam cito distrahitur, in ima delabitur, in vilissimis evagatur. Idcirco, ut assuescat cito resurgere, seque in Deo colligere, et in divinis quotidie magis stabilis esse, oportet ut aliquid salubre homo cordi suo firmissime imprimat indelebiliterque infigat : quatenus quotiescumque distrahi aut tentari vel mente lædi se percipit, mox ad illud mente recurrat, illud inspiciat, ac per D hoc ad Deum se erigat, imo illud tam tenaciter cordi suo inhæreat, ut non faciliter nec diu ipsummet permittat vagari.

Porro non video quid salubrius posset quis cordi suo tam fixe infigere ut passionem Jesu Christi. Sed quomodo potest homo hanc cordi suo tam firmissime irremovibiliterque imprimere ut est tactum? Potest hoc utique, si de ea quotidie bis aut ter attente et morose, quasi eam præsentialiter cerneret, meditetur, et Christo pro se passo affectualiter compatiatur, sicque

ex consuetudine taliter meditandi, imprimetur memoriæ suæ imago Crucifixi : per quam quasi indesinenter adspiciet oculo interiori Christum velut in cruce pendentem, seu tanta ac talia patientem, et ita cum interna compassione pensabit qua-
.nn. xix, les dolores sustinuit Christus, dum pedes ejus sanctissimi ac manus dignissimæ clavis perforabantur; dum caro ejus virginea
Ibid. 1. atque tenerrima lacerabatur flagellis, et distendebatur in cruce usque ad ossium dissipationem, nervorum quoque et venarum diruptionem, sicut ait in Psalmo,
xxi, 17, Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea ; dum sa-
nn. xix, cratissimum caput ipsius coronatum est spinis et arundine cæsum.

Itaque, si quis hanc Christi imaginem cordi suo ita impresserit, omnem evagationem facillime abjiciet et repellet, omnem tentationem velociter vincet, omnem cordis duritiam, vanitates et risus super-
. lxxvi, fluos superabit ; renuet anima ejus in exterioribus et carnalibus consolari, sicque merebitur divinarum consolationum particeps fieri etiam copiose atque multoties in præsenti, quemadmodum Paulus ait
Cor. i, 7. apostolus : Scitote quoniam sicut socii passionum estis, sic eritis et consolatio-
Ibid. 5. nis ; et denuo : Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.

Denique, quidam Sanctorum pro aliquo salubri secundum modum præfatum menti salubriter ac firmiter imprimendo, elegerunt sibi aliquem versiculum affectuosum
. lxix, 2. ex Psalmis, videlicet : Deus, in adjutorium
Ps. l, 12. meum intende ; vel : Cor mundum crea in me, Deus, etc. Sed non videtur mihi aliquid salubrius posse infigi memoriæ quam imaginem passionis dominicæ. Ex cujus quotidiana recordatione etiam accenditur homo divino amore ; discit se humiliare, adversa hilariter tolerare, pro malis bona impendere, operibus pœnitentiæ libenter insistere, delectabilia carni horrere, et propria ac aliorum peccata deflere.

Insuper, circa Christi passionem primo pensandum est quis sit qui patitur, utputa quod ille qui pro nobis occisus est, sit unigenitus Filius Dei, verus Deus verusque homo. Secundo pensandum est qualis sit, scilicet innocens, mitissimus, piissimus, dulcissimus. Tertio, quantus sit, quia ipse
Rex regum et Dominus dominorum : qui Apoc. xix, 16.
secundum suam divinitatem, est majestatis immensæ ; secundum humanitatem vero suam, dignior est toto mundo. Quarto, quare passus est, scilicet non pro suis, sed pro nostris peccatis, pro nostra redemptione a pœnis infernalibus et æternis. Quinto, propter quid, scilicet pro nostra salvatione in regno æternali cœlesti. Sexto, a quibus, puta a populo suo peculiari et proprio, pro quorum salute specialiter missus fuit. Septimo, a qualibus, utputa ab atrocissimis, sceleratissimis ac vilissimis peccatoribus, qui tanquam ferocissimi lupi irruerunt in mansuetissimum ac innocentissimum Agnum. Octavo, a quantis, videlicet a multis millibus Judæorum atque gentilium, qui in die Parasceves passioni Christi interfuerunt, eumque multipliciter deriserunt, quemadmodum per sanctum
David prædixit : Omnes videntes me deri- Ps. xxi, 8.
serunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Omnia ista valent ad meditandum de Christi passione cum præcordiali compassione et vehementiori affectus inflammatione, præsertim quia hæc universa pro nobis pertulit Christus ex nimia sua dilectione ad nos, testante Apostolo : In fide Galat. ii, 20.
vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me. In quibus S. Pauli verbis id intuendum, quia quæ pro toto genere humano Christus generaliter pertulit, Paulus quasi pro se solo specialiter ipsum reputavit perpessum. Ideo dicit Chrysostomus : Hic est affectus servi fidelis, ut quod pro omnibus passus est Dominus, quasi pro se solo reputet illum esse passum. Quoniam et revera antequam Salvator, quantum in ipso est, quemquam perire permitteret, adhuc pro eo solo potius pati vellet.

Itaque pia ac devota sapiensque reclusa quotidie certis vicibus ponat se coram Christo seu ejus imagine, et secundum formam jam tactam mente recollecta cogitet de passione amarissima Christi, et quantum dilexit nos, quanta pro nostra salute assumpsit, fecit ac passus est. Quæ omnia attente ac amorose pensando, gratias cordialissime agat, in amore proficiat, virtutes, potissime humilitatem patientiamque, addiscat : imo pro posse Christo studeat conformari, ejus vestigia sequendo, et omnes suas affectiones stabiliendo in ipso, ut præter eum nil amet, nil appetat, nil formidet, nil curet, nisi in quantum sibi utile ac necessarium est ad hoc quod Christo complaceat; sicque libentissime erit in cella.

Postremo secure id dico, quod nunquam sponsus sponsam suam tam amorose et libenter est amplexus, quam amorose et libenter Filius Dei pro nobis amplexatus est columnam ad quam flagellabatur, ascenditque crucem in qua suspendebatur. Simus igitur grati mente et ore et opere.

ARTICULUS IV.

De finali causa reclusionis ac solitariæ mansionis.

AMBULANTEM sive currentem scire oportet quo ambulare seu currere debeat; operantem quoque et laborantem oportet agnoscere ad quid operationem suam atque laborem debeat finaliter ordinare. Quum ergo tota hæc vita sit peregrinatio quædam et ambulatio sive cursus ad aliam vitam in futuro, nec solum hoc, sed inter actus virtutum quibus itur aut curritur ad vitam futuram sit ordo, ita quod est aliquis actus virtutis ad quem aliarum virtutum opera sunt finaliter ordinanda; hinc et conversationis abstractæ, solitariæ et reclusæ est aliquis finis, non solum in futuro, videlicet beatitudo regni cœlorum, sed etiam in præsenti. Porro caritas Dei est omnium summa virtutum :

II *Cor.* v,6; *Hebr.* xi,13.

A idcirco omnium Christianorum exercitia virtuosa ad actualem Dei dilectionem tanquam ad finem in vita præsenti sunt referenda. Ab actuali vero dilectione Dei impeditur homo per occupationem in exterioribus, per dispersionem animi sui in multis, per humana colloquia, per sensibilium rerum tumultum et novitatum occursum, per inquietudines passionum et varias curas. Quanto autem plus abstrahit se homo ab omnibus istis ut Deo adhæreat et intendat, tanto aptior est ad
B divinum amorem ferventem et stabilem. Etenim virtus unita fortior est quam dispersa; et cor humanum tanto fortius uni rei infigitur, quanto amplius a multis abstrahitur. Itaque, quo persona inclusa ab universis prætactis amoris divini impedimentis perfectius se avertit, elongat, abstrahit et recludit, eo ad puriorem, stabiliorem, liberiorem et ardentiorem Dei amorem se dare debet. Nam hujuscemodi amor Dei est causa finalis suæ inclusionis ac solitudinis in hac vita. Idcirco ad talem
C Divinitatis dilectionem quotidie tendere debet, et omnia opera sua ordinare ad illam : aliter frustra ac insipienter esset in cella seu reclusorio suo.

Præterea, dilectio Dei cognitionem ejus includit ac præsupponit : quia quod prorsus ignotum est, amari non valet. Cognitio autem Dei ad quam sequitur fervens et meritoria dilectio ejus, non est qualiscumque cognitio Dei, sed illa quæ est actus doni sapientiæ : quæ sapientia est primum et summum donum inter septem dona
D Spiritus Sancti; et dicitur sapientia, quasi sapida scientia, id est cognitio Dei amorosa, habens gustum internum dulcem sibi annexum. Idcirco sive dicatur fervens, eminens ac stabilis dilectio Dei finalis causa inclusionis, sive contemplatio Dei sincera, excellens et fixa, quantum huic vitæ possibile est, redit in idem. Nam unum horum sine alio esse non potest; et quantum quis proficit in divino amore, tantum crescit in dono sapientiæ et contemplatione divina.

De hoc jam tantumdem tetigisse sufficiat, ut sciat persona inclusa ad quid jugiter exercitia sua debeat ordinare, ad quid respicere, tendere et currere habeat. De contemplatione vero et dilectione divina infra, Deo præstante, aliquid plenius scribam.

ARTICULUS V.

De moderamine cibi et potus ac somni.

ANIMA rationalis conjuncta est corpori suo, non solum ut carceri, juxta illud
cxli, 8. in Psalmo, Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo; sed etiam sicut ancillæ ad præcipiendum, et instrumento ad bene utendum. Corpus igitur debet animæ obedire, et ad omnia expedientia animæ esse paratum, præsertim quum corporalia ordinentur ad spiritualia sicut media ad finem. Hinc naturalis ratio dictat tantum concedendum esse corpori de cibo, potu, somno et vestimentis, quantum expedit animæ ad bene agendum, ut scilicet corpus nec magis nec minus recipiat de prædictis quam naturalis requirit necessitas ejus.

Sed secundum evangelicæ legis doctrinam, etiam naturali necessitati corporis aliquid moderate subtrahendum est de cibo, potu, somno et vestibus, ut homo corpus suum affligendo satisfaciat pro peccatis, compatiaturque Christo, atque ad gratiam disponatur majorem. Hinc ait Sal-
c.xxi,34. vator : Videte ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate, videlicet ne tantum impleamus nos cibo et potu, quod corpore satiato, anima a spiritualibus impediatur operibus. Nec sunt quærenda cibaria et pocula nimis pretiosa et lauta : quæ si interdum adsint, non est in eis transgredienda mensura, nec expetenda voluptas, sed sustentatio sola naturæ ad serviendum Altissimo. Quod si in cibi ac potus sumptione sentiat quis aliquam delectationem saltem naturalem, quia ex unione potentiæ cum convenienti objecto A oritur naturalis quædam delectatio; non est tamen in tali delectatione sensibili et carnali sistendum vel quiescendum, sed ordinanda est ad debitum finem, ad spiritualem profectum, ad gloriam Dei, qui omnia nobis largitur. Rursus, non est congrua reficiendi hora anticipanda, nec refectioni diutius immorandum; sed devota benedictione præmissa, cum lectione atque memoria divinorum est manducandum sobrie et modeste ad gloriam Dei,
sicut docet Apostolus : Omne quodcumque Coloss. III,
B facitis in verbo aut opere, omnia in no- 17.
mine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. Hinc post refectionem legendæ sunt gratiæ, Deo de omni beneficio suo cordialiter regratiando.

Itaque desideria carnis sunt refrenanda, moderanda, et rationi in omnibus subjicienda. Et quod de cibo ac potu jam dictum est, de somno et vestimento est proportionaliter intelligendum. Vehementer enim nocet somnus superfluus : quoniam C gravat naturam, hebetat sensum, torporem acediamque inducit, et in ipso tempus miserabiliter perditur, atque tot sancta exercitia omittuntur. Hinc sancti Patres immoderatum somnum præcipue detesta-
bantur. Nam et gentilis ille poeta filio suo Cato.
præcepit :

> Plus vigila semper, nec somno deditus esto :
> Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.

Propterea dicit Apostolus : Spiritu ambu- Galat. v,
late, et desideria carnis non perficietis : 16, 17, 24.
D caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem; qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Itemque :
Curam carnis ne feceritis in desideriis. Rom. XIII,
Beatissimus quoque princeps Apostolorum 14.
Petrus : Obsecro (inquit) vos, tanquam I Petr. II, 11.
advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. Verumtamen in corporis castigatione moderamen est observandum, ne nimis debilitetur; auxiliumque gratiæ sem-

per est invocandum et directio Spiritus Sancti, ne homo sub specie boni decipiatur ab hoste antiquo.

ARTICULUS VI.

De discretione in omnibus observanda.

AD hoc quod opus sit virtuosum et meritorium, non sufficit ut sit bonum secundum suam naturam vel secundum substantiam actus, sed oportet quod fiat cum circumstantiis debitis, utputa congruo loco et tempore apto, ac recta intentione et debito modo, atque ut personæ agenti conveniat. Hæc autem omnia docet prudentia seu discretio observare, ne quid magis fiat vel minus, sed ordinate ac moderate omnia fiant.

Persona ergo inclusa, juxta formam seu regulam sibi præscriptam, unumquodque opus suum congruo loco et tempore, modo et fine adimpleat, nunc orando, nunc psallendo, nunc meditando, nunc legendo, nunc scribendo, aut opus aliud manuum exercendo, nunc comedendo, nunc quiescendo, ne tædio afficiatur. Ideo ait Apo-
I *Cor.* XIV, 40. stolus : Omnia honeste et secundum or-
Rom. XII, 1. dinem fiant in vobis; et item : Rationabile obsequium vestrum. Unde, sicut caritas est motrix ceterarum virtutum, sic discretio dicitur auriga earum : quoniam sicut auriga dirigit currum ne ruat in præceps, sed recte procedat; ita discretio ostendit modum et ordinem observandum in actibus universarum virtutum, et docet quid prosequendum, quid evitandum. Ideo sine discretione ceteræ virtutes labuntur et corrumpuntur : ideo, secundum Bernardum, convertuntur in vitia. Per discretionem vero fit homo amabilis familiarisque Deo, quemadmodum ait per Jeremiam :
Jer. XV, 19. Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Et iterum Jeremias fatetur :
Ibid. XLVIII, 36. Quia plus fecit quam potuit, idcirco periit.
Lev. II, 13. Per Moysen quoque Dominus jussit, In omni sacrificio offeres sal : per quod discretio designatur. Unde et Christus in Evangelio loquitur, Habete in vobis sal, *Marc.* 49.
id est prudentiam : quoniam omne opus virtutum quod Deo offerimus, discretione oportet condiri ac decorari.

Hinc S. Antonius dixit discretionem matrem esse virtutum. Abbas quoque Agathon et abbas Pastor idcirco celerius ad perfectionem venisse leguntur, quia in omnibus discretionem servare laboraverunt. Quam virtutem beatissimus pater Macarius brevi sermone excellentissime docuit, dicens : Sic vivere debet homo quotidie quasi quotidie moriturus et quasi centum annis victurus. Hinc, secundum B. Bernardum, operatio nostra debet consideratione præveniri, quia antequam aliqua peragamus, considerare atque discernere debemus quando et qualiter circa illa agere debeamus. Quamobrem dixit Apostolus : Sine præjudicio (id est prævio I *Tim.* V, 21.
judicio) nihil facias.

ARTICULUS VII.

De custodia cordis.

SICUT prædictum est, initium vitæ me- art. II.
lioris in cella et in claustro est ut persona inclusa studeat oblivisci omnium mundanorum, et mentem suam expurget ab imaginibus, phantasiis et occupationibus terrenarum atque carnalium rerum, quatenus corde quieto, ferventi ac fixo vacet et inhæreat Deo. Quid ergo prodesset inclusæ in reclusorio corporaliter residere, si quotidie aut frequenter rumores perciperet sæculares, si loquacitati vacaret? Per hoc namque memoria mundanorum renovaretur in ea, mensque inanibus imaginibus depingeretur, ita quod nec in oratione, nec in meditatione, nec in laude aut contemplatione divina esset stabilis, fervida et sincera. Confabulatio enim talis spiritualem exstinguit fervorem, et quadam inertia percutit mentem, fastidium spiritualium exercitiorum inducit, tempus viliter perdit, dissolutionem, risum, vanitates variasque parit ruinas.

Ideo Salomon loquitur : In multiloquio *Prov.* X, 19.

Prov. xiii, peccatum non deerit. Et iterum : Qui custo- A
dit os suum, custodit et animam suam ; qui
autem inconsideratus est ad loquendum,
Ibid. xxv, 8. sentiet mala. Itemque : Sicut urbs patens
et absque murorum ambitu, ita homo qui
non potest in loquendo cohibere spiritum
suum. Quemadmodum enim urbs aperta
et muros non habens, ab hostibus faciliter
capitur atque destruitur ; ita qui irrefrena-
tus est in loquendo, ab invisibilibus ho-
stibus multipliciter vulneratur in anima
occiditurque in ea. Hinc rursus Salomon
Ibid. xxi, 3. protestatur : Qui custodit os suum et lin- B
guam suam, custodit ab angustiis animam
suam. Unde in Ecclesiastico scriptum est :
Eccli. xx, ; xix, 5. Qui multis utitur verbis, lædit animam
suam ; qui autem odit loquacitatem, ex-
stinguit malitiam.

Idcirco persona inclusa volens Christo
cor purum offerre, non faciliter ad loquen-
dum se offerat, si rationabiliter possit
vitare ; et dum alicui loquitur, nequaquam
inania proferat, nec inutilia aut nociva
verba advertat : imo a talibus se avertat,
incaute loquentem modeste corripiat. De- C
nique advenientibus quorum colloquium
non potest vitare, loquatur verba saluber-
rima cum fervore, verba sapientiæ cum
mensura, verba competentia cum proprii
cordis custodia, quoniam in Ecclesiastico
Ibid. xxi, 8. scriptum est : Verba prudentium statera
Ibid. xx, 13. ponderabuntur ; et denuo : Sapiens se
ipsum in verbis amabilem facit. Econtra
Prov. xxix, 11. Salomon loquitur : Totum spiritum suum
profert stultus, sapiens differt et reservat
Ibid. 20. in posterum ; itemque : Vidisti aliquem
velocem ad loquendum ? Stultitia magis D
speranda est quam illius correctio. Itaque,
sicut vasculum seu amphora operculo ca-
rens, impletur pulveribus, maculatur, et
contentum in ea fœdatur ; sic homo cujus
os silentii caret operculo, vitiis adimple-
tur, sordidatur, inficitur. Verumtamen val-
de difficile est linguam totaliter refrenare,
nec in verbis excedere. Propter quod in
Eccli. xix, 16, 17. Ecclesiastico legitur : Est qui labitur lin-
gua sua, sed non ex animo : quis est enim
qui non deliquerit in lingua sua ? Jacobus
quoque ait apostolus : Si quis in verbo Jacob. iii, 2.
non offendit, hic perfectus est vir. Quo-
niam ergo refrenatio linguæ tam necessa-
ria est tamque difficilis, ita ut Sapiens
dicat, Quis dabit ori meo custodiam, et Eccli. xxii, 33.
super labia mea signaculum certum, ut
non cadam ab ipsis et lingua mea me
perdat ? et Jacobus, Universitas (ait) ini- Jacob. iii, 6.
quitatis lingua constituitur in membris
nostris ; necesse est ut Deum instanter
oremus quatenus virtutem et gratiam re-
frenandi gubernandique linguam nobis
conferre dignetur, quemadmodum oravit
Propheta dicendo : Pone, Domine, custo- Ps. cxl, 3.
diam ori meo, et ostium circumstantiæ
labiis meis. Salomon quippe ait : Hominis Prov. xvi, 1.
est animum præparare ; et Domini, guber-
nare linguam. Unde et quum ad loquen-
dum accedimus, proponamus nos custo-
dire in verbis ; invocemusque Deum ut
gratiæ suæ donet auxilium et linguam no-
stram gubernet. Ex incustodia siquidem
linguæ innumerabilia vitia oriuntur, con-
tentiones, iræ, invidiæ, detractiones, men-
dacia, judicia temeraria, seminationes dis-
cordiæ : quæ omnia vitat qui ori suo
ponit custodiam.

Præterea, quo feminæ naturaliter proni-
ores sunt ad loquendum, eo plus necessa-
rium est eis linguam restringere, si velint
proficere : sicut et cuilibet singularius
necessarium est contra illa præliari pec-
cata ad quæ ex natura vel consuetudine
proniorem se experitur.

Postremo, si contigerit personam inclu-
sam aut religiosam verbo aut scripto ali-
quid percipere de negotiis sæculi, de bellis
aut similibus calamitatibus mundi, non
debet in talibus insipienter vagari, sed il-
lis sapienter ac salubriter uti, compatien-
do afflictis, orando pro pace et pro in
periculo constitutis, atque regratiando Al-
tissimo quod se de hoc sæculo nequam
eripuit, et de variis mundi periculis mise-
riisque abstraxit. Verumtamen immodera-
tam securitatem sibi nequaquam promit-
tat, sed timeat semper, quoniam beatus Ibid.
homo qui semper est pavidus. xxviii, 14.

Hoc quoque sciendum, quod linguam frenare, est immoderatum loquendi affectum reprimere, et antequam quid dicatur, attendere an loqui expediat, vel quid expediat loqui, ne quidquid ascendit in corde, statim sonet in ore volitetque in aere, ut insipientibus solet contingere, quemadmodum in Ecclesiastico legitur : In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum.

Eccli. XXI, 29.

ARTICULUS VIII.

De debito reclusorii seu cellæ ac solitudinis.

SAPIENTISSIMUS ille gentilium Aristoteles verissime dixit : Homo solus est deus vel bestia, id est divinus vel bestialis. Quum enim homo naturaliter sit animal civile ac sociale, constat quod vita solitaria non sit humana. Itaque, si persona inclusa sic vixerit sicut cella requirit, faciendo in cella ad quod instituta est ipsa, tunc est superior homine, estque divina. Sicut etenim homo audax dicitur leo, et homo gulosus dicitur lupus, propter similitudinem proprietatis et actionis cum bestiis illis ; sic homo contemplativus, divinus vocatur, quia divinæ naturæ proprietates et actiones aliqualiter imitatur, ut infra patebit.

Ad hoc ergo ordinata est cella et habitatio solitaria, ut in ea agat homo solum quæ Dei sunt, id est operationes quæ Deo conveniunt, vel quæ complacent Deo. Operationes vero quæ Deo conveniunt, sunt : contemplari, diligere, misereri, justitiam exercere, bonitatem suam aliis communicare. Porro operationes quæ complacent Deo, sunt omnes actus virtutum, præsertim credere in Deum, sperare in eo, ipsum amare, contemplari, orare, laudare, glorificare, pro ipso pati adversa. In his igitur atque similibus jugiter occupari debet inclusa, Deum sinceriter contemplando, ardenter amando, devote orando, jucunde laudando, efficaciter honorando ; aliis sua merita communicando, pro universis cordialiter exorando, miseris condolendo.

Hoc ergo est præcipuum solitarii opus, ut quantum est possibile fragilitati humanæ, incessanter Deo conjunctus sit actualiter, sive orando, sive psallendo, seu contemplando, meditando aut diligendo : quatenus memoria Dei cordi suo tam tenaciter ac amorose inhæreat, ut in nullo opere, loco vel tempore obliviscatur ipsius, sed sive comedat, sive bibat, sive aliud quid agat, semper mens sua intenta sit Deo.

Nec hoc impossibile reputetur, quum videamus quosdam carnali amore sic infatuatos et victos, ut in omni loco, actu et tempore recordentur personæ dilectæ. Et nonne Deus, cujus natura est bonitas pura et incircumscripta, universis ac singulis infinite amabilior commemorabiliorque consistit ? Ex multis autem actibus nascitur consuetudo, quæ est velut altera natura. Ideo, sicut igni ex sua natura ratione suæ levitatis facillimum est ascendere, et terræ descendere ; sic homini veraciter virtuoso, in Dei amore præfervido, in meditationibus divinis assuefacto, in sanctis exercitiis habituato et stabilito, facillimum, imo superfacillimum et jucundum est, se ad Deum erigere, in ipso quiescere, in eo accendi, in ipso familiariter occupari. Imo in laudibus Dei sic delectatur, ut fatigari vix possit aut satiari, orat quoque cum affectu suavi : et sicut insensatissimi amatores sæculi hujus totum diem expendunt in crapulis et confabulationibus vanis absque tædio, corde infeliciter læto, quia repleti sunt amore mundano ; sic persona inclusa virtutibus perornata totum diem expendit in laude divina, in oratione devota, in meditatione salubri, in contemplatione cœlesti, in amore superno, absque fastidio, imo cum gaudio. O quam felix est talis cellita, si tamen in istis permanserit in omni humilitate atque profectu usque in finem ! Denique, sicut sanctus testatur Bernardus, cum tali inclusa ac cellita ita libenter sunt angeli sicut in cœlo, discurruntque jugiter inter

cellam in qua talia peraguntur et cœlum. A

Verumtamen talem cellitam oportet esse prudentem, ut si nonnunquam illam contingat divinæ consolationis infusione ad tempus Deo sic dispensante privari, et solita alacritate destitui, tentationibus examinari, infirmitatibus variisque adversitatibus exerceri, tunc patientiam veram exhibeat, gratias agat, viles consolationes despiciat, in Deo confidat firmissime, eumque invocet indesinenter atque fidissime, majoribus tribulationibus se reputet dignam, et Christum incessanter attendat B pro se tanta perpessum. Advertat insuper quam saluberrimum sit æquanimiter pati *Apoc.* III, 19. adversa, et quod Deus quos amat, arguit et castigat; impleatque quod in Ecclesia- *Eccli.* XI, 27. stico dicitur : In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum.

Videat ergo inclusa ne in cella sua torpori aut acediæ præstet locum, ne otiositatem admittat. Otia namque dant vitia; *Ibid.* XXXIII, 29. et ut Sapiens loquitur, Multam malitiam docuit otiositas : quæ, secundum Hierony- C mum, omnium mater est vitiorum, et varias tentationes gignit in homine; idcirco summe vitanda est omni inclusæ. Erubescat solitaria et cellita in summi Dei præsentia viliter se habere, inutilia cogitare, illicita affectare, opus Dei negligenter persolvere; mente per mundum discurrere, infructuose tempus expendere, reclusorio debitum suum non exhibere; apud homines famam sanctitatis habere, apud Deum vero et angelos ejus negligentem exsistere; dæmonibus opprobrium fieri, et in D divino judicio cum amatoribus hujus mundi confundi. Hæc erubescentia salutaris, est pudor castus, sapientiæ proles, virtutum fomentum, vitiorum fugatrix. De qua *Ibid.* IV, 25. ait Scriptura : Est confusio adducens gratiam et gloriam. Qui hoc pudore ornatur, *III Reg.* VII, 1. dicere potest cum sancto Elia : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie; et *Ps.* CXVIII, 68. cum Propheta : Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

ARTICULUS IX.

De modo orandi atque psallendi.

In Ecclesiastico legitur : *Ante orationem præpara animam tuam.* *Eccli.* XVIII, 23. Porro ante orationem præparare animam ad orandum, est cum debita reverentia ad orandum accedere, ut scilicet antequam coram Deo cor suum homo effundat precesque offerat, diligenter attendat propriam indigentiam atque miseriam, propriam defectuositatem, vitiositatem et ad omnia vitia pronitatem, pericula quoque quibus expositus est, deinde Dei majestatem immensam, dignitatem sanctitatemque infinitam, pietatem, omnipotentiam, liberalitatem et opulentiam interminatam, omnem etiam caritatem et gratiam Dei circa genus humanum; sicque ex consideratione propriæ vilitatis et indigentiæ, atque ex consideratione majestatis ac pietatis divinæ, accedat ad orationem et oret cum humilitate profunda, cum ingenti cordis custodia, et cum ardenti affectu et filiali timore, item cum magna fiducia, cum incessanti instantia et stabili mente. Et quoniam taliter Deum orare laboriosum est satis, nisi singularis abundantia gratiæ Dei animam pie præveniat, impleat et confortet; idcirco abbas Agathon dixit : Non est labor sicut orare Deum. Et sicut orandum est, ita et psallendum.

Idcirco, si Deo orationes et laudes continuas ac devotas offerimus, nequaquam extolli debemus, sed indignissimos nos putare ut coram Deo adstemus, ut coram eo os aperiamus, ut nomen ejus exprimamus, ut eum laudemus. Non enim est spe- *Ibid.* XV, 9. ciosa laus in ore peccatoris, ut ait Scriptura. Peccatori quoque dixit Deus : Quare tu *Ps.* XLIX, 16. enarras justitias meas? Quod si aliquid veræ devotionis et acceptabilitatis in orationibus et laudationibus nostris est, hoc donum est Dei, et attribuendum est ei; *I Cor.* IV, 7. et de eo quod acceptamus, nequaquam gloriari debemus quasi non acceperimus, sed a nobis ipsis habuerimus illud.

A Præterea, sicut sancti et doctissimi patres Basilius, Cassianus ac alii docent, homo ita debet proferre verba psalmorum et orationum, quasi ex proprii cordis intellectu et affectu formet et exprimat ea : ita quod sicut gustus corporalis unamquamque buccellam cibi sigillatim accipit, masticat, saporemque percipit ; sic gustus interior singula verba divina distincte debet attendere, et cum interno sapore proferre, ut delectet eum indesinenter orationibus laudibusque divinis insistere.

B Præterea, quamvis non sit humanæ fragilitati in hac vita possibile indesinenter psallere, orare per talium actuum continuationem, sed congruis loco et tempore, consuetudinem tamen sibi facere debet cellita brevibus et affectuosis oratiunculis in omni etiam exteriori occupatione, in mensa, in lecto, in colloquio operam dare. Iterum, quoniam persona inclusa debet in caritate Dei et proximi esse præcipua, penitus decet ut jugiter oret pro bono communi Ecclesiæ, pro universis ordinibus, pro vivis et mortuis, pro cunctis propin- C quis, benefactoribus, commissis et caris, pro pace terrarum, pro tentatis, afflictis et captivis, pro adversariis quoque, pro infidelium conversione, pro fidelium reformatione, pro universorum salute, pro emendatione collegiorum et monasteriorum totiusque cleri, et ut Deus providere dignetur Ecclesiæ suæ de veris et condignis ac fructuosis pastoribus et prælatis. Bonum enim commune dignius est bono singulari ac proprio : ideo divinius est orare pro bono communi. Inclusa quoque D debet esse omnino succensa zelo divini amoris et honoris, ut ardentissime cupiat Deo ab universis debitum impendi honorem.

Postremo, sicut bonitas Dei undique se communicat et effundit, sic virtuosa inclusa Deum imitando, virtutem et gratiam sibi concessam ad omnes debet pro posse extendere, pro universis orando, et modis sibi possibilibus omnibus succurrendo.

ARTICULUS X.

Descriptio unius diei, pro exemplo, in solitaria vita.

QUANDO ad Matutinas surgendum est, persona inclusa statim cum alacritate et gaudio surgat, et mentem levet ad Creatorem, et aliqua devotissima proferat verba se induendo, signoque crucis devote se muniat. Deinde Matutinas incipiat cum fervore, et legat ac impleat cum attentione atque dulcore : quibus finitis, secundum quod vires suæ ferre possunt, occupet se in exercitiis sacris, meditando, orando, magis aut minus diu. Postmodum, si natura requirit, dormire potest quousque surgat ad Primas legendas. Porro, dum ad dormiendum se ponit, distractiones abjiciat, et in bonis meditationibus aut orationibus studeat obdormire.

Surgens vero ad Primas, legat eas fervide ac attente, ut cum Isaia dicere possit
Deo, De mane vigilabo ad te; et cum Psal- *Is.* XXVI, 9.
mista, Mane adstabo tibi, et videbo quo- *Ps.* V, 5.
niam non Deus volens iniquitatem tu es :
ut auditam faciat ei Deus mane misericor- *Ps.* CXLII, 8
diam suam ; et sole visibili radios suos super terram projiciente, Sol invisibilis, Deus æternus, Sol sapientiæ ac justitiæ, splendorem gratiæ suæ immittat et augeat in animam ejus.

Deinde alias Horas secundum modum præscriptum persolvat præfixis temporibus. In tempore quoque intermedio occupet se fructuosius spiritualiusque quo potest secundum regulam vel consuetudinem suam. Qualiter vero in sumptione cibi ac potus habere se debeat, dictum est. art. V.
Post prandium autem ad tempus operi manuum vacet : in quo tamen a spiritualibus actibus nunquam longe debet recedere ; imo in opere manuali cor suum frequenter debet ad Deum dirigere orando ac meditando. Postea Vesperas dicat cum devotione interna ; et si cœnandum est, debet se in cibo et potu valde temperate habere, ne somno gravetur superfluo, ace-

diamque incurrat et somnolentiam patia- A
Eccli. xxi, 37. tur tempore exercitii spiritualis. Sanitas namque animæ et corporis est temperata refectio.

Postremo, Completorium cum devotione legat præcipua : quo facto, in spiritualibus tantum se occupet. Et antequam pergat ad quiescendum, diligentissime investiget, consideret atque examinet qualiter diem expenderit, quomodo persolverit opus Dei, quomodo se habuerit singulis horis, et in cibo ac potu aut verbis, quid mali commiserit, quid boni omiserit, quousque perve- B
nerit, aut quantum defecerit; tuncque de suis defectibus ac peccatis cordialiter veniam deprecetur, disciplinam accipiat, sicque de cetero custoditius habere proponat firmissime fortiterque conetur, et invocet Deum ut in ipsa nocte se custodire in cunctis dignetur. Deinde se signans ac Deo commendans, ad dormiendum se collocet; et evagationes devitans, meditando salubria seu orando dormire nitatur. In lectulo quoque tanquam in sepulcro se ponat, et memor sit passionis sepulturæ- C
que Christi. Imo Christum in suo sepeliat
Cant. vii, corde, dicens cum Sponsa : Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus; itemque :
Ibid. i, 12. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Quacumque etiam hora noctis evigilaverit, statim ad Deum se elevet orando aut meditando, ut rursus cum Sponsa dicere queat :
Ibid. iii, 1. In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea. De mane autem faciat apud se investigationem et examinationem qualiter noctem expenderit, sicut jam D
dictum est de examinatione facienda de sero et tota die, ac fructuose se proponat habere.

Ecce sic se debet habere inclusa quotidie : imo omnia jam prædicta quotidie facere debet cum ampliori perfectione, quia in via Dei non proficere quid est, nisi decrescere? Ideo bona quæ agimus, non ex arida consuetudine facere debemus, sed quotidie cum majori diligentia et fervore.

ARTICULUS XI.

Quomodo perveniatur ad perfectionem.

AD proficiendum in via et gratia Dei, atque ad obtinendam spiritualem perfectionem, scire expedit et oportet qualiter sit proficiendum et procedendum. In primis ergo oportet ut homo propriam infirmitatem, fragilitatem, culpam insufficientiamque advertat et jugiter penset, ac intimo corde fateatur se ex se non habere nisi deficere et peccare, sicque ad Deum confugiat, et totam spem suam ponat in ipso, dicens cum Propheta : In Deo salu- *Ps. lxi, 8.*
tare meum et gloria mea; Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. Ex hac consideratione duæ virtutes radicantur in homine, scilicet humilitas et timor Dei. Per humilitatem sub Deo inclinat se; per timorem vero sollicitus est ne Deum offendat, eo quod ad omnia mala proclivis est. Ti- *Prov. xvi, 6; Eccli. i, 27.*
mor enim Dei retrahit hominem a peccato, et diligentiam parit. Propter quod Salomon loquitur : Qui timet Deum, nihil negligit. *Eccle. vii, 19.*
In Proverbiis quoque habetur : Per timorem declinat unusquisque a malo; et de- *Prov. xv, 27.*
nuo : Timor Domini fons vitæ, ut declinet *Ibid. xiv, 27.*
a ruina mortis. Hinc volens proficere, specialissime indiget ut in humilitate et timore Dei totam conversationem suam fundet et figat, quatenus in omnibus timoratus humilisque permaneat. Idcirco abbas Pastor asseruit, quod quam indesinenter attrahit homo anhelitum suum, tam incessanter debet timorem Dei et humilitatem servare in corde, quia per hoc crescit in omni gratia, vitat peccata, superat tentamenta.

Secundo oportet volentem proficere, in primis ea ad quæ tenetur cum diligentia adimplere, et sic per supererogationem quotidie aliqua bona adjicere, et coram Deo in spiritualibus se ipsum secretius exercere : quia, ut ait S. Bernardus, ingratum est Spiritui Sancto quidquid ei obtuleris, neglecto eo ad quod teneris. Tertio oportet exteriores sensus custodire, lin-

guam et ventrem frenare, ne per immoderantiam loquendi, comedendi vel bibendi peccetur. Quarto oportet præsentiam Dei omnia intuentis ubique attendere, et sic coram eo omni custodia cor proprium a vanis cogitationibus ac pravis affectionibus custodire. Quinto oportet prospicere ne ex consuetudine et diuturnitate bene agendi et eadem operandi fiat homo negligentior atque remissior, sed quanto diutius ac frequentius eadem agit bona, eo quotidie illa ardentius ac perfectius agere satagat. Sexto oportet se ipsum quotidie examinare, dijudicare et castigare secundum modum in præcedenti articulo positum.

Prov. IV, 23.

Denique saluberrimum est ut homo se ipsum non amet in se, sed tantum in Deo, videlicet omnia illa appetendo et amplectendo quæ sibi expediunt ad complacendum Domino Deo, ad proficiendum in gratia ejus, ad obtinendam perfectionem virtutum ; sicque adversa omnia cum gaudio patiatur, passioni Christi se conformari conetur, delectabilia carni refugiat, in operibus pœnitentiæ delectetur, in aspernationibus gaudeat, atque in his usque in finem fortiter perseveret.

ARTICULUS XII.

De spirituali superbia et vana gloria fugienda, et de humilitate semper summe servanda.

AMATORES et filii hujus mundi, de temporali opulentia, de nobili genealogia, de multitudine propinquorum, de frequentia subditorum et ministrorum, de sæculari prudentia, de eloquentia, de præsidentia, de honore et fama humana soliti sunt superbire. Porro religiosis et virtuosis, quum propter Deum omnia illa contempserint atque reliquerint, solet quædam spiritualis superbia acrius, subtilius periculosiusque instare, insidiari, nocere, imo et illis qui ceteris ferventiores videntur : ut scilicet homo quum Deo diu et devote servierit, incipiat sibi in se complacere, de suo profectu se ipsum extollere, inaniterque de sua fama gaudere, ceteros quasi sub se positos et defectuosiores æstimare, temerarie judicare, et proprio sensui nimium credere; et ita immansivus et indocilis redditur, quod pessimum est vehementer; et cum superbo illo Pharisæo quodammodo dicit : Gratias ago tibi, Deus, quia non sum sicut ceteri hominum.

Luc. XVIII, 11.

Itaque contra hanc callidissimam pravissimamque vulpeculam necesse est hominem Dei prudentissime vigilare, et superbiam istam vilissimam funditus exstirpare, veram quoque et profundissimam humilitatem in se insuperabiliter conservare : ad quod agendum considerationes plurimæ valent.

Primo, ut homo profunde consideret quod nesciat an amore sit dignus an odio, an sit reprobus an electus, an perseveraturus in bonis usque ad finem an non : imo etsi sciret qualis sit hodie, qualis cras erit ignorat. Attendat ergo quod S. Augustinus testatur : Vidi, inquiens, cedros Libani cecidisse, de quorum casu non magis verebar aut suspicabar quam de ruina Hieronymi atque Ambrosii.

Eccle. IX, 1

Secundo, ut consideret illud Apostoli : Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Quemadmodum igitur omne bonum, præsertim supernaturalia gratiæ dona, a Deo habemus, ita debemus ea non nobis, sed Deo cum omni humilitate et gratiarum actione adscribere. Tertio, quod omnia quæ habemus, in tantum a Deo dependent, quod non possunt uno momento in nobis manere, nisi Deo eadem conservante. Quid ergo de viribus nostris præsumimus, aut de propria gloriamur constantia? Quarto, quia quanto plura a Deo dona suscepimus, tanto plus tenemur ei esse subjecti et grati, majusque nobis instat periculum, si ingrati fuerimus aut superbi. Cui enim plus datum est, plus requiretur ab eo. Melius quoque est (ut princeps Apostolorum fatetur) non agnoscere viam ju-

I Cor. IV, 7

Luc. XII, 48.

II Petr. II, 21.

stitiæ, quam post agnitionem retrorsum A reverti. Quinto, quod de proximo ignoramus qualis futurus sit cras, et qualis sit in prædestinatione divina, in qua forsan multo felicior nobis ac melior est. Non ergo quempiam fatue contemnamus aut condemnemus, neque nos ipsos alicui stolide præferamus : imo omni momento potest Deus quemcumque convertere peccatorem.

Insuper, si pensemus quanta sit vilitas et immunditia nostra in corpore et anima, quanta peccata commiserimus, quot bona B omiserimus, quam proni simus ad mala, quam vehementer ac incessanter gratia indigeamus divina, quot operibus nostris bonis quotidie negligentiæ immisceantur, quot distractiones, quot defectuositates
. LXIV, 6. (ita ut, Isaia propheta testante, omnes nostræ justitiæ sint quasi pannus menstruatæ), quoties quotidie venialiter saltem peccemus, quot periculis simus expositi, quot laqueis quoque circumdati : si ista atque similia ponderemus, infelicem illam superbiam et gloriam vanam, Deo auxiliante, C faciliter exsufflabimus, in vera humilitate sapienter manebimus, et ad magnum gratiæ apicem pertingemus.

ARTICULUS XIII.

Quomodo inclusa ad spiritualem patrem et confessorem habere se debeat.

VIRI perfectiores sunt feminis in naturalibus donis communiter, utpote fortiores in ratione, animo constantiores, D consilio prudentiores : idcirco Apostolus
I Tim. II, 2; I Cor. v, 34, 35; phes. v, 22; oloss. III, . prohibuit mulierem docere, jussitque feminas conjugatas a viris suis doceri ac gubernari. Hinc inclusa patri suo spirituali et confessori occultare nil debet, præsertim in confessione, sed omnes quas patitur suggestiones, tentationes, imaginationes et affectiones, eidem simpliciter atque humiliter pandere, ejusque informationibus, consiliis ac præceptis acquiescere debet. Imo in omni religioso, in omni etiam Christiano placere Deo volente, hoc præcipue dæmones dejicit, gratiam impetrat, ad profectum adducit, si cordis sui secreta spiritualibus patribus exercitatisque viris aperiant, ut informentur ac dirigantur, ne forte sub specie boni fallantur. Istud vero spiritualibus feminis, præsertim inclusis, singulariter expedit.

Docet quoque S. Hieronymus, quod virorum memoria soleat devotis feminis valde esse nociva : idcirco ad nullum virum affici debent nisi spiritualiter valde, nec cogitare de viro ut viro, sed ut religioso seu devoto, vel ut benefactore, vel alio modo honesto, per abstractionem a sexu. Corda namque feminea nimis instabilia esse solent ac mollia. Idcirco oportet ut semper invocent gratiam Dei, quæ corda earum stabiliat, rationem confortet, animum donet robustum, ne inutilibus cogitationibus aut illicitis affectionibus immorentur, sed dum talibus se tangi sentiunt, mox ad meditationem passionis dominicæ se convertant, atque ad cetera viciniora saluti, ne puritas earum fœdetur. Mulieres tamen communiter humiliores sunt viris, secundum doctores, et ad devotionem ac compunctionem ex naturali dispositione magis dispositæ.

ARTICULUS XIV.

De præparatione mentis ad contemplationem.

VITA personæ inclusæ tanto excellentius debet esse contemplativa, quo ab exterioribus est magis abstracta, et a conversationibus negotiisque humanis plus elongata. Porro vita contemplativa est summæ et increatæ veritatis agnitioni morose insistere, divinorum speculationi vacare, æternæ ac adorandæ Trinitatis beatitudinem speculari, summi boni amore succendi, in Deo per contemplationem et dilectionem quiescere. Hæc autem vita deiformis atque clarissima est : idcirco mens humana non est ad eam apta et

digna, nisi fuerit a passionibus vitiisque A purgata, virtutibus exercitata, ad illustrationes divinas bene disposita.

Passiones vero animæ non sunt nisi quædam affectiones appetitus sensitivi in homine. Propterea reformatio passionum consistit in hoc, ut homo non afficiatur ad aliquam rem sensibilem, transitoriam seu carnalem, nisi secundum rectæ rationis judicium. Recta quoque ratio judicat universa sensibilia et terrena ordinanda esse ad spiritualia et æterna, imo ad Deum sublimem et benedictum, ita ut B homo non plus amet, quærat, cupiat, colligat aut teneat ista sensibilia et caduca, quam sibi necessarium exstat aut utile ad bene vivendum, ad complacendum Domino Deo, ad spiritualem profectum : sicque nullius rei creatæ inordinata aut immoderata affectio maculet mentem, nec sit in anima inordinata delectatio in rebus caducis, nec timor superfluus eas perdendi, nec excessivus dolor de amissione earum, neque desiderium inordinatum ad ipsas habendas ; sed nec ad famam aut C gloriam honoremque temporalem atque inanem homo afficiatur, nec de sua diffamia, despectione aut inhonoratione immoderanter curet aut contristetur, imo potius gaudeat, in quantum in ipsum tantum redundant : nihilo minus propter aliorum *Eccli.* XLI, 15. ædificationem cura habenda est de bono nomine, secundum Scripturam.

Denique, prætactæ passiones reformantur, refrenantur et rectificantur in homine per virtutes morales : ut ira per mansuetudinem, tristitia per patientiam, delecta- D tio per castitatem, superbia per humilitatem, timor per fortitudinem, avaritia per liberalitatem. Certum est autem quod passiones prædictæ, nisi per rationis judicium et per virtutes refrenentur ac rectificentur, animam maculant, rationem offuscant vel obscurant, voluntatem pervertunt, hominem inquietant bestiisque assimilant : sicut in mundanis et vitiosis videmus hominibus, qui omni vento passionum moventur, nunc inordinate tristantur, nunc immoderanter lætantur, jam desiderio temporalium fervent, jam de damnis et adversitatibus dolent, nunc variis concupiscentiis agitantur, et raro vel nunquam mentis quietudinem sortiuntur. Idcirco ad hoc quod anima ad vitam contemplativam sit apta, oportet in primis ut moralibus virtutibus decoretur sublimiter et perfecte, videlicet profunda et stabili humilitate, præcipua mititate, purissima castitate, fortitudine magna, patientia inconcussa, sobrietate præclara, prudentia luminosa, justitia quoque firmissima, ut per virtutes has reprimat passionum irrationabiles impetus, et motus earum inordinatos excludat. Sicque dum anima a vitiis et passionum immoderantiis servatur sincera, apta jam est et condigna ad divinorum charismatum recipiendum influxum, ad illuminationes cœlestes, ad inflammationes caritatis divinæ atque fraternæ. Oportet ergo abjicere curiosa atque superflua, nec ad aliquam rem affici nisi secundum Deum, nec in aliquo occupari nisi secundum beneplacitum Dei, ad gloriam ejus : quia, ut ait Chrysostomus, pro quanta parte mens tua est ad aliquam rem (scilicet inordinate, et non secundum Deum, hoc est magis quam illa res necessaria aut utilis est tibi quantum ad Deum), pro tanta parte minus est ad Deum, quia in tantum impeditur a contemplatione amoreque Dei.

ARTICULUS XV.

De multiplici utilitate tribulationum et tentationum, et de modo resistendi tentationibus.

SANCTUS Job ait : *Militia est vita hominis super terram.* Et ubi Hieronymus transtulit, Militia, alia translatio habet, Tentatio : ideo dicitur quod vita hominis in hoc mundo est quædam tentatio. Continue quippe impugnatur homo a dæmone, a propria carne et a propria voluntate, atque a mundo, id est a mun- *Job* VII, 1.

danis hominibus verbo et facto ad mala A
trahentibus, et a rebus sæculi hujus, a
vanitatibus et curiositatibus, voluptatibus
ac honoribus ejus : quoniam, sicut in li-
ıp. xiv, bro Sapientiæ scriptum est, creaturæ Dei
factæ sunt in tentationem animæ homi-
num, et in muscipulam pedibus insipien-
tium. Nam aliquid amabilitatis et delicio-
sitatis in eis est, et id allicit affectum
humanum, et nisi homo per rationem re-
sistat, tentatio vincit ipsum. Denique, sicut
unicuique homini datus est angelus bo-
nus ad subsidium, ita et angelus malus B
ad exercitium, qui tentare non negligit
viatorem. Itaque, quoniam constitutus est
homo a Deo in hujus sæculi campo, ut
præmemoratis hostibus suæ salutis viri-
liter jugiterque resistat, merito vita homi-
nis militia dicitur super terram. Interdum
quoque tentatur homo per prospera, ut
alliciatur fallaciter; aliquando per adver-
sa, ut terreatur et retrahatur a bonis car-
naliter.

Præterea, amator hominum, benignis-
simus ac sapientissimus Deus, non absque C
piissimis rationibus ordinavit hominem in
hoc mundo ita tentari. Est namque hoc
homini utile et salubre : primo ad præ-
mium, si viriliter pugnet : imo tunc pro-
dest ei tentatio ad incrementum gratiæ in
im.ii,5. præsenti, et gloriæ in futuro. Non enim
coronatur, secundum Apostolum, nisi qui
legitime certaverit. Secundo prodest ten-
tatio homini ad cognoscendum propriam
infirmitatem, quam alias non tam experi-
at.vi,3. mentaliter nosceret, et se forsan aliquid
esse putaret, quum nihil esset. Tertio exci- D
tat hominem ad bene agendum, compellit-
que eum ad meliora, et facit eum ad Deum
confugere, ignaviam acediamque abjicere.
Efficit quoque hominem formidolosum at-
que sollicitum ne vana securitate tepescat.
Quarto auget mutuam spiritualemque inter
homines caritatem : quia dum ab invi-
sibilibus ac eisdem hostibus impugnan-
tur, ad succurrendum sibi invicem provo-
cantur, et majori amore nectuntur, fiuntque
unus exercitus contra adversarios suæ sa-
lutis. Quinto facit hominem prudentem
atque expertum, et ad consulendum aliis,
præsertim in tentationis conflictu consti-
tutis, idoneum. Ideo ait Scriptura divina :
Qui non est tentatus, quid scit? Sexto *Eccli.*
facit hominem aliis compassivum. Unde xxxiv, 9.
de Christo ait Apostolus : Debuit per om- *Hebr.* ii, 17,
nia fratribus similari, ut misericors fie- 18.
ret : in quo enim passus est ipse et
tentatus, potens est et eis qui tentantur
auxiliari. Præterea etiam Deus tentat ho-
mines, non utique ad fallendum, sed ut
erudiat et coronet, atque ut hominem sibi
ipsi aut aliis qualis sit manifestet. Sic
enim, ut in Genesi legitur, tentavit Abra- *Gen.* xxii, 1.
ham; sic quoque tentavit Job et Tobiam. *Tob.* ii, 12.
Non ergo tempore tentationis deficiamus,
sed clamemus ad Deum, attendentes quod
ait Apostolus : Fidelis Deus, qui non pa- I *Cor.* x, 13.
tietur vos tentari supra id quod potestis,
sed faciet etiam cum tentatione proven-
tum, ut possitis sustinere.

Præterea, quam saluberrimum sit per-
secutiones, tribulationes, adversitates, in-
firmitates et tentationes æquanimiter ferre
propter Deum, nullus valet plene exprime-
re. Per eas namque purgamur a vitiis, præ-
paramur ad gratiam et virtutes, perficimur
in eisdem, Christo propter nos passo con-
formamur, ad gloriam quoque æternam
compendiosissima via pertingimus. Præ-
cipuum divinæ dilectionis indicium ad nos
est, quod Deus in hac vita per præfata
flagella paterne nos visitat et exercet; et
communiter quo aliqui fuerunt magis ele-
cti a Deo carioresque ei, eo abundantius
visitavit eos Deus in vita hac per adver-
sa, ut patet in unigenito Filio Patris æter-
ni, in Apostolis et martyribus et ceteris
Sanctis.

Hinc sacra Scriptura ad patientiam sin-
gularissime nos hortatur, et quam salubre
sit pati adversa, copiosissime protestatur.
Ait enim apostolus Jacobus : Omne gau- *Jacob.* i, 2.
dium existimate, fratres mei, quum in
tentationes varias incideritis. Judith quo-
que ait : Abraham pater noster tentatus *Judith* viii,
est, et per multas tribulationes probatus, 22-27.

Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem qui tentationes non susceperunt in timore Domini et in patientia sua, exterminati sunt. Et nos ergo non ulciscamur nos nec irascamur pro his quæ patimur ; sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quasi servi qui corripimur, ad emendationem, non ad perditionem nostram evenisse credamus. Hinc Tobiæ Ra-
Tob. xii, 13. phael angelus dixit : Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.
Prov. iii, 11, 12. Hoc est quod Salomon monet : Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, neque deficias quum ab eo corriperis : quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi. Unde in
Job v, 17, 18. libro Job legitur : Beatus homo qui corripitur a Domino : increpationem ergo Domini ne reprobes, quoniam ipse vulnerat et medetur, percutit et manus ejus sanabunt. In libro quoque Sapientiæ scri-
Sap. iii, 5, 6. ptum est : Deus tentavit justos, et invenit illos dignos se ; tanquam aurum in fornace probavit eos, et quasi holocausti hostiam accepit illos. Et in Ecclesiastico
Eccli. xxvii, 6. dicitur : Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. Hinc, secundum Sanctorum doctrinam, patientia est probatrix virtutum. Non enim melius sciri et percipi potest de homine an sit veraciter virtuosus, nisi consideretur an in adversis sit patiens. Nempe qui ficte virtuosus est, si in adversitatis ponatur camino, instar malæ ollæ crepat et exsilit,
Prov. xiv, 17. suamque ostendit stultitiam. Qui enim impatiens est, operatur stultitiam, ut Salomon loquitur. Itaque, si cupimus esse de numero electorum, non abjiciamus clypeum patientiæ in adversis, nec refugiamus duritiam flagellorum, potissime quum dicat
Hebr. xii, 8, 7. Apostolus : Si extra disciplinam estis, ergo adulteri et non filii estis : quis enim filius quem non corripit pater?

Insuper, diversis tentationibus, diversis ac variis modis est resistendum. Generalia vero remedia contra tentationes ac tribulationes sunt : continuæ et fervidæ orationes ad Deum pro gratioso auxilio, cordialis ac frequens meditatio passionis dominicæ, consideratio quatuor novissimorum, videlicet, propriæ mortis, divini judicii, tormentorum inferni, beatitudinis cœli. Si autem tentatur homo aliquo inordinato affectu, scilicet concupiscentia carnis, ira, invidia, gula, superbia, etc., avertat se ab adspectu seu imaginatione vel consideratione rerum de quibus tentatur, et tunc statim inordinata affectio cessabit, quoniam omnis affectio procedit ex aliqua prævia cognitione rei quæ affectatur. Debet se ergo avertere a talium consideratione, convertendo se ad alia, præsertim ad considerandum salubria animæ, videlicet de passione Christi, de felicitate cœlesti, de pœnis inferni, et consimilibus.

Postremo, ad superandum tentamina et peccata, confert rite perpendere quanta sit peccati vilitas in se, quantum displiceat Deo, quantum placeat diabolo, quanta damna inferat peccanti : quia per unum mortale peccatum perdit homo caritatem Dei infusam et gratiam gratum facientem, ceterasque virtutes ut meritorias, et dona Sancti Spiritus ; fitque adversarius Dei, servus peccati, mancipium dæmonis, reus æternæ damnationis, et beatitudine spoliatur cœlesti ; fit indignus pane quo vescitur, imo indignus est quod a terra portatur ; in naturalibus donis vulneratur, a dæmonibus irridetur.

ARTICULUS XVI.

De rebus salubriter meditandis.

DUM homo in una meditatione, quamvis salubri atque divina, non permanet fixus, debet animam diversis et sanctis meditationibus de diversis rebus implere ac adornare, ut dum ab una cogitatione utili ruit, ad aliam cogitationem cadat salubrem.

Primo autem et principalissime meditandum est de Deo, de infinita bonitate, pietate et beatitudine ejus, de immensa sapientia, omnipotentia et opulentia ejus, de incomparabili excellentia, pulchritudine et suavitate ipsius, de ineffabili quoque et metuendissima justitia ejus, et de beatissimæ Trinitatis majestate et gloria, prout infra dicetur. Deinde meditandum est cum omni devotione et gratiarum actione de incarnatione Filii Dei, de nativitate, circumcisione, tentatione et conversatione ejus in hoc mundo, de virtutibus atque miraculis ejus ; in quanta humilitate, paupertate, patientia et obedientia vixit in sæculo isto ; quanta a Judæis opprobria pertulit, quantas derisiones, blasphemias, detractiones, insidias ; et quomodo tandem acerbissima atque turpissima morte eum interemerunt. Præterea cum gaudio est cogitandum de Christi resurrectione et apparitionibus ejus, et quantum discipuli ejus et sanctæ mulieres, specialiter Mater ipsius dulcissima, tunc consolati fuerunt de ascensione sua et missione Spiritus Sancti.

Insuper est meditandum diligenter de propria morte, et quam cito ventura sit, et quam amarissima erit, quam dolorosum tunc erit male et negligenter vixisse ; et de districto ac metuendissimo Dei judicio, tam particulari in morte cujuslibet, quam universali in die novissimo ; item de æternis inferni suppliciis, et de ineffabilibus gaudiis regni cœlestis. Consideranda quoque est vanitas, brevitas atque miseria vitæ præsentis, in qua infeliciores sunt qui in temporalibus amplius prosperantur, et in carnalibus plus lætantur.

De his omnibus cogitandum est sigillatim certisque horis profunde, morose et affectuose, secundum quod de his multa in diversis scripta sunt libris. Singulariter vero pensanda sunt beneficia Dei generalia et specialia, tam in donis naturalibus quam gratuitis, in corporalibus et spiritualibus, in exterioribus et interioribus.

A Attendat ergo inclusa quantam misericordiam sibi fecerit Deus, quam frequenter sibi pepercerit, quoties bona pro malis sibi reddiderit ; et pro his omnibus præcordialissimas offerat Deo grates. In prætactis meditationibus quasi in horto deliciarum deambulet, quasi in cella aromatica recreetur, quasi in omnibus divitiis delectetur. Ps. cxviii, 14.

ARTICULUS XVII.

B *De amore Dei, et quam ardentissime debeat persona inclusa cœlestem diligere Sponsum.*

AMOR Dei est virtus virtutum, vita animæ, mentis dulcedo, unio cordis cum Deo, desponsatio animæ fidelis cum Christo. Denique, amare est amato bonum velle. Deo autem omnipotenti et glorioso non possumus aliquid melius velle quam quod ipse est. Quum ergo Deus sublimis et benedictus sit summum, invariabile in- C finitumque bonum, imo bonitas ipsa purissima, incircumscripta, et ens omnino perfectum, in quo est omnis perfectio absque mensura, cujus perfectionis nullus est finis ; propter quod Deus est infinita et supersplendidissima sapientia, virtus omnipotens, veritas exemplaris, felicitas æternalis, pulchritudo immensa, dulcedo interminata, deliciosissima vita, mens supersanctissima, caritas summa, simplicissimus intellectus, naturaliter pius, terribiliter justus : hinc constat quod Deum D amare, est ei omnem hanc perfectionem, nobilitatem, excellentiam et beatitudinem velle, ita quod tam infinita Dei perfectio summe et præcordialissime menti Deum amanti complaceat, et de ea præcipue delectetur. Porro ex hoc sancto et puro Dei amore sequitur desiderium exsistendi cum ipso, videndi eum fruendique eo : quia cum re amata esse, est desiderabile ac jucundum.

Insuper, quum Deus sit primum et summum amabile ac honorabile, cui debetur

summa dilectio omnisque honor et gloria; A idcirco ex sincero Dei amore procedit quod homo diligens Deum vult et cupit Deum ab omnibus summe amari, coli et honorari atque timeri, ut omnis honor et gloria ei exhibeatur, et ipse præ omnibus et ab omnibus debite veneretur. Hinc sincerus ac fervidus Dei amator omnibus modis sibi possibilibus studet alios ad Deum convertere, divino amore succendere, ad divinæ majestatis honorificentiam provocare; de inhonoratione quoque Dei maxime contristatur, omnesque B Deo reconciliare conatur, pro eis orando, peccata ipsorum deflendo, exemplariter conversando (ut sit bonus odor Dei in omni loco, sicque plures alliciat Christo), item verbis aut scriptis, per se aut per alios prædicando.

II *Cor.* II, 15, 14.

Denique, Deum super omnia toto corde debemus diligere propter quatuor rationes. Primo, propter propriam et superessentialem, incomparabilem et immensam bonitatem ipsius. Quum etenim quælibet res tanto sit amabilior quanto est melior, C innotescit quod sicut Deus incommutabilis et æternus est universis et singulis infinite et incomparabiliter melior, ita est et amabilior. Præ cunctis ergo incomparabiliter ac ardentissime atque purissime est amandus. — Secundo amandus est nobis quoniam ipse prior dilexit nos, et ex sua dilectione qua prævenit nos, creavit nos, et quidquid boni habemus aut sumus, largitus est nobis. Hinc Joannes apostolus in prima sua ait epistola : Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit D nos. — Tertio Deum amare debemus propter universa beneficia ejus generalia et specialia, corporalia et spiritualia, naturalia et supernaturalia : quæ tot et tanta sunt, quod nec omnia, nec condigne exprimi possunt. Potissime autem Deum Patrem æternum debemus diligere, quoniam propter nostram salutem proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum. Filium quoque Dei nos summe oportet amare propter omnia quæ pro nostra salute assumpsit, fecit ac pertulit, et quia in Sacramento altaris se ipsum nobis communicat, et in sacramentis Ecclesiæ tot gratias nobis largitur. Sed et superdulcissimum paracletum Spiritum Sanctum nos summe ac dulciter oportet diligere, cujus cooperatione incarnatus est Filius Dei, qui charismata gratiarum suarum tam copiose præstitit nobis, imo qui tam amorose ac liberaliter sua nobis dona distribuit, ut in eis se ipsum simul nobis largiri dignetur. Insuper omnia dona naturæ, corpus et anima, et omnia quibus quotidie sustentamur, beneficia Dei sunt. Qui in Baptismo tot munera gratiæ suæ nobis contulit, et amissa per Pœnitentiæ sacramentum toties ea nobis restituit; in peccatis nostris tam diu nos sustinuit, conversionis gratiam dedit, quum tam multos damnaverit in æternum qui minus peccaverunt quam nos. — Quarto Deum amare debemus propter sua promissa, videlicet dona gloriæ quæ nobis præparavit in cœlis, et dare promisit si ei obedierimus perseveranter, sicut in Apocalypsi locutus est : Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Imo Deus piissimus et supermunificentissimus se ipsum nobis promisit, ut eo æternaliter feliciterque fruamur. Merito igitur incomparabiliter, integerrime ac ferventissime diligendus est nobis.

Deut. VI, 5; *Matth.* XXII, 37.

I *Joann.* IV, 19.

Rom. VIII, 32.

Apoc. II, 1[illegible]

Joann. X[illegible] 3, 23.

Præterea, secundum Patres sanctos atque doctores, illa est vera, perfecta ac pura dilectio Dei, qua eum diligimus non intuitu proprii commodi, non desiderio præmii, non propter dona ipsius, aut quia bonus nobis est. Qui enim Deum ita diligeret, se ipsum Deo præponeret, plus se amando quam Deum : quoniam Deum ordinaret ac referret ad proprium commodum et ad se ipsum, quod esset omnino perversum. Sed tunc est vera, perfecta ac pura Dei dilectio, quum eum amamus propter puram et infinitam bonitatem ipsius : quia in infinitum amabilior est quam ab aliqua creata posset mente amari. Simili modo vera et sancta servitus Dei est,

quum ei servimus, dum eum laudamus et omnibus viribus honoramus, non jam amore mercedis, sed propter propriam et immensam dignitatem, sanctitatem et majestatem ipsius, qua infinite major est omni laude, honore et cultu. Dilectio autem et servitus Dei propter beneficia et præmia ejus, vocatur reciproca et reflexa, nec est Deo tam placita neque tam meritoria ut dilectio ac servitus illa alia jam præfata.

Sed circa hoc potest quæstio magna moveri, videlicet, an Deum diligere propter beneficia et promissa ipsius, contrarietur puritati divini amoris, et an homines heroici ac perfecti debeant Deum amare non solum propter bonitatem, sed etiam propter beneficia ejus data aut danda. Pro cujus quæstionis solutione multa subtilia ac difficilia possent induci, quæ hoc in loco sunt magis omittenda. Sed jam breviter atque faciliter respondendum, quod beneficia et promissa Dei considerari possunt dupliciter : primo, ut sunt utilia in se ei qui recipit ea ; secundo, ut sunt ei necessaria ad hoc quod Deo plene deserviat sive inhæreat, eumque laudet in omnibus et honoret. Primo modo considerando beneficia Dei et promissa, repugnat puro amori Dei diligere eum propter beneficia et promissa ipsius. Secundo autem modo non repugnat, imo pertinet ad pleniorem et perfectiorem amorem Dei diligere eum propter beneficia et promissa ipsius : quia sic totaliter ordinantur ad Dei amorem, laudem, cultum et gloriam.

Præterea, quamvis secundum Augustinum, omnis anima christiana sit Dei sponsa aut dæmonis adultera (quia si Deo præ cunctis adhæret, in ipso sibi finem constituens, sponsa est Dei ; si autem in mortali exstat peccato, adultera consistit diaboli, cui per voluntatis communionem miscetur et per consensum unitur, atque ad male agendum ab ipso infeliciter suggestione pestifera fecundatur, vel potius impletur), verumtamen inclusa tanto eminentius esse debet sponsa Sponsi æterni, excelsi, quanto perfectius universa carnalia et caduca deserit et contemnit, ut tota ac libera affectuosaque mente cœlesti Sponso intendat, uniatur, adhæreat. Ideo debet Deum castissimis sanctæ dilectionis brachiis intra se stringere, eumque in medio cordis sui ferventer amplecti, solerter tenere, immobiliter conservare actu vel habitu, ut illud in Canticis canticorum dicat veraciter : Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. Sic enim dignatur eum amplecti, imo ad hoc hortatur Sponsus supernus, dicendo : Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio tua. Nil ergo adspiciat, nil admittat, nil cupiat devota inclusa, quod a Sponsi hujus dignissimi amore purissimo sincerissimisque amplexibus impedit ; illum solum cogitet, diligat atque possideat ; ejus semine, id est verbo Dei et lumine Spiritus Sancti, interius fecundetur, ut fructificet Deo in sanctis operibus. Spiritualem fornicationem, hoc est adhæsionem mentis cum rebus caducis, abhorreat, cum Propheta decantans : Quid enim mihi est in cœlo ? et a te quid volui super terram ? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. Et iterum : Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Sic enim ait et Jeremias : Pars mea Dominus, dixit anima mea ; propterea exspectabo eum : bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum ; bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.

[Margin notes: ...li. XLIII. — Cant. VII, 10. — Ibid. VIII, 6. — Ps. LXXII, 25, 26. — Ibid. 28. — Threm. III, 24-26.]

ARTICULUS XVIII.

Quomodo anima personæ inclusæ debeat Deo assimilari.

DEUS omnipotens et æternus, cujus natura est bonitas, cujus pietas est immensa, cujus dignatio infinita, sicut ad imaginem et similitudinem suam homines condidit in natura, dando eis naturales potentias per quas capaces sunt Dei et participes fieri possunt beatitudinis ejus, videlicet memoriam, intellectum et volun-

[Margin note: Gen. I, 26, 27.]

tatem ; ita vult homines sibi sublimius assimilari per supernaturalia dona, puta per dona et opera gratiæ in præsenti, atque per dona et opera gloriæ in futuro. Hinc in Evangelio Christus loquitur et
Matth. v, 48. hortatur : Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est ; itemque :
Luc. vi, 36. Estote misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est. Per Moysen quoque
Lev. xx, 7, 26. Dominus dixit ad filios Israel : Sancti eritis, quia ego sanctus sum, Dominus
Deut. xviii, 13. Deus vester. Et iterum Moyses ait : Perfectus et absque omni macula eris coram Domino Deo tuo.

Similitudo enim est causa amoris et ratio unionis. Si ergo Deo placere et amari ab eo atque eidem feliciter uniri optamus, studeamus assimilari eidem, non qualitercumque, sed ordinate secundum voluntatem ipsius. Nam et princeps tenebrarum
Is. xiv, 13, 14. voluit Deo assimilari, quum dixit : In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, et ero similis Altissimo. Considerandum est igitur in quibus debemus Deo velle assimilari, et in quibus non licet nobis similitudinem Dei appetere. De hac tamen materia non est in isto tractatulo profunde scribendum, quia materia alta est, sed simpliciter superficialiterque tangendum.

Itaque quædam conveniunt Deo ratione suæ majestatis et excellentiæ, in quantum est primum, æternum, increatum, independens et summum ens, utputa ceteris præesse et dominari, nulli subesse, liberrime agere, de nullo curare. In his atque similibus non licet nobis velle Deo assimilari. Sic quoque princeps tenebrarum,
Job xli, 25. qui est rex super omnes filios superbiæ,
Sap. ii, 25. Deo assimilari volebat : quem iniquissimum imitantur filii ejus, videlicet ambitiosi, superbi, inobedientes, rebelles ac dyscoli. Porro alia conveniunt Deo ratione suæ bonitatis et sapientiæ, utputa esse pium, clementem, dulcem, veracem, purum, justum, sanctum, amorosum, liberalem ac simplicem. In his Deo assimilari debemus atque jubemur.

A Denique, quum Deus sit essentialiter, vere ac proprie amorosus ac sapiens, imo potius amor et sapientia ipsa (Joannes enim apostolus ait : Deus caritas est. Et *I Joann.* iv, 8, 16.
Paulus apostolus : Soli, inquit, sapienti *Rom.* xvi, 27.
Deo honor et gloria), hinc per caritatem ac sapientiam atque per actus earum Deo præcipue assimilamur, videlicet Deum contemplando ac diligendo. Hinc contemplativi dicuntur divini ; et tanto unusquisque est melior atque divinior, quanto in Dei amore major sive ferventior. Insu-
B per, unumquodque maxime assimilatur ei cujus opera amplius imitatur. Unde innocentes et mansueti, oves vocantur ; nocentes vero et iracundi, dicuntur canes seu lupi ; feroces quoque et audaces, nominantur leones ; et callidi, vulpes. Quum ergo vita et operatio Dei altissimi in se ipso sit sui ipsius amorosa contemplatio et contemplativa amatio, constat quod illi præcipue Deo assimilantur qui ei per contemplationem et dilectionem intenti sunt ; et quanto plus homo ab amore et consi-
C deratione ac occupatione rerum temporalium ac carnalium se abstrahit, tanto deiformior præstantiorque efficitur.

Præterea, quum Deus universis ac singulis, bonis et malis, gratis et ingratis, bonitatem suam communicet, naturalia bona præstando et conservando, ac vitæ necessaria largiendo, alia quoque diversa dona tradendo, imo et supernaturalia gratiæ munera quantum in ipso est offerendo, et angelos sanctos ad custodiam hominum deputando, seque ad ignoscendum iniquis
D paratissimum exhibendo, in tantum ut dicat, Quacumque hora peccator ingemuerit *Ezech.* xviii, 21, 22.
pro peccatis suis, omnium iniquitatum ejus amplius non recordabor ; hinc per liberalitatem ad omnes, et per misericordiam ac ignoscentiam super forefactores, Deo non parum salubriter assimilamur, dum et inimicos diligimus, et odientibus ac persequentibus bona pro malis rependimus, orantes pro ipsis ; ad quod nos in Evangelio hortatur Salvator : Diligite (in- *Matth.* v, 44, 45.
quiens) inimicos vestros, benefacite his

qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum facit oriri super bonos et malos, etc. Propter quod docet Apostolus : Imitatores Dei estote, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. [...hes. v,]

Amplius, per zelum justitiæ Deo non parum assimilamur, dum in tantum amamus justitiam et virtutes, quod quasi in affectum justitiæ transformamur, et quidquid contra justitiam est detestamur, inordinato proprii commodi affectu exstincto. Verumtamen, sicut Deus operibus suæ justitiæ misericordiam miscet, ita et nos justitiæ circa alios misericordiam admiscere debemus, sicut et nobis Deum misereri optamus.

ARTICULUS XIX.

De contemplatione Dei.

BEATITUDO et merces Sanctorum in regno cœlorum, est clara, immediata ac fruitiva cognitio Divinitatis, videlicet beatifica visio divinæ essentiæ in se ipsa clarissime, sine medio et absque velamine ; et visio illa est superbeatissimæ Trinitatis intuitio gloriosa, quoniam Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt una essentia, unus Deus, unumque summum bonum, quo solo fruendum est.

Porro visio illa beatifica est ineffabiliter gaudiosa atque dulcissima, replens totaliter et quietans desiderium Beatorum. Propter quod Propheta loquitur Deo : Adimplebis me lætitia cum vultu tuo ; delectationes in dextera tua usque in finem. [... xv, 10.] Et iterum : Satiabor, quum apparuerit gloria tua. [... xvi, 15.] Quanto enim res aliqua est majoris pulchritudinis ac decoris, tanto delectabilius est clare eam adspicere, præsertim si diligatur ejusque præsentia appetatur. Deus autem est pulchritudinis penitus infinitæ : imo ipse essentialiter est pulchritudo invariabilis, summa, incircumscripta atque purissima, splendidissima, convenientissima ac amœnissima, a qua omnis pulchritudo creaturarum fontaliter fluxit infiniteque deficit. Quid enim pulchrius veritate ? quid purius sanctitate ? quid splendidius sapientia ? Deus autem est veritas prima in se subsistens, sanctitas æternalis finem non habens, sapientia fontalis, cujus non est numerus aut mensura. [Ps. CXLVI, 5.] Ipse ergo vere, essentialiter incomparabiliterque pulcherrimus est in se ipso et delectabilissimus ad inspiciendum. Sancti quoque in regno cœlesti ardentissime diligunt eum : idcirco cum inæstimabili jucunditate eum adspiciunt, ita quod nil amplius cupiunt. Insuper constat quod quanto aliquid majoris in se ipso exstat dulcedinis, majorisque bonitatis ac perfectionis, tanto deliciosius est ipso frui. Deus vero est bonitas summa, dulcedo immensa, perfectio interminata, cujus divitiæ atque deliciæ in ipso sunt penitus infinitæ. Jucundissimum ergo et prorsus dulcissimum est frui increata dulcedine illimitataque bonitate Dei. Et hæc beatifica ac fruitiva cognitio Dei est omnium refectio Beatorum, quorum gloriosissimus cibus est ipsa Divinitas æternaque Trinitas.

Denique in hoc consistit profectus noster et perfectio nostra in hac vita, ut præfatæ visioni beatificæ et contemplationi fruitivæ Dei quotidie quantum est possibile propinquemus, prægustemusque eam aliquo modo, suscipiendo desuper consolationes internas delectationesque spirituales, ex contemplatione et dilectione Dei per fidem et sapientiæ donum, ita ut cum Propheta psallamus et ex sententia dicere valeamus : Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. [Ps. LXXXIII, 3.] Possumus igitur et debemus etiam in hac vita Deo aliqualiter frui, inhærendo ei finaliter amore propter se ipsum. Jam quoque possumus eum aliqualiter contemplari, non tamen perfecte, sed (ut ait Apostolus) per speculum in ænigmate, [I Cor. XIII, 12.] utputa per formas similitudinesque creatas, secundum quod per eas et in eis repræsentatur relucetque Deus.

Interdum autem fit hoc per similitudines corporales, interdum per formas imaginarias. Interdum vero fit hoc sublimius, purius atque divinius, per species et radios intellectuales, hoc est per solam intellectualem illuminationem, et spiritualis speciei aut luminis infusionem. Sicque contingere solet personis perfectis, heroicis ac divinis, quæ sæpe inopinatis excessibus feruntur seu potius rapiuntur in Deum : qui frequenter benignissime sic subito et improvise prævenit mentes illarum, quod absque proprio conamine mirabiliter illustrantur et inflammantur a Spiritu Sancto, tamque suavissime replentur et consolantur ab ipso, ut ineffabilem Dei circa se caritatem, pietatem, liberalitatem ac dignationem nequaquam mirari sufficiant, atque tam valide elevantur et afficiuntur in Deum, ut præ claritate contemplationis et præ fervore dilectionis divinæ deficiant, et a se ipsis alienentur, ac corpore infirmentur, undasque gratiæ desuper influentis ferre vix queant; sicque Deo suum in eos continuante influxum, a se ipsis penitus defluunt, atque in abysso lucis æternæ, in fonte divitiarum gloriæ infinitæ demerguntur ac absorbentur, et igne amoris divini quodammodo consumuntur, sicque dulcissime in Deo obdormiunt feliciterque repausant et conquiescunt, quousque hæc gratia tanta tollatur, et sibi ipsis relinquantur, atque ad solita exercitia remittantur. Tales tam electi ac dilecti a Deo cum Propheta dicere valent : Quia inflammatum est cor meum et renes mei commutati sunt, et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi; itemque : Defecit caro mea et cor meum; Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. Et rursus cum sanctissimo Jeremia : Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis exæstuans claususque in ossibus meis; et defeci, ferre non sustinens.

Ps. LXXII, 21, 22. — *Ibid.* 26. — *Jer.* XX, 9.

Itaque, quum ad caritatem perfectam, prout huic vitæ possibile est, pervenerit homo, donum quoque sapientiæ in ipso perficitur, et per illud fit homo velut con- A siliarius et secretarius Dei; et subveniente Spiritu Sancto, dispositissimus est ad suscipiendum uberrime ac sæpissime illuminationes divinas, inflammationes internas, consolationes supernas, ita quod nihil sibi facilius est, nihil suavius, nihil familiarius, quam per contemplationem fervidumque amorem se ad Deum levare, in ipso quiescere magis aut minus diu, prout Spiritus Sanctus concesserit.

Contempletur ergo electa inclusa Dominum Deum suum, quomodo ipse in se B ipso simplicissimus est, et infinite, incomprehensibiliter incomparabiliterque perfectus, ita quod suæ bonitatis ac sapientiæ, suæ felicitatis et gloriæ, suæ amabilitatis et excellentiæ, suæ dulcedinis ac opulentiæ, suæ nobilitatis et omnipotentiæ, suæ pulchritudinis atque clementiæ nullus est finis, nullus numerus, nulla mensura; sicque præcordialissime congaudeat Deo de omni hac proprietate ipsius.

Præterea, cum omni humilitate, affectu et reverentia contempletur supergloriosis- C simam ac superdignissimam Trinitatem : quomodo Pater æternus et Unigenitus ejus superpulcherrimus ac superdulcissimus paracletus Spiritus Sanctus se invicem ardentissime diligunt, jucundissime inspiciunt, beatissime perfruuntur; quomodo quælibet divina et increata Persona tam infinito et superardenti amore diligat alias duas Personas divinas sicut se ipsam : ideo cum infinita prorsus lætitia se mutuo intuentur, cum immensa quoque dulcedine se invicem perfruuntur, et cum inexcogi- D tabili delectatione se mutuo complectuntur atque in se invicem sunt, manent et conquiescunt.

Amplius, contempletur quomodo unigenitus Filius Dei, Deo Patre volente et Spiritu Sancto cooperante, ex nimia sua pietate et caritate ad nos, factus est homo pro nobis; et quomodo eodem instanti quo anima Christi creata est, mox unita fuit æterno Verbo seu Filio Dei personali unione, et eodem instanti impleta fuit omni gratia, virtute et dono Spiritus Sancti,

beatifica quoque visione divinæ essentiæ; A eodem etiam instanti formatum fuit corpus Christi sanctissimum ex purissimo sanguine Virginis sanctæ Spiritus Sancti virtute, et unita fuit ei eodem instanti anima Christi, ita quod tunc anima et corpus simul juncta, pariter unita fuerunt Verbo æterno, sicque Filius Dei factus est homo, et permanet Deus et homo in una persona.

Præterea contempletur omnium Beatorum in regno cœlesti plenam felicitatem et gloriam, mentis in Deo fervorem, mu- B tuam caritatem, deliciosissimam societatem, æternam securitatem. Contempletur ordines angelorum, quam pulchri ac splendidi, quam elegantes, potentes ac gloriosi sint illi angelici spiritus, quam innumerabilis sit eorum exercitus; quomodo millia *Dan.* VII, 10. millium angelorum Deo ministrant, et decies millies centena millia ei adsistunt. Contempletur demum beatissimam virginem Mariam, quam inæstimabilis sit beatitudo et honor ipsius, eo quod sit veri Dei Genitrix vera. Insuper Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, martyrum, confessorum ac virginum, omniumque Sanctorum gloriam contempletur; et quomodo universa triumphans Ecclesia omnipotenti Domino, uni ac trino, incessanter æternaliterque intenta sit, quam reverenter ei deserviat, quam gratissime eum laudet, quam inavertibiliter ei inhæreat : qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS LIBRI DE VITA INCLUSARUM.

DE PRÆCONIO SIVE LAUDE ORDINIS CARTUSIENSIS

PROŒMIUM

Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Galat. v, 24.

Hæc est generalis beatissimi Pauli in paradisum et usque ad tertium cœlum II *Cor.* XII, 2, 4.
rapti doctrina in universis suis epistolis, ut carnalia desideria reprimantur, ipsaque caro in servitutem spiritus redigatur, et ipsa mens hominis Deo excelso ac glorioso per gratiarum charismata conformetur, ita ut nihil admittatur, nil fiat caritati contrarium : quod totum cadit etiam sub præcepto. Porro, quanto quis istud perfectius in se ipso expleverit, tanto perfectior rite censetur. Etenim finalis perfectio, beatitudo, decor et gloria rationalis creaturæ est suo Creatori plenarie conformari. Ad quod naturalibus viribus nequit pertingere, sed supernaturalibus indiget gratiæ donis, atque assidua ope piissimi Salvatoris, qui dixit : Sine me nihil potestis facere. *Joann.* XV, 5.
Qui quum sit universorum Creator ac Dominus, nec personarum acceptor, nulli *Act.* X, 36, 34.
denegat gratiæ suæ auxilium eamdem totis viribus requirenti, utputa quod in se est facienti, quemadmodum Moyses protestatur : Quum quæsieris Dominum Deum *Deut.* IV, 29.
tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ. Hinc elucescit, quod quanto plus coaptaverit ac præparaverit se homo ad divinorum infusionem charismatum, ad gratiæ incrementum, ad supernaturale Deitatis subsidium, tanto exuberantius desuper exaudietur, gratiosius confortabitur, incessabiliusque juvabitur, sic ut vere et ex sententia fateatur : Omnia possum in eo qui *Philipp.* IV, 13.
me confortat. Ideo sapientia Dei Patris Christus in omni Evangelio docuit, monuit, I *Cor.* I, 24.
jussit, ut totum cor nostrum convertamus ad Deum fide firma, filiali fiducia, caritate præcipua ; et ipsum in omni necessitate et causa fideliter invocemus ; impedimenta quoque exauditionis divinæ, id est peccata, quibus majestatem Altissimi offendi inhonorarique constat, diligenter vitemus. Denique hinc jubemur omnem sollicitudinem I *Petr.* V, 7.
nostram in ipsum projicere, in omni indigentia ad ipsum confugere, in omni eventu in ipso sperare.

Hoc Patres sancti Spiritu Sancto repleti profunde pensantes, varios Ordines instituerunt, prout divinitus movebantur : in quibus diversa ordinaverunt statuta, rigorosa satis et ardua, innitentes in cunctis gratioso auxilio Spiritus Sancti, cujus consolatione ac ope noverant omnia, non tantum faciliter, imo et delectabiliter posse impleri, quemadmodum Rex et Legifer noster est locutus : Venite ad me, omnes qui *Matth.* XI, 28-30.
laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos ; tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde : jugum enim meum suave est, et onus meum leve. Quumque, teste Apostolo, hi qui sunt Christi, hoc est electi *Galat.* V, 24.
a Christo et per gratiam pertinentes ad ipsum, carnem suam cum vitiis et

concupiscentiis crucifigant, refrenent, castigent pœnitentialiterque affligant (quod etiam aliquo modo ad omnem pertinet atque requiritur Christianum); ideo Patres sancti in suis regulis statuerunt id fieri cum eminentia quadam, ut scilicet religiosi quo professionis fuerint altioris, eo excellentius et perfectius corpora sua cum vitiis et concupiscentiis crucifigant, quatenus et sic abundantiorem cœlitus gratiam sortiantur, Christo conformiores reddantur, ac demum ad omnia quæ divini sunt cultus ardentiores fiant ac fortiores.

Jacob. III, 2. Præterea, quia in multis offendimus omnes, sensus quoque et appetitus ac
Gen. VIII, 21. cogitatio cordis humani prona sunt in malum ab adolescentia sua, instituerunt beatissimi, ferventissimi et illuminatissimi Patres in suis statutis ac regulis varias observantias regulares, satisfactorias pœnas, ordinationes pœnitentiales, quibus non solum quotidiana et cuncta præterita deleantur peccata, verum etiam futura et imminentia caveantur, inhærentes ac innitentes in omnibus pietati ac gratiæ misericordissimi Creatoris, non instabilitati et imbecillitati humani cordis, sicut hortatus
Is. L, 10. est Isaias : Quis (inquiens) ambulavit in tenebris, et non est lumen ei? Speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum. Amplius, hac ex causa divinus
De Divin. nom. c. VII. Dionysius christianam sapientiam, evangelicæ legis doctrinam, sacræ fidei theoriam appellavit irrationalem, insensatam, amentem : non quod a veræ rationis luce deficiat, sed quoniam omnem naturalem rationem, philosophicam traditionem, humanam perscrutationem prorsus transcendit, potissime in credendis, magna quoque ex parte in operandis, in quibus omnibus necesse est supergredi semetipsum, Deo inniti, gratiæ
Ps. XC, 1. inhærere, ac stabiliri in eo de quo cantamus in Psalmo : Qui habitat in adjutorio
Ps. LXI, 8. Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur; itemque : In Deo salutare meum et gloria mea; Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.

DE PRÆCONIO SIVE LAUDE ORDINIS CARTUSIENSIS[1]

ARTICULUS PRIMUS.

De institutione Ordinis Cartusiensis.

I *Cor.* I, 20. *NONNE stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?* Agnitum plane atque famosum est miraculum illud resuscitati Parisiis mortui in theologia magistri facie tenus virtuosi, grandique morum venustate forinsecus decorati, qui altera obitus sui die ac prima sui resuscitatione erigens se in feretro, terribili protulit apparatu : Justo Dei judicio accusatus sum. Porro sequenti die denuo suscitatus, terribilius ait : Justo Dei judicio judicatus sum. Tertia autem die terribilissima voce deprompsit : Justo Dei judicio æternaliter sum damnatus. Cujus occasione prodigii Ordo cœpit Cartusiensis.

Vir quippe altæ considerationis, magister Bruno, natione Coloniensis, in facto
Rom. XI, 33. illo horribili intuens quam vere incomprehensibilia, rigorosa ac metuendissima sint Omnipotentis judicia, compunctus, territus et accensus est vehementer, ac una cum sex viris sibi familiaribus ac præcaris hunc mundum immundum, hoc sæculum nequam, hoc turbulentissimum ac periculosissimum mare, in quo, ut sanctus fatetur Hieronymus, de centum vix unus evadit, exire decrevit : quod juxta directionem S. Hugonis Gratianopolitani antistitis, super hoc visione septem stellarum A desuper informati, saluberrime adimplevit; ac juxta compunctionis suæ fervorem, juxta spei suæ in Deo corroborationem, juxta magnitudinem ac certitudinem fidei suæ, eremiticam, solitariam et vere pœnitentialem exorsus est ducere vitam, ex qua Cartusiana religio traxit originem.

Cujus professores elegerunt esse omnino reclusi, ab esu carnium perpetuo atque indispensabiliter abstinentes, corpora sua cum vitiis et concupiscentiis *Galat.* V, 24.
crucifigentes; in cella et solitudine, in B spe et silentio, in oratione et compun- *Is.* XXX, 15.
ctione, in jejuniis et disciplinis, in asperitate cilicii ac strati duritia, in psalmodiis et laudibus, in contemplatione atque indesinenti profectu divini amoris vacantes et obsequentes Altissimo.

Omne quoque bonum quod agunt, pro nihilo reputantes, et superdignissimo Deo grata ac humili mente sinceriter adscribentes, prudenter advertunt quod Deus majestatis ac gloriæ penitus infinitæ, in infinitum ampliori honore, cultu, amore C et subjectione sit dignus, quam ipsi, imo et universa creata, eidem valeant exhibere; præterea, quod nec beneficiis primi ac summi datoris quidquam æquivalens aut condignum valeant rependere; quod item si voluerit cum eis judicio Deus con- *Job* IX, 3.
tendere, non poterunt respondere unum pro mille; rursus, quod nec pro suis excessibus satisfacere queant Judici sum-

[1] Ex editionibus Coloniæ, Joannis Soteris, 1532, et Joannis Birckmanni Junioris, 1559.

mo, etiam si flumina aquarum Jordane A majora oculi eorum deducant, et totus hic mundus simul oret ac ploret pro ipsis; *Rom.* VIII, 18. postremo, quod non sint condigni labores, idoneæ servitutes sufficientesve passiones hujus conversationis ac temporis ad futuram gloriam electorum. Ex horum consideratione profunda ac luminosa, non solum pro nihilo arbitrantur quod carnibus nunquam vescuntur, imo vehementer deplangunt quod a sanctorum Patrum rigore et abstinentia, compunctione et pœnitentiæ profectu, puritate, perfectione ac sin- B cerissima contemplatione tam intense et quasi infinite deficiunt. Propter quod merito *Eccli.* VII, 19. humiliant valde spiritum suum, et aspernantur se ipsos; seque secundum id quod ex se sunt considerantes, ex corde se reputant indignos pane, quanto magis piscibus et lacticiniis quibus vescuntur, terra quam calcant, aere quem respirant, et omnium creaturarum obsequio, imo et omni beneficio Dei, eo quod universorum Creatorem, cujus honorabilitatis nullus est finis, tam frequenter tamque enormi- C ter offenderunt, haud dubium quin multo plus quam ipsimet sciunt aut comprehendere valent.

ARTICULUS II.

De antiqua quorumdam querela adversus Cartusienses, eo quod in nullo casu, in nulla videlicet infirmitate, carnium esum admittant.

I Cor. II, 14, 15. *ANIMALIS homo non percipit ea quæ* D *sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi. Spiritualis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur.* Quidam benevoli sunt bonæque indolis, et bona virtutum ac gratiæ dona quæ in se ipsis non habent, amant, commendant ac venerantur in aliis. Alii vero corrupti sunt, intimorati atque ad temeraria judicia proni, qui dona Dei quibus carent, in aliis persequuntur, melioribus obloquuntur, ac (teste Hieronymo) in eo doctos se putant bonosque arbitrantur, quod doctioribus et melioribus se obtrectant. Hinc aliqui ab antiquo temere eruperunt, et posuerunt (ut scri- *Ps.* LXXII ptum est) in cœlum os suum, sanctum Ordinem Cartusiensem indiscretionis ac sceleris arguentes, eo quod professoribus suis in nulla ægritudine carnibus vesci concedat: quia, ut fantur, per hoc necessaria remedia denegantur, et vita infirmi, quæ per confectionem ex carnibus instaurari posset et prolongari, abrumpitur. Præterea, alii discretissimi religionum institutores, in ægritudinibus gravibus, præsertim in articulo mortis, in quo omnia exstant communia, esum carnium suis professoribus concesserunt, puta Hieronymus, Basilius, Benedictus, etc. Unde hi indiscrete hoc negare videntur, quum et Apostolus contestetur: In novissimis die- *I Tim.* IV, 3-5. bus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, prohibentes nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, quoniam omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.

ARTICULUS III.

Reprobatio accusationis illorum, et ad objecta eorum solutio.

QUEMADMODUM autem Jannes et *II Tim.* III, 8, 9; *Exo* VII, 11. *Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati; sed ultra non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit.* Contra prætactas calumnias dudum scripserunt viri litterati ac boni: magister Arnoldus de Novavilla, præcipuus physicus, cancellarius quoque Parisiensis Joannes de Gerson, gloriosus theologus.

Prætactus ergo Arnoldus in suo scribit tractatu: Opinio illa in se falsa est et profana, quia expresse sapit hæreticam pravitatem, et est in radice sua phantastica et mendosa. Cujus falsitas sic pro-

batur. Quod ex summa fit caritate non A adimit caritatem : quum ergo in Ordine Cartusiensi carnes regulariter denegentur quibuslibet regulæ subjectis virtute generalis statuti, constat ex caritate id fieri. — Insuper, quod sapiat hæresim declaratur : quia, ut sacri canones protestantur, hæreticus est qui Romanæ Ecclesiæ adversatur in his quæ ad universalem pertinent statum fidelium, et item qui novum dogma confingit pertinaciter. Et certe utroque reatu involvitur auctor opinionis tam pravæ. Constat namque quod Romana Eccle- B sia de præfato Ordine tanquam de pulcherrima ac gloriosissima filia gloriatur, et tolerat, imo et approbat statuta ipsius. Fingit etiam novum dogma, quia supponit quod languidi interdum nequeant sine esu carnium a mortis periculo liberari, sicque docet necessarium esse carnibus vesci ad vitæ longitudinem consequendam : quod peritissimi reprobant medicorum. Mortis, inquiunt, periculum non timetur in languido nisi ex defectu virtutis vitalis, et hæc non valet deficere nisi vel ex malitia C materiæ seu humoris eam resolventis, aut defectu alimenti eam conservantis ac restaurantis deperditionem ipsius. In utroque vero casu languens evadit mortis periculum per abscisionem causæ prosternentis virtutem illam vitalem. Nec est tutum in proposito remedia permutare. Nam, ut clarissimus medicorum princeps Hippocrates ait in Ægritudinum regimento, si deficientibus per furiam morbi, id est malitiam materiæ vel humoris peccantis, exhibeatur cibus suffocationis, vel al- D terius vexationis superadditio, vitam coguntur finire celerius; deficientibus autem ex penuria alimenti si denegetur cibus et medicationi subdantur, exspirant velociter tabefacti. Ex quibus patet, quod quum carnes ad edendum non propinentur nisi pro alimento, ad liberandum ægrum qui timetur deficere ex morbi malignitate, non proderunt, sed nocebunt. Deficientibus vero propter penuriam alimenti si carnes exhibeantur, confortabunt procul dubio vitalem virtutem. Verumtamen ad eam confortandam et reparandam, non oportet cibos carnium potius dari quam alterius alimenti : quia, ut dictum est, deficienti ex hac causa debetur alimentum velocissime abundanterque reparans virtutem ipsam deficientem. Talia vero testantur medici esse vinum ac vitella ovorum mediocriter mollia, sic probantes : quia nihil abundanter ac velocissime potest virtutem vitalem reparare in corde, et per consequens in arteriis cunctorum membrorum, nisi velocissime valeat generare spiritus copiosos in membris prædictis. Porro tale consistit alimentum illud quod in laudabilem multumque sanguinem velocissima digestione convertitur : quale est quod habet qualitates sanguini naturaliter conformes, atque in sui substantia paucissimas gerit fæces, imo habet substantiam adeo puram, quod convertitur quasi totum in sanguinem. Præ cunctis vero nutrientibus prærogativam habent in his duo hæc, vinum mediocre, et maxime aromaticum, et vitella ovorum. Ceteris quippe aliquæ prædictarum desunt conditionum : quia si generativa sint sanguinis multi, aut non ita cito in sanguinem convertentur, aut non in tam purum, seu econverso. Si enim ita celeriter in sanguinem convertantur ut ista, non tantus erit aut non tam purus. Brodia etenim carnium et succi earum vel latenter vel apparenter abundant ventositate superflua, quæ pabulum est caloris extranei potius quam materia sanguinis puri laudabiliumque spirituum.

Patet igitur, quod languentibus in quibus defectus virtutis vitalis causatur non ab alimenti penuria, esus carnium ingerit mortis periculum, et* citius atque securius eis succurritur per exhibitionem ovorum ac vini quam carnium. Hinc hujus oppositum affirmare contingit aut ex malitia et odio, qualis est error perfidiæ Judæorum ; aut ex concupiscentia carnium et animi passione, quæ rectum pervertunt judicium ; vel ex ignorantia physicalium

*[si deficiant propter penuriam alimenti,]

considerationum : quæ docent quod quæ- A dam est virtus corporalis per quam anhelitus exercetur et pulsus in corpore toto, sine qua nequit in aliqua corporis parte ullus vitæ actus manifestari : ideo medici hanc appellant absolute vitalem. Alia est per quam exercetur cognitio, quæ pertinet et convenit animali, ut sentire, imaginari, æstimare, memorari : ideo animalem cognitivam nominant eam. Tertia est per quam motus voluntarius exercetur : propterea vocant eam animalem motivam voluntario motu. Considerans igitur medicus B sapiens harum virtutum diversitatem, rationabiliter distinguit inter confortantia, dicens quod ad confortationem virtutis vitalis et cognitivæ plus valent alimenta subtilia, et quæ in sanguinem purum facillime convertuntur : quoniam illæ virtutes specialiter perficiunt operationes suas virtute spirituum laudabilium, qui generantur ex sanguine puro et temperato. Ad confortationem autem virtutis motivæ prædictæ plus prosunt cibaria grossa, quæ densum et tenacem seu glutinosum gene- C rant sanguinem : quoniam motus voluntarius perficitur soliditate seu robore nervorum et lacertorum; sanguis vero densus et tenax membra facit robusta et valida, quoniam difficulter ab eis per motum et laborem humiditas nutrimentalis resolvitur. Quumque respectu vini tenacem sanguinem generent carnes, constat quod ex hoc respectu commodiores erunt carnes ad imprimendum robur membris languentibus ex alimenti penuria; verum ad ea vivificanda, illa alia erunt utiliora. Per D quod prædictorum maxime detegitur error : quia, ut asserit Galenus, confortatio virtutis motivæ non est necessaria in decumbentibus ægris, quoniam et modicum egent operatione ipsius : quare nec carnibus necessario indigent. Hinc demum
I Tim. v, 23. Apostolus scribit ad Timotheum : Modico vino utere, propter stomachum tuum et frequentes tuas infirmitates. Nec dicit :
Rom. xiv, 2. Carnibus utere. Imo ad Romanos : Qui infirmus est (inquit), olus manducet. Non dicit, Carnes. De pane quoque et vino quod confortent virtutem vitalem, habetur in Psalmo : Vinum lætificet cor hominis, *Ps.* ciii. et panis cor hominis confirmet. Sic et Christus deficientes in via, in quibus time- *Matth.* 32, 36. batur vitalis virtutis defectio, refecit non carnibus, sed pane ac piscibus.

Hæc ex tractatu præfati magistri sunt sumpta : quæ et Joannes Andreæ utriusque juris celeberrimus doctor allegat et approbat. Nec derogat præinductis quod alii quidam sancti religionum institutores esum carnium in infirmitatibus admiserint : sicut nec illis obstat quod nonnulli religionum institutores esum carnium etiam sanis professoribus suorum Ordinum concesserint. Etenim Patres sancti considerationes habuerunt diversas, ac variis modis a Spiritu Sancto sunt moti, institueruntque Ordines magis et minus rigorosos, arduos et perfectos, prout diversis hominibus juxta varietatem et gradum virium et culparum, atque affectionum, fervorum, dispositionum et inclinationum suarum competit et congruere potest.

Porro, quam consultissime ac providentissime venerabiles Patres Ordinis Cartusiensis professoribus suis usum carnium totaliter indispensabiliterque negaverint, experientia pandit. Videmus quippe, ut ipsi hoc consideraverunt in aliis, quemadmodum modica illa licentia vescendi carnibus tempore infirmitatis paulatim sit facta occasio magni, imo et multiplicis mali. Proni enim sunt sensus et affectus *Gen.* viii hominum ad iniqua. Sicque decrescente primo fervore, persuasit sibi humana fragilitas ac carnalis affectio multiformi et levi occasione, infirmitatis incommodum, indigentiam carnium, indulti abusum, et sic passim ad ollas carnium sunt reversi. Tanti igitur mali omnimodam occasionem absciderunt sibi ac posteris suis totaliter Cartusiensis Ordinis Patres.

Postremo, quod ex verbis Apostoli in- *I Tim.* i, 3-5. troductum est, nequaquam militat contra præhabita : quia, secundum expositores et

sanctos Patres, Apostolus loquitur contra eos qui quosdam cibos dixerunt illicitos ex innata malitia, et non solum ex significatione, aut quasi adhuc duraret prohibitio Mosaicæ legis de variis escis vitandis. Non autem loquitur contra eos qui causa refrenandæ concupiscentiæ aut pœnitentiæ peragendæ, seu pro ampliori gratia obtinenda, docent, suadent aut jubent a delicatioribus alimentis ad tempus seu totaliter abstinere : quod innumerabiles Sanctos constat egisse.

ARTICULUS IV.

Confirmatio prædictorum ex tractatu doctissimi viri Joannis cancellarii Parisiensis.

[Eccle. xii, 11.] VERBA *sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi.* Cancellarius jam præfatus tractatu de Abstinentia a carnibus : Horrere, inquit, de facili abstinentiam solent qui voluptatibus de- C fluunt, quorum deus venter est, [Philipp. iii, 19.] a quibus sobrietas austeritas reputatur et inculpatur, atque ex sua carnalitate et consuetudine prava aliorum vitam metientes, judicant miserabile, superstitiosum indiscretumque esse corpus attenuare duris jejuniis, et a cibis abstinere concessis, non advertentes quam læta, salubris et sana, imo et ex consuetudine, et præsertim ex gratia, quam facilis et jucunda reddatur devotorum sobrietas. Denique ista est vitiorum palma infamis, extrema quo- D que et impudentissima quorumdam criminosorum perversitas, sancta polluere, bene acta calumniari, et quæ imitari nequeunt aut non volunt, vituperare : sicque alienæ vitæ reprobationem, suam putant laudationem.

Experimur hanc carnalium hominum insaniam tum in multis, tum nominatim erga venerabiles Cartusienses, apud quos reperitur, sicubi in Ecclesia quidquam vestigii reliquerit prædicanda illa pristi- A norum Patrum devotio, admirabilis fervor, et continentia pene incredibilis. Hos namque Cartusienses interdum exagitant quidam imbuti sapientia terrena, animali et diabolica, asserentes eos contra caritatem negare sibi ipsis carnium esum, præsertim tempore infirmitatis : quorum vox est vox fastidientium cœlitus datum manna, suspirantiumque ad ollas carnium Ægypti. [Exod. xvi, 3.]

Itaque contra hos sit prima ista conclusio : Rationabiliter in Ordine Cartusien- B si generaliter est statutum ut nullus Frater Ordinis illius unquam comedat carnes, imo si petat, ei negentur. Si enim non ita esset, nequaquam per tantum tempus, videlicet plus quam per trecentos et octoginta annos aut circiter, stetisset et observatum esset statutum hoc in Ordine Cartusiensium, in quo hactenus floruerunt tot summæ religionis atque eximiæ discretionis viri, in Scripturis et in jure civili, canonico ac divino sublimiter eruditi. Insuper nequaquam tam diu hoc tolerasset C Ecclesia : alioqui laqueum ministrasset filiis suis. Nec etiam vitam Cartusiensium laudassent tot summi Pontifices ac viri sanctissimi, ut illuminatissimus pater S. Bernardus in epistola ad Fratres de Monte Dei. Præterea, licitum est uni vel pluribus per totam vitam suam a carnibus penitus abstinere : quia sic egerunt plurimi Sancti et adhuc quidam agunt devoti. Quod Apostolus quoque satis innuit, dicens : Si esca [I Cor. viii, 13.] scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum D scandalizem. Amplius, ut ex verbis patet Isidori, lex illa rationabilis est censenda quæ convenit religioni, congruit disciplinæ proficitque saluti. Talem vero esse legem illam de jugi abstinentia a carnium esu, docuerunt tot temporum experimenta, infra quæ fuerunt in Ordine illo tot religiosissimi viri incolumes, atque diutius ceteris, imo usque ad decrepitam senectutem viventes. — Ad ista probanda inducit hic doctor quamplura, in quibus sunt aliqua quæ infra tangentur.

ARTICULUS V.

De commendatione et testimoniis S. Bernardi ad Fratres Cartusienses.

Num. xxiv, 5, 6. QUAM *pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel! Ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus.* Epistola illa ad Fratres de Monte Dei communiter beatissimo nimiumque clarissimo ac spiritualissimo viro S. Bernardo adscribitur : nihilo minus a quibusdam non sine ratione ambigitur an vere sit ejus [1]. Primo, quia in prologo illius epistolæ auctor ejusdem : Excerpsi, inquit, ex libris S. Ambrosii quidquid in eis disseruit super Cantica canticorum, opus grande et inclytum ; similiter ex dictis B. Gregorii, sed diffusius quam Beda fecerit. Bernardus autem non consuevit excerptionibus hujusmodi occupari. Alia demum nonnulla scribit ibidem, ex quibus idem videtur : In epistola, inquiens, ad Romanos et in ceteris quibusdam, quod dixi, de sanctorum Patrum fontibus hausi, in quibus nihil omnino aut non multum de meo dixi. Secundo, quoniam is qui collegit flores Bernardi, nihil ex epistola illa ad Fratres de Monte Dei extraxit. Tertio, ob stili diversitatem.

Verumtamen ex quibusdam apparet probabile quod S. Bernardus epistolam illam ediderit. Nam in eodem prologo loquitur : Sunt et alia opuscula nostra, et super Cantica canticorum usque ad illum locum :
Cant. iii, 4. Paululum quum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea. Nempe usque ad id super Cantica scripsit. Et addit in prologo : Nam contra Petrum Abælardum, qui effecit ne prædictum opus perficerem, etc. Quod dictum videtur de Petro illo Leonis antipapa, Innocentii Papæ adversario, contra quem pluribus annis prædicavit Bernardus, et a compilatione impediebatur librorum. Rursus, in prologo illo effatur : Senium et ægritudo a communi A me labore relaxat. Alibi quippe, et super psalmum, Qui habitat in adjutorio, a communi conventus labore se exemptum fatetur ex infirmitatis debilitate, sicque editioni opusculorum ac sermonum fuisse intentum. Præterea, auctor prætactæ epistolæ, tantæ ex suo effectu probatur excellentiæ exstitisse in omni sapientia atque notitia Scripturarum, in exercitatione virtutum, in gustu et sapore interno, in experientia divinorum, in contemplationis profunditate, in auctoritate loquendi et B gratia instruendi, ut non immerito putetur fuisse sanctus ille Bernardus, qui Fratribus Cartusiensibus domus Montis Dei valde fuit familiaris, amicissimus ac frequenter contubernalis. Ps. xc.

Verum, sive S. Bernardus, sive alius ei forsan contemporaneus illam compegit epistolam, ipsa vere Bernardo adscribitur, utputa ejus personæ aut alteri ei in gratia simili : juxta quem modum amicus dicitur alter ego ; sanctissimus quoque Joannes Baptista vocatur Elias ; et qui multum Matth. xi, 14.
C sunt similes, iidem feruntur, ita quod dicimus : Vidistis istum, illum vidistis.

Sic ergo Bernardus Cartusiensibus illis scripsit : Fratribus de Monte Dei, inferentibus orientale lumen et antiquum illum in religione Ægyptium fervorem tenebris occiduis, solitariæ scilicet vitæ exemplar ac formam conversationis cœlestis, occurre et concurre, o anima mea, in gaudio Spiritus Sancti, in risu ac jubilo cordis, in pietatis fervore, atque in omni obsequio voluntatis devotæ. Quidni? Etenim epulari Luc. xv, 32.
D in Domino et gaudere oportet, quoniam christianæ devotionis ac sanctæ religionis speciosissima portio, quæ cœlos propinquius tangere videbatur, mortua erat, et revixit; perierat de mundo, et ecce inventa est. Auditu auris audiebamus, nec credebamus ; legebamus in libris et mirabamur de antiqua vitæ solitariæ gloria, et magna gratia Dei in ea : quum subito invenimus eam in campis silvæ, in Monte Dei, in

1 *Cf.* Migne *Patrol. lat.* tom. 184, p. 299-307.

monte spiritualiter pingui. Ibi enim jam A per vos offert se omnibus, et se in vobis demonstrat, ignotaque hactenus innotescit in paucis simplicibus, ipso eam vobis ingerente qui per paucos simplices totum mundum olim sibi subjecit, ipso mundo id admirante.

Insuper in eadem epistola Fratres ipsos multipliciter laudat. Sed numquid eos de abstinentia jugi ab omni carnium esu ibi aut alibi unquam redarguit? Non utique. Imo potius ad majorem quam nunc saltem observant abstinendi rigorem hortatur, di- B cendo : Panis furfureus et aqua simplex, olera vel legumina simplicia nequaquam res delectabiles sunt ; sed in amore Christi et internæ delectationis desiderio ventri et palato bene morigerato gratanter ex iis satisfacere posse, valde est delectabile. Quot millia pauperum ex iis aut aliquo horum delectabiliter satisfaciunt naturæ? Facillimum quippe et delectabile esset, adjuncto amoris Dei condimento, secundum naturam vivere, si nos permitteret insania et carnalitas nostra : qua sanata, C statim naturalibus natura arridet. Itemque : Fugienda sunt, ait, superflua et adulterina condimenta. Sufficiat, obsecro, ut comestibiles fiant cibi vestri, non etiam concupiscibiles aut delectabiles. Sufficit namque concupiscentiæ malitia sua : quæ quum vix aut nequaquam pertransire possit ad finem explendæ necessitatis, nisi per viam quantæcumque delectationis, si cœperit irritamenta ab eis accipere qui bellum assumpserunt perpetuum contra ejus oblectamenta, fiunt duo contra unum, D et periclitatur continentia.

Præterea, in sermone quem ipse sanctus et electissimus pater Bernardus fecit in ipsa domo Majoris Cartusiæ, ipsemet protestatur quemadmodum mox ut ipsam sancti illius cœnobii ecclesiam ac structuram a longe cœperit conspicere, fuerit valide alteratus, vehementer compunctus, fortiter inflammatus, vehementissime ac profundissime liquefactus, resolutus ac transformatus desiderio caritatis in Fratres congregationis illius, quos videre, audire et alloqui æstuantissime concupivit.

Amplius, suscepta epistola domini Guigonis prioris Cartusiæ, sic eidem ac Fratribus ejus rescripsit : Inter Patres reverendissimis et inter amicos carissimis, Guigoni priori Cartusiensi ceterisque sanctis qui cum eo sunt Fratribus, frater Bernardus. Sanctitatis vestræ litteras tam lætus accepi quam avidius olim desideraveram. Deinde in processu epistolæ magnifice eos collaudat, rigorem vitæ abstinentiamque extollit : Benedicti (inquiens) estis a Domino, qui me in benedictionibus dulcedinis tantæ prævenire curastis, ut daretur puero vestro, vobis prius scribentibus, fiducia rescribendi ; scribere quidem ad vos jam quidem gestienti, sed non præsumenti. Verebar enim sanctam (quam in Domino habetis) importunis scriptitationibus infestare quietem, et juge illud sacrumque vestrum silentium atque cum Deo susurrium vel ad modicum interrumpere, ac nostra ingerere auribus vestris, secretis penitus atque supernis eulogiis occupatis. Timebam omnino molestus fieri vel Moysi in monte, vel Eliæ in deserto, vel Samueli in templo, si divinis consolationibus confabulationibusque supernis intentos aliquatenus avocarem, etc.

Hæc ac multa similia ibidem ac alibi scribit ad eos et de eis. Quod si in omnimoda ab esu carnium abstinentia eos sensisset reprehensibiles, periculose vescentes, haud dubium quin insinuasset id eis : quod nusquam egit, imo eorum abstinentiam eximie commendavit. Et breviter, in tantum excrevit amor cordis sui ad ipsos, quod unus ex eis fieri peroptavit, et factus fuisset, nisi major fructus in prædicando et aliæ grandes causæ præbuissent obstaculum. Qua ergo temeritate homines carnales, carnium amatores, reprehendere audent in Cartusiensibus abstinentiam istam à carnibus, quorum conversationem et abstinentiam sanctus vir ille, cujus consilium fuit quasi consilium Dei, vir utique apostolicæ sanctitatis, imo et apostolicæ

potestatis in miraculorum frequentia, gloria ac virtute, in fructificatione quoque verbi cœlestis et innumerabilium hominum conversione, tam excellenter præconizavit? Sileant interim, et judicent semetipsos, ac suam carnalitatem et cæcitatem deplorare non cessent.

ARTICULUS VI.

De præconizatione, commendatione, confirmatione et privilegiatione Ordinis Cartusiensis, ex dictis summorum Pontificum.

Matth. XVI, 17-19. DIXIT Jesus Petro : *Beatus es, Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni cœlorum.* Quamvis successores ac posteri beatissimi principis Apostolorum Petri inferiores sint illo in sanctitate, non tamen in ecclesiasticæ potestatis prælatica auctoritate, pastorali judicialique jurisdictione. Idcirco, ut san-
1 *Reg.* XV, 23. ctus deprompsit Gregorius, quum quasi peccatum ariolandi sit, superiori repugnare, et quasi scelus idololatriæ, præsidenti acquiescere nolle, quicumque Romano Pontifici contradicit, quasi ariolationis scelus ac idololatriæ crimen incurrit. Hoc vereantur ac perpendant, qui Cartusiensi Ordini obloquuntur, ejusque claritatem offuscare nituntur, dicentes quod ob indiscretum suum rigorem non sit ab Ecclesia, id est a summo Ecclesiæ judice ac prælato Romano Pontifice, approbatus et confirmatus : quod quam a veritate sit alienum, ex subsequentibus refulgebit.

Itaque Clemens III Cartusiensibus scribens : Clemens, inquit, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Priori et Fratribus Cartusiæ. Inter virtutum aromata et sanctorum fragrantiam studiorum, opinionis (id est famæ) vestræ balsamus suo nobis odore discernitur : quæ quum se asperioribus institutis a mundi separet A vanitate, et præclara resplendeat gloria meritorum, nobis est amplius honoranda. Providendum quoque diligentius est et cavendum ne quietem vestram sanctam improbitas alicujus valeat conturbare. Eapropter, dilecti in Domino filii, etc.

Insuper, Cœlestinus Papa III scribit ad eos : Paci et tranquillitati vestræ tanto propensius providere volentes, quanto arctius divinis estis obsequiis mancipati, et in contemplationis arce procul a terrenorum tumultu semoti, piæ postulationi vestræ B facilius annuimus, et favorem apostolicum libentius impertimur. Inde est, quod ut instituta Ordinis vestri perpetuam habeant firmitatem, prout approbata sunt et a bene utentibus observata, rata in posterum fore decernimus, et auctoritate qua fungimur confirmamus, etc.

Insuper, Innocentius III scribens eisdem : Vestræ, inquit, tranquillitati utiliter præcavere volentes, ne vos (qui Marthæ *Luc.* X, 38-42. circa plurima satagentis officium dimittentes, elegistis potius cum Maria juxta C pedes Domini residere, audientes verbum illius) causarum strepitus inquietet, et ab otio sancto deducat, auctoritate vobis præsentium indulgemus, etc. — Innocentius IV scribit etiam ad eos : Religionis vestræ meretur honestas, ut vos sincera in Domino diligentes caritate, votis vestris favorabiliter annuamus, etc.

Amplius, Honorius III ad archiepiscopos atque episcopos scribit : Quum dilecti filii Fratres Cartusiensis Ordinis acceptis pennis columbæ, in mentis solitudinem D evolarint, illicque pro suis gemant et aliorum peccatis, in ara cordis carnalibus mactatis desideriis, holocaustum offerentes Domino semetipsos, etc.

At vero Clemens IV fatetur : Quum dilectos filios Priores et Fratres Cartusienses merito suæ religionis caros habeamus plurimum et acceptos, mandatum quod pro eis facimus, tanto volumus efficacius adimpleri, quanto gravius Creatorem nostrum offendunt qui eos ex occasione aliqua persequuntur, etc. — Hoc pensent qui

Ordini huic obloqui non verentur : siquidem oblocutio maligna est, et gravius lædit ac nocet quam furtum, et tam obloquentem quam audientes, quantum in ipsa est. Perimit eum quoque cui obloquitur, quem quantum ad esse bonæ famæ quod in cordibus possidet proximorum, necare conatur et contemptibilem reddere : ideo detractio homicidii species est. Nempe, ut sanctus recitat Clemens, sacratissimus Petrus homicidium dixit triplex consistere : unum corporale, quod aufert vitam naturæ ; aliud spirituale, quod tollit vitam gratiæ (juxta illud Augustini : Qui in conspectu alterius impie agit, quantum in se est eum occidit) ; tertium, quod aufert esse laudabilis famæ, sicut detractio, quæ et alios impedit a spirituali profectu et trahit ad vitium, quoniam scandalizantur in eo cui detrahitur, in quo alias possent ædificari.

Adhuc autem, Alexander IV ad Cartusienses : Thesauro (ait) virtutum sic præclara vestra religio suum semper adstrinxit affectum, quod habetur et in conspectu æterni Regis placita, et in oculis hominum gratiosa. Ipsa quidem religio vestra ut columba mitis et humilis, et electa Domini specialis, pulchra per totum adspicitur, omnem a se rugam enormitatis abjiciens et maculam deformitatis excludens, vigilantibus illis qui paternæ sollicitudinis in ea gerunt officium, quod ibidem nullæ possint vitiorum spinæ succrescere, sed ipsa florum honoris et fructuum honestatis immarcescibili polleat ubertate. Propter hunc etenim sanctæ operationis effectum, nunquam Ordo vester officio alienæ visitationis vel correctionis indiguit, sed de ipso aliquibus aliis reformationis beneficium ex providentia Sedis apostolicæ jam provenit. Quum itaque claris agnoscamus indiciis, dictum Ordinem esse aliis rectæ vitæ speculum et salutiferæ conversationis exemplum, etc.

Præterea, Clemens Papa IV Cartusiensibus loquitur : Speciali gratia et favore illa vos de causa dignos potissime reputamus, A quia toto cordis affectu ad hoc semper intenditis, ut per sanctæ conversationis et vitæ studium in conspectu Dei et hominum placeatis. — Denique Joannes XXII scribit eisdem : Præsignis Ordinis vestri religio fecunditate referta virtutum, et meritorum conspicua sanctitate, necnon devotionis sinceritas, etc.

Insuper, Alexander III loquens eisdem : Quum vos, inquit, per Dei gratiam multa præemineatis gloria meritorum, et vitam solitariam eligentes, divinæ contemplatio- B ni arctius intendatis, bonus odor vestræ religionis ad id nos inducit, ut communi et speciali debito quieti vestræ debeamus intendere, et jura vestra summopere conservare. Eapropter, filii in Domino dilectissimi, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et domus Ordinis vestri cum omnibus bonis, pascuis et possessionibus quas impræsentiarum juste et canonice possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub B. Petri et nostra protectione C suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, et terminos quos rationabiliter statuistis, vobis et domibus vestris auctoritate apostolica confirmamus, etc.

Amplius, Alexander IV ipsis Cartusiensibus scribit : Amictus lumine sicut vestimento *Ps.* CIII. 2. Dei Filius, Dominus noster, Jesus Christus, suam sacrosanctam Ecclesiam quasi tot videtur illustrasse luminibus, quot in ea constituit gradus et ordines virtutum insigniis et cultus divini studio refulgentes. Inter personas siquidem alias D quas in laudem sui nominis virtus Altissimi ab antiquis temporibus usque nunc assumpsisse dignoscitur, illi quasi præcipui videntur fuisse, qui vestri sanctitatem Ordinis sunt professi. Vigiles enim et solliciti ad hoc ipsi studuerunt assidue inveniri, quod et Sponsus cœlestis in eorum conscientiis haberet lectum floridum, et christiana religio de ipsorum conversatione angelica sumeret sanctitatis exemplum, Sede apostolica de hoc multitudinem spiritualis lætitiæ sæpius conse-

quente, ita quod ipsa in eis tanquam in A odore agri pleni cui benedixit Dominus, (*Gen.* XXVII, 27.) sine intermissione delectans, eos inter alios Ecclesiæ filios, præcipuæ dilectionis amplexibus et gratiosi favoris affluentia confovebat : multis nihilo minus de diversitate fidelium ad hoc vacantibus, quod circa religionem tam famosam et celebrem sincerissimæ dilectionis effunderent largitatem.

Ex his luce clarius innotescit quam magnifice ac præclare summi Pontifices de Ordine senserint et conscripserint Car- B tusiensi, quam copiose approbaverint eum, quam luculenter ac multiformiter confirmaverint ipsum.

Ad quod demonstrandum possent et alia consimilia multa ex summorum bullis Pontificum allegari. Nam et Clemens Papa IV inter cetera protestatur : Christi sponsam sanctam Ecclesiam sub unitate fidei religionum diversitas non mediocri venustate decorat. Ad cujus sane mirabilem pulchritudinem Ordo Cartusiensis plurimum adjecit, qui a suis fundatoribus, viris spiritu- C alibus et tanquam adeps a carnibus penitus separatis, (*Eccli.* XLVII, 2.) est magno pariter et exacto consilio circumcisus : qui ab hominum segregati consortiis, et ad vitæ necessaria satis paucis contenti, more aquilarum nidum suum in arduis posuerunt, ubi lectionibus, orationibus et contemplationibus vacant, etc.

Postremo, Honorius Papa III inter reliqua scripsit eis : Obsecramus vos per Dominum Jesum Christum et per caritatem Spiritus Sancti, quatenus immolantes D pro nobis, pias manus elevetis ad Deum, ut de sua abundantia pietatis custodiat Ecclesiam suam propitiatione perpetua. Nos enim æmulantes Dei æmulatione vestri (*II Cor.* XI, 2.) Ordinis honestatem, et novissima nostra fieri vestrorum similia cupientes, (*Num.* XXIII, 10.) vos et universum Ordinem vestrum tueri præsidiis, favoribus attollere, ac beneficiis intendimus confovere, etc.

Hinc elucescit quam insipienter et periculose loquantur ac agant qui Cartusiensibus obloquuntur, adversantur aut nocent, præsertim quum et in bullis prætactis communiter sic addatur in fine : Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

ARTICULUS VII.

De summis Pontificibus qui Ordinis Cartusiensis cœnobia fundaverunt.

ROGABANT Jesum Judæi, *dicentes : Quia dignus est ut hoc illi præstes. Diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis.* (*Luc.* VII, 4, 5.) Hoc refert Evangelista de centurione qui Jesum rogavit ut sanaret puerum suum. Sic quidam summi Pontifices non verbis dumtaxat jam prædictis, in privilegiorum concessionibus, sed materialibus quoque ædificationibus domorum Ordinis Cartusiensis, sumptuumque donariis et necessariorum exhibitionibus, ostenderunt præcipuam suam dilectionem ad Ordinem istum ejusque approbationem et confirmationem realem.

Etenim Innocentius III, canonista egregius, adhuc cardinalis exsistens, quemdam eremitam visitare solebat. Quem cum suis ministris quadam visitans vice, quum pulsasset, nec aliquis aperiret nec responderet, ministri vi cellam aperientes, et eremitam raptum invenientes, stimulationibus excitaverunt eumdem. Qui reversus ad se, fortiter exclamavit : O, o, vidi mirabilia et horrenda. Et interrogatus a domino cardinale quid vidisset, respondit : Vidi in spiritu animas instar densissimarum nivium aerem obscurantium cadere in infernum ; in purgatorium vero, velut nivem rarissimam. Porro in paradisum vidi tantum tres animas justas introire, illius videlicet præsulis, atque Prioris illius Cartusiæ, et item viduæ illius Romanæ. Cardi-

nalis autem vir prudens veritatem cupiens (A) agnoscere certius, missis nuntiis, comperit personas illas decessisse. Unde dominus cardinalis amore Ordinis Cartusiensis accensus est, et postmodum factus Papa, prope Romam fundavit domum egregiam Ordinis hujus, ac de suo dotavit.

Insuper, Joannes Papa XXII in Avenione residens, super Durantiam prope Avenionem domum fundavit solennem, multa privilegia gratiosa Ordini donans Cartusiensi. Alius quoque Innocentius Papa ultra Rhodanum, non longe ab Avenione, in (B) propria curia solennem Ordinis hujus domum fundavit. Sic et Urbanus V Romæ instituit domum Ordinis hujus. Conformiter alii plures summi Pontifices ad reparationem et instaurationem domorum quarumdam Ordinis Cartusiensis dejectarum, multa contulerunt subsidia, aliorumque Ordinum monasteria quædam deformata, collapsa ac desolata huic Ordini incorporaverunt.

ARTICULUS VIII.

Recommendatio et præconizatio Ordinis Cartusiensis ex verbis et gestis Sanctorum qui fuerunt in eo.

Eccli. XLIV, 1. LAUDEMUS *viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua.* S. Thomas in secunda secundæ, quæstione decima, respondendo ad istud, an infantes Judæorum aliorumque infidelium sint baptizandi invitis suis parentibus : Maximam, (art. 12.) inquit, auctoritatem habet consuetudo Ec- (D) clesiæ, quæ semper est æmulanda; nam et catholicorum scripta ac dicta doctorum auctoritatem ab Ecclesia sortiuntur. Propter quod multo major exstat Ecclesiæ sanctæ auctoritas quam Hieronymi aut Augustini seu alicujus doctoris. Nunquam autem Ecclesiæ fuit consuetudo ut Judæorum pueri invitis parentibus baptizarentur, quum tamen olim potentissimi fuerint Imperatores ac principes, ut Constantinus et Theodosius, quibus familiarissimi erant sanctissimi præsules, ut Constantino Silvester, et Theodosio Ambrosius : qui nequaquam omisissent istud impetrare ab illis, si licuisset.

Ex his ad propositum duplex sumitur argumentum pro defensione, approbatione et confirmatione Cartusiensium. Primum est, quod ipsa Romana ac generalis Ecclesia jam per tot centenaria annorum Ordinem istum non solum permisit ac toleravit, atque per hoc implicite approbavit (juxta illud : Qui tacet consentire videtur), verum etiam, sicut jam patuit, tam variis (art. VI.) modis laudavit, honoravit, privilegiavit, auxit et extulit. Ceteris quoque religiosis licere decrevit hunc Ordinem introire, quum tamen prohibuerit professoribus hujus Ordinis aliorum religiosorum ingredi Ordinem, utpote judicans hunc Ordinem aliis præeminere. Aliud argumentum est, quod ab exordio Ordinis Cartusiensis fuerunt tam multi sanctitatis præcipuæ viri, ut Bernardus, Franciscus, Dominicus, Romanis Pontificibus valde familiares atque (C) carissimi, ut S. Bernardus B. Eugenio, etc. Qui utique viri sanctissimi si putassent omnimodam ab esu carnium indispensabilem abstinentiam Cartusiensibus esse periculosam, non dubium quin suggessissent Pontificibus summis hunc ipsum moderari rigorem : quod nequaquam egerunt, nec Cartusiensibus inde unquam locuti sunt : imo potius sanctus ille Dominicus a devotissimo viro domino Basilio, tunc priore Majoris Cartusiæ, legitur accepisse consilium de modo prædicandi adversus hæreticos, et de institutione ac habitu Ordinis sui.

Insuper, ut beatissimus Augustinus affirmat, et fidelis imitator ipsius S. Thomas allegat, non solum verba et opera Christi, imo etiam Sanctorum ipsius, sunt in auctoritatem et imitationis exemplum trahenda : quibus nec contradicere licet. Quum ergo tam multi sancti fuerint in Ordine Cartusiensi, ab Ecclesia partim canonizati, aut saltem magnifice commendati ; alii quoque sancti quamplures fu-

erint Cartusiensibus amicissimi et valde familiares, eorum conversationem verbis ac factis approbantes, mirantes et collaudantes : nonne extremæ exstat dementiæ tam sancto detrahere Ordini et ejus professores calumniari ? Denique de his hinc inde diversa leguntur, præsertim in vita S. Hugonis Lincolniensis episcopi, primo Cartusiensis, in qua inter cetera recitatur : Erant tempore S. Hugonis, sicut et ante ac postmodum, in congregatione illa justorum, id est in conventu et domo Majoris Cartusiæ, tam monachi quam laici miræ et eximiæ sanctitatis, summis Ecclesiæ prælatis atque principibus admodum reverendi. Prior domus, nomine Basilius, præ meritorum et virtutum suarum prærogativa non aliter quam sanctus a cognoscentibus eum communiter vocabatur. Tantus ibi rigor in domandis corporibus servabatur discretus, ut medium cum beatis tenendo, nihil infra vires quis aggredi esset contentus, nec ultra vires quid attentare præsumeret, imo nec sineretur. Fuit inter eos legendi assiduitas, contemplandi sublimitas, meditandi et orandi depurata suavitas.

Postremo, quam gloriosæ sanctitatis exstiterit S. Hugo Gratianopolitanus antistes, cujus directione, consilio, auxilio ac cooperatione in omnibus cœpit Ordo Cartusiensis, in ipsius Hugonis continetur Legenda. Ad quem B. Hugonem adhuc in carne degentem sanctus et gloriosus pater Bernardus accessit, et tantam in ipso Hugone humilitatem, caritatem et sanctitatem expertus fuit, quod de cetero cum ipso factus est cor unum et anima una. Præterea, quantæ innocentiæ, sanctitatis, constantiæ ac ferventissimæ pietatis fuerit S. Hugo Lincolniensis episcopus, in Legenda ipsius describitur. Quamvis autem fundator specialis hujus Ordinis magister Bruno canonizatus non sit, sanctitatis tamen ipsius testimonia sufficientia cognoscuntur in Legenda S. Hugonis Gratianopolitani, ac aliis scriptis leguntur. Fuit et alter quidam Bellicensis præsul profes-

A sione Cartusiensis, in miraculis valde præclarus, et sanctitate conspicuus, appellatione Anthelmus; alius item vir sanctus, nomine Stephanus.

Præfatus demum Joannes Andreæ quum statuta Cartusiensis Ordinis perlegisset, fassus est se nunquam vidisse neque legisse Ordinem cum tanta discretione, humilitate, sobrietate et caritate institutum. Cujus testimonio videtur res ipsa alludere : quia quum ceteri Ordines universi, tam transmarini (videlicet Ordo magni B Antonii, Ordo S. Pacomii, Ordo divini Basilii, sed et Ordo gloriosi Hieronymi), Ordines quoque citramarini, proh dolor ! sint vehementer collapsi, quamvis interim pro parte reformati ; attamen Ordo Cartusiensis hucusque specialissima Dei gratia in suo permansit ac manet vigore, saltem quantum ad substantialia ac principalia sua : propter quod utique speciali dignus videtur præconio et honore. Hinc ergo detractores ejus grandi sunt digni confusione. Quibus hic sanctus Ordo dicere C potest zelo justitiæ una cum Salvatore : Induantur confusione et reverentia qui maligna loquuntur super me ; exsultent et lætentur qui volunt justitiam meam, et dicant semper, Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus. Itemque : Induantur qui detrahunt mihi, pudore, et operiantur sicut diploide confusione sua. Operiantur, inquam, confusione salubri, quæ ducit ad pœnitentiæ compunctionem. Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gratiam in præ- D senti, et gloriam in futuro.

(art. III. — *Ps.* XXXIV, 26, 27. — *Ps.* CVIII, 29. — *Eccli.* IV, 25.)

ARTICULUS IX.

De sobrietate, abstinentia et saluberrima continentia Patrum sanctorum et omnium beatorum religiosorum.

QUI *abstinens est, adjiciet vitam. Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam : in multis enim escis erit infirmitas,* et *pro-* (*Eccli.* XXXVII, 34, 32, 33.)

pter crapulam multi obierunt. De mirabili et præclara sanctorum Patrum abstinentia scripta sunt multa, nobis modicæ fidei, parvi aut potius nullius fervoris, miranda magis quam imitanda. Nempe de abstinentiis atque jejuniis, et sobriissima ac continentissima vita primorum discipulorum beatissimi Marci juxta Alexandriam, multa sublimia scripsit Philo disertissimus Hebræorum, sanctus quoque Hieronymus. Illi plane præelecti discipuli non solum ab esu carnium, sed etiam piscium potuque vini jugiter abstinebant. Denique, sicut in Vitaspatrum narratur, monachi qui in solitudine Scythi morabantur, non nisi semel in hebdomada, puta dominica, reficiebantur ; alii biduo aut triduo vescebantur solummodo semel.

De gloriosissimo illo anachoreta S. Joanne, qui et gratia prophetiæ resplenduit, et omnia pene mundi secreta intra se in lumine Dei cognovit, refert in secundo Vitaspatrum libro B. Hieronymus, quod nonaginta exsistens annorum, rigorem solitæ sibi abstinentiæ non laxavit, quia nec ante nec tunc aliquid sumpsit coctum per ignem, a tempore quo in solitudine illa cœpit morari. Eodem libro refert Hieronymus : Vidimus alium senem justum et sanctum, nomine Appellem [qui hæc nobis narravit : Est in hoc eremo Frater], qui primo quum secessit ad eremum, tribus continuis annis sub cujusdam saxi rupe semper stans oravit, ita ut nunquam resideret neque jaceret. Somni autem tantum accepit quantum stando capere potuit ; cibum vero nunquam sumpsit nisi die dominica : presbyter quippe tunc veniebat ad eum, et offerebat pro eo sacrificium, quod solum ei sacramentum fuit et victus. Expleto autem triennio in hujuscemodi vita, angelus dixit ei : Jubet te Christus eremum circuire, et Fratres visitare, consolari ac erudire. Hic innumerabilia egit miracula, et quibuscumque ægris misit panem benedictum, mox curabantur.

Insuper scribit ibidem Hieronymus : Vidimus alium senem Eliam, super quem

A spiritus Eliæ copiosissime requievit, qui septuaginta annis in solitudine ac deserto transegit : cujus deserti horrorem nullus valet sermo exponere. Mansit quoque in spelunca terribili, quæ intuentibus grandem incussit horrorem. Qui quum centum et decem esset annorum, ac trementibus membris quateretur, incessabiliter tamen per singulos dies fecit miracula, et venientes ad se quacumque incommoditate aut infirmitate constrictos, omnimode curabat ac resolvebat. Cibus ejus fuit panis exi-
B guus, et olivæ paucissimæ tempore senectutis. In juventute vero frequenter integras jejunavit hebdomadas. — De multis consimilibus Patribus prorsus sanctissimis scribit in secundo Vitaspatrum libro Hieronymus, qui vel herbis aut herbarum radicibus, aut modicissimo pane et pauxillo aquæ sustentabantur : nam et excessum in pane et aqua vehementissime horruerunt.

Præterea refert Hieronymus, quod in loco deserti nomine Cellis, propter multi-
C tudinem dispersarum ibi cellarum, innumerabiles pene Fratres monachi vitæ sanctissimæ commanebant, solo pane et sale ac aqua contenti, ita ut in tanta multitudine vix aliquis inveniretur qui saltem oleo uteretur. Plures quoque eorum non jacendo, sed sedendo, ac Dei eloquia meditando, somnum sumpserunt. Recitat item Hieronymus quemadmodum miræ sanctitatis virum Paulum Simplicem beatissimus pater Antonius docuit, semel dumtaxat in die a vespera in vesperam sumere
D cibum, sed observare ne unquam ad saturitatem usque veniret, præcipue quoque in potu mediocritatem servare, affirmans non minus per abundantiam potus aquæ phantasias animæ generari, quam per potum vini calorem corpori augmentari.

De his et consimilibus quasi innumerabilia possent gesta narrari, quoniam (teste Hieronymo) temporibus illis Patrum sanctorum velut luxuria fuit aliquid coctum accipere. Postea vero Patres sancti in institutionibus regularum suarum rigorem

illum aliqualiter mitigaverunt, prout in A Apologetico suo sanctus refert Bernardus : Dicitur et veraciter creditur sanctos Patres monachorum vitam instituisse, et ut in ea plures salvarentur, usque ad infirmos regulæ temperasse rigorem, non regulam destruxisse. Absit autem ut credam eos tantas quantas nunc video in plerisque monasteriis vanitates superfluitatesque admisisse.

Denique, in Regula sua quam scripsit et dedit feminis monialibus, sanctus scripsit Hieronymus : Præparentur cibi quibus B corpora refocillentur ad pœnitentiæ jugum. In cibis vestris nequaquam appareat coquorum industria ; non ciborum qualitas moveat appetitum, sed fames. Non apponantur incentiva libidinum, sed quæ possint exstinguere famem. Aut legumina aut olera condiantur in oleo. Carnes vero solis infirmis et debilibus liceant ex licentia abbatissæ : alioqui cujus sint saporis ignoret cœnobium. Ova et lacticinia post jejunia debilitatis sororibus et præcipuis festivitatibus permittantur ex gratia. Raro C sciatur quæ in aquis oriantur et vivant, nisi parvi pisciculi. Tanta sit in sumendo alimenta sobrietas, tanta talisque parcitas, ut venter potius conqueratur quam gaudeat. Non egeat in digerendo stomachus medicinis; vacuitas potius quam nimia repletio ructum inducat; nec cinguli ampliatione sit opus : quatenus mens a divinis meditationibus minime retardetur per crapulam, nec corpus egeat medicinis. Ipsa quoque comestio sit in suo modo composita. Non tantum in comestione cibus D quantum turpis ac indecens modus reprehendendus est : nam et in fabis atque hordeaceis panibus nimia aviditas sæpe grande causat peccatum. Nequaquam oculi

Ephes. v, 18. per discumbentes vagentur. Porro vinum, in quo est luxuria, tanquam venenum suspectum sit vobis. Quod si sumi cogat ipsa necessitas, tam debile aut sic aqua permixtum sit, ut nullatenus noceat capiti. Vere credatis quod ignem portat in gremio, qui assiduo utitur vino. Ventris ingluvies infirmitatis causam atque materiam parit corpori ac animæ : ideo medicinale jejunium omnem tollat languorem, omnemque tribuat gratiam ac virtutem. Corpora castigate, sed nolite occidere. Non causet jejunium iram nec scandalum ceteris; non dolorem capitis debilitatemve corporis, ne sit necesse sacras lectiones omittere, orationes deficere, contemplationem relinquere. Nil virtutis indiscretio habet. — Hæc gloriosus Hieronymus. Quæ si monialibus, quanto magis monachis sunt servanda ?

Præterea, Benedictus in Regula sua docet pulmentaria duo sufficere pro quotidiana refectione, remota præ omnibus crapula, ut nunquam subrepat indigeries monacho : quia nil ita contrarium est omni Christiano ut crapula. Ideo semper est vitanda satietas. Hinc etiam Augustinus in Regula sua : Corpora (inquit) vestra edomate et castigate abstinentiis atque jejuniis, quantum valetudo permittit. Quumque universi religiosi votum faciant paupertatis, ipsa tenuitas victus et vestitus omni religioni indispensabiliter est annexa.

Amplius, diu post tempora S. Benedicti Ordo incœpit Cartusiensis, cujus primi professores propositum satis arduum assumpserunt, et rigorosa ordinaverunt ac præfixerunt statuta, etiam rigorosiora quam Benedictus : quæ tamen per temporis lapsum, non ex levitate, sed rationabilibus causis, et ex communi capituli generalis consensu et auctoritate eorum, sunt mitigata et moderata, ita quod non ex carentia esus carnium eis periculum imminere censetur. Quumque Ordo iste tam diu duraverit, nullum tamen in eo periclitatum agnovimus ex carentia hujusmodi esus. Cessent ergo sollicitari pro eis propter istam carentiam, qui per latiora gradientes itinera, de propria forsan salute non sunt satis solliciti : quod si essent, temeraria plane judicia itemque obloquia sollicitius evitarent. Præterea, ipsis Cartusiensibus, sicut et ceteris etiam bonis religiosis, immi-

net sollicitudo ne forte (quod absit) a A rigore observantiæ regularis ac statutorum suorum magis deficiant ac recedant, quam utilitas evidens aut vera necessitas (quæ duo sunt originales causæ omnis rationabilis et excusantis dispensationis) exigit aut permittit.

ARTICULUS X.

De aliquibus verbis præfati doctoris circa prohibitionem hanc usus esusque carnium.

Deut. XIX, 14. NON *transferes terminos quos fixerunt priores.* Hoc ipsum Salomon quoque
Prov. XXII, 28. deprompsit : Ne transgrediaris (inquiens) terminos antiquos quos posuerunt patres tui. Quo constat quod Cartusienses indispensabiliter inviolabiliterque debeant observare ac adimplere statutum Ordinis sui, quo jubentur jugiter ac omnino abstinere a carnium sumptione.

Verumtamen obviare videtur quod in præallegato tractatu Joannes cancellarius C transcripsit : Non obstat, dicens, rationabilitati legis illius de omnimoda abstinentia ab esu carnium, quod dabilis est casus in quo Frater Cartusiensis professus obligaretur vesci carnibus, et alius sibi ministrare teneretur. Dabilis namque est casus in quo expertorum judicium medicorum, conscientia quoque Fratris infirmi ac aliorum ministrantium ei, dictabunt quod ipse ægrotus absque dubio morietur, nisi per esum carnium adjuvetur et eis vescendo convalescat. Nec videtur sufficere ad ne- D gandum possibilitatem casus seu necessitatis istius quod scripsit medicus quidam, magister Arnoldus de Novavilla, qui ait quod in ægritudine omni curabili humidum radicale sufficienter restaurari potest per vitella ovorum absque carnium esu. Hæc evasio non sufficit usquequaque, nec difficultatis radicem evellit. Nam stare potest quod æger abominabitur omnem utilem cibum præter carnes aut jus earum, et præsertim quod fastidiet vitella ovorum, ita quod illa salubriter aut sine vomitu comedere non valebit.

Ne tamen controversia aut calumniæ materia in longius protendatur, dabo casum valde possibilem, in quo Cartusiensis etiam sanus morietur nisi carnibus vescatur : ut si traditus sit manibus tyrannorum qui nullum cibum ei exhiberi permittant nisi carnes. Et quæro an in casu hujusmodi Cartusiensis tenebitur comedere carnes. Si sic, habetur propositum ; si non, erit sui ipsius occisor, juxta illud Augustini, B Si non paveris fame morientem, occides : quod non minus ad se ipsum quam ad alium pertinet ac refertur. Præterea, constitutio Ecclesiæ de abstinendo a carnibus sexta feria, in tali casu non obligaret. De votis vero idem est argumentum. Fundamentum quoque rationis istius, est quod a lege divina nulla lex seu obligatio pure humana potest absolvere. Hæc autem est lex divina : Non occides. A qua lege non Deut. V, 17. legitur facta exceptio per aliquod aliud jus divinum, ita quod pro observatione legis pure positivæ humanæ liceret transgredi illud præceptum et se mori permittere. Unde reclusus qui vovit non egredi, videns aliquem in extremo periculo mortis, si non exit et succurrit pro posse, reputatur occisor : quanto magis si sibimet in articulo mortis vel talis necessitatis subvenire contempserit ?

Verumtamen istud non derogat rationabilitati statuti Ordinis Cartusiensis de abstinendo prorsus a carnibus. Ad quod probandum commemoro quod Cartusienses non habent ad hoc aliquod votum expressum, sed est dumtaxat ordinatio quædam seu institutio positiva, ne quis eorum comedat carnes : quod si fecerit, subjacebit disciplinæ Ordinis et pœnis expressis in eorum statutis. Nec tamen oportuit nec congruum fuit in eorum statutis exceptionem hanc extremæ necessitatis infirmitatisve exprimi, quoniam lex naturalis et divina sufficienter exprimunt eam. Denique, institutio illa prohibitiva esus carnium in Ordine illo, non fertur sub pœna

peccati mortalis, sed tantum sub pœna A disciplinæ Ordinis. — Hæc Cancellarius.

ARTICULUS XI.

Quid his Cancellarii dictis objici possit.

Is. xxx, 21. HÆC *est via ; ambulate in ea, et non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram.* In primis apparet quod doctor iste non satis plenarie recitet verba præfati magistri Arnoldi de Novavilla præcipui physici : qui non scribit per sola B ovorum vitella, sed per ea simul et per vinum, præsertim aromaticum, posse infirmis in gravissimis infirmitatibus subveniri ad instaurandum et confortandum vitalem virtutem. Quumque unicuique in sua facultate perito dicatur esse credendum, videtur in hac re potius consentiendum scriptis medici tanti, cujus scripta sunt valde compendiosa, et istam materiam ejusque difficultatem subtiliter resolventia atque elucidantia. Fuerunt quoque post compilationem illius tractatuli in Or- C dine Cartusiensi quamplurimi peritissimi medici, qui ipsum commendaverunt tractatum.

Nec obstat quod æger in ægritudine sua possit omnem alium cibum præter carnes fastidire ac abhorrere : quia hoc possit accidere ex occultis et variis causis, præsertim ex immutatione facta in ægro, vel magica arte, aut dæmonum actione, qui si permitterentur, hoc facillime procurarent ac facerent, non solum in ægro, sed etiam in sano Cartusiense : cui si ob hujusce- D modi causas dandæ essent carnes ad edendum et succurrendum, pateret pluribus janua veniendi ad carnium prohibitissimum et illicitissimum eis esum, violareturque passim exemplarissimum et saluberrimum illud statutum. Cesset ergo doctrina ad tantum scelus præbens occasionem. Ideo in hujusmodi casu informandus esset ægrotus, quod fastidium illud deponeret tanquam venenum animæ suæ, et quia forsan ex machinatione oriretur diaboli ; et rursus quia in veritate esus carnium obesset sibi potius quam prodesset, atque per aliam escam et potionem ei salubrius posset succurri ; et denuo quoniam cederet in grande scandalum aliorum, præsertim confratrum suorum, itemque in gravissimum detrimentum boni communis totius sancti Ordinis sui ; et quia per tot centenaria annorum non esset hoc attentatum neque permissum. Quod si nec ita acquiesceret æger, orandum esset ferventer pro eo, quemadmodum in Ecclesiastico tangitur, quod et medici deprecabuntur Altissimum ut dirigat opera operasque eorum ; essetque pie sperandum, quod in tanto periculo misericordia Dei adesset, exaudiret ac provideret. Nec huic casui similis est alius ille casus quo Cartusiensis nil aliud quo vesceretur haberet nisi carnes. Nam et evidens est non fuisse intentionem Patrum Ordinis Cartusiensis instituentium illud statutum, ut nec in tali casu ederent carnes, sed in casu quo revera aliunde possent refici et juvari. *Eccli.* xxxviii, 14.

Præterea, nullum præceptum legis divinæ aut naturalis est ita obligatorium quin in aliquo casu pateretur exceptionem, quum et primum illud præceptum, Diliges Dominum Deum tuum, nec in amentibus, neque in naturaliter ac totaliter fatuis et obsessis et consimilibus habeat locum ; nec tamen simpliciter est dicendum, quod præcepta juris divini ac naturalis non obligent absolute : ita nec in proposito de statuto illo abstinendi a carnibus. Insuper, nequaquam est simile de generali præcepto Ecclesiæ abstinendi a carnibus feria sexta : siquidem ipsa Ecclesia nunquam dedit indispensabiliter illud præceptum, imo dispensationi prælatorum majorum ipsum commisit, quemadmodum præcepta jejunandi certis temporibus. *Deut.* vi, 5; *Matth.* xxii, 37.

Amplius, in præinductis verbis insinuari videtur, quod statutum illud Ordinis Cartusiensis non detur nec obliget ut præceptum, neque adstringat eos ad culpam mortalem seu ad pœnam peccati mortalis, utputa ad damnationem, sed solum ad

institutam Ordinis disciplinam, hoc est ad A pœnam temporalem, quemadmodum in aliis religionibus facta sunt quædam statuta primo et immediate obligantia tantum ad pœnam seu Ordinis disciplinam : ut quod frangens silentium capiat in capitulo disciplinam. Istud autem nequaquam verum videtur : quod ut clarius constet, statutum illud de verbo ad verbum narrabo. Itaque quarto capitulo secundæ partis novarum Constitutionum Ordinis Cartusiensis sic continetur : Quia secundum sanctissimam Ordinis nostri consuetudinem B a sanctis Patribus introductam, omnem esum carnium a proposito nostro abjecimus, statuimus ut quicumque Ordinis nostri professus hujus tam laudabilis institutionis transgressor exstiterit, carnes videlicet comedendo, seu alicui personæ Ordinis ministrando, vel comedentibus aut ministrantibus consentiendo, vel non prohibendo quum potuerit prohibere : si Prior vel Vicarius sive Procurator hoc fecerit, ipso facto tanquam professionis suæ calumniator et transgressor, obedientiam per- C dat (id est officium suum), et vocibus et locis debitis et ceteris obedientiis Ordinis careat in æternum ; si vero simplex monachus aut alia quævis persona Ordinis exstiterit, voce, loco et obedientiis carens perpetuo, ad Capituli generalis voluntatem carceri mancipetur. Quam pœnam extendi volumus ad eos qui infra domorum suarum clausuras quibuscumque personis carnes ministraverint, seu ab aliis ministrari permiserint, nec prohibuerint quum valuerint prohibere. Hanc autem laudabi- D lem consuetudinem ad omnes moniales nostri Ordinis et eis præsidentes, de verbo ad verbum extendi volumus et jubemus. — Nonne ex his patet statutum hoc vere præceptorium esse, in tantum ut ejus transgressor judicetur calumniator ac violator suæ professionis ? Professio autem solennissima exstat promissio, quam frangere enormius est peccatum quam frangere juramentum. Idcirco nec stare potest quod doctor quidam affirmat, Cartusienses non habere votum aliquod ad servandum istud statutum. Quum enim ceteri religiosi voveant obedientiam quoad contenta in regula sua, Cartusienses vovent obedientiam absolute : ideo expresse tenentur ad præcepta sui generalis Capituli. Imo, ut in eorum habetur statutis, si statuta sui generalis Capituli non observent, non solum censentur ac reputantur contemptores ipsius Capituli, verum etiam Dei, cujus vices gerit Capitulum circa professos Ordinis sui.

Præterea, de hoc quod asserit inclusum debere egredi ad succurrendum constituto in mortis periculo, alioqui illum occideret, multa possent induci, specialiter illud quod secundo Vitaspatrum libro de abbate Benjamin recitatur, qui proposuit nunquam exire cellam : cui diabolus volens illudere, transfiguravit se in speciem quasi pueri deferentis panem cuidam Fratri, petentis auxilium ipsius Benjamin, alioqui periret. Quumque abbas Benjamin fluctuaret quid ageret, et intra se diceret, Quia aut de proposito habeo cadere aut de præcepto ; tandem reversus ad cor, dixit : Audi, puerule : si auxilium tibi necessarium est, credo quod Deus illud tibi transmittet. Quo dicto, spiritus ille malignus evanuit. Hinc dicendum apparet, quod ad reclusionem adstrictus ex professione, non deberet ita faciliter egredi, sed deceptionem timere, et alterius subsidium procurare pro posse, ac Dominum invocare.

Amplius, ad prædictorum probationem posset induci, quod septem fratres cum *II Mach.* VII, 1 et seq. ; VI, 18 et seq.
matre sua, et Eleazarus, de quibus secundo Machabæorum conscriptum est, maluerunt crudelissimas pati mortes, quam contra legem comedere carnes suillas, ac per hoc alios scandalizare Judæos. Ad quod doctor præfatus respondet, quod illi ex lege divina tenebantur ad illud præceptum : contra quod objici posset, quod præceptum de carnibus suillis vitandis fuit cærimoniale. Præcepta autem cærimonialia (imo *Matth.* XII, 3, 4; *I Reg.* XXI, 6; *Lev.* XXIV, 5-9.
et judicialia) legis, in multis casibus non obligabant : quemadmodum Christus in

Evangelio pandit per hoc quod David panes propositionis comedit, qui sacerdotibus tantum fuerant liciti ad vescendum. Et de hoc S. Thomas scribit diffuse in prima secundæ, Alexander quoque in Scripto tertii Sententiarum, et Guillelmus Parisiensis libro de Fide et legibus. Sed et votum solenne religiosorum plus obligat quam præceptum illud cærimoniale; nec est pure positivum, quum fundetur in jure illo divino: Facies sicut promisisti Domino Deo tuo.

q. c, a. 8.

Deut. XXIII, 23.

Postremo, venerabilis doctor ille quamvis in prætactis videtur remissius esse locutus, postmodum tamen in ultima præallegati opusculi sui parte, scripta sua satis restringere et arctare videtur ad intentionem nunc inductorum, atque præfati statuti Ordinis Cartusiensis : cujus utique Ordinis ipse erat fidelis amicus ac zelator præcipuus; cujus etiam scripta a personis Ordinis hujus in reverentia magna habentur.

ARTICULUS XII.

Contra quosdam religiosos ciborum et potuum observatores et discretores immoderatos, quasi medicinaliter se regentes.

Eccli. XXXIX, 31.

INITIUM *necessariæ rei vitæ hominum aqua, ignis et ferrum, sal, lac, panis similagineus, mel, botrus uvæ, oleum et vestimentum.* Beatissimus et illuminatissimus pater Bernardus super Cantica, sermone ait tricesimo: Tu quoque si propriam deseras voluntatem, si voluptatibus carnis renunties, si carnem tuam crucifigas cum vitiis et concupiscentiis, sed et tua mortifices membra, quæ sunt super terram : probabis te Pauli imitatorem, quia non facis animam tuam pretiosiorem quam te; atque ostendens te Christi discipulum, animam tuam perdendo salubriter propter ipsum, ut salvam facias eam. Quid hic dicitis, vos observatores ciborum, morum neglectores? Hippocrates et ejus sequaces docent animas salvas facere in hoc mundo; Christus et ejus discipuli, perdere. Quem e duobus magistris sequi eligitis? At manifestum se facit qui taliter disputat : Hoc oculis, hoc capiti, illud pectori aut stomacho nocet. Profecto unusquisque quod a suo magistro didicit, in medium profert. Num in Evangelio differentias has legisti, aut in Prophetis, aut in Litteris Apostolorum? Caro et sanguis pro certo revelavit tibi hanc sapientiam, non Spiritus Patris: est enim carnis hæc sapientia. Sed audi quid de ea nostri medici sapiant. Sapientia (inquiunt) carnis, mors est; item : Sapientia carnis inimica est Deo. Num Hippocratis aut Galeni sententiam, aut certe de schola Epicuri debui proponere vobis dogma? Christi discipulus sum; Christi discipulis loquor : ergo * si peregrinum documentum induxero, ipse peccavi. Epicurus et Hippocrates, alter corporis voluptatem, alter bonam habitudinem præfert; Magister meus utriusque rei docet contemptum. Animæ in corpore vitam, quam summo studio iste unde sustentet, ille unde et delectet, inquirit atque inquirere docet, Salvator monet et perdere. Quid enim aliud tibi de Christi auditorio sonuit, quum paulo ante clamatum est, Qui amat animam suam, perdet eam? Perdet eam, dixit, sive ponendo, ut martyr, sive affligendo, ut pœnitens : quanquam martyrii genus sit, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. Porro, quid prodest temperare a voluptatibus, et investigandis diversitatibus complexionum ciborumque varietatibus exquirendis quotidianam impendere curam? Legumina, inquit, ventosa sunt, caseus stomachum gravat, lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram porri accendunt, pisces de stagno aut de aqua lutosa meæ penitus complexioni non congruunt. Quale est hoc, ut in totis fluviis, agris et hortis cellariisve reperiri vix possit quod comedas? Attende te, quæso, monachum esse, non medicum; nec de

Galat. V, 24.
Coloss. III, 5.
Act. XX, 24.
Luc. IX, 24; Joann. XII, 25.
Matth. XVI, 17.
Rom. VIII, 6.
Ibid. 7.
* ego
Joann. XII, 25.
Rom. VIII, 13.

complexione judicandum esse, sed de professione. Parce, obsecro, primum tuæ quieti, parce deinde ministrantium labori, parce gravamini domus, parce conscientiæ, non tuæ dumtaxat, sed alterius quoque quem scandalizas. — Hæc et consimilia quædam scribit ibidem S. Bernardus.

Denique, experientia docet, quod in monasteriis communiter fortiores consistunt qui minus se occupant cum hujuscemodi distinctione et discretione medicinali, ac ea quæ pro tempore Ordo ministrat, simpliciter sumunt, spem suam statuentes in Deo, quod ipse qui vocavit eos ad Ordinem, tribuet vires, et naturam confortabit per gratiam. Nonne olim sancti Patres et devotissimi Fratres habitantes in eremo, pane permodico et aqua parva contenti, vixerunt multo diutius quam delicati sæculi hujus, et religiosi temporum horum, qui abundanter diversis alimentorum generibus reficiuntur? O si rite perpenderemus quid sit vita monastica, conversatio religiosa, quæ tota debet esse vita pœnitentialis! Si interea perpendamus quid sit pœnitentia vera, quid vera contritio, quæ, quanta et qualia sint nostra peccata, quantum distemus a conversatione, pœnitentia et sobrietate Patrum nostrorum, quæ et quanta meruerimus ac nobis instent tormenta; nequaquam unquam murmurabimus impatientesve erimus, quasi nimis grossa et modica nobis victualia ministrentur : imo magis causabimur quod valde nimium abundemus.

ARTICULUS XIII.

Exhortatio ad religionis ingressum ac solitariæ vitæ amplexum.

. II, 5. *Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt* se *a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt?* Deus omnipotens, cujus natura est bonitas pura, qui creaturis fragilibus et humanis potius vult misereri ac parcere, ac salvare, quam irasci, relin-

A quere et damnare, more indulgentissimi ac piissimi patris super perversitate et ingratitudine rebellium filiorum dolentis conqueritur, aitque nobis : Quid iniquitatis, infidelitatis aut odibilitatis invenerunt, audierunt aut cognoverunt patres vestri in me, quoniam averterunt corda sua a me, atque ad vana, nociva ac frivola se verterunt? Nonne ego sum verum, primum, summum, infinitum, incomparabile et superperfectissimum bonum, universis bonis creatis infinite melius, amabilius,
B delectabilius? Quid ergo displicet vobis in me? An hoc, quod ea præcipio, consulo et requiro quæ vestris iniquis et perversis voluntatibus exstant contraria, ea quoque prohibeo ad quæ sensualitas vestra afficitur, quæ vestra injusta cupit voluntas, et punio vestra peccata? Si hoc ita est, constat vos deviare. Nonne justissimum est creaturam suo subjici Creatori, et voluntatem creatam increatæ voluntati se conformare et illi obtemperare? Nonne ad imaginem et similitudinem meam animas Gen. I, 26, 27.
C vestras creavi et supernaturalibus donis ornavi, imo in sponsas, filias et amicas elegi, assumpsi ac mihi conjunxi? Cur ergo eas assidue deformatis, quotidie inquinatis, et invidiosissimis ac crudelissimis hostibus vestris subjicitis ac constuprandas exponitis, atque a tantæ nobilitatis sublimitate ad tam vilissimam ignobilitatem, ad tam fœdissimam vilitatem dejicitis, ita quod jam dæmonum exstant adulteræ et ancillæ, quæ paulo ante meæ superexaltatissimæ majestatis fuerant sponsæ
D ac filiæ? A summo cœli empyrei in profundissimum lacum inferni estis dilapsi.

Denique, quid vobis præcipio quod ad vestram salutem non ordino? Quid vobis prohibeo, nisi quod vobis maxime est nocivum, quod a totius beatitudinis fonte vos separat, et ad perpetuæ calamitatis barathrum, ad æternæ damnationis intolerabilem acerbitatem, ad tartarei sulfurei ignis æstuantissimas flammas deducit? Quid insuper consulo vobis, nisi ea per quæ compendiosius potestis peccata effu-

gere, gratiam ac virtutes acquirere, ad A
perfectionem pertingere, ac thesaurizare
vobis in cœlis divitias gloriæ æternalis?

Præterea, cernens vos insanire, viam
perditionis eligere, dæmonibus dare manum,
cum inferno facere pactum, et omni
hora appropinquare infernali ergastulo,
miserans misereor vobis, differo ultionem,
revoco ad salutem, veniam gratiamque
promitto, angelorum meorum custodiam
vobis adhibeo : nihilo minus indurato et
excæcato corde resistitis, reverti, pœnitere
mihique adhærere, subjici ac servire re- B
spuitis. Quis vestrum toleraret a proximo
suo quod ego omni hora a vobis sustineo?
Verumtamen nec ad momentum sine mea
I Par. XXIX, 14. conservatione possetis subsistere. Omnia
Matth. VI, 31, 32; V, 45. quæ habetis, mea sunt dona; necessaria
victui tribuo, qui pluviam fundo, et solem
circuire ac vobis lucere præcipio.

Is. XLVI, 8. Nunc ergo, o prævaricatores, redite ad
cor, et ista sapienter ac profunde perpendite;
et certi estote quod non minor est
justitia mea quam mea clementia. Nolite
pietate et longanimitate mea abuti. Vera C
Eccle. VIII, 11. quippe est Scriptura quæ protestatur: Quia
non cito profertur sententia, absque ullo
timore filii hominum perpetrant mala. Sed
advertite quod rursus hortatur sermo di-
Eccli. V, 5-9. vinus : Non adjicias peccatum super peccatum,
dicens, Miseratio Domini magna
est. Misericordia enim et ira cito ab illo
appropiant, et in peccatores respicit ira
illius. Non ergo tardes converti ad Dominum,
et ne differas de die in diem : subito
enim veniet ira illius, et in die vindictæ
disperdet te. Noveris quod quanto diutius D
differo, tanto districtius judico et ulciscor.
Rom. II, 4, 5. An divitias bonitatis meæ et patientiæ et
longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam
benignitas mea, quantum in se est,
ad pœnitentiam te adducit? Tu vero secundum
duritiam tuam et impœnitens cor
tuum, thesaurizas tibi iram et ultionem.
Apoc. II, 16. Pœnitentiam igitur age : alioqui veniam
Job XX, 5. tibi cito. Nonne laus impiorum et omnis
Ps. LXXII, 19. eorum prosperitas brevis est? Quomodo
facti sunt in desolationem? Subito defecerunt,
perierunt propter iniquitatem suam.
Gaudiumque iniqui ad instar est puncti : *Job* XX, 5-8.
si ascenderit usque ad cœlos superbia
ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi
sterquilinium in fine perdetur, velut somnium
avolans non invenietur, transiet quasi
visio nocturna, et qui viderant eum
dicent, Ubi est?

Hæc modo adverte, ac pœnite, teque
emenda, et dignos pœnitentiæ fructus
exerce, ut quo frequentius atque enormius
excessisti, eo vehementius doleas, cordialius
contristeris, copiosius satisfacias, et
austerius te castiges. Contritionem namque
magnitudini multitudinique culparum
oportet consistere adæquatam : alioqui in
die judicii unus eris illorum, unus utique
reproborum, qui modo rebelles sunt lumi- *Ibid.* XXIV, 13.
ni, et tunc sero et infructuose pœnitebunt,
dicentes : Nos insensati erravimus a via *Sap.* V, 4. 6, 9, 15.
veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis;
lassati sumus in via iniquitatis et perditionis.
Quid nobis profuit superbia? aut
divitiarum jactantia quid contulit nobis?
Transierunt omnia illa tanquam umbra,
et tanquam memoria hospitis unius diei.

Nunc ergo convertere ad Dominum Deum *Osee* XIV, 2.
tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua.
Non trahas iniquitatem in funiculis vani- *Is.* V, 18.
tatis, et quasi vinculum plaustri peccatum.
Non sis durus, neque ut ferreus nervus sit *Ibid.* XLVIII, 4.
cervix tua, nec frons tua sit ænea, ut fiat *Jer.* III, 3.
tibi frons meretricis, nec de tuis sceleribus
erubescas. Alioqui revelabunt cœli *Job* XX, 27,
iniquitatem tuam, et terra adversus te 28; XXI, 14.
consurget, et manifestum erit peccatum
tuum cum his qui dixerunt Deo : Recede
a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.
Lues omnia quæ fecisti, nec tamen *Ibid.* XX, 18.
consumeris; juxta multitudinem adinventionum
tuarum, sic sustinebis. In diem *Ibid.* XXI,
enim perditionis servatur iniquus, et ad 30, 20.
diem furoris ducetur, et de furore Omnipotentis
bibet. Ecce complosi manus meas *Ezech.*
super iniquitates tuas, o impie et profane. XXII, 13, 14, 21.
Numquid sustinebit cor tuum? Ecce conflabo
te, et succendam te in igne furoris
mei. Ecce enim dies veniet succensa quasi *Malach.* IV, 1.

caminus; et erunt omnes superbi et omnes A
facientes impietatem stipula, et inflam-
mabit eos dies veniens, quæ non relinquet
Soph. i, 15; eis radicem. Certe dies illa dies iræ, dies
oel ii, 2, 3. calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum
atque caliginis; similis ei non fuit a prin-
cipio, et post eum non erit; ante faciem
ejus ignis vorans, et post eum exurens
see xiii, 8. flamma. Tunc occurram eis quasi ursa
raptis catulis, dirumpam interiora eorum,
s. xx, 10. et consumam eos ut leo. Ponam eos ut
clibanum ignis in tempore vultus et re-
spectus rigorosæ præsentiæ meæ; in ira B
mea turbabo eos, et devorabit eos ignis.

Si hæc tibi non sapiunt, si ista non
times, nonne spiritualiter mortuus es, et
eut. xxxii, sensu mentis privatus? Utinam tibi hæc
sapiant, et ea cum intellectuali sapore in-
telligas, atque novissima tua provideas.
er. li, 6; O, o, o, fuge de medio Babylonis, de medio
alat. i, 4;
s. lxiii, 3. ignis sæculi hujus nequam, a conventu
malignantium, a multitudine operantium
s. xxv, 9. iniquitatem. Ne perdas cum impiis ani-
acob. iv, mam tuam. Noli esse amicus sæculi hujus,
s. xliv, 11. ne Dei inimicus constituaris. Audi, filia, C
et vide, et inclina aurem tuam, et oblivi-
scere populum tuum et domum patris tui.
en. xii, 1. Egredere de terra tua, et de cognatione
tua, et veni in locum sanctæ religionis.
atth. xix, Etenim omnis qui reliquerit patrem aut
matrem, aut sorores aut fratres, aut uxorem
quam habet (de ejus consensu), aut quam
posset accipere, centuplum accipiet, et
vitam æternam possidebit. Nempe in san-
cto cœnobio purius vives, rarius cades,
velocius quoque resurges; incedes etiam
cautius, quiesces securius, cœlico rore D
frequentius perfunderis, copiosiorem mun-
ditiam sortieris, fiducialius morieris, abun-
dantioremque gloriam obtinebis.

Porro, si mihi volueris familiarius ad-
hærere, vicinius couniri, atque in me ar-
dentius transformari, solitariam vitam as-
sume, solitudinem ingredere et cellam Osee ii, 14.
inhabita, et ibi loquar ad cor tuum. Ibi
sedebis et tacebis, quia levabis te super Thren. iii,
te, et præstolaberis cum silentio Salvato- 28, 26.
rem. Quo ibidem fueris ab inquietudine
hominum, a tumultu domesticorum, ab
occupatione cum socio longius relegatus
liberiorque effectus, eo aptior eris vacare
et experiri quam dulcis sit Dominus, quam I Petr. ii,
magna et infinita sit affluentia dulcedinis 3; Ps. xxx,
ejus. Denique, ibi per fidem rationibus 20.
credendorum illuminatam, et per sapien-
tiæ donum caritatemque fervidam, con-
templaberis quam bonus sit Dominus his Ps. lxxii, 1;
qui recti sunt corde, qui esuriunt sitiunt- Matth. v,
que justitiam, qui in simplicitate cordis 6; Sap. i, 1.
quærunt eum; qui nil penitus amant, in-
tendunt, requirunt, nisi ipsum finaliter,
alia autem non nisi in ipso; qui indesi-
nenter solliciti sunt qualiter ei in cunctis
complaceant ipsumque in omnibus vene-
rentur, zelo divini honoris ac fraternæ
salutis universorum semper accensi, imo
in viscera pietatis, in affectum sincerissi-
mæ caritatis, in desiderium proficiendi
continue prorsus conversi. Talibus plane
sapit Deus, non mundus; nec illos carnium
esus delectat, sed carnem cum vitiis et Galat. v,
concupiscentiis edomare, cunctos passio- 24.
num irrationabiles motus cum summa di-
ligentia refrenare, in profunda et firma
humilitate se stabilire, in filiali Dei timore
persistere, et coram præsentia Creatoris
jugiter, timorate atque sollicite ambulare. Mich. vi, 8.
Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui
est super omnia Deus sublimis et benedi-
ctus. Amen.

FINIS LIBRI DE PRÆCONIO SIVE LAUDE ORDINIS CARTUSIENSIS.

ENARRATIO

IN TERTIAM REGULAM S. FRANCISCI

PROŒMIUM

QUICUMQUE *hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia, et super Israel Dei.* Galat. VI, 16.

Ista sunt verba apostoli Pauli ad Galatas. In quibus verbis per « regulam » intelligitur rectitudo veritasque doctrinæ quam ibidem docet S. Paulus. Cujus doctrinæ imitatoribus ac impletoribus promittit ac imprecatur pacem et misericordiam, hoc est, mentis tranquillitatem in Deo (de qua Propheta loquitur Deo : Pax multa *Ps.* CXVIII, 165.
diligentibus legem tuam), et piam æternæ salutis consecutionem seu peccatorum remissionem, de qua Christus testatur : Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam *Matth.* V, 7.
consequentur. Porro per « Israel Dei » intelligit gloriosus sapientissimusque Apostolus unumquemque Christifidelem qui fide et opere meretur Christianus vocari : qui sanctorum Patriarcharum fidem atque vestigia prosequendo, ipsorum filius appellatur, et spiritu, non littera, Judæus ac Israel nuncupatur. Unde ait Salvator : Ecce vere *Joann.* I, 47.
Israelita, in quo dolus non est.

Præterea, in præallegatis Apostoli verbis per « regulam » intelligo normam seu formam et legem vivendi quam inclytus christianæ sapientiæ signifer, præelectus Dei confessor Franciscus, instituit et præfixit utriusque sexus personis fidelibus quæ vocantur de tertio Ordine : quibus spiritualia quædam dedit mandata seu instituta, ut infra patebit ; itaque norma et lex vivendi quam illis donavit, merito regula nominatur. Nam, ut asserit Gratianus in prima parte Decreti, distinctione 3, regula dicta cap. 2.
est, eo quod recte ducit, nec aliquando aliorsum trahit ; alii vero dixerunt regulam dictam, vel quod regat, vel quod recte vivendi normam et legem præbeat, vel quod distorta pravaque corrigat. Quum igitur norma et lex ista vivendi a S. Francisco tradita recte ducat ad veram salutem, nec aliunde trahat, imo salubriter regat actus vitæ humanæ, et viam justitiæ doceat, distorta quoque et prava redarguat ; hinc rationabiliter regula nuncupatur. Quam qui fuerint assecuti, pacem cordis et misericordiam ab Omnipotente adipiscuntur.

Denique, quia in Regula ista aliqua continentur circa quæ quæstiones nascuntur et exhortationes necessariæ sunt, idcirco venerabiles ac devoti sacerdotes, ministri et Patres Regulæ et Ordinis hujus, specialiter generalis eorum Minister, parvitatem meam frequenter atque instanter rogare dignati sunt ut super eorum Regulam aliqua scribam, difficiliora elucidando, et circa utiliora doctrinas morales et exhortationes salubres addendo, ea quoque quæ jam per apostolica indulta addita sunt Regulæ veteri ac priori, concordando cum his quæ in Regula illa sunt contenta. Horum ergo tam piæ ac humili postulationi pro posse obtemperare ac satisfacere cupiens, ejus gloriosissimam illuminationem cordialiter invoco qui super quietos et humiles requiescit. *Is.* LVII, 15; LXVI, 1, 2.

ENARRATIO
IN TERTIAM REGULAM
S. FRANCISCI[1]

ARTICULUS PRIMUS.

De commendatione Regulæ personarum de tertio Ordine.

QUALITER magnus ille sanctus ac beatissimus vir Franciscus motus fuit ad instituendum tertiam Regulam, et qualiter eam instituit, ex libro de Mirabilibus actibus ejus et ex Legenda ipsius cognoscitur. Etenim istam tertiam Regulam specialiter principaliterque instituit pro sæcularibus et conjugatis ac laicis utriusque sexus personis. Qui primo quum assumpsissent Ordinem illum, habitaverunt seorsum in domibus suis; deinde quidam majori fervore devotionis accensi, cœperunt insimul demorari, et vitam aliqualiter communem ducere. In qua tamen conversatione habuerunt aliqua propria, nec erant ad paupertatem adstricti, nec tria religionis vota fecerunt, sed ex possessionibus et manuum
A suarum vixerunt laboribus. Postremo adhuc ampliori sanctæ caritatis inflammati ardore, procuraverunt quidam eorum a summo Pontifice licentiam emittendi tria vota omni Ordini substantialia : quod faciendo, et vota eadem cum ceteris contentis in Regula adimplendo, digne ac merito, nemine dubitante, inter religiosos annumerantur. Isti ergo in hoc rationabiliter commendantur, quoniam (juxta doctrinam Apostoli) æmulati sunt charismata meliora, ad perfectionem tendendo, et viciniora saluti (I *Cor.* XII, 31; *Hebr.* VI, 9.)
B apprehenderunt. Insuper, de laboribus suis viventes, de eisdem eleemosynas faciunt, hospitalitatem exercent, et opera exhibent pietatis. In quo sanctorum Patrum imitantur vestigia, qui de propriis laboribus opera misericordiæ devotissime impleverunt : quos sacratissimos viros pater sanctus Bernardus vocat homines cœlestes angelosque terrestres.

TEXTUS REGULÆ

Nicolaus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Fratribus et dilectis in Christo filiabus Sororibus Ordinis Fratrum de Pœnitentia, tam præsentibus quam futuris, salutem et apostolicam benedictionem.

Supra montem catholicæ fidei, quam populos gentium qui ambulabant in tenebris, discipulorum Christi sincera devotio igne caritatis exæstuans, verbo

[1] Ex editione Coloniensi s. t. n., 1534.

sollicitæ prædicationis edocuit, quamque Romana tenet et servat Ecclesia, solidum christianæ religionis positum noscitur fundamentum, nullis unquam concutiendum turbinibus, nullis quassandum fluctibus tempestatum. Hæc est enim recta veraque fides, absque cujus consortio nemo in conspectu Altissimi acceptus redditur, nemo gratiosus occurrit. Hæc est quæ salutis semitam præparat, et felicitatis æternæ præmia grandia pollicetur. Ideoque gloriosus Christi confessor B. Franciscus, hujus Ordinis institutor, viam accedendi ad Dominum verbo pariter et exemplo demonstrans, in ipsius sinceritate fidei suos filios erudivit, eosque illam confiteri constanter, tenere firmiter et opere voluit adimplere, ut per ejus semitam salubriter incedentes, mererentur post vitæ præsentis ergastulum æternæ beatitudinis effici possessores.

ARTICULUS II.

Expositio exordii tertiæ Regulæ, utputa de fide catholica.

PRÆFATAM tertiam Regulam a S. Francisco traditam, summus Pontifex Nicolaus IV redegit in formam et approbavit. Hinc in exordio hujus Regulæ continetur : *Nicolaus episcopus, servus servorum Dei.* In quibus verbis Papa ex humilitate vocat se episcopum potius quam summum Pontificem. Similiter ex humilitate se nominat servum servorum Dei : quod intelligendum est de servitute administrationis et prælationis, quæ est servitus dignitatis et superioritatis, non subjectionis. Hunc autem tam humilem titulum sanctus et humilis Papa Gregorius primo in suis bullis atque epistolis posuit. Ad quod videtur habuisse occasionem ex verbis S. Augustini, qui diu ante Gregorium, in libris suis servum servorum Dei se nominavit. *Dilectis filiis Fratribus et dilectis in Christo filiabus Sororibus Ordinis Fratrum de Pœnitentia, tam præsentibus quam futuris.* Quamvis equidem S. Franciscus Ordinem istum instituit generaliter pro personis utriusque sexus, attamen dominus Papa vocat hunc Ordinem specialiter Ordinem Fratrum, quia denominatio accipi solet a digniori. Dicitur quoque Ordo Fratrum de Pœnitentia, quia hic Ordo primo ac principaliter institutus est pro sæcularibus et conjugatis ac laicis, qui adhuc sunt imper-
A fecti, insipientes, animales, atque quotidie defectuosi in multis : idcirco sunt in numero pœnitentium constituti, et specialiter spectat ad eos quotidiana sua peccata quotidie deplorare, et pœnitentiæ opera exercere, sicque compunctioni insistere. *Salutem* in patria paradisi cœlestis, *et apostolicam benedictionem* in via hujus exsilii.

Supra montem catholicæ fidei, quam populos gentium qui ambulabant in tenebris, discipulorum Christi sincera devotio
B *igne caritatis exæstuans, verbo sollicitæ prædicationis edocuit, quamque Romana tenet et servat Ecclesia, solidum christianæ religionis positum noscitur fundamentum, nullis unquam concutiendum turbinibus, nullis quassandum fluctibus tempestatum.* Hucusque littera Regulæ dependet : quæ quum sit aliqualiter intricata, in ordinem constructionis est redigenda. Est itaque ordo verborum : « Solidum fundamentum christianæ religionis », id est evangelicæ legis, « nullis unquam con-
C cutiendum turbinibus », id est nulla persecutione aut inquietudine hostium expugnandum, « nullis quassandum fluctibus tempestatum », id est nulla dæmonum tentatione aut hæreticorum ac infidelium infestatione obruendum vel superandum in toto : hoc, inquam, christianæ religionis firmissimum et inexpugnabile fundamentum « noscitur positum », id est collocatum ac stabilitum, « supra montem catholicæ fidei », id est super altitudinem fidei

christianæ. Et potest hoc loco per « fundamentum christianæ religionis » intelligi supernaturalis veritas fidei. Cujus veritatis ac fidei tanta est firmitas, ut dicat Apostolus : Licet angelus de cœlo evangelizet vobis præter id quod evangelizavimus vobis, anathema sit. « Quam » fidem « sincera discipulorum Christi », puta Apostolorum, « devotio exæstuans », id est fervens, « igne caritatis, edocuit verbo sollicitæ prædicationis populos gentium », id est ipsos gentiles, « qui ambulabant in tenebris » ignorantiæ, perfidiæ multiformiumque errorum ac idololatriæ ante conversionem suam ad Christum ; « quamque », id est et quam fidem, « Romana Ecclesia tenet » in corde « et servat » in conversatione, quoniam fides sine operibus mortua est.

Galat. I, 8. — Jacob. II, 26.

Hæc est enim recta veraque fides, absque cujus consortio, id est inhæsione atque præsentia, *nemo in conspectu Altissimi acceptus redditur,* id est, nullus homo viator efficitur Deo placens et gratus, quia (ut ait Apostolus) sine fide impossibile est Deo placere, *nemo gratiosus occurrit,* id est, nullus se Deo placide et cum gratia repræsentat : quia, ut dicitur, accedentem ad Deum oportet credere quia est, et inquirentibus se remunerator sit.

Hebr. XI, 6. — Ibidem.

Hæc est quæ salutis semitam præparat, id est, ad meritoriam operationem atque ad vitam virtuosam disponit. Quæ operatio meritoria virtuosave vita vocatur semita salutis, quia est medium per quod itur ac pervenitur ad beatitudinem æternam. Denique, fides est fundamentum virtutum et radix promerendi. Propter quod Habacuc ait : Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso ; justus autem in sua fide vivet. Isaias quoque propheta ait : Qui incredulus est, infideliter agit. Et caritas tamen est principalis origo ac ratio meritorie operandi. *Et felicitatis æternæ præmia grandia pollicetur.* Fides namque est oculus mentis, per quem nunc aliqualiter intuemur ac firmiter credimus ea quæ Deus nobis promittit in Scripturis adipiscenda in cœlis. De quibus loquitur Paulus apostolus : Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparavit Deus iis qui diligunt eum. Quid enim gloriosus ac liberalissimus Deus præparavit dilectoribus suis, nisi se ipsum et sui ipsius claram ac beatificam visionem, suavissimam fruitionem, perpetuam atque tutissimam possessionem ? Istud est grande, ineffabile et essentiale præmium omnium electorum in cœlo. Et ultra istud sunt multa in cœlo accidentalia præmia, utpote : Christi humanitatem glorificatissimam atque pulcherrimam intueri, beatissimam virginem Mariam et universos cives cœlestes conspicere, atque eorum jucundissimo uti consortio, omnium quoque civium supernorum felicitati et gaudiis communicare. Ad hæc etiam præmia pertinent dotes corporum glorificandorum, videlicet impassibilitas, claritas, agilitas et subtilitas. Quum igitur tanta nobis præmia desuper promittantur, debemus omnem torporem negligentiamque abjicere, et diligenti ac fervido corde omnipotenti jugiter Deo servire. Cui tamen deserviendum est potius propter propriam ejus majestatem dignissimam et honorabilitatem immensam quam propter præmia jam præfata, quum ipse Deus sanctus et æternus sit primum et summum honorabile.

Habac. II, 4. — Is. XXI, 2. — I Cor. II, 9.

Ideoque gloriosus Christi confessor B. Franciscus, hujus Ordinis institutor, viam accedendi ad Dominum verbo pariter et exemplo demonstrans. Via accedendi ad Dominum, in generali loquendo, est duplex, videlicet : observatio præceptorum Dei (de qua ait Salvator : Si vis ad vitam intrare, serva mandata); et evangelicorum adimpletio consiliorum. De qua rursus loquitur Dominus : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me ; itemque : Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Utramque hanc viam monstravit S. Franciscus « verbo pariter et exemplo », imo,

Matth. XIX, 17. — Luc. IX, 23. — Ibid. XIV, 33.

ut aptius loquar, exemplo pariter et verbo, quoniam tanquam verus Christi discipulus *Act.* I, 1. cœpit facere et docere. Etenim antequam cœpit prædicare, per biennium ivit quotidie per civitatem Assisii publice mendicando, et in profundissima humilitate, compunctissima contritione, maxima paupertate, atque acerrima sui corpusculi afflictione et ceterarum exsecutione virtutum Deo servivit et proximos ædificavit. Deinde cœpit congregare duodecim primos Fratres ac socios suos. Deinde approbato Ordine suo, orsus est publice sermocinari ad plebem. Porro ad Deum ubique præsentem acceditur non corporis gressu, sed mentis actu, hoc est credendo, diligendo, et cordis conversione ad ipsum. De quo *Hebr.* IV, 16. accessu hortatur Apostolus : Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus. *In ipsius sinceritate fidei suos filios erudivit,* id est, eos quibus prædicavit, et specialiter personas Ordinum suorum, docuit habere fidem sinceram, ita ut fidei eorum nullus error aut falsitas misceretur. Fides namque est prima virtus, per quam homo constituitur in veritate omnium necessariorum ad salutem. Ipsa quoque Veritas summa, quæ Deus est, per fidem incipit habitare in nobis. Ideo divinus Dionysius septimo capitulo de Divinis nominibus ait : Fides est manens et stabile credentium fundamentum, collocans eos in veritate et veritatem in ipsis. Hinc Vas electionis, sanctus apostolus Paulus, ad Ephesios dis- *Ephes.* III, 17. seruit : Christum per fidem habitare in cordibus nostris.

Eosque illam confiteri constanter, tenere firmiter et opere voluit adimplere. Id est : S. Franciscus admonuit eos quos docuit, ut fidem catholicam tempore opportuno confiterentur ore cum constantia animi. Nam, ut scribit Apostolus ad Romanos, *Rom.* X, 10. corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Potissime autem tenetur quilibet Christianus fidem catholicam profiteri, confiteri seu recognoscere, quando interrogatur vel examinatur de ea, vel quando infidelis aliquis cupit fidelium fidem corrumpere, aut quando fidem in proximis periclitari videt, ut in secunda secundæ, quæstione tertia, S. Thomas declarat. (art. 8.) Hinc Filius Dei testatur : Qui me confessus fuerit coram hominibus, (*Luc.* XII, 8; *Matth.* X, 32.) confitebor et ego eum coram Patre meo ; qui autem me erubuerit et meos sermones, (*Luc.* IX, 26.) hunc Filius hominis erubescet, etc. Denique fidem tam constanter profiteri debemus, ut parati simus potius mori quam fidem negare : imo coram Deo sic stare tenemur. Voluit quoque B. Franciscus suos quos docuit, fidem « firmiter tenere », id est immobiliter ac certissime assentire fidei christianæ et cunctis quæ sacra Scriptura et determinatio Ecclesiæ docet esse credendum. Hinc Antisiodorensis affirmat in exordio Summæ suæ : Sicut vera dilectione diligitur Dominus Deus super omnia propter se ipsum, sic vera fide acquiescitur primæ veritati super omnia propter se. Idcirco nil certius fide. Et ita fides, quum nil certius habeat, probari non potest. Voluit rursus B. Franciscus ut fidem « opere » adimplerent, id est, taliter conversarentur sicut fides requirit, quatenus vita et opera essent fidei consona, et ipsi fideles tam spiritualem et altam habeant conversationem, quam spiritualem et sublimem possident fidem. Nam, ut Jacobus ait apostolus, sicut corpus sine anima (*Jacob.* II, 26, 17.) mortuum est, ita et fides quæ non habet opera, mortua est in se ipsa. Hinc rursus ait : Non auditor legis obliviosus factus, (*Ibid.* I, 25.) sed factor operis justificabitur; et iterum : Estote factores verbi, et non auditores (*Ibid.* 22.) tantum, fallentes vosmetipsos. Nempe de inobedientibus, quorum conversatio contraria est fidei eorum, asserit Paulus : Dicunt se nosse Deum, factis autem ne- (*Tit.* I, 16.) gant, quum sint abominati et reprobi.

Ut per ejus semitam, id est per fidei observantiam, *salubriter incedentes, mererentur post vitæ præsentis ergastulum æternæ beatitudinis effici possessores.* Quod ait, « mererentur », non est referendum ad verba illa subjuncta, « post vitæ præsentis ergastulum », quia post vitam hanc non

est locus aut tempus merendi seu meritorum, sed præmiorum ; sed referendum est ad verba illa præhabita, « ut per ejus semitam salubriter incedentes », quia ex fide bene agendo merentur vitam æternam. Ut sit sensus : « Mererentur effici possessores æternæ beatitudinis post ergastulum vitæ præsentis », id est egressum a corpore, quod est quasi carcer et exsilium animæ. Propter quod oravit vir sanctus : Educ de custodia (ubi alia translatio habet, de carcere) animam meam. (Ps. CXLI, 8.) Et beatus Apostolus exclamavit : Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus? (Rom. VII, 4.) Itaque vivendo ex fide, meremur effici possessores æternæ salutis. Ut enim

A Guillelmus Parisiensis docet in libro de Fide et legibus, per fidem sacrificat se ipsum homo Deo, dum proprium intellectum subdit auctoritati Scripturæ, assentiens veritatibus fidei propter Deum, quas nequaquam apprehendere potest. Propter quod dixit Apostolus : In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. (II Cor. X, 5.) Hinc viri ingeniosi et eruditi qui propter argumenta hæreticorum et rationes philosophorum ac proprias considerationes subtiles nequaquam recedunt a fide, B habent præcipuum fidei meritum, dummodo in caritate exsistant, prout in secunda secundæ, quæstione secunda, Thomas declarat. (art. 10 ad 3um.)

TEXTUS REGULÆ

Nos igitur Ordinem ipsum opportunis favoribus prosequi cupientes, et ad ejus augmentum benignius intendentes, statuimus ut omnes quos ad servandum hujusmodi vitæ formam assumi contigerit, ante assumptionem seu receptionem ipsorum, de fide catholica et obedientia erga præfatam Ecclesiam diligenti examinationi subdantur ; et si eas professi firmiter fuerint vereque crediderint, admitti seu recipi tute poterunt ad eamdem. Præcavendum est tamen sollicite, ne quis hæreticus vel suspectus de hæresi, aut etiam infamatus, ad vitæ hujus observationem quomodolibet admittatur. Et si talem inveniri contigerit exstitisse receptum, assignetur ille quantocius inquisitoribus pravitatis hæreticæ puniendus. Quum autem Fraternitatem hujusmodi quis intrare voluerit, ministri ad receptionem talium deputati, ejus officium, statum et conditionem solerter explorent, sibi Fraternitatis ejusdem onera, et præcipue alienorum restitutionem, apertius exponentes. Quibus præmissis, si eidem placuerit, juxta modum hujusmodi induatur, et de alienis, si qua fuerint apud eum, satisfacere studeat in pecunia numerata, vel secundum exhibitam pignoris cautionem ; seque nihilo minus proximis reconciliare procuret.

ARTICULUS III.

Expositio de receptione ad Ordinem.

POST verba præhabita, dominus Papa subjungit in Regula :

Nos igitur Ordinem ipsum opportunis favoribus prosequi cupientes, id est, ter- C tium Ordinem honorare atque firmare optantes statutis ac modis ei convenientibus, *et ad ejus augmentum benignius intendentes,* id est, valde pie adspicientes, quid scilicet magis congruat ei ac ejus professoribus. Porro regula dicitur ordo, quia in regula traditur forma ordinatissime conversandi, et quoniam professores

regulæ in omnibus habere se debent valde ordinate et congruenter, unumquodque opus suæ vocationis suo loco aptoque tempore exsequentes, cum discretione et recta intentione, ex sincero Dei amore, sicut
I Cor. xiv, 40. hortatur Apostolus : Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis ; et rur-
Rom. xii, 1. sus : Rationabile (id est discretum) sit obsequium vestrum. *Statuimus,* id est ordinamus, *ut omnes quos ad servandum hujusmodi vitæ formam,* id est hanc tertii Ordinis Regulam, *assumi contigerit, ante assumptionem seu receptionem ipsorum, de fide catholica et obedientia erga præfatam Ecclesiam diligenti examinationi subdantur,* id est, diligenter examinentur a ministris ad quos pertinet illos recipere, an sint sani in fide ac vere catholici, atque obedire parati præceptis Romanæ ac universalis Ecclesiæ : quia nisi tales exsisterent, periculosum esset ipsos recipere, quum possent inficere alios, præsertim quum idiotæ et simplices faciliter decipi soleant a versutis hæreticis impiisque re-
II Thess. iii, 2. bellibus. Hinc et Apostolus oravit liberari a malis ac importunis hominibus, et a fratribus falsis, non ne ipse inficeretur ab eis, sed ne alii. Verumtamen non est necesse ut laici aut simplices recipi cupientes, examinentur de fide multum curiose et exquisite, nisi forte essent suspecti de hæretica pravitate ; sed sufficit ut inquiratur ab eis an credant omnes articulos fidei, et quidquid Romana ac universalis Ecclesia docet esse credendum. *Et si eas professi firmiter fuerint,* id est, si stabiliter confiteantur fidem catholicam esse veram, et Romanam Ecclesiam esse caput et matrem omnium ceterarum Ecclesiarum, universalem quoque Ecclesiam infallibiliter regi a Spiritu Sancto, *vereque crediderint* omnia ista, *admitti seu recipi tute poterunt ad eamdem* Regulam tertiam, dummodo aliunde fuerint apti ad eam, utputa in naturalibus donis satis bene dispositi ad exercendum et sustinendum ea quæ ad præfatam Regulam spectant.

A *Præcavendum est tamen sollicite, ne quis hæreticus vel suspectus de hæresi,* præsertim suspicione probabili, aut violenta seu vehementi, *aut etiam infamatus,* id est de hæresi diffamatus, *ad vitæ hujus observationem quomodolibet admittatur,* id est, talis nullo modo est admittendus aut recipiendus ad observationem vitæ tertii Ordinis, nisi primo resipisceret ac pœniteret de pristinis suis erroribus, aut sufficienter expurgaret se de sua diffamatione. *Et si talem inveniri contigerit ex-*
B *stitisse receptum,* id est, si ministri invenerint aliquem a se receptum, fuisse ante suam receptionem et adhuc esse hæreticum, aut de hæretica pravitate suspectum, aut veraciter seu probabiliter diffamatum, *assignetur ille quantocius inquisitoribus pravitatis hæreticæ puniendus.* Prius tamen est pie ac fervide sapienterque admonendus ac instruendus ut a suo resipiscat errore, et pœnitentiam condignam agat, sicque verbis et factis ostendat se esse catholicum. Porro inqui-
C sitores hæreticæ pravitatis non puniunt infideles mortem corporalem infligendo, quum sint spirituales et ecclesiastici viri, sed incarcerando, aut simili modo. Interdum vero hæretici traduntur judicio sæculari, sic tamen ut prius degradentur aut clericali privilegio spolientur, si in sacris fuerint aut clerici exstiterint.

Quum autem Fraternitatem hujusmodi, id est congregationem seu societatem tertii Ordinis, *quis intrare voluerit,* id est, instanter petierit, *ministri ad receptionem*
D *talium deputati, ejus officium, statum et conditionem solerter explorent,* id est, prudenter inquirant ac pensent, an sit liber an servus, an solutus vel conjugatus, et utrum prius fuit in aliquo Ordine. Quid autem proprie loquendo faciat in hominibus statum et quid gradum, et penes quid attendatur officiorum statuumque distinctio, Thomas pulchre declarat in secunda secundæ, quæstione centesima octogesima tertia : quæ non oportet hoc loco art. 1-4.
describere. *Sibi Fraternitatis ejusdem one-*

ra, et præcipue alienorum restitutionem, A *apertius exponentes,* id est, præfati ministri multum clare exponant personæ ingressum Ordinis postulanti, observantias ac statuta Regulæ quam cupit subire, et præsertim dicatur ei, quod oporteat eam restituere, si habuerit aliqua bona injusta. Hæc omnia proponenda sunt ei, ut melius deliberet, nec inconsulte subeat incognitum opus, ne postea doleat inde, atque apostatet. Ideo dicit Apostolus Timotheo : Sine præjudicio (id est prævio rationis ac discretionis judicio) nihil facias. In Ecclesiastico B quoque scriptum est : Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis.

I *Tim.* V, 21.

Eccli. XXXII, 24.

Quibus præmissis, si eidem placuerit, juxta modum hujusmodi, id est secundum formam seu rei processum jam tactum, *induatur, et de alienis,* id est de bonis injuste adeptis, *si qua,* id est si aliqua talia, *fuerint apud eum,* id est in sua potestate ac possessione, *satisfacere studeat in pecunia numerata,* id est restituendo hujusmodi bona pro posse in certa et integra summa pecuniæ vel aliquo æquivalente, vel eadem bona reddendo, *vel secundum exhibitam pignoris cautionem,* ponendo videlicet pignus sufficiens apud eum cui satisfacere obligatur, aut aliter contentando eumdem : non enim (secundum Augustinum) dimittitur peccatum, nisi aliquo modorum horum restituatur ablatum. *Seque nihilo minus proximis reconciliare procuret,* id est, conetur et satagat se ipsum reconciliare iis quos offendit, irrogando eis injuriam aut læsionem. Quibus congrue fieri potest, veniam petere debet, et satisfacere eis juxta mensuram injuriæ ipsis illatæ, nisi voluerint ei omnino ignoscere etiam pœnam propter Deum. Hinc quippe ait Salvator : Vade prius reconciliari proximo tuo, etc.

Matth. V, 24.

TEXTUS REGULÆ

Quibus omnibus ad effectum perductis, post unius anni spatium, cum aliquorum discretorum Fratrum consilio, si is videbitur ipsis idoneus, recipiatur hoc modo : videlicet, ut promittat se divina præcepta omnia servaturum, ac etiam satisfacturum ut convenit, de transgressionibus quas contra hunc vivendi modum commiserit, quum interpellatus ad Visitatoris exstiterit voluntatem. Et hujusmodi ab eo facta promissio per manum publicam in scriptis inibi redigatur. Alio autem modo nullus a ministris recipiatur eisdem, nisi visum eis aliter fuerit, conditione personæ ac ipsius instantia sollicita consideratione discussis. Ordinamus præterea statuentes ut nullus post ipsius Fraternitatis ingressum, eamdem egredi valeat ad sæculum revertendo, possit tamen habere transitum liberum ad religionem aliam approbatam. Mulieribus vero viros habentibus, nisi de ipsorum licentia et consensu, non pateat ad consortium dictæ Fraternitatis ingressus.

ARTICULUS IV.

De professione personarum tertii Ordinis.

QUIBUS *omnibus ad effectum perductis,* id est, persona recepta atque induta in tertio Ordine prout in præcedenti C est declaratum articulo, *post unius anni spatium, cum aliquorum discretorum Fratrum consilio, si is videbitur ipsis idoneus, recipiatur hoc modo,* id est, si persona illa per annum in Ordine laudabiliter conversata, apparuerit Fratribus discretioribus apta ad permanendum in Ordine,

« recipiatur » ad professionem « cum ali- A quorum discretorum Fratrum consilio », sub hac forma. Est autem consuetudo apud religiosos, quod novicii monachi non profitentur nisi anno noviciatus completo. Interdum tamen ex speciali causa et rationabili citius profitentur ex dispensatione, cujus auctoritas solet esse commissa superioribus Ordinis.

Deinde forma professionis subjungitur. *Videlicet, ut promittat se divina præcepta omnia servaturum, ac etiam satisfacturum ut convenit, de transgressionibus quas* B *contra hunc vivendi modum commiserit, quum interpellatus ad Visitatoris exstiterit voluntatem.* Hæc est forma professionis tertiæ Regulæ secundum primam ejus institutionem a S. Francisco factam, qui et hanc professionis formam instituit, quam summus Pontifex approbavit. Itaque persona tertiæ Regulæ profitetur hoc modo : Ego N. promitto quod observabo omnia divina præcepta, et satisfaciam pro transgressionibus quas commisero « contra hunc modum vivendi », id est contra tenorem Re- C gulæ hujus : satisfaciam, inquam, « ad voluntatem », id est secundum dictamen aut jussionem, « Visitatoris, quum » fuero « interpellatus », id est evocatus seu requisitus ab eo, ad satisfaciendum pro culpa per debitam castigationem seu per satisfactoria opera. Culpæ namque debetur pœna, ne peccatum maneat impunitum. De hac professione et ejus qualitate infra plenius dicam. *Et hujusmodi ab eo facta promissio per manum publicam in scriptis inibi redigatur,* id est, professio hæc D facta a persona Ordinis hujus, statim in loco professionis describatur per manum notarii, in perpetuum testimonium veritatis, ne persona talis possit postea professionem suam negare, et si negaverit eam, instrumento publico convincatur ; et item, ut valeat ad observantiam suæ professionis per rigorem juris compelli, si (quod absit) facta fuerit proterva atque rebellis.

Alio autem modo nullus a ministris recipiatur eisdem, id est, absque hujusmodi scripti confectione ministri Regulæ hujus neminem ad professionem suscipiant, *nisi visum eis aliter fuerit,* id est, nisi rationabiliter judicaverint aliter esse agendum, *conditione personæ ac ipsius instantia sollicita consideratione discussis,* id est, nisi sollicite considerando ac discutiendo qualitatem atque instantiam personæ ad professionem accipi postulantis, agnoverint eam esse tam bonam, virtuosam ac stabilem, tamque humiliter ac ferventer institisse pro susceptione ad professionem, ut satis probabile sit quod post suam professionem perseverabit et bene se habebit in Ordine, ideoque non sit necessarium facere tale scriptum.

Ordinamus præterea statuentes ut nullus post ipsius Fraternitatis ingressum, eamdem egredi valeat ad sæculum revertendo, id est, hoc quoque mandamus, ut nulli personæ professæ in hoc tertio Ordine liceat relinquere societatem et Regulam Ordinis hujus redeundo ad vitam sæcularem : quia hoc esset professioni suæ contrarium, ac violatio promissionis solennis apostasiæque species, atque de vita religiosa ad vitam reverti mundanam, et contra illud verbum Apostoli : Nolite con- *Rom.* XII, 2. formari huic sæculo. Imo hoc esset redire ad vomitum. Contra quod beatissimus princeps Apostolorum in sua secunda ait Canonica : Melius erat illis non cognoscere II *Petr.* viam justitiæ, quam post agnitionem re- II, 21, 22. trorsum converti ; contingit enim eis illud veri proverbii : Canis reversus ad suum vomitum ; et, Sus lota in volutabro luti. Insuper esset et contra illud Deuteronomii : Quod semel egressum est de labiis *Deut.* XXIII, 23. tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo. Verumtamen per istud non prohibebantur personæ tertii Ordinis nondum conjugatæ matrimonium contrahere, quoniam non promiserunt nisi quod in præhabita continetur professione, et in statu conjugali poterant Regulam observare : idcirco persona professa contrahere potuit, dummodo persona cum qua contrahere disponebat, voluerat assentire

quod Regulam observaret persona illa professa etiam in statu conjugii. Non enim apparet quod S. Franciscus aut Pontifex summus intendebat per primam illam professionem obligare profitentem ad perpetuam castitatem. *Possit tamen habere transitum liberum ad religionem aliam approbatam* ab apostolica Sede, dummodo illa alia religio sit altior atque perfectior religione tertiæ Regulæ : aliter non liceret sine dispensatione, quum dicat Apostolus : Æmulamini charismata meliora; itemque : Intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur.

I Cor. xii, 31. Hebr. vi, 1.

Mulieribus vero viros (id est maritos) *habentibus, nisi de ipsorum* virorum *licentia et consensu, non pateat ad consortium dictæ Fraternitatis ingressus,* id est, ad societatem, conversationem seu professionem tertiæ Regulæ non suscipiantur. Nam, teste Apostolo, vir caput est mulieris. Nec sine viri consensu potest uxor se obligare ad obediendum alteri quam cui ex jure divino seu statuto Ecclesiæ obedire tenetur. Neque ad specialia jejunia aut abstinentias potest se sine mariti sui consensu adstringere : et de hoc originaliter scriptum est in libro Numerorum. De qua materia Raimundus, Joannes, Durandus et alii in suis Summis diffusius scribunt. Ad quæ omnia comprobanda possunt ex Decreto plurima allegari, sed brevitati studendum est.

I Cor. xi, 3; Ephes. v, 23. Num. xxx, 4.

Hæc itaque de professione personarum tertii Ordinis secundum primam earum institutionem prolata sunt. Nunc vero ex apostolicæ Sedis indulto, præinductæ professioni addunt promissionem trium votorum omni religioni monasticæ substantialium, utpute obedientiæ, paupertatis et castitatis. Nec ista tam virtuosa additio prætactæ professioni repugnat, sed eam perficit et coarctat : quia in statu conjugali et sæculari non potest additio ista servari, nec competit nisi his qui mundum et ea quæ mundi sunt omnino relinquunt, atque civiliter moriuntur. Præterea, certum est quod hi qui tria hæc vota profi- (A) tentur et digne implere conantur, multo facilius possunt illam primam professionem implere, quam qui in statu sunt conjugali, aut hi qui propria habent, nec sub obedientia vivunt ex voto : imo, ut infra patebit, talibus difficillimum est primam illam implere professionem. Idcirco additio ista consona est atque accommodata primæ illi professioni, quia per trium votorum emissionem et impletionem prima illa professio expeditius excellentiusque impletur. Qui enim perpetuo continere (B) promisit nec aliquid proprium habet, expeditius et perfectius vitare potest avaritiam et incontinentiam, quam qui habet et capere potest uxorem et propria possidet. Imo, ut in tractatu de Ecclesiastico cœlibatu Cancellarius Parisiensis disseruit, facilius est in religione penitus continere, quam in statu conjugali castitatem conjugalem servare, hoc est non nisi moderate ac licite propria uti uxore.

Præterea, ex apostolicæ Sedis indulto est concessum tertio Ordini et priori ejus (C) Regulæ additum, quod nullus recipiatur ad habitum et observantiam professionemque Ordinis, nec receptus promoveatur, nisi de expresso consensu generalis Ministri, ac proprii seu specialis ministri præsidentis congregationi in qua quis postulat recipi. Nec istud discordat a tenore Regulæ, in cujus secundo capitulo continetur : « Quum autem Fraternitatem hujusmodi quis intrare voluerit, ministri ad receptionem talium deputati, ejus officium, statum et conditionem solerter ex- (D) plorent », etc. Quia in apostolico illo indulto, per ministros ad hoc deputatos, intelligendi sunt generales Ministri, et item minister proprius congregationis in qua quis suscipi petit. Generalis vero Minister in congregatione cui specialiter præest videtur utriusque ministri personam gerere, vicem supplere, ita quod ipse solus in propria domo possit personam accipi cupientem, accipere, præsertim cum Fratrum discretorum consilio et consensu.

ARTICULUS V.

Quod personis tertii Ordinis non liceat ire ad aliam religionem nisi strictiorem, neque ad strictiorem nisi ubi regularis observantia viget ac disciplina debita observatur.

QUALITER intelligendum sit quod in tertio capitulo Regulæ legitur, præcedenti articulo fuit expositum. Quippe, quod ingressus Fraternitatem tertii Ordinis liberum habeat transitum, si voluerit, ad religionem aliam approbatam, innotescit et constat ex tenore indulti apostolicæ Sedis præfato Ordini tertio concessi, in quo inter cetera dicitur : Quibus (videlicet personis tertiæ Regulæ) nequaquam licere volumus de ipsa religione nisi ad aliam arctiorem et Ordinem strictiorem, ubi regularis observantia et disciplina observatur, exire. Istud sapientiale, justum ac providum domini Papæ Eugenii IV præceptum fundatur directe et immediate in jure divino, ut patet in expositione præcedentis articuli : quoniam æmulari debemus charismata meliora, et ad perfectiora moveri ac tendere. Quod ad religiosos potissime spectat, qui ex sua professione tenentur ad perfectionem quotidie proficisci : quoniam status religiosorum est status perfectionis acquirendæ, quemadmodum status episcoporum est status perfectionis adeptæ, ut Alexander de Hales et alii concorditer protestantur.

I Cor. xii, 31.

Verumtamen, si dominus Papa istud præceptum non expressisset, potuisset forsitan dubium esse an personis de tertia Regula liceret intrare aliam religionem approbatam altiorem et strictiorem, ubi tamen observantia regularis non vigeret : certumque esset quod hoc non liceret in foro conscientioso (quod est forum interius) propter prætacta motiva ; sed an liceret in foro contentioso, quod est forum exterius, posset fortassis dubium esse, quia in Regula, sicut jam patuit, non exprimitur quod in religione approbata quam

A possent intrare, debeant observantia et disciplina vigere. Nunc vero nulla de hac re manet quæstio. Idcirco personæ tertii Ordinis quæ exeunt suas congregationes in quibus observantia regularis consistit, et alium intrant Ordinem, quamvis strictiorem, ubi non viget observantia, injuste ac stolide agunt, et perdunt se ipsas, atque gravissime peccant. Estque ingratum, secundum Bernardum, Spiritui Sancto quidquid in alio egerint Ordine, neglectis iis ad quæ ex prima professione tenentur.
B Enormiter quoque peccant religiosi regulariter non viventes, qui personas illas recipiunt, et eas secum damnationi æternæ involvunt; nec possunt eas conscientia bona tenere. Sed et ministri tertiæ Regulæ regulariter conversantes, habent jus repetendi personas hujusmodi.

ARTICULUS VI.

C *Qualiter intelligenda sit forma prætactæ professionis personarum tertii Ordinis.*

UT patuit articulo quarto, professio tertiæ Regulæ a beatissimo Francisco instituta ac tradita, est promittere observare omnia divina præcepta. Et hæc est prima pars professionis illius. Secunda pars, satisfacere ut convenit de transgressionibus quas quis contra hunc modum vivendi commiserit, quum interpellatus ad Visitatoris exstiterit voluntatem.
D Tertia pars professionis ejusdem, est quod jam ex indulto summi Pontificis addunt promissionem solennem ad observandum tria substantialia religioni. Videtur autem intentio S. Francisci, qui primo hanc Regulam pro conjugatis laicisque instituit, fuisse ut personæ tertiæ Regulæ in primis per votum se obligarent ad ea quæ sunt necessaria ad salutem, hoc est ad divinorum observantiam præceptorum ; deinde ad subeundum debitam disciplinam, pœnam seu satisfactionem pro excessibus

contra Regulam commissis seu admissis, juxta Visitatoris arbitrium.

Præterea, ad intelligendum primam hujus professionis partem, oportet scire quod divinorum præceptorum quædam sunt affirmativa; et illa præcipiunt bona fieri, et obligant semper : non tamen ad semper, id est non pro qualibet temporis parte, quoniam homo non potest omni hora seu indesinenter insistere actionibus virtuosis; sed obligant omni tempore opportuno, quo scilicet Deus aut recta ratio vel superior jubet aliquid fieri. Alia divina præcepta sunt negativa, quæ scilicet prohibent fieri mala; et illa præcepta obligant semper et ad semper, quoniam nunquam licet facere mala seu vitiosa. Sicque decem præceptorum tria sunt affirmativa, utputa : Unum cole Deum, sabbata sanctifices, habeas in honore parentes. Alia septem sunt negativa, utputa : Non jures vana per Deum, non sis occisor, non fur, nec mœchus, nec testis iniquus, etc. Quemadmodum autem tria illa præcepta affirmativa directe præcipiunt facere bona, et ex consequenti prohibent fieri mala, quia quum dicitur, Unum cole Deum, prohibetur cultus idolorum; sic negativa præcepta directe prohibent fieri mala, atque ex consequenti præcipiunt facere bona malis illis contraria : sicut quum dicitur, Non jures vana per Deum, non solum prohibetur perjurium ac vana juratio, sed etiam jubetur ut rationabili causa exigente juretur per verum Deum, juxta illud : Dominum Deum tuum timebis, ac per nomen ejus jurabis. Et istud declarant doctores super secundum Sententiarum.

Deut. vi, 13. — dist. xxxv.

Deinde advertendum quod in prima secundæ, quæstione centesima, describit Thomas : Præcepta moralia (inquiens) ex dictamine naturalis rationis vim et efficaciam habent, majorem tamen vim et auctoritatem habent ex institutione divina. Et horum præceptorum triplex est gradus. Nam quædam sunt communissima et maxime manifesta : sicut mandata de dilectione Dei et proximi. Alia vero sunt magis determinata, quæ tamen quilibet popularis potest faciliter intelligere : ut sunt præcepta Decalogi. Alia autem sunt non ita cuilibet faciliter manifesta, sed sapientibus solum. Et ista sunt præcepta moralia, superaddita Decalogo seu decem præceptis, et reducuntur ad decem præcepta. Nam ad primum præceptum Decalogi, quo prohibetur cultus alienorum deorum, adduntur ac reducuntur præcepta prohibitiva eorum quæ ordinantur in cultum idolorum, ut quum dicitur in Deuteronomio : Non inveniatur in te maleficus aut incantator, nec qui Pythones consulat aut divinos, aut qui quærat a mortuis veritatem. Porro secundo præcepto perjurium prohibenti superadditur prohibitio blasphemiæ, ut in Levitico, prohibitioque falsæ doctrinæ, ut in Deuteronomio. Tertio præcepto superadduntur omnia cærimonialia legis : ad quæ tamen in evangelica lege non obligamur. Quarto præcepto, quod est de honoratione parentum, superadditur præceptum de honoratione senum (quum dicitur : Coram cano capite consurge, et honora personam senis), et universaliter omnia præcepta inducentia ad reverentiam exhibendam majoribus, vel ad exhibenda beneficia vel æqualibus vel minoribus. Quinto præcepto, quo prohibetur homicidium, additur prohibitio odii et cujuslibet læsionis contra proximum : ut quum Dominus ait, Ne oderis fratrem tuum; et quum iterum jubet : Non stabis contra sanguinem proximi tui. Sexto præcepto, quo adulterium prohibetur, superadditur præceptum de prohibitione meretricii, ac vitii contra naturam, et omnis illegitimæ copulæ carnalis. Septimo præcepto, quo furtum vetatur, adjungitur præceptum prohibitionis usuræ ac fraudis, et omnis calumniæ ac rapinæ. Octavo præcepto, quo falsum testimonium prohibetur, additur prohibitio falsi judicii, mendacii atque detractionis. Aliis vero duobus præceptis nulla alia adjunguntur, quia per ea omnis prava concupiscentia prohi-

art. 11. — *Deut.* xviii, 10, 11. — *Lev.* xxiv, 16. — *Deut.* xiii. — *Lev.* xix, 32. — *Ibid.* 17. — *Ibid.* 16.

betur. — Hæc Thomas. Qui etiam in præ- A fata Summa declarat et asserit, quod lex divina dat præcepta de actibus universarum virtutum. (1a 2æ, q. c, a. 2.)

Ex his elici potest quid in præinducta professione personarum tertii Ordinis intelligendum sit per divina præcepta. Nempe per divina præcepta potissime intelligenda sunt duo caritatis præcepta, deinde præcepta Decalogi, et consequenter præcepta moralia quæ adduntur in Scripturis ac reducuntur ad illa, imo etiam præcepta legis naturalis, in quantum Christus in B Evangelio ea tradit, dicendo : Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis : hæc est enim lex et Prophetæ. (*Matth.* VII, 12.) Ex quo præcepto legis naturalis affirmativo sequitur aliud legis naturalis præceptum negativum, quod exprimitur Tobiæ quarto, quo scriptum est : Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando facias alteri. (*Tob.* IV, 16.) Itaque per divina præcepta intelliguntur præcepta caritatis Dei et proximi, præcepta Decalogi, præcepta legis naturalis jam tacta, præcepta aliarum vir- C tutum quæ hominibus necessariæ sunt ad salutem, videlicet præcepta a Deo tradita in Scripturis de humilitate, patientia, mansuetudine, justitia, pietate, discretione, fide, spe, temperantia, fortitudine, latria ceterisque virtutibus habendis, atque de vitiis contrariis fugiendis : ad quæ omnia se adstringunt personæ de tertia Regula in sua professione. Et insuper vovent se emendationi et satisfactioni exponere et offerre pro excessibus quos incurrerint contra Regulam suam, sive per commis- D sionem sive per omissionem. Nam quod in forma professionis habetur de transgressionibus quas contra hunc modum vivendi commiserint, etc., intelligendum est etiam de iniquitatibus quas per omissionem contra suam Regulam incurrerint. Quemadmodum enim regula violatur et Deus offenditur per commissionem mali, puta eorum quæ fieri prohibentur, ita per omissionem boni, ut si quis non faciat quod ei suus superior jubet. Postremo, ut tactum est, ultra hæc communi- (art. IV.) ter nunc in terris istis vovent perpetuam castitatem, paupertatem et obedientiam. De cujus professionis intellectu infra dicetur.

ARTICULUS VII.

Quod professio tertiæ Regulæ sit multum stricta et ardua, si bene pensetur.

SICUT doctores communiter concorditerque testantur, votum plus obligat quam juramentum, et maxime votum solenne, quale est professio religiosorum ; ideo violatio talis voti enormior culpa est quam perjurium. Hinc in secunda secundæ, quæstione octogesima octava, loquitur S. Thomas : Ad fidelitatem pertinet quod (art. 3.) homo promissa sua adimpleat, maxime quoad Deum, cui fidelitatem tenemur tum ratione sui dominii (utputa quoniam ipse est altissimus Dominus et rex), tum ratione suscepti beneficii : nam multa et maxima beneficia ab ipso suscepimus. Unde maxime obligatur homo vota Deo facta persolvere, præsertim quum fractio voti sit species infidelitatis. — Hinc rursus testatur : Obligatio voti causatur ex fideli- (2a 2æ, q. LXXXIX, a. 8.) tate quam Deo debemus, videlicet ut ei solvamus promissa. Obligatio autem juramenti causatur ex debito reverentiæ quam Deo tenemur, ut scilicet verificemus quod per ipsum juravimus. Infidelitas autem omnis irreverentiam includit, non econverso : ideo votum ex sua ratione plus obligat quam juramentum, potissime quum infidelitas subjecti ad Dominum sit irreverentia maxima.

Quum igitur personæ tertii Ordinis professæ sint observare omnia præcepta divina, constat quod quotiescumque transgressæ fuerint quodcumque divinum præceptum, toties frangant et violent suam professionem : quod, juxta nunc introducta, est peccatum gravissimum. Nam transgrediendo præceptum quodcumque,

non solum mortaliter peccant prævaricando præceptum, sed et plus quam mortaliter, vel valde mortaliter, votum frangendo. Propterea valde necessarium eis est ut sint coram Deo jugiter custoditæ ac timoratæ in omnibus, ne aliquid committant aut omittant contra divina præcepta, præsertim quum tanta sit humana fragilitas, ut cito atque faciliter incidat culpam mortalem, nisi sit multum diligens coram Deo atque sollicita ad vitandum venialia mala. Propter quod dixit Salvator : Arcta est via quæ ducit ad vitam, et pauci inveniunt eam. (A)

(Matth. vii, 14.)

(B)

Præterea, inter divina præcepta etiam computatur quod Christus ait in Evangelio suis vicariis : Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit. Multa enim in Scripturis posita sunt præcepta, quamvis non exprimantur per modum præcepti, ut est illud : Non perjurabis ; et item illud : Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies. Sicque virtute præcepti illius, tenentur universi fideles obedire Ecclesiæ ac suis prælatis. Ex quo sequi videtur, quod personæ tertiæ Regulæ ex sua professione etiam sint adstrictæ ad observandum præcepta Ecclesiæ.

(Luc. x, 16.) (Lev. xix, 12.) (Deut. vi, 13.) (C)

Insuper, Salvator perficiens et exponens præcepta Mosaicæ legis, multa addit, inter cetera dicens : Audistis quia dictum est antiquis, Non occides. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio ; qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit consilio ; qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Deinde multa ardua præcepta subjungit ibidem, videlicet de reconciliando fratre offenso, de concupiscentia refrenanda, de abjiciendis membris scandalizantibus, de inimicis et persecutoribus diligendis, de vana gloria evitanda. Alibi quoque ponit strictum arduumque præceptum de fraterna correptione, quod (ut Antisiodorensis scribit in Summa sua) paucissimi debite implent. Et hæc omnia inter divina computantur præcepta.

(Matth. v, 21, 22.) (D) (Ibid. 23 et seq.) (Ibid. xviii, 15-17.)

ARTICULUS VIII.

Quod sicut professio tertiæ Regulæ est ex una parte multum rigorosa et ardua, ita ex alia parte sit valde fructuosa ac meritoria.

ALEXANDER de Hales in Summa sua sapienter declarat, quod actio virtuosa est tanto virtuosior et Deo acceptior, et tanto plus meritoria felicitatis æternæ, quo ex pluribus ac altioribus procedit virtutibus. Ideo religiosi qui implent divina præcepta non solum ex obligatione mandati, sed etiam ex debito voti, multo plus promerentur quam alii. Denique, votum implere, est actus virtutis quæ latria nuncupatur : quæ Deo cultum cærimoniamque impendit, ut Tullius ait ; et est inter virtutes morales præcipua, theologicis quoque virtutibus multum similis ac propinqua. Ideo divina implere præcepta non solum ex caritate et justitia, sed ultra hoc etiam ex latria, est valde meritorium et præclarum. Nam et per votum voluntas quasi immobiliter convertitur Deo, et plenius ei subjicitur, imo se integre offert Deo. Propterea libro de Similitudinibus ait Anselmus : Sicut plus confert qui arborem tribuit simul cum fructibus, quam qui præstat fructum arboris tantum, ita plus exhibet Deo et magis ipsum honorat, qui opera bona facit ex voto. Itaque, sicut personæ tertii Ordinis ex una parte præ ceteris gravius peccant violando divina præcepta contra suam professionem, ita plus præ aliis merentur servando divina præcepta ex voto.

ARTICULUS IX.

Qualiter personæ tertii Ordinis admonendæ sint ac instruendæ a superioribus suis.

UNIVERSI ac singuli sunt a superioribus suis specialiter exhortandi et edocendi de iis quæ ad ipsorum subditorum

statum, vocationem professionemve pertinent, quoniam talium ignorantia non excusat. Quum igitur personæ de tertio Ordine profiteantur solenniter, præsente conventu, observare omnia præcepta divina; idcirco a suis ministris ac superioribus sunt cum omni fervore ac vigilantia instruendæ, quæ sint universa Dei præcepta quæ in evangelica lege jubentur impleri et quæ personæ illæ vovent servare, et qualiter præcepta illa universa ac singula sint intelligenda : præsertim quum personæ tertiæ Regulæ subditæ, sint communiter idiotæ et laicales. Propter quod tanto plus indigent informationibus et exhortationibus sanis, frequentibus atque ferventibus, quanto minus litteras et Scripturas noverint.

Insuper diligenter sunt informandæ quæ sint peccata mortalia (quæ quamvis in generali loquendo sint septem, tamen in speciali sunt multo plura), et qualiter peccata mortalia ac venialia ab invicem distinguantur. Quum enim promittant observare omnia Dei præcepta, patet quod promittunt vitare omnia peccata mortalia, quum peccatum mortale non sit nisi transgressio legis divinæ et cœlestium inobedientia mandatorum, secundum Ambrosium. Oportet igitur ut peccata illa agnoscant, discernant et reprobent, ne ea committant, quum magnum et arduum sit, sic universa Dei præcepta implere et
art. vii. cuncta mortalia vitare peccata, ut dictum
Mich. vi, 8. est. Hinc admonendæ sunt istæ personæ quotidie, assidue ac ardenter, ut coram
Prov. iv, 23. Deo sollicite ambulent, et omni custodia corda sua custodiant, jugiterque perpendant se in Omnipotentis præsentia et adspectu agere et esse, et ubique dicant cum beatissimis prophetis Elia et Eliseo :
III *Reg.* xvii, 1; IV *Reg.* iii, 14. Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. Quod sanctus pater Antonius valde admonuit esse servandum. Et ita imiten-
Ps. cxviii, 168. tur divinum David dicentem Deo : Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo; et rur-
Ps. xviii, 15. sus : Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper; itemque : Oculi mei semper *Ps.* xxiv, 15.
ad Dominum. Hæc consideratio fecit sanctum Job tam timoratum atque sollicitum, quod dicebat : Nonne Deus considerat vias *Job* xxxi, 4.
meas, et omnes gressus meos dinumerat? et denuo : Semper quasi tumentes super *Ibid.* 23.
me fluctus timui Deum. Postremo hortandæ sunt istæ personæ ut studeant illud Deuteronomii implere : Erunt verba Domini in corde tuo, et narrabis ea filiis *Deut.* vi, 6-8.
tuis, et meditaberis ea sedens in domo tua, et ambulans in itinere, et dormiens atque consurgens, eruntque et movebuntur inter oculos tuos.

Ut autem valeant ista implere, oportet ut in exterioribus suis operibus assuescant cor suum frequenter Deo unire orando ac meditando, et loquacitatem, cachinnationem, dissolutionem ac alias levitates ac vanitates vitando.

ARTICULUS X.

De duobus primis principalissimisque mandatis.

QUONIAM inter divina præcepta est ordo, ita quod unum est primum atque dignissimum, prout Christus in Evangelio et Moyses in Deuteronomio protestantur, utputa Deum toto corde, tota mente, tota *Matth.* xxii, 37-39; *Luc.* x, 27; *Deut.* vi, 5.
anima et omnibus viribus diligere, deinde dignius mandatum est diligere proximum sicut se ipsum; idcirco nunc breviter de istis duobus præceptis aliquid est tangendum, quia (ut ait Salvator) in his duobus *Matth.* xxii, 40.
mandatis tota lex pendet et Prophetæ, id est, universa præcepta, documenta atque consilia legis Mosaicæ, imo evangelicæ legis, ac Prophetarum, sed et totius Scripturæ, ordinantur et tendunt ad hoc, quod hæc duo præcepta perfecte atque sinceriter impleantur. Omnia quoque illa virtualiter continentur in his duobus præceptis, et eliciuntur ex istis duobus, ita quod qui ista duo impleverit, implet cetera universa. Propter quod dixit Apostolus : Plenitudo legis est dilectio. Et rur- *Rom.* xiii, 10.

I Tim. I, 5. sus : Finis (inquit) præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Denique, quum caritas sit summa ac principalissima virtus, et ceterarum virtutum via, vita, imperatrix, forma, motrix ac nutrix, sine cujus præsentia nulla virtus est meritoria aut formata ; ideo hæc duo caritatis præcepta merito dicuntur esse præcipua. Et quia dilectio proximorum finaliter ordinatur ad dilectionem Dei, quæ est incomparabiliter præstantior quam dilectio proximi ; ideo præceptum diligendi Deum recte appellatur primum ac principalissimum.

Porro sensus horum duorum præceptorum est iste :

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, id est ex tota et integra voluntate tua ; et ex tota mente tua, id est toto intellectu ; et ex tota anima tua, id est ex toto animali seu sensitivo appetitu ; et ex omnibus viribus tuis, id est etiam ex ceteris tuis potentiis. Verumtamen dilectio Dei in sola voluntate est subjective, realiter atque formaliter ; sed dicitur Deus amari ex toto intellectu appetituque sensitivo et ceteris viribus, in quantum intellectus et appetitus sensitivus ac ceteræ vires reguntur ac regulantur secundum quod exigit caritas Dei, et item in quantum disponunt et cooperantur ad Dei amorem ac ejus profectum.

Præterea, quod Deus jubetur amari ex toto corde totaque mente, etc., adhuc tripliciter potest intelligi. Primo, ut ita diligatur ex toto corde, mente, anima et fortitudine, quod nihil præponatur Deo et ejus amori, imo nec coæquetur ; sed ipse Deus excelsus et gloriosus ametur præ omnibus aliis, et plus quam cetera universa, imo incomparabiliter plus, saltem appretiative, ita quod homo vellet potius propriam vitam et quidquid habet et habere potest, imo et universa creata amittere, quam Deum altissimum et æternum per mortale peccatum offendere ejusque gratiam perdere. Et nisi homo sic stet et taliter intra se sentiat coram Deo, non est vere in caritate et statu salutis. Hinc, secundum Augustinum, minima caritas plus diligit Deum, quam maxima cupiditas mundum : plus (inquam) appretiative, quamvis non intensive. — Secundo, quod dictum est, sic potest intelligi : ut Deus toto corde, mente, anima et fortitudine diligatur, ita ut etiam propter Deum et propter profectum in ejus amore, non solum vitentur illa quæ directe contrariantur divino amori atque præceptis Dei, puta peccata mortalia, sed etiam illa quæ occasionaliter solent impedire amorem Dei et incrementum sanctæ dilectionis, ut sunt temporales divitiæ, voluptas, copulæ carnales, et propriæ voluntatis libertas. Et istud consuluit Christus, et pertinet ad religiosos, qui non solum præcepta, sed evangelica quoque consilia implere nituntur. — Tertio intelligitur sic : ut homo totis corde, mente, anima et fortitudine amet Deum, ita ut incessanter secundum totum et extremum posse suæ voluntatis, intellectus ceterarumque virium, afficiatur ac moveatur in Deum et occupetur in ipso. Et taliter hoc præceptum caritatis Dei non potest in præsenti vita impleri, sed impletur a Beatis in patria. Verumtamen Antisiodorensis in Summa sua sic objicit contra hoc : Aliquis contemplativus ad tempus potest toto corde, tota mente totaque anima moveri, affici et delectari in Deo, et omnes suos actus et motus referre in ipsum : ergo tunc implet illud præceptum. Ad hoc idem doctor respondet, quod talis contemplativus non potest diu manere in tali elevatione ad Deum, quoniam corpus quod corrumpitur, aggravat animam. Sap. IX, 15.

Insuper, quod jubemur proximos diligere sicut nos ipsos, intelligendum est quod debemus omnem hominem viatorem in hoc mundo viventem, tam inimicum quam amicum, tam infidelem quam fidelem, diligere spiritualiter seu spirituali amore in Deo, id est ad hoc ut Deo uniatur ac placeat, et salvetur. Universos ergo et singulos homines tenemur et debemus

diligere, hoc est omnium emendationem, conversionem, profectum et salutem appetere, in quantum sunt Dei creaturæ, ad ejus imaginem similitudinemque productæ, et Christi sanguine liberatæ, atque æternæ salutis capaces. Pro omnibus quoque tenemur orare et caritatis effectum impendere proximis, loco et tempore opportuno. Nemo igitur aliquem odiat : quia qui unum odit, nec Deum nec se ipsum nec aliquem alium vere ac spiritualiter diligit, quum in mortali exsistat peccato.

ARTICULUS XI.

Quod omnis conversatio religiosa sit ab impletione præceptorum caritatis incipienda.

NULLA actio potest esse meritoria ac placita Deo, nisi in quantum ex caritate Dei procedit. Idcirco omnis conversatio bona, et præsertim religiosa, est inchoanda ab impletione hujus præcepti :
Deut. VI, 5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc. Et quoniam bonitas atque dilectio Dei est causa et ratio diligendi proximos, idcirco post dilectionem Dei mox inchoanda est conversatio religiosa a caritate proximorum, quum dicat Salva-
Joann. XIII, 34. tor : Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos ; et rursus :
Ibid. 35. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Et istud præcipue agere debent personæ tertii Ordinis, quæ solenniter profitentur omnia divina præcepta servare.

Hinc S. Hieronymus in exordio suæ Regulæ ait : Quis modus vivendi primo arripiendus sit constitutis in monasterio,
Matth. XIX, 17. Christus docet, dicendo : Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Et quasi quærere-
Ibid. XXII, 37, 39. mus quæ sint illa, adjunxit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, etc., et proximum sicut te ipsum. Hæc caritas sola reddit hominem Deo viventem ; hæc religiosos, hæc monachos facit. Sine caritate monasteria et congregationes sunt tartara, et habitantes in eis sunt dæmo- A nes ; cum hac vero monasteria sunt paradisus in terra, et degentes in eis sunt angeli. Ideoque licet longa macerent jejunia et vestis vilis deformet, longa quoque Officiorum ac operum series impleatur, si intus desit caritas, nondum perventum est ad religionis infimum gradum. Propterea a caritate incipiendum est iter ad apostolicæ apicem vitæ. Adunatis ergo corporaliter in congregatione sit cor unum et anima una in Deo, quemadmodum de Apostolis et de apostolicis legitur viris : Multitudinis cre- *Act.* IV, 32.
B dentium erat cor unum et anima una. Pro certo nulla vita deterior, quam ibi simul degere corpore et non mente ; et vere infelices sunt, quibus non inest una, sed diversa voluntas. Sit itaque vobis omnibus semper unus affectus, una fraternitas, una voluntas, una proportio morum, una spiritualis jucunditas et una tristitia salutaris, ne unde unus gaudet, inde alter tristetur, et ne quod uni placet, displiceat alteri. Sicque habere poteritis religionis propositum, si caritativi et unanimes in C domo Domini habitetis. Hæc Hieronymus.

Denique de hac materia scribit in sua Regula S. Basilius : Si caritas Dei desit nobis, obnoxii erimus inexcusabiliter iræ. Quæ enim poterit esse major ira, aut quæ ultio gravior, quam ut efficiamur alieni a caritate Dei? Quia non solum homines, sed etiam bruta naturaliter amant suos parentes, videte ne videamini pecudibus obtusiores et feris ac belluis immaniores, proprium Creatorem non diligendo, quem summe amare debemus, primo propter in-
D finitam bonitatem ac pulchritudinem ejus, deinde propter maxima et innumerabilia beneficia ipsius, imo et quoniam ipse prior *I Joann.* IV, dilexit nos, et ineffabilem beatitudinem 19. nobis præparavit.

Hinc et B. Augustinus ait in suæ principio Regulæ : Ante omnia, fratres carissimi, diligatur Deus, deinde proximus, quia ista sunt præcepta principaliter nobis data. Hæc igitur observetis, ut unanimes habitetis in domo Domini, et sit vobis anima una et cor unum in Domino, quia propter

A hoc congregati estis in unum. Hæc Augustinus.

Quocirca ait Hugo de S. Victore : Necessaria est nobis virtus concordiæ, quæ ita acquiritur, ut religiosus se spoliet propria voluntate, et studeat imitari Christum dicentem : Non veni facere voluntatem meam ; et iterum : Pater, non sicut ego volo, sed sicut tu. Hoc est enim quod maxime adducit concordiam, si unusquisque non suam sed alterius studeat facere voluntatem in bono. Quod etiam est magnæ humilitatis indicium, et generat obedien- B tiam, caritatem et pacem. Quod si ego volo facere voluntatem meam, et ille suam, oriuntur divisiones, lites et rixæ, de quibus ait Apostolus : Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Verum sunt aliqui in congregatione obstinati in suo sensu, sapientes in oculis suis : qui quod conceperint in animo, defendunt tanquam rationabile ; nec aliis se conformant, sed alios suæ voluntati conantur subjicere, et si viderint sibi non obtemperari, mox indignantur et concitantur ad iram, aliosque C perturbant. Tales solent esse rebelles, et plurimum regnat in eis impatientiæ passio : ideo non sunt ad concordiam apti. Nam, juxta Apostoli vocem, evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Hæc Hugo.

Joann. vi, 38. Matth. xxvi, 39. Galat. v, 21. Rom. i, 21.

Tales ergo de suis perversitatibus erubescant, atque per pœnitentiam resipiscant. Et universæ personæ tertii Ordinis præfata caritatis præcepta studeant adimplere, pacem concordiamque amplecti, et in amore Dei proficere. Quod si quæratur D qualiter possit quis in sancto ac vero Deitatis amore proficere et accendi, dicendum quod oportet eum expurgare cor suum ab omni carnali et immundo amore, deinde bonitatem, excellentiam, perfectionem, pulchritudinem, felicitatem, dulcedinem Dei frequenter considerare, sed et beneficia ejus et promissa, et quod ipse Dominus Deus noster prior dilexit nos. Oportet quoque ut assidue sit memor Dei, ac Deum frequenter exoret quatenus ignem sui amoris dignetur in se accendere, conservare atque perficere.

I Joann. iv, 19.

ARTICULUS XII.

De tribus principalibus consiliis Christi, super quæ fundatur omnis religio.

DOMINUS noster Jesus Christus, virtus et sapientia Dei Patris, optime sciens per quæ homines potissime occasionaliter retrahantur et impediantur a profectu et incremento divini amoris, a processu virtutum, a vera perfectione et ab æterna salute, docuit atque consuluit ut fideles sui talia vitent. Insuper, Dominus Jesus optime sciens per quæ homines expeditius ac compendiosius possint proficere, perfici ac salvari, docuit et consuluit ut fideles sui illa apprehendant ac impleant. Hinc in Evangelio dedit duodecim consilia, per quæ impedimenta profectus ac salutis vitantur, expedientia quoque ad omnem spiritualem processum, perfectionem et beatitudinem, apprehenduntur et exercentur.

I Cor. i, 24.

Porro inter duodecim ista consilia, tria sunt principaliora, secundum quod tria sunt impedimenta interioris profectus atque incrementi divinæ dilectionis. Quorum unum est penitus extra nos, utpute propria temporalium rerum possessio, ex qua oriuntur diversæ occupationes, sollicitudines et implicationes cordis circa terrena, imo et inordinatæ affectiones ad ea : per quas homo impeditur a tranquillitate et stabilitate suæ mentis in Deo, atque a pura et amorosa unione cum eo, a profectu sanctæ caritatis, et a sinceritate contemplationis internæ. Ideo ad removendum hoc impedimentum et hæc prætacta mala ex eo sequentia, Dominus Jesus Christus docuit spontaneam paupertatem, secundum quod ista paupertas est virtus per quam omnia temporalia propter Deum prompte relinquuntur, quatenus spiritualis opulentia gratiæ ac virtutum, maxime perfectio caritatis, facilius acquirantur in via, atque post vitam hanc copiosior beatitudo adipiscatur in patria. Proprie tamen sumitur

hic paupertas ut est beatitudo, de qua ait Salvator : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Istud consilium docuit Filius Dei, dicendo : Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus ; itemque : Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni et sequere me.

Matth. v, 3. *Luc.* xiv, 33. *Matth.* xix, 21.

Secundum impedimentum præfati spiritualis profectus, est partim extra nos et partim conjunctum nobis, videlicet uxor, parentes et cognati, ad quos frequenter habetur amor carnalis et sensualis affectio : per quos spiritualis dilectio et amor divinus præcipue impediuntur, minuuntur, aut penitus exstinguuntur. Maxime autem carnalis concupiscentia et voluptas venerea impediunt mentem a contemplatione et dilectione Dei spiritualiumque bonorum, et ab omni virtutum profectu, a puritate et caritatis fervore, atque a delectatione in rebus divinis, et a gustu dulcedinis Dei. Ideo Christus sapientia Patris contra hoc impedimentum atque contra mala ex eo nascentia docuit et consuluit perpetuam castitatem, prout castitas ista est virtus per quam vitiosa venereorum concupiscentia refrenatur, et ab omni concubitu jugiter abstinetur. Hoc consilium docuit, dicens : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, et uxorem suam atque filios, et fratres suos atque sorores, non potest meus esse discipulus, id est imitator perfectus.

Luc. xiv, 26.

Tertium impedimentum interioris profectus ac sanctæ perfectionis est intra nos, quod est propria voluntas seu voluntatis libertas, ex qua adest homini facultas agendi et loquendi atque omittendi quod ei placet, et pergendi quo vult : ex quibus magna et multa incurrit peccata, et tempus suum non solum infructuose, sed et vitiose expendit, et peccat impune, nec coarctatur a vitiis. Ideo contra hæc mala docuit consuluitque Salvator perfectam obedientiam, prout est virtus per quam homo propter Deum propriam abnegat voluntatem, et suo superiori obedire promittit in his quæ ad suam pertinent religionem, et ex animo obedit eidem. Hoc consilium docuit Dominus, dicens : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.

Luc. ix, 23.

Ex his innotescit, quod religiosi non solum vovent Altissimo exteriorem temporalium rerum relictionem, omnisque carnalis concubitus evitationem, et corporalem exsecutionem eorum quæ eis a suis superioribus jubentur, sed insuper et principaliter vovent spontaneam temporalium abdicationem, seu inordinati affectus ad ea exstirpationem, concupiscentiæ quoque refrenationem, et obedientiam veram ex corde. Et quoties contra horum aliquid egerint, utputa aliquid proprium appetendo, aut concupiscentiæ consentiendo, aut omnino invite jussa implendo, toties contra suam agunt professionem, et peccant gravissime. Ideo ardua est religiosorum professio ; et nisi sollicite se habuerint coram Deo, graviora incidunt vitia in claustro quam inciderunt in hoc sæculo, prout Eusebius Emisenus Cæsariusque episcopus sanctus in suis asserunt Homiliis. — Præterea, inter hæc tria vota dignissimum est obedientiæ votum, quo propria voluntas Deo taliter immolatur : quod est sacrificium acceptissimum Domino majestatis.

Itaque, sicut in secunda secundæ, quæstione centesima octogesima sexta, Thomas declarat, religiosus promittit Deo has tres virtutes, paupertatem, castitatem, obedientiam, et per eas offert Creatori suo quidquid habet in rebus, in corpore et in anima. Hinc religiosi præfigurati fuerunt in veteri Testamento per sacrificium illud dignissimum quod vocatum est holocaustum, quod ad divinæ majestatis honorem totaliter incendebatur et comburebatur, ad præfigurandum quod religiosi debeant igne caritatis vehementer accendi, divinoque cultui totaliter mancipari, et nihil propriæ voluntatis sibi ipsis relinquere, sed juxta superiorum suorum directionem

art. 7.

ac jussionem moveri et agere. Ideo status A religiosorum rite servatus, est ineffabiliter meritorius apud Deum omnipotentem ac justum. Nam quanto plus disponit se homo ad divina charismata, et quanto amplius se applicat Deo, et quanto ferventius ac liberalius se ipsum exhibet, offert et mancipat proprio Creatori, tanto majora gratiarum charismata a Deo sortitur, et tanto Deus se ipsum familiarius applicat conjungitque homini, et eo amorosius ac munificentius se ipsum rependit homini tali et divitias gloriæ suæ communicat ei. B
Job xxxiv, 4. Hinc etenim scriptum est in libro Job : Si direxerit homo ad Deum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet. Et S. Ja-
Jacob. iv, 8. cobus : Appropinquate (ait) Deo, et appropinquabit vobis. Unde et per Zachariam
Zach. i, 3. Dominus loquitur : Convertimini ad me, et convertar ad vos. Ipse etenim bonus et pius Creator cupit et quærit nostram salutem, ac occasionem et dispensationem
Jer. xxx, 21. ad eam. Nam : Quis est iste (inquit) qui applicet cor suum, ut appropinquet mihi?

Postremo, hæc tria, scilicet castitatem, C paupertatem et obedientiam, vovent religiosi contra tria præcipua mala quæ regnant in mundo, de quibus legitur in pri-
I Joann. ii, 16. ma Joannis epistola : Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Siquidem contra concupiscentiam carnis militat et emittitur votum castitatis ; contra concupiscentiam oculorum, votum paupertatis ; contra superbiam vitæ, votum obedientiæ. Et hoc Albertus Magnus et Nicolaus de Gorra plenius super septem D Epistolas canonicas docent.

ARTICULUS XIII.

Quod omnia evangelica Christi consilia ordinantur ac tendunt ad perfectam et expeditam impletionem præcepti caritatis Dei.

Art. vi, xii. SICUT præhabitum est, duplex est via perveniendi ad æternam salutem, videlicet via præceptorum, et via consiliorum. Communiter quoque asseritur, quod via consiliorum sit perfectior quam via præceptorum. Quod verum est loquendo de præceptis secundum quod eorum impletio est necessaria ad salutem. Sed loquendo de præcepto caritatis Dei secundum quod ejus impletio ad supererogationem perfectionemque pertinet, prout articulo decimo est ostensum, sic universa consilia Christi in Evangelio tradita, ad hoc ab eodem sunt data, quatenus per ipsorum observantiam valeamus Deum diligere totis corde, mente, anima et fortitudine, tam perfecte sicut in hac vita exstat possibile. Caritas enim Dei est summa et perfectissima virtus, in cujus actu consistit perfectio nostra. Ideo religiosus debet totam suam conversationem et suæ professionis impletionem cum omni diligentia ad hoc quotidie ordinare, ut per eas crescat, inflammetur et perficiatur in sancto ac præstantissimo Dei amore, et omni die frequenter adspirare debet ad Omnipotentem, et ex corde clamare ad ipsum : O dulcissime Deus, quando te corde toto amabo? quousque a tua sanctissima caritate tam durus et frigidus remanebo? O superbone et desiderabilissime ac superpulcherrime Deus, accende me vilissimum ac negligentissimum peccatorem tua ferventissima dilectione totaliter.

Præterea constat quod mens humana tanto integrius atque ferventius in Deo defigitur, quanto amplius ab omni inordinata aliorum affectione et occupatione immoderata retrahitur : nam et virtus unita fortior est quam dispersa. Ideo sancti Patres instituerunt diversas religiones ac regulas, in quibus omnibus tria vota præfata promittuntur Altissimo, quatenus mentes religiosorum tanto stabilius, purius ac ferventius eleventur et quiescant in Deo, quanto minus indigent occupari, sollicitari et affici circa terrenas divitias, et uxorem et sobolem, et circa propriæ vitæ directionem.

Denique constat quod parum aut nihil prosit ad prætactam perfectionem obtinen-

dam exteriora relinquere, et conjugem non habere, seu voluntatem propriam abnegare, nisi inordinatæ et pravæ affectiones circa terrena, ut concupiscentiæ sensuales, propriæ quoque voluntatis improbæ inclinationes atque immansiones proprii sensus, cum debita diligentia et conatu refrenentur, exstirpentur et mortificentur : imo sæpe plus obest, quum dicat Apostolus, Melius est nubere quam uri, id est concupiscentiis æstuare. Ideo religiosi qui circa interiorum suorum reformationem intenti non sunt, nec pravas affectiones ad commoda carnis funditus eradicant, nec suas discunt frangere passiones, animositates ac improbas voluntates, nil prorsus proficiunt, nec satisfaciunt suis votis : imo multo periculosius stant vel potius jacent quam homines sæculares, graviusque damnantur quam illi.

I Cor. VII, 9.

Hæc circa professionem tertiæ Regulæ dicta sint. Nunc prosequenda est expositio Regulæ.

TEXTUS REGULÆ

Fratres insuper ipsius Fraternitatis de humili panno in pretio, et colore non prorsus albo vel nigro, communiter vestiantur, nisi fuerit ad tempus in pretio per Visitatores, de consilio ministrorum, ob causam legitimam et apertam, cum aliquo dispensatum. Chlamydes quoque et pelles absque scollatura scissas, vel integras, affibulatas tamen, non patulas, ut congruit honestati, clausasque manicas Fratres habeant supra dicti. Sorores etiam chlamyde induantur et tunica de hujusmodi humili panno factis ; vel saltem cum chlamyde habeant guarnellum seu placentinum coloris albi vel nigri, aut paludellum amplum de canabo sive lino, absque ulla crispatura consutum. Circa humilitatem vero panni et pellitiones Sororum ipsarum, juxta conditionem cujuslibet earumdem ac loci consuetudinem poterit dispensari. Bindis et ligaturis sericis non utantur. Pelles dumtaxat agninas, bursas de corio, et corrigias simpliciter absque serico ullo factas, et non alias, tam Fratres habeant quam Sorores, depositis ceteris (juxta B. Petri Apostolorum principis salubre consilium) vanis hujus sæculi ornamentis. — Sit eis ad inhonesta convivia vel spectacula sive curias seu choreas accessus penitus interdictus. Histrionibus seu vanitatis intuitu nihil donent, et ne quidquam illis a propria donetur familia prohibere procurent.

ARTICULUS XIV.

De forma et materia ac qualitate vestium personarum tertii Ordinis, et quod inhonesta convivia, spectacula et choreas vitare debent.

FRATRES insuper ipsius Fraternitatis, id est Ordinis hujus, *de humili panno in pretio, et colore non prorsus albo vel nigro,* utpote griseo, *communiter vestiantur, nisi fuerit ad tempus in pretio per Visitatores, de consilio ministrorum, ob causam legitimam et apertam, cum aliquo dispensatum.* Oportet namque interdum a rigore et observantia generalis statuti seu legis recedere propter rationabilem causam, et ita relaxare rigorem in casu particulari, quando sic expedit. Et quoniam tertia Regula primo est instituta

pro sæcularibus et conjugatis, poteratque A accidere quod excellentes personæ Regulam illam assumpserint, idcirco cum talibus fuit rationabiliter dispensandum, ut panno aliquantulum pretiosiori propter status sui decentiam uterentur.

Hic autem non dicitur quod dispensandum sit in panni colore : ideo contra statutum viderentur hoc facere Fratres de tertio Ordine qui generaliter nigro panno uterentur. Et quamvis hic diceretur quod dispensandum esset in colore sicut in pretio panni, ex hoc tamen non sequeretur B quod passim ac generaliter possent nigris vestibus indui : quia hic dicitur quod dispensari potest cum aliquo propter « causam legitimam et apertam », id est justam et evidentem. Non est autem justa et evidens causa, ut universaliter fiat dispensatio talis in colore panni cum omnibus Fratribus tertii Ordinis : imo ad majorem spectat humilitatem, exemplaritatem et congruentiam status ipsorum ut griseo utantur quam nigro colore, præsertim quia eorum Regula sic continet ac præfigit. C Porro mater et causa veræ dispensationis, est urgens necessitas evidensve utilitas, ut summi pontifices Leo atque Gelasius protestantur : ad quod in Decreto multæ inducuntur auctoritates. Et dum aliter dispensatur, non est vera dispensatio, sed crudelis dissipatio, ut sanctus fatetur Bernardus.

Sequitur de figura vestitus eorum : *Chlamydes quoque et pelles absque scollatura scissas,* id est ante apertas, *vel integras, affibulatas tamen,* id est cum fibula junctas, *non patulas* ad latera, *ut congruit* D *honestati, clausasque manicas,* id est non habentes foramina seu aperturas, nisi ad induendum atque extendendum manus a parte anteriori, *Fratres habeant supra dicti.* Denique, habitus sic formatus multum congruebat eorum vocationi et statui, præsertim antequam tria vota fecerunt. Nam sicut ille eorum status fuit quodammodo medius inter statum omnino sæcularem et inter statum religiosum, ita et figura illius habitus velut media fuit inter formam vestitus sæcularium hominum et figuram habitus omnino religiosorum ; eratque decens et humilis : unusquisque autem vestiri debet secundum exigentiam atque decentiam sui status et suæ vocationis, ut ait S. Basilius.

Porro, quod quidam Fratres de tertia Regula gerunt ad sua capitia epomidas breves inferius semicirculatas, instar quorumdam doctorum, videtur abusio, nec congruit humilitati status eorum ac simplicitati ipsorum.

Sorores etiam chlamyde induantur et tunica de hujusmodi humili panno (videlicet griseo) *factis ; vel saltem cum chlamyde habeant guarnellum seu placentinum coloris albi vel nigri, aut paludellum amplum de canabo sive lino, absque ulla crispatura consutum.* Eisdem rationibus habitus iste competebat Sororibus propter quas rationes præscriptus habitus Fratribus congruebat. *Circa humilitatem vero panni et pellitiones Sororum ipsarum, juxta conditionem cujuslibet earumdem ac loci consuetudinem poterit dispensari* per eos qui cum pretio panni Fratrum poterant dispensare, et per modum prædictum, videlicet ob causam legitimam et apertam. Cum feminis autem, præsertim nobilibus et maritatis, fuerat dispensandum in his, ne propter vestitus humilitatem ac singularitatem despicerentur a suis maritis, et sic ipsarum mariti ad illegitimos laberentur amplexus.

Bindis (id est zonis) *et ligaturis sericis non utantur* Sorores, quoniam talia ad mundanum spectant ornatum, et ad lasciviam provocant, nec pœnitentium congruunt Ordini. *Pelles dumtaxat agninas, bursas de corio, et corrigias simpliciter absque serico ullo factas, et non alias, tam Fratres habeant quam Sorores,* quia hæc omnia ad humilitatem simplicitatemque pertinent, et ædificatoria sunt, atque potissime congruunt his qui in pœnitentium Regula ac Ordine sunt constituti. Istud tamen dictum est in generali, quando personæ tertiæ Regulæ nondum fecerunt vo-

tum paupertatis. Nunc vero professis hoc A votum non licet seu congruit bursam portare, nisi ratione officii pro aliqua publica administratione, vel nisi in itinere longo sint positi, aut propter similem rationabilem causam, per quam a proprietatis vitio penitus excusentur. *Depositis,* id est abjectis seu relictis, *ceteris (juxta B. Petri Apostolorum principis salubre consilium) vanis hujus sæculi ornamentis.* Ait quippe beatissimus princeps apostolici chori
I Petr.III,3. in prima sua Canonica : Mulierum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio B auri, aut indumenti vestimentorum cultus. Istud autem S. Petri statutum non solum est exhortatio simplex ac consultatio proprie dicta, sed et præceptum, secundum expositores. Nam et S. Cyprianus martyr, doctor ac præsul, scribit super hæc verba : Quis illud non exsecretur et fugiat, quod aliis sit exitio? Quis id appetat et assumat, quod ad necem alterius exstet pro
I Tim.II,9. gladio? Hinc quoque B. Paulus ait : Mulieres ornent se non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretio- C sa. Nempe, ut sancti patres Hieronymus ac Chrysostomus attestantur, vir aut mulier ornate se vestiens, et suo ornatu mulierum aut virorum adspectum in se provocans, quamvis nullum malum inde sequatur, tamen æternum supplicium patietur, quia venenum exhibuit, si fuisset qui biberet. Idcirco, quum dictum est, « juxta B. Petri salubre consilium », sumitur consilium prout extendit se ad præceptum. Si ergo hæc vana ornamenta etiam sæcularibus matronis ac puellis prohibita sunt, quanto D magis personis femineis tertii Ordinis, imo et Fratribus Regulæ hujus?

Sit eis, scilicet Fratribus ac Sororibus tertii Ordinis, *ad inhonesta convivia vel spectacula sive curias seu choreas accessus penitus interdictus,* id est, nulli personæ de tertio Ordine liceat interesse inhonestis conviviis, spectaculis, curiis aut choreis. Nam omnia ista specialiter interdicuntur his qui in pœnitentia sunt constituti, prout Bonaventura et alii super quartum Sententiarum declarant. « Inhonesta » vero « convivia » sunt comessationes gulosæ et lubricæ, præsertim in domibus suspectorum, aut cum personis infamibus. Convivia autem, spectacula, torneamenta, hastiludia, curiæ et choreæ compunctionem exstinguunt, contritionem impediunt, ad loquacitatem, dissolutionem, lasciviam, cachinnos, jocos ac similes vanitates inducunt, et frequenter inducunt hominem ad communicandum peccatis alienis : idcirco nullatenus congruunt personis Regulæ de pœnitentia; sed et multo plus exstant illicita personis tertii Ordinis quæ et tria vota professæ sunt. dist. XVI.

Histrionibus seu vanitatis intuitu nihil donent, et ne quidquam illis a propria donetur familia prohibere procurent, id est, histrionibus, joculatoribus, mimis et consimilibus vanis hominibus nihil dent nec a sua familia dari permittant propter illorum gestus et actus illicitos, impudicos et dissolutos : quia hoc esset illos fovere in vitiis, et participare eis in crimine. Verumtamen propter causas honestas posset aliquid eis licite dari, ut si in grandi necessitate consisterent, vel causa alliciendi ipsos ad meliora.

Verumtamen Thomas scribit in secunda secundæ, quæstione centesima sexagesima octava : Officium histrionum non est se- art. 3 ad 3um.
cundum se illicitum, nec peccant hominibus ludum exhibendo, dummodo tria illa observent quæ in ludis licitis sunt servanda : quorum primum et maximum est, ne ludus exhibeatur per verba aut facta turpia aut nociva; secundum est, ne gravitas animæ per ludum penitus dissolvatur; tertium est, ut conveniat loco, tempori ac personæ, et cum debitis circumstantiis fiat. Quod si histriones observaverint ista, non peccant qui eis præstant mercedem. Hæc Thomas. — Verumtamen, quoniam histriones ista raro observant, tutius est eos vitare : nam et ab omni specie mali I Thess.V,22.
est præcavendum. Idcirco sancti doctores Basilius et Chrysostomus dicunt eos esse vitandos, sicut et dominus Papa hoc loco.

Postremo, præinductis de figura et qualitate habitus personarum de tertia Regula, non repugnat quod nunc communiter Fratres ejusdem Regulæ in Leodiensi diœcesi commorantes, gerunt capitia ad modum parvæ cucullæ supra mantellum cum scapulari : quia nec Regula istud excludit ; et dominus Papa istud concedere potuit, habuitque ad hoc concedendum certa motiva ; et quoniam Fratres præfata tria vota nunc profitentur. Et quamvis Regula istud exclusisset ac prohibuisset, nihilo minus Pontifex summus de plenitudine potestatis poterat concessionem hanc circa formationem capitii indulgere, quum par in parem non habeat potestatem : unde Papa præcedens manum sui successoris nequit ligare. Denique Cassianus primo libro de Institutis Patrum, describens habitum monachorum Ægypti aliorumque regionum, inter cetera refert, quod utebantur cucullis : et tamen monachi illi pro maxima parte erant illitterati et idiotæ, necessaria victui procurantes manuum suarum laboribus, quemadmodum et nunc Fratres isti de tertia Regula faciunt. Hæc tango ne quis incaute loquatur aut temere judicet de habitu isto.

ARTICULUS XV.

Confirmatio prædictorum, et qualiter religiosæ personæ se debent habere in vestitu.

PRÆDICTIS de humilitate et vilitate vestitus personarum tertiæ Regulæ, consonat quod sanctissimus vir Franciscus in Regula sua prima et principali instituit : Omnes (inquiens) Fratres vilibus indumentis induantur, et possint ea repeciare de saccis et aliis peciis.

Præterea S. Augustinus ait in Regula sua : Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus.

In Regula vero S. Basilii quæritur : Quali affectu oportet accipere vestimentum vel calceamentum, qualecumque fuerit? Ad quod respondet Basilius : Si vestimentum aut calceamentum quod datur Fratri, fuerit nimis breve aut grande ad mensuram staturæ suæ, hoc Frater indicare debet superiori aut dispensatori, sed cum omni reverentia et mansuetudine. Si vero Frater irascatur aut indignetur eo quod indumentum sibi datum sit vile et abjectum nec novum, attendat quod ait Salvator : Dignus est (non quicumque, sed) *Luc.* x, 7.
operarius mercede sua. Discutiat ergo se ipsum, si digne operetur opera Dei et impleverit omnia quæ præcepta sunt ei ; et tunc aliud non requiret, sed de eo ipso quod accepit erit sollicitus, timens quod supra meritum suum acceperit illud. — Rursus in eadem quæritur Regula : Si quis pretiosas vestes abjiciat, ipsis autem indumentis vilioribus aut calceamentis ita composite utatur, ut studeat decorem aliquem inde capere, an peccat? Ad hoc respondet magnus Basilius : Qui vult per decorem habitus placere hominibus, manifestum est eum laborare ægritudine hujus ipsius vitii quod est hominibus velle placere ; et certum est mentem ejus a Deo longius evagari. Imo et hoc ipsum est vitium quod est perperam agere, dum quis utitur indumentis aut calceamentis non causa necessitudinis, sed decoris. Nam quidquid fit non pro necessariis usibus, sed causa ornatus vel appetitu alicujus decoris, hoc est perperam agere.

Præterea, feminæ etiam clausæ solent specialiter aliquam curiositatem, superfluitatem et decorem in vestibus affectare. Propter quod in Regula sua ait Hieronymus : Imperfectissimus mulierum affectus semper in vestimentis et ornamentis extrinsecis gloriam quærit. Non sufficit eis innata libido naturæ, sed quærunt occasionem lasciviæ. Quid, o misera, gloriaris atque extolleris in pulchritudine panni? Nonne omnis caro est cinis et fœnum, et *Is.* XL, 6.
(ut verius dicam) massa putredinis, cibus vermium et fœtidissimum stercus? O si te velles intueri, o vilissima, quantum verecundareris in immunditiis et fœtoribus

corporis tui, quod tam inaniter ornas! Propterea vos, o carissimæ, quæ estis sponsæ ac filiæ Regis æterni, adsistite Sponso in vestitu interiori, deaurato auro caritatis, in fimbriis aureis, id est caritatis præceptis; sit undique vestis circumdata varietatibus, ut jam nihil de virtutibus desit ornatui mentis vestræ. Quod si vos exteriorum vestium delectat ambitio, vel si egressæ de sæculi pompa, extollitis vos de dignitate parentum, de prosapia carnis, aut de similibus vanitatibus caducissimis, protinus Rex cœlestis expellet vos, atque peribitis. Si futuri judicii rigorem et æterna tormenta recte consideraveritis, delectabit vos abjectio vestium, cujus tædet mulierculas fatuas. Tunc rusticanus et abjectus pannus præponetur bysso et purpuræ; tunc grossa et rudia velamina capitis existimabuntur ex sericis. Histrionibus ac lusoribus regum et principum relinquenda sunt mollia mundi. Pudeat nomen religionis habere, et se cultu vestium histrionem ostendere. Volo ergo vos mortuas esse mundo, et tam deformi et incomposita veste indui, quod si quis impudicus vos cerneret, magis moveretur ad risum quam ad concupiscentiam malam. Ideo pannus vester sit vilis et grossus. Hæc Hieronymus.

Ps. XLIV, 10, 14, 15.

A

Itaque juxta hæc documenta Sanctorum, ministri et rectores sive rectrices personarum tertii Ordinis solliciti sint se ipsos exhibere exemplares Fratribus atque Sororibus sibi commissis, non recedendo a simplicitate et humilitate suæ Regulæ in vestitu. Idcirco nec griseo mixto subobscuro propinquante ad nigrum utantur.

B

TEXTUS REGULÆ

Ab esu autem carnium, secunda, quarta et sexta feria dieque sabbati abstineant universi, nisi aliud infirmitatis vel debilitatis instantia suaderet. Minutis vero per triduum carnes dentur, nec subtrahantur in itinere constitutis. Sit quoque ipsarum comestio licita singulis, quum solennitatem præcipuam intervenire contigerit in qua ceteri Christiani ab antiquo epulis carneis vesci solent. Aliis autem diebus in quibus jejunium non servatur, ova et caseus non negentur. Sed cum religiosis ceteris in eorum conventualibus domibus licite sumere valeant de appositis ab eisdem. Sintque prandii cœnæque refectione contenti, exceptis languidis et viatoribus ac infirmis. Sit sanis cibus moderatus et potus, quum textus evangelicus habeat : Attendite ne corda vestra crapula et ebrietate graventur. Prandium autem vel cœna non nisi præmissa semel dominica Oratione sumatur, post sumptionem cuilibet cum Deo gratias iteranda : quod si omitti contigerit, dicatur tribus vicibus Pater noster.

ARTICULUS XVI.

De refectione, abstinentiis atque jejuniis personarum tertii Ordinis.

Ab esu autem carnium, secunda, quarta et sexta feria dieque sabbati abstineant universi, nisi aliud infirmitatis vel debilitatis instantia suaderet. Generale est Christianis abstinere a carnibus feria sexta, quia in ea pro nobis crucifixus est Christus; et sabbato, quia tunc requievit in monumento, et vehementissimus mœror de Christi occisione oppressit beatissimam virginem Mariam et primos Christi discipulos atque discipulas. Ideo his

C

duobus diebus a delicatioribus cibis universi abstinent Christiani, ut Domino suo et primitivæ ejus Ecclesiæ compati videantur, et membra suo capiti aliqualiter conformentur. Porro feria quarta multi fideles regulam nullam professi a carnibus abstinent, quia in die illo Filius Dei pro nobis est venditus. Sed secunda feria ab esu carnium abstinere multis competit religiosis, quia et feria illa a sanctis Patribus est pœnitentiæ deputata. Nam et in Matthæo legitur Christus illa feria esurisse. Unde et quidam religiosi qui nunquam comedunt carnes, abstinentius vivunt feria secunda quam tertia. Quamvis autem « instantia » seu vehementia « infirmitatis vel debilitatis » satis faciliter possit inducere ad concedendum licentiam personis tertiæ Regulæ quod comedant carnes feria secunda aut quarta, nisi aliunde impedimentum occurreret, puta præceptum Ecclesiæ propter aliquod magnum profestum; non tamen ita faciliter daretur licentia comedendi carnes sexta feria aut sabbato.

Matth. XXI,

Minutis vero per triduum carnes dentur, videlicet primo die minutionis et duobus diebus statim sequentibus, nisi ex præcepto Ecclesiæ esset aliquo illorum dierum a carnibus abstinendum; *nec subtrahantur in itinere constitutis* feria secunda aut quarta, propter laborem itineris. *Sit quoque ipsarum* carnium *comestio licita singulis* personis tertii Ordinis, *quum solennitatem præcipuam intervenire contigerit in qua ceteri Christiani ab antiquo epulis carneis vesci solent.* Hinc licet eis comedere carnes in quocumque die evenerit solennitas Nativitatis Christi, et feria secunda ac quarta solennitatis paschalis, secunda quoque feria solennitatis Pentecostes.

Aliis autem diebus in quibus jejunium non servatur, ova et caseus non negentur, id est, lacticiniis vesci possunt, nisi occurrat jejunium in quo propter præceptum Ecclesiæ a lacticiniis abstinetur, vel in quo personæ istæ jejunare jubentur : quæ omni sexta feria jejunare habent, ut sequenti habetur capitulo.

Sed cum religiosis ceteris in eorum (utpote ceterorum) *conventualibus domibus licite sumere valeant de appositis* cibis et potibus *ab eisdem,* videlicet ceteris religiosis, ita tamen quod contra præceptum Ecclesiæ nihil agatur.

Sintque prandii cœnæque refectione contenti, exceptis languidis et viatoribus ac infirmis, et etiam operariis seu laboratoribus in domibus aliorum laborantibus, ut inferius habetur. Denique languidi appellantur, qui diuturna et gravi infirmitate laborant; infirmi autem, qui minori aut breviori, vel ex capitis aut naturalis dispositionis debilitate indigent frequentiori refectione.

Sit sanis cibus moderatus et potus, quum textus evangelicus habeat : Attendite ne corda vestra crapula ex abundantia alimentorum *et ebrietate graventur.* *Luc.* XXI, 34.
Ista quippe sunt verba Christi : ideo istud pertinet ad omnem Christianum. Quum enim evangelica lex sit maxime spiritualis, perfecta atque divina, idcirco ad universos spectat Christifideles, carnalia vitia, scilicet gulam, luxuriam, maxime devitare. Propter quod S. Benedictus ait in Regula sua : Removeatur præ omnibus crapula, ut nunquam religioso subripiat (id est contingat) indigeries, quia nihil sic contrarium est omni Christiano ut crapula.

Prandium autem vel cœna non nisi præmissa semel dominica Oratione sumatur. Verumtamen personæ Ordinis hujus litteratæ et quæ vota tria emittunt, plus dicunt pro mensæ benedictione et gratiarum actione : imo nullus Christianus manducare deberet, quin ad minus diceret Orationem dominicam ante refectionem et iterum post eamdem. De hac quoque materia plenius dicetur in sequenti capitulo.

TEXTUS REGULÆ

Qualibet vero sexta feria totius anni jejunium celebrent, nisi forte infirmitate aut alia causa legitima excusentur, vel nisi festum Natalis Domini feria ipsa occurreret observandum. Sed a festo Omnium Sanctorum usque ad Pascha, quarta et sexta feria jejunabunt, alia quæ ab Ecclesia sunt statuta vel ordinariis ex causa communiter indicta jejunia nihilo minus servaturi. In Quadragesima vero B. Martini usque ad diem Natalis Domini, et a dominica Quinquagesimæ usque ad Pascha, diebus singulis, exceptis dominicis, jejunare procurent, nisi aliud fortassis infirmitas vel necessitas alia suaderet. Sorores gravidæ, usque ad suæ purificationis diem ab exercitatione qualibet corporali, orationibus dumtaxat exceptis, poterunt, si voluerint, abstinere. Laborantes autem, propter fatigationis afficientis instantiam, a dominicæ Resurrectionis festo usque ad festivitatem B. Francisci prædicti, ter in die qua exercitio laboris incumbent, licite sumere cibum possunt. Quum vero illos contigerit aliorum imminere laboribus, de cunctis appositis die qualibet sumere licebit eisdem, nisi sexta feria vel dies sit alia in qua generaliter ab Ecclesia jejunium noscitur institutum.

ARTICULUS XVII.

De jejuniis eorum magis in speciali.

Q*UALIBET vero sexta feria totius anni jejunium celebrent,* id est, devote et reverenter observent, ob causam in præcedenti articulo tactam, *nisi forte infirmitate aut alia causa legitima excusentur.* Circa hoc quæri posset, an propter itinerationem aut laborem manualem valeant excusari a tali jejunio. Ad quod dicendum videtur, quod jejunium illud non est ex levi causa solvendum. Ideo, si itineratio aut laboratio potest differri aut minorari sine notabili detrimento aut damno spiritualis aut corporalis salutis aut commoditatis, non debet persona tertii Ordinis jejunium frangere feria sexta propter iter aut opus. Si autem necesse sit multum itinerare aut graviter laborare, ita quod simul non possit convenienter observari jejunium, poterit solvi. Quocirca expedit ad superiorem pro consilio et dispensatione recurrere. Et qui in tali die non pot- A est una comestione esse contentus, studeat saltem, si quiverit, bina refectione contentari, ne nimis recedat a legis tenore ac statuti rigore. Omissionem quoque jejunii recompensent per opera alia pietatis aut latriæ, præsertim per orationes abundantiores, et per ampliorem cordis humiliationem.

Sed a festo Omnium Sanctorum exclusive *usque ad Pascha, quarta et sexta feria jejunabunt, alia quæ ab Ecclesia sunt statuta vel* ab *ordinariis ex causa* B *communiter indicta jejunia nihilo minus servaturi,* id est, simul cum jejuniis feriæ quartæ ac sextæ servabunt jejunium vel jejunia quæ illis temporibus præceperunt observari summi Pontifices vel generalia concilia, aut episcopi in diœcesibus suis.

In Quadragesima vero B. Martini, quæ scilicet incipit a festo S. Martini, *usque ad diem Natalis Domini, et a dominica Quinquagesimæ usque ad Pascha, diebus singulis, exceptis dominicis,* in quibus C nunquam est jejunandum, propter solenni-

tatem et gloriam dominicæ resurrectionis, A *jejunare procurent,* id est, se ipsos ad jejunandum prudenter applicent, *nisi aliud fortassis infirmitas vel necessitas alia suaderet.* Infirmis enim non est lex posita qua adstringantur ad ea quæ pro sanis sunt instituta. Necessitas quoque (ut fertur) legem non habet.

His similia sunt quæ S. Franciscus instituit de jejuniis in prima et principali Regula sua. In quibusdam tamen differunt, ut patet legenti Regulam illam.

Sorores gravidæ, usque ad suæ purifi- B *cationis diem ab exercitatione qualibet corporali,* videlicet a jejuniis abstinentiisque præfatis, et consimilibus arduis pœnitentiæ actibus, *orationibus dumtaxat ex-*
[...]c. xviii, *ceptis,* quia semper orandum est, *poterunt, si voluerint, abstinere,* quoniam toto tempore illo specialibus egent confortamentis. Et ex isto clarissime patet, quod Regula ista primo fuerit pro sæcularibus conjugatis instituta.

Laborantes autem, propter fatigationis afficientis (id est affligentis) *instantiam,* C id est vehementiam, *a dominicæ Resurrectionis festo usque ad festivitatem B. Francisci prædicti, ter in die qua exercitio laboris incumbent, licite sumere cibum possunt.* Tunc enim, quia longiores sunt dies, propter confortationem naturæ rationabilius hoc ipsum permittitur. *Quum vero illos contigerit aliorum imminere laboribus,* id est in aliorum domibus aut sumptibus laborare, *de cunctis* cibis *appositis die qualibet sumere licebit eisdem* personis tertii Ordinis, *nisi sexta feria* D *vel dies sit alia in qua generaliter ab Ecclesia jejunium noscitur institutum,* quia illis diebus semel dumtaxat reficiuntur, et jejunalibus cibis solum vescuntur. Verum circa usum et esum ovorum et lacticiniorum in diebus jejuniorum diversi diversimode se habent.

Nunc de fructuositate et multiplici utilitate atque discretione jejuniorum et abstinentiarum aliquid breviter est tangendum.

Itaque, sicut sancti patres nostri Cassianus et Climacus contestantur, fundamentum totius spiritualis profectus ac monasticæ conversationis et exordium veræ perfectionis est abstinentia, id est parsimonia in cibo et potu, et castigatio corporis per sacra jejunia : in quibus nisi se homo, præsertim religiosus, exerceat, nequaquam digne proficiet, nec unquam ad virtutum perfectionem pertinget. Ideo omnes sancti Patres qui religiones instituerunt, rigorosa et ardua dederunt mandata de abstinentiis jejuniisque servandis.

Ait namque gloriosus Hieronymus in Regula sua : Præparentur cibaria quibus corpora refocillentur ad portandum pœnitentiæ jugum. Dum vos hora refectionis adunaverit ad reficiendum, in cibis vestris nequaquam appareat coquorum industria ; non ciborum nobilitas moveat appetitum, sed fames ; non apponantur incentiva libidinum, sed quæ exstinguere queant esuriem, utputa olera sive legumina. Ova et lacticinia debilitatis personis ex jejunio, et post jejunia et in festis præcipuis permittantur ex gratia. Raro gustentur quæ in aquis vivunt, nisi parvi pisciculi. Horridum scelus gulæ, quod gignit luxuriam et perimit castitatem, cum Dei famulis et ancillis nullam habeat sortem. Ideo in sumptione cibi et potus sit tanta sobrietas talisque parcitas, ut venter potius conqueratur quam gaudeat. Non opus sit cingulum relaxare, quatenus et sic mens a divinis meditationibus minime retardetur, et corpus non egeat medicinis. Ipsa quoque comestio sit faceta, ne quis de ingluvie possit notari. Magis reprehendendus est turpis modus in comedendo, quam cibus : imo sæpe in fabis et hordeaceis panibus nimia aviditas causat grande peccatum. Vagabundi oculi nequaquam discurrant per mensam, neque observent edentes. Vinum, in quo est luxuria, sponsis ancillis- Ephes. v,
que Christi tanquam venenum suspectum 18.
sit. Sacrilegium reputatur in femina, præsertim in Dei sponsa, omnis ebrietas. Ignem portat in gremio, qui utitur vino

assiduo. Ventris ingluvies atque ebrietas causam atque materiam infirmitatis tribuunt corpori et animæ. Medicinale vero jejunium omnem aufert languorem, et omnem confert virtutem et gratiam. Verumtamen moderatum exsistat jejunium : non causet iram, ut scandalum sit aliis ; non capitis dolorem aut corporis debilitatem, ne orationes deficiant. Si caro fuerit rebellis spiritui, castigetur jejuniis, et in cella verberibus, quousque fiat prompte obediens. Hæc Hieronymus.

Insuper, S. Basilius in Regula sua disseruit : Juventutis tumor et fervor ætatis quasi freno quodam restringi ac reprimi per continentiam debent. Abstinentiam dicimus, dum refugimus suavia alimenta, et sumimus ea quæ sola corporis necessitas poscit. Ideo mensura abstinentiæ est secundum quod ætas aut labor aut robur vel infirmitas exigit. Hæc vero consideratio communis sit omnibus, ut usque ad satietatem non comedamus. Repleri enim ventrem et gravari ex cibo et potu, valde inutile est etiam corpori, quia inde gravatur in somnum et sæpe infirmatur. Nec in fine refectionis suavia sunt sumenda. Si enim quærimus voluptatem, ventrem facimus deum. Hinc quæ facilius et vilius comparantur, pro refectione debemus accipere. Hæc Basilius.

Cujus institutioni consonat quod in Regula sua sanctus loquitur Benedictus : Sufficere credimus ad quotidianam refectionem duo pulmenta, ut qui forte ex uno non potuerit edere, reficiatur ex altero. Et si fuerint inde poma aut legumina, addatur et tertium. Hoc tamen præcaveatur, ne unquam subrepat satietas sive ebrietas.

Hinc et Augustinus in Regula sua effatur : Carnem vestram domate jejuniis et abstinentiis cibi et potus, quantum valetudo permittit. Circa quod loquitur Hugo :
Galat. v, 17. Caro concupiscit adversus spiritum ; sed ne prævaleat, per jejunium et abstinentiam est domanda (quia quando caro domatur, spiritus roboratur), tamen cum discretione : bona enim pereunt, nisi cum discretione agantur. Qui carnem suam supra modum affligit, civem suum occidit ; et qui eam plus quam oportet alimentis reficit, hostem nutrit. Sic ergo est nutrienda, ut serviat rationi obediendo ; sic domanda, ut non superbiat rebellando. Hoc in abstinentia est jugiter attendendum, ut vitia exstinguantur, non caro.

Sed, heu, heu ! in isto jam omnes deficimus vehementer, atque a sanctorum Patrum salutari rigore ultra modum recessimus. Ideo comparatione illorum humiliemus nos vehementer, et vitam nostram non reputemus esse alicujus momenti. Imo nomine religiosorum arbitremur nos prorsus indignos, et cum timore Dei et compunctione accipiamus cibum et potum, conantes Patrum nostrorum vestigia saltem aliqualiter imitari. Nec putemus nos habere causam sufficientem recedendi a prætacto Patrum rigore ita extreme. Quantum enim revera possit sufferre humana natura, experientia docet in abstinentiis quas incarcerati patiuntur coacte, et quas aliqui faciunt pro corporis sanitate. Profecto, si homines suas probarent vires, invenirent se plus posse quam credunt. Multi probant suas vires lapidem projiciendo, luctando ; sed in his quæ sunt Dei et suæ salutis, vires suas probare recusant. Hinc sanctus ait Bernardus : Ignosce, Domine, ignosce ; dissimulamus, tergiversamur, et in iis quæ pertinent ad te, vix est qui velit experiri quid possit. Paulus ait, Omnia possum in eo qui *Philipp.* iv, 13.
me confortat ; et diffidimus nos pauca posse. Procul dubio possumus multa, sed nolumus.

Insuper valde pensandum ac formidandum est cunctis religiosis quod in Summa sua asserit Antisiodorensis : Tenuitas (inquit) victus et vestitus ita est de essentia religionis propter votum paupertatis, quod super eam non cadit dispensatio.

TEXTUS REGULÆ

Singuli autem Fratrum et Sororum ter in anno, videlicet in Natalis Domini, Resurrectionis ipsius et Pentecostes festivitatibus, peccata propria confiteri et Eucharistiam devote suscipere non postponant, reconciliando se proximis, et restituendo etiam aliena. — Impugnationis arma secum Fratres non deferant, nisi pro defensione Romanæ Ecclesiæ, christianæ fidei, vel etiam terræ ipsorum, aut de suorum licentia ministrorum.

ARTICULUS XVIII.

De confessione et communione Fratrum, et de armis non ferendis.

S*INGULI autem Fratrum et Sororum* tertii Ordinis *ter in anno, videlicet in Natalis Domini, Resurrectionis ipsius et Pentecostes festivitatibus, peccata propria confiteri et Eucharistiam devote suscipere non postponant, reconciliando se proximis,* si aliquibus forefecerunt, veniam ab eisdem petendo et satisfaciendo, *et restituendo etiam aliena,* si alicui sua abstulerunt, aut injusta possident bona. Istud pro sæcularibus personis tertii Ordinis est statutum. Nunc vero, qui tria vota emittunt, multo frequentius confiteri, frequentius quoque debent communicare.

Itaque ministri ac sacerdotes et rectores personarum tertiæ Regulæ sapienter, ardenter ac sæpe instruant Fratres et Sorores sibi commissos, qualis debeat esse confessio, et quam distincte et particulariter ac circumstantionaliter debeant sua confiteri peccata, ex grandi contritione et casto ac sapientiali pudore. Nec solum peccata commissionis, sed item omissionis : quia, ut asserit S. Thomas super Job, homo quotidie plus peccat omittendo opera bona quæ facere obligatur aut posset, quam mala committendo. Deberemus namque totum tempus vitæ nostræ fructuose expendere. Confiteri etiam præcipue debent, quod divinum Officium et obsequium
A quotidie tam indevote, tam irreverenter et negligenter persolvunt, quod in orationibus et meditationibus suis ita distracti et frigidi sunt, et quod juxta exigentiam seu condecentiam suæ vocationis et professionis non profecerunt quotidie in omni humilitate, patientia, mansuetudine, sobrietate, pace, concordia, obedientia, caritate ; quod non discunt nec assuescunt sicut deberent, se ipsos in omnibus frangere, abnegare atque salubriter mortificare, iram, superbiam, acediam, gulam, et
B ceteros passionum suarum motus ac impetus refrenare ; quod correptiones et correctiones superiorum suorum non acceperunt cum debita humilitate et gratiarum actione, nec superioribus suis debitam reverentiam ac obedientiam impenderunt. Insuper confiteantur de quotidiano excessu in cibo, potu, somno, præsertim in verbositate, de incustodia exteriorum interiorumque sensuum, et quod in exteriori labore mentem suam tam raro levant ad Creatorem, mentaliter orando, meditando
C ac ipsum laudando ; quod etiam in præsentia et conspectu Altissimi tam impure et pigre ac irreverenter se habent ; quod non emendant se quotidie sicut oportet ; quod proni fuerunt alios judicare aut aspernari, etiam forte suos superiores, vel ex levibus signis malum suspicari de proximis suis, et quod coram aliis inexemplares fuerunt, aut quod eos scandalizaverunt, offenderunt aut turbaverunt. De his et aliis, prout conscientia dictat, confi-

teantur confessione humili, nuda, pura et dolorosa, cum præcordiali et integro emendationis totalis proposito.

Præterea informandi sunt qualiter ad sacram communionem se præparare et accedere debent cum ingenti filiali timore, ardenti amore, profunda humilitate. Debent autem se præparare, ut tactum est, cum prævia diligenti examinatione conscientiæ suæ et integra confessione, ita quod de suis peccatis intime doleant, in quantum sunt offensiva inhonorativaque Dei, et contra ejus præcepta, aut contra vota ei facta. Attendere etiam debent Sacramenti dignitatem, quod in hostia consecrata vere exstat unigenitus Filius Patris æterni, Deus et homo : quem cum omni reverentia, humilitate, caritate et sinceritate debent accipere. Atque post sumptionem superdignissimi sacratissimique Sacramenti debent se coram Deo custodite, gratanter ac devote habere, immoderantiam cibi et potus, loquacitates, levitates et dissolutiones prorsus vitando, atque orationi, meditationi ac laudibus Dei vacando.

Præterea advertendum, quod in primitiva Ecclesia fideles quotidie communicabant. Postea autem successores ipsorum confitebantur et communicabant ad minus semel in omni hebdomada. Postmodum

A caritatis fervore magis deficiente, posteri fecerunt hoc semel in omni mense et in festis præcipuis. Dixerunt quoque nonnulli doctores, quod homo qui sibi conscius est de quocumque mortali peccato, statim confiteri sit obligatus, puta tam cito ut poterit confessorem habere. Alii autem doctores circa hoc aliter sunt locuti. Sed quidquid inde dicatur, certum est quod nunquam deceat religiosum ire ad lectum sine confessione prævia, si fuerit sibi conscius de aliqua mortali transgressione.
B Unde gloriosus Hieronymus ait in Regula sua : In hac vita nihil validius vel salubrius est concessum hominibus, quam statim peracto delicto, non differre confessionis medelam.

Impugnationis arma secum Fratres non deferant, nisi pro defensione Romanæ Ecclesiæ, imo et totius universalis Ecclesiæ, quæ frequenter nomine Romanæ Ecclesiæ designatur, vel *christianæ fidei,* quam unusquisque fidelium juxta qualitatem et vires sui status tenetur defendere
C tempore opportuno, *vel etiam terræ ipsorum,* nam bonum commune est præferendum bono personæ, *aut de suorum licentia ministrorum,* qui ex rationabilibus causis dumtaxat illam debent licentiam dare.

TEXTUS REGULÆ

Dicant universi quotidie septem horas canonicas, videlicet Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas et Completorium. Clerici, videlicet scientes Psalterium, pro Prima, Deus, in nomine tuo, Beati immaculati, usque ad Legem pone, ac alios Horarum psalmos, juxta clericorum ordinem, cum Gloria Patri dicant. Quum vero ad ecclesiam non accedent, pro Matutino psalmos dicere studeant quos dicunt clerici, vel Ecclesia cathedralis ; vel saltem, ut illitterati alii, pro Matutino duodecim et pro qualibet alia Hora septem vicibus Pater noster cum Gloria Patri dicere non omittant. In quibus (videlicet Primæ ac Completorii) Horis minorem symbolum, et Miserere mei, Deus, adjiciant qui noverint. Sed si Horis non dixerint constitutis, dicant tribus vicibus Pater noster. Infirmi

autem Horas hujusmodi non teneantur dicere nisi velint. In Quadragesima vero S. Martini, et etiam in majori, ecclesias in quarum parochiis habitant, matutinalibus Horis personaliter adire procurent, nisi causa rationabili excusentur.

ARTICULUS XIX.

De Horis dicendis, et qualiter sit orandum.

D*ICANT universi* Fratres et Sorores tertiæ Regulæ *quotidie septem horas canonicas.* Quod qualiter sit intelligendum, subjungitur.

Clerici, videlicet scientes Psalterium, id est, qui tantum sunt eruditi, quod Psalmos in Latino legere possunt, *pro Prima, Deus, in nomine tuo, Beati immaculati, usque ad Legem pone,* cum capitulo, versiculis, oratione, et aliis debitis additamentis, *juxta clericorum ordinem,* id est secundum modum et observantiam cleri ad cujus diœcesim pertinent, *cum Gloria Patri dicant.* Porro in Decretalibus, præsertim in exordio tertii Decretalium, nomine clericorum intelliguntur canonici. In Decreto autem, distinctione 81, capitulo
cap. 32. *Clerici vel continentes,* per clericos interdum intelliguntur omnes in sacris ordinibus constituti, vel etiam qui aliquem quatuor inferiorum ordinum habent. Qui vero in aliquo sacro constituti sunt ordine, tenentur ad Horas has ex statuto Ecclesiæ propter ordinem sacrum, quamvis nondum sint beneficiati. Si ergo aliquis talis intret Ordinem tertium, vel in ejus noviciatu exsistat, tenetur ad Horas, et satisfacere potest legendo eas cum sacerdotibus et clericis congregationis in qua exstat in probatione. Melius vero est ut solitum ordinarium teneat, quousque fuerit in Ordine ipso indutus tanquam novicius. Si autem est clericus, non tamen in sacro ordine positus, sed competenter eruditus, non tenetur ad horas canonicas. Commendabile tamen est, ut cum sacerdote, ministro, aut cum aliis in congregatione exsistentibus clericis Horas legentibus, legat easdem.

A *Quum vero ad ecclesiam non accedent,* id est ad parochialem seu matricem basilicam (istud quippe pro conjugatis et sæcularibus est inductum), *pro Matutino psalmos dicere studeant quos dicunt clerici,* id est canonici aut sacerdotes, *vel Ecclesia cathedralis,* in qua est sedes episcopalis. *Vel saltem,* id est, si istud est eis nimis prolixum, non faciant minus quam Fratres illitterati : hinc subditur, *ut illitterati alii* Fratres, dicant *pro Matutino duodecim et pro qualibet alia Hora*
B *septem vicibus Pater noster cum Gloria Patri,* addendo Gloria Patri cuilibet Orationi dominicæ et Salutationi angelicæ, vel saltem septem, melius tamen cuilibet. *In quibus (videlicet Primæ ac Completorii) Horis minorem symbolum,* scilicet symbolum fidei ab Apostolis editum, *et Miserere mei, Deus, adjiciant qui noverint. Sed si Horis non dixerint constitutis,* id est, si non dixerint symbolum illud, et psalmum Miserere mei, Deus, ad Primam et Completorium, eo quod nesciant ea (multi tamen
C sciunt symbolum illud, qui psalmum illum ignorant), *dicant tribus vicibus Pater noster* cum Salutatione angelica, tam ad Primam quam ad Completorium, etiam si omiserint nisi psalmum prætactum : quem in teutonico dicere possent aut legere.

Infirmi autem Horas hujusmodi non teneantur dicere nisi velint, præsertim si tanta sit eorum infirmitas, quod sine capitis debilitatione non queant has Horas persolvere.

In Quadragesima vero S. Martini, quæ
D incipit die proxima post festum S. Martini, nisi forte dies illa proxima esset dominica, *et etiam in majori* Quadragesima, *ecclesias in quarum parochiis habitant, matutinalibus Horis personaliter adire procurent,* id est, matutinali officio ibi intersint, saltem diebus dominicis ac festivis, *nisi cau-*

sa rationabili excusentur, puta ex infirmitate aut simili causa. Personæ autem tertii Ordinis tria vota profitentes, sublimiora his faciunt, atque quotidie multum mane, deinde et aliis diei temporibus præfatas suas Horas et orationes in congregationum suarum ecclesiis offerunt Deo.

Hæ ergo personæ sunt instruendæ ac fervide admonendæ ut corde attento et recollecto, affectuoso ac stabili Creatorem suum exorent, collaudent et contemplentur : quatenus sicut in refectorio suo agunt quod ibi agendum est, corpora sua reficiendo ; ita in ecclesia seu oratorio nil agant nisi ad quod conveniunt, et propter quod institutus est locus ille, secundum quod sancti Patres in Regulis suis docuerunt. Ait namque in sua Regula S. Augustinus : In oratorio nemo agat nisi ad quod factum est et unde nomen accepit. Quum Deum oratis, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Hoc est quod S. Benedictus ait in Regula sua : Oratorium hoc sit quod dicitur, nec aliud ibi geratur. Nec unus sua improbitate impediat alium devote orantem. Nec alta voce quis oret, sed cum lacrimis compunctioneque cordis. Si enim dum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus alloqui eos nisi cum humilitate et reverentia : quanto magis Domino universorum cum humilitate, puritate et devotione supplicandum est, ut non in multitudine verborum, sed in puritate cordis et compunctione lacrimarum sciamus nos exaudiri ? Nam quamvis ubique sciamus Deum esse præsentem, maxime tamen in Fratrum congregatione, dum ad divinum Officium simul adveniunt.

Hinc et S. Hieronymus in Regula sua hortatur : De cellulis vestris, præmissa oratione, ad matutinas excubias cum summa quiete ad ecclesiam convenite ; Sponsum animarum sanctarum matutinis laudibus et orationibus excitate, ut exsurgat in auxilium vestrum. Tunc summa devotio crebra suspiria ac lacrimas fundat. Nulla alia verba in ecclesia proferantur, sed A illud in mentis arcano cum summa diligentia ruminetur quod per sancta verba significatur. Nullius est meriti orare divina eloquia verbositate, et misera mente evagando inania circuire.

Itaque, juxta doctrinam S. Basilii, debemus verba orationum et psalmorum cum interno gustu proferre : quatenus sicut corporeus gustus unamquamque buccellam sumit et masticat cum certo et distincto sapore, sic interior gustus animæ cum affectu et gustu spirituali sensum B verborum advertat.

Amplius, qui cupit devota et stabili mente orare, debet sui ipsius indigentiam, pravitatem, fragilitatem atque pericula acutissime intueri, omnipotentisque Dei præsentiam, majestatem, pietatem ac justitiam sapienter inspicere. Sicque ex consideratione propriæ defectuositatis et vitiositatis, debet cum maxima contritione et sui ipsius aspernatione fundere precem. Ex consideratione quoque propriæ indigentiæ ac periculorum animæ suæ, debet cum præ- C cordialissima affectione Dominum invocare. Ex contemplatione autem infinitæ majestatis et excellentiæ Dei, debet cum vehementi reverentia atque custodia cordis in ipsius adspectu adsistere et precari. Porro ex contemplatione metuendissimæ divinæ justitiæ, debet cum timore et tremore orationem offerre, et ita coram Deo se repræsentare sicut stant rei mortis ante faciem judicis. Ex contemplatione demum infinitæ pietatis et misericordiæ Dei, debet cum humili fiducia exorare.

D Postremo, si recte perpendimus causas et fructus orationum nostrarum, debemus utique libenter et indesinenter cum diligentia et fervore orare. Cur enim Dominum Deum nostrum invocamus et exoramus, nisi ut peccata nostra nobis dimittat, gratiam et virtutes donaque Spiritus Sancti infundat, de dæmonum manibus nos liberet, ab æterna damnatione nos præservet, ad perpetuam beatitudinem nos perducat, servos, amicos et filios suos nos facere dignetur ? Nonne pro tantis ac tali-

bus causis orandum est cum incomparabili instantia, cum summa affectione, cum indefesso labore? Si reus mortis stans ante judicem principemque terrenum, habeat aliquam spem obtinendi misericordiam et evadendi mortem, cum quanta humilitate et desideratione, quam lacrimose, formidolose atque instanter principem deprecatur! quam magnam emendationem promittit! Nos ergo qui toties tamque enormiter omnipotentem Judicem, Deum immensæ majestatis, offendimus, qui toties infernalem damnationem meruimus, cum quanta humilitate, contritione, tremore, desiderio et infatigabilitate Deum exorare debemus ac indigemus!

Hoc præterea recolendum, quod personis tertii Ordinis in sacris constitutis ordinibus, atque in diœcesi Leodiensi manen- A tibus, per apostolicam Sedem injunctum est ut omnes horas canonicas uniformiter teneant et persolvant secundum ordinem et tenorem Ecclesiæ Leodiensis, demptis quibusdam historiis et ordinantiis aliis quas Romana Ecclesia non observat, additis quoque seu resecatis aliquibus aliis, prout quidam viri notabiles prælatione et doctoratu ornati, judicaverunt convenire religioni et devotioni sacerdotum et clericorum hujus Ordinis. Verumtamen in isto ministri tertiæ Regulæ habeant Deum præ B oculis, ne a prætactis viris obtineant (ut ante jam obtinuerunt) nimiam alleviationem divini Officii et decurtationem in horis canonicis : quia non decet nec licet religiosos talia quærere, aut magis exoneratos esse a prolixitate Horarum quam sunt sacerdotes aut clerici sæculares.

TEXTUS REGULÆ

Omnes præterea quibus de jure facultas adfuerit, condant seu faciant testamentum ; et de bonis suis infra tres menses post eorum ingressum immediate sequentes, ordinent et disponant, ne quemquam illorum contingat decedere intestatum.

ARTICULUS XX.

De testamento Fratrum tertiæ Regulæ.

O*MNES præterea* personæ tertiæ Regulæ *quibus de jure facultas,* id est possessio, *adfuerit, faciant testamentum ; et de bonis suis infra tres menses post eorum ingressum* in Ordinem istum *immediate sequentes, ordinent et disponant, ne quemquam illorum contingat decedere intestatum.* Istud institutum videtur pro sæcularibus personis Ordinis hujus ad præcavendum periculum, si forte improvisa morte aut alio impedimento condendi testamentum præventæ, obierint intestatæ : ex quo C jurgia possent oriri propter facultates quas deserunt. Qui autem tria vota emittunt, post suam professionem condere nequeunt testamentum, sed ante professionem. Et relinquendi sunt suo arbitrio, ut faciant testamentum sicut voluerint, dando sua pauperibus aut congregationi seu claustro, ut in Regula S. Benedicti habetur ; nec licet aliquid ab eis exigere. Sanctus autem Basilius in Regula sua videtur magis innuere quod potius debeant sua dare cœnobio. Beatus etiam Augustinus in Re- D gula sua scribit : Qui aliquid habebant in sæculo quando ingressi fuerint monasterium, libenter velint illud esse commune.

TEXTUS REGULÆ

De pace vero inter Fratres et Sorores aut etiam exteros in discordia positos facienda, sicut ministris videbitur, ita fiat, adhibito (si facultas adfuerit) episcopi diœcesani consilio in hac parte. — Si vero Fratres vel Sorores contra jus vel eorum privilegia, per potestates seu rectores locorum ubi domicilium obtinent, vexationibus impetantur, ministri loci ad episcopos et alios locorum ordinarios studeant habere recursum, juxta consilium et ordinationem ipsorum in talibus processuri.

ARTICULUS XXI.

De pace personarum tertii Ordinis inter se et alios, et de earum recursu contra molestatores.

D*E pace vero inter Fratres et Sorores* tertii Ordinis, *aut etiam* de pace inter eos et *exteros,* id est alios qui non sunt de eorum Regula, *in discordia positos, sicut ministris videbitur, ita fiat,* id est, ministri juxta suam discretionem pacificabunt et concordabunt eos ad invicem, nisi aliter fuerint inter se concordati, *adhibito (si facultas adfuerit) episcopi diœcesani consilio in hac parte :* id est, si tanta fuerit illorum discordia quod ministri non valuerint eos ad invicem pacificare, habebunt recursum ad suum episcopum, si possibile eis est, vel ad officiatos episcopi.

Omni etenim Christiano valde necessarium est ut (quantum sibi possibile est) habeat pacem atque concordiam cum proximis suis, quemadmodum ait Apostolus :
Rom. XII, 18. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete. Chri-
Matth. V, 9. stus quoque in Evangelio : Beati pacifici (inquit), quoniam filii Dei vocabuntur. Unde et suos discipulos sic salutare so-
Luc. XXIV, 36; *Joann.* XX, 19, 21, 26. lebat : Pax vobis. Quibus et jussit : In quamcumque domum intraveritis, primum
Luc. X, 5. dicite : Pax huic domui. Quemadmodum enim pacifici et concordes in bonis sunt filii Dei, ita et turbatores et discordes
A sunt filii et servi diaboli. Qui autem considerat quam graviter et multipliciter ipse Dominum Deum offendit, et quod Deus omnipotens suis vitiis non ignoscet nisi et ipse aliis ignoscat, non audet suis injuriatoribus inimicari, vel si aliis indignatur, faciliter ad pacem concordiamque reducitur. Hinc Leo Papa disseruit : Nihil ita appetendum est Christiano sicut pacem habere, concordiam observare. Nec possumus esse filii unius Patris cœlestis, nisi pacifici ac concordes fuerimus. Et si istud
B sic convenit cuilibet Christiano, quanto magis religiosis ? Denique, quum exteriora sint signa interiorum, quanta hypocrisis est, ut in religiosis, quorum unus est habitus, una regula, eadem professio, una domus, una mensa, eadem observantia corporalis, sit interior discordia, divisio cordis, aversio mentis ?

Præterea, sicut boni et humiles Fratres, qui quantum in ipsis est, pacem et concordiam servant cum aliis, præsertim cum superioribus suis, habent paradisum in
C terris, id est consolationem internam, tranquillitatem et conscientiæ securitatem, deinde habituri paradisum cœlestem ; sic turbulenti, discordes, duri et obstinati in perversitatibus suis, habent infernum in sæculo isto, deinde habituri damnationem infernalem in sæculo futuro. Ideo Salomon ait : Homini bono dedit Deus sapientiam *Eccle.* I, 26.
et lætitiam, peccatori autem afflictionem et curam superfluam. Hinc et Apostolus

Rom. XIV, 7, 19. loquitur : Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu Sancto : itaque quæ pacis sunt, sectemur ; et quæ ædificationis sunt, invicem custodiamus. Hinc iterum affectuosissime exhortatur : *Philipp.* II, 1, 2. Si qua consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera misericordiæ, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, unanimes, id ipsum sentientes.

Hæc itaque moveant et inducant ministros ut cum summa diligentia Fratres et Sorores Ordinis sui ad pacem et concordiam assidue exhortentur, et discordantes concordent, duros et turbatores debite disciplinent, præsertim eos qui communitatem perturbant, scandalizant, contristant : nam, ut Climacus protestatur, turbator communitatis est lupus, totum ovile Christi inquietans, et tanquam visibilis dæmon. Verumtamen nullus sic amet pacem et concordiam, ut aliis consentiat aut conformetur in vitiis ; sed sic pacem concordiamque amemus, quod fratres et proximos nostros non offendamus neque turbemus per verba illicita aut per opera mala, aut omittendo quod rationabiliter fieri petunt a nobis.

Si vero Fratres vel Sorores contra jus vel eorum privilegia eis a summo Pontifice aut propriis diœcesanis concessa, *per potestates seu rectores locorum ubi domicilium,* id est domum seu mansionem, *obtinent, vexationibus impetantur,* id est, si principes aut judices seu officiati sæculares aliquid injuste exigant a Fratribus tertii Ordinis velut ab hominibus omnino mundanis, *ministri loci ad episcopos et alios locorum ordinarios studeant habere recursum,* id est, primo recurrant ad proprium præsulem pro consilio aut auxilio, et si ab eo sufficienter adjuti non fuerint, ab aliis quoque episcopis petant informationem et opem, *juxta consilium et ordinationem ipsorum* episcoporum *in talibus processuri,* id est acturi contra præfatos principes, judices aut rectores mundanos. Nam et ipsi Fratres de tertio Ordine, quamvis conjugati et in sæculo commorantes, certa privilegia habent, nec inter pure sæculares sunt computandi. Imo, ut vir famosæ virtuositatis ac magnæ religionis, pater Joannes de Capistrano, doctor inclytus in utroque, Ordinis S. Francisci sanctus senex, qui adhuc agit in humanis miraculisque coruscat, in speciali tractatu magistraliter probat, privilegio clericali debent gaudere.

TEXTUS REGULÆ

A juramentis autem solennibus omnes abstineant, nisi necessitate cogente, in casibus per indulgentiam apostolicæ Sedis exceptis, videlicet pro pace, fide, calumnia, et testimonio perhibendo, ac etiam in contractu emptionis, venditionis et donationis, ubi videbitur expedire. In communi quoque loquela vitent, ut poterunt, juramenta. Et qui die aliquo minus caute juraverit lapsu linguæ, prout contingere in multiloquio consuevit, die ipso in sero, quum debet recogitare quid fecerit, dicat tribus vicibus Orationem dominicam, propter incaute facta hujusmodi juramenta.

ARTICULUS XXII.

Quod personæ tertii Ordinis debeant se a juramento cavere, et qualiter possint jurare.

A *JURAMENTIS autem solennibus,* quæ videlicet coram judice secundum processum et ordinem juris fiunt, *omnes* Fratres tertiæ Regulæ *abstineant, nisi necessitate cogente, in casibus per indulgentiam* (id est concessionem) *apostolicæ Sedis exceptis, videlicet pro pace, fide, calumnia, et testimonio perhibendo,* id est, quando occurrit necessarius casus jurandi solenniter « pro pace » inter homines recuperanda aut conservanda, aut pro fidelitate firmanda, aut pro « calumnia » seu injuriatione aut falsa criminatione vitanda, aut ad testificandum pro veritate et contra iniquitatem, *ac etiam in contractu emptionis, venditionis et donationis, ubi videbitur expedire,* id est, ad protestandum quod aliquid sit legitime emptum aut venditum seu donatum, dum conscientia dictaverit esse expediens ut pro talibus rebus juretur. Tuncque jurandum est cum grandi reverentia majestatis divinæ atque Sanctorum, et cum recta intentione, ex caritate et zelo justitiæ. Sicque juratio illa est actus virtutis quæ latria appellatur.

In communi quoque loquela, id est in quotidiana locutione, *vitent, ut poterunt, juramenta.* Certum est quod unusquisque etiam penitus sæcularis possit vitare illicita juramenta, si debitam apposuerit diligentiam ad vitandum ea, quia et tunc non deerit auxilium gratiæ Dei. Porro juramentum est dupliciter illicitum. Primo, quoniam falsum : et hoc vocatur perjurium, quod ex suo genere est peccatum mortale. Secundo, quia quamvis sit verum, tamen sine rationabili causa fit : quod est juramentum inane. Quod si ex consuetudine fiat, non excusatur a culpa mortali, quum et hoc sit contra divinæ reverentiam majestatis, assumere Deum in testem sine rationabili causa, atque ex levitate et usu malo. Ideo Dominus jussit : Non usurpabis nomen Dei tui frustra, id est inaniter seu sine causa condigna. (*Deut.* v, 1) Idcirco quod asserit Augustinus, Non est peccatum verum jurare, intelligendum est, dum subest rationabilis causa jurandi. Denique ad vitandum periculosam ac pessimam jurandi consuetudinem et juramenta inania, Christus prohibuit atque dissuasit omnem jurationem : Ego (inquiens) dico vobis, non jurare omnino. Sit autem sermo vester : Est, est; Non, non. Quod iis abundantius est, a malo est. (*Matth.* 34, 37.) Sic et Jacobus apostolus ait : Ante omnia, nolite jurare. (*Jacob.* v, 1) Hinc quoque in Ecclesiastico scriptum est : Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in ea. Vir multum jurans replebitur iniquitate, et non discedet a domo ejus plaga. (*Eccli.* xxi 9, 12.)

Et qui die aliquo minus caute juraverit ex *lapsu linguæ, prout contingere in multiloquio consuevit, die ipso in sero, quum debet recogitare quid fecerit, dicat tribus vicibus Orationem dominicam, propter incaute facta hujusmodi juramenta :* id est, de sero, antequam vadat dormitum, quando debet conscientiam suam discutere, considerando qualiter totum diem expenderit, quid boni omiserit et quid mali commiserit in eodem, tunc specialiter pœniteat de incauta juratione, et ut sibi indulgeatur, ter dicat Orationem dominicam cum Salutatione angelica. Et multo amplius debet dolere veniamque precari, si ex proposito perjuravit. De ceteris quoque suis peccatis tunc debet pœnitere, remissionem a Domino postulare, firmum emendationis propositum assumere, et item proponere quod tempore suo confitebitur sacerdoti super ipsum jurisdictionem habenti, et quod juxta illius arbitrium sit satisfacturus.

TEXTUS REGULÆ

Memor autem sit quilibet ut ad divina obsequia familiam propriam exhortetur. Universi sane Fratres et Sorores cujuscumque civitatis aut loci, diebus singulis, si commode poterunt, Missæ officium audiant; et mense quolibet ad ecclesiam sive locum, ad quam vel quem ministri curaverint intimare, conveniant, Missarum solennia inibi audituri. Unusquisque autem usualis monetæ denarium massario tribuat, qui pecuniam hujusmodi colligat; et eam de consilio ministrorum inter Fratres et Sorores paupertate gravatos, et præcipue infirmantes, ac eos qui funeris carere dignoscuntur exsequiis, et deinde inter pauperes alios, dividant congruenter. Offerant insuper de dicta pecunia ecclesiæ memoratæ. Tuncque, si commode poterunt, virum religiosum et in verbo Dei competenter instructum habere procurent, qui eos ad pœnitentiam et misericordiæ opera exercenda hortetur, sollicite moneat et inducat. Studeat quilibet, dum Missæ celebratur officium et prædicationis verbum proponitur, servare silentium. Orationi et Officio sit intentus, nisi eum communis utilitas Fraternitatis impediat.

ARTICULUS XXIII.

De aliquibus laudabilibus observantiis.

MEMOR *autem sit quilibet ut ad divina obsequia familiam propriam exhortetur,* id est, unusquisque paterfamilias aut materfamilias de tertii Ordinis Regula, non obliviscatur suam sobolem atque domesticos congruis horis admonere ad divinorum et ecclesiasticorum observantiam præceptorum et ad mores laudabiles, ad evitandum quoque mala colloquia. Quumque soboles aut domestici alii contra hæc egerint, paterfamilias et materfamilias debent peccantes corripere. Nam et Apo-
Tim. v, 8. stolus ait : Si quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.

Universi sane Fratres et Sorores tertii Ordinis *cujuscumque civitatis aut loci, diebus singulis, si commode poterunt, Missæ officium audiant.* Et qui mechanica, manualia exercent officia, studeant mane Missam audire, antequam ad exteriora pro-
Matth. vi, cedant opera exsequenda, ut sic impleant quod ait Salvator : Primum quærite re-
A gnum Dei et justitiam ejus. *Et mense quolibet ad ecclesiam sive locum, ad quam* ecclesiam *vel* ad *quem* alium locum *ministri curaverint intimare, conveniant* die statuto, *Missarum solennia inibi audituri.*

Unusquisque autem, id est quælibet persona ibi collecta, *usualis monetæ denarium massario,* utputa collectori seu receptori illius pecuniæ, *tribuat, qui pecuniam hujusmodi colligat; et eam de consilio ministrorum* dividant *inter Fratres et Sorores paupertate gravatos, et præcipue infir-*
B *mantes, ac eos qui funeris carere dignoscuntur exsequiis,* id est necessaria funeri non habentes, vel ad hoc quod pauperibus mortuis fiant exsequiæ de parte aliqua illius pecuniæ, *et deinde inter pauperes alios* qui non sunt de tertio Ordine, *dividant congruenter* residuum collectæ pecuniæ, si de ea superest, ita ut ceteris pauperibus, præsertim infirmis et senibus ac domi jacentibus, faciant æquam divisionem juxta eorum penuriam. Istud totum est opus pietatis et caritatis fraternæ. Por-
C ro in littera ista non exprimitur quantitas valoris denarii dandi : ideo admonendi sunt ut unusquisque juxta suam faculta-

tem sit caritativus et liberalis in contribuendo, etiam si placuerit sibi duos aut plures dare denarios.

Tuncque, si commode poterunt, virum religiosum et in verbo Dei competenter instructum habere procurent, qui vita, fama atque scientia sit ad prædicandum idoneus, et de approbata religione consistat (et condecens est ut sit de Ordine S. Francisci, et observans), *qui eos ad pœnitentiam et misericordiæ opera exercenda hortetur, sollicite moneat et inducat.* Nam per opera misericordiæ corporalia aut spiritualia præcipue dimittuntur peccata, charismata gratiæ impetrantur, atque æterna obtinetur felicitas, sicut Salvator testatur : (*Luc.* XI, 41.) Quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis ; itemque : (*Matth.* V, 7.) Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Hinc iterum ait (*Eccli.* XXIX, 15; III, 33.) Scriptura : Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et ipsa orabit pro te ad Dominum, quia sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum. Hinc quoque venerabilis ille Tobias admonuit (*Tob.* IV, 7-9.) filium suum, dicens : Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere, ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors : si multum tibi fuerit, abundanter tribue ; si autem exiguum habueris, etiam exiguum libenter impertiri stude.

Est autem eleemosyna danda ex caritate, non vanitate, ad Dei honorem, non ad laudem sui aut propter commodum proprium. Præterea aurea est illa eleemosyna et Deo gratissima, quam homines boni de sua paupertate aut de manuum suarum [A] laboribus faciunt. Atque ad exhibendum talia misericordiæ opera, ministri et matres personæque ceteræ tertii Ordinis debent esse caritativi ac liberales in Domino, non tenaces, tardi aut duri : quia revera hujuscemodi misericordiæ opera non solum in futuro, sed etiam in præsenti vita copiose ac multipliciter remunerantur a Domino, non solum per spiritualem gratiarum infusionem, sed etiam per temporalium multiplicationem, quemadmodum et decimarum ac primitiarum atque [B] oblationum debita, prompta et devota solutio, prout sancti patres Hieronymus et Hugo testantur.

Denique, si alicui conventui tertii Ordinis data sunt aliqua temporalia bona hac conditione ut pauperibus tribuantur, non sufficit talia supervenientibus hospitibus exhibere, sed juxta conferentium voluntatem sunt in eleemosynam expendenda, et ostiatim mendicantibus aliisve pauperibus infirmis ac domi jacentibus danda. Nam hospitalitatem exhibere et eleemosynam [C] dare, sunt distincta opera misericordiæ, quamvis extense loquendo, quodlibet misericordiæ opus interdum eleemosyna nuncupetur.

Studeat quilibet, dum Missæ celebratur officium et prædicationis verbum proponitur, servare silentium. Orationi et Officio, id est divino obsequio et celebrationi ac sermocinationi, *sit intentus* (somnolentiam quoque et mentis evagationem devitet, nec oculis hinc inde discurrat), *nisi eum communis utilitas Fraternitatis impediat,* [D] id est, nisi ex injuncto officio indigeat loqui pro utilitate communi.

TEXTUS REGULÆ

Quum autem quemquam ex Fratribus infirmari contigerit, ministri per se, vel per alium seu alios, si hoc eis infirmus fecerit intimari, semel in hebdomada visitare teneantur ægrotum, ipsum sollicite ad recipiendum pœnitentiam, prout melius et efficacius expedire putaverint, inducentes, necessaria illi de bonis commu-

nibus ministrando. Et si præfatus infirmus de præsenti luce migraverit, Fratribus et Sororibus tunc in civitate vel loco ubi eum contigerit mori præsentibus nuntietur, ut defuncti exsequiis procurent personaliter interesse : a quibus, donec Missarum fuerint celebrata solennia et corpus tumulo conditum, non recedant. Hæc quoque circa Sorores infirmas et decedentes volumus observari. Præterea, infra octo dies post ipsius sepulti obitum immediate sequentes, quilibet Fratrum et Sororum ipsarum dicat pro anima ejus, sacerdos videlicet Missam unam, sciens Psalterium quinquaginta psalmos, et illitterati totidem Pater noster, et in fine cujuslibet, Requiem æternam adjiciant. Et præter hæc, infra annum pro Fratrum et Sororum tam vivorum quam defunctorum salute, tres Missas faciant celebrari. Qui vero Psalterium sciverint, illud dicant ; et ceteri Orationem dominicam centies dicere non omittant, Requiem æternam in fine cujuslibet additūri. — Ministeria quoque et alia officia quæ præsentis formulæ series exprimit, imposita sibi quisque devote suscipiat, curetque fideliter exercere. Officium autem cujuslibet, certi temporis spatio limitetur. Nullus minister instituatur ad vitam, et ejus ministerium certum tempus comprehendat.

ARTICULUS XXIV.

Qualiter tractandi sint infirmi et morientes, et de quibusdam officiis devote suscipiendis.

QUUM *autem quemquam ex Fratribus* aut etiam ex Sororibus tertii Ordinis *infirmari contigerit, ministri per se,* id est personaliter, *vel per alium seu alios, si hoc eis infirmus fecerit intimari, semel in hebdomada visitare teneantur ægrotum :* et quamvis ægrotus suam infirmitatem non insinuet eis, nihilo minus decet ut præfato modo visitent eum, dum aliunde cognoverint eum graviter infirmari ; *ipsum sollicite inducentes* per suas exhortationes *ad recipiendum pœnitentiam,* id est ad confitendum et ad exhibendum se paratum facere pœnitentialem satisfactionem si convaluerit ; *necessaria* victui et medicinali remedio *illi de bonis communibus,* id est præfatis pecuniis quæ pro communis indigentiæ subventione collectæ sunt, prout præcedenti habetur articulo, *ministrando* si indiget.

Et si præfatus infirmus, aut etiam Soror infirma, *de præsenti luce migraverit.* Quare non ait, De præsenti caligine, nisi
A quoniam, teste Apostolo, nox præcessit, dies autem appropinquavit? Tempus quippe Mosaicæ legis comparatur nocti, tempus vero evangelicæ legis diei : quamvis et status evangelicæ legis comparatione status Beatorum in patria nox nominetur. *Fratribus et Sororibus tunc in civitate vel loco ubi eum contigerit mori præsentibus,* id est præsentialiter constitutis, *nuntietur, ut defuncti exsequiis procurent personaliter interesse : a quibus, donec Missarum fuerint celebrata solennia et*
B *corpus tumulo conditum, non recedant. Hæc quoque circa Sorores infirmas et decedentes volumus observari.* Rom. XIII, 12.

Deinde in Regula subditur quæ suffragia sint pro defunctis Fratribus Sororibusque dicenda, sicut plana omnino est littera Regulæ. Orent ergo viventes pro mortuis cum omni fidelitate, instantia et fervore, quemadmodum cupiunt ut suo tempore oretur pro ipsis, quum defuncti exstiterint; et ultra debitum studeant subvenire defunctis in gravibus suppliciis constitutis.

C Consequenter subjungitur de quibusdam officiis æquanimiter acceptandis, dum alicui committuntur. *Ministeria quoque et alia officia quæ præsentis formulæ series exprimit, imposita sibi quisque de-*

vote suscipiat, curetque fideliter exercere: id est, dum aliquis eligitur in ministrum, vel in collectorem aut erogatorem pecuniæ pro pauperibus contribuendæ, debet humiliter et caritative injunctum onus accipere, prosequi et implere, non quærendo propria commoda, sed pauperum relevamen atque utilitatem communem. *Officium autem cujuslibet* personæ in officio constitutæ aut constituendæ, *certi temporis spatio limitetur.* Quod qualiter intel-
A ligendum sit, subditur : *Nullus minister instituatur ad vitam,* id est ad hoc quod totum tempus vitæ suæ in officio perseveret, *et ejus ministerium certum tempus comprehendat.* Aliqui enim videntes se confirmatos in suis officiis, cornua sibi assumunt, et propria commoda quærunt superflue, immoderanter quoque securi sunt et negligentius agunt, aut quosdam præ aliis vel affligunt vel palpant, utpote personarum acceptores effecti.

TEXTUS REGULÆ

Ad hæc, ministri et Fratres ac Sorores civitatis et loci cujuslibet, ad visitationem communem, in aliquo loco religioso, vel ecclesia, ubi locum hujusmodi contigerit deesse, conveniant ; et Visitatorem habeant sacerdotem qui alicujus approbatæ religionis exsistat, quique illis de commissis excessibus injungat pœnitentiam salutarem. Nec quivis alius possit eis hujusmodi visitationis officium exhibere. Quia vero præsens vivendi forma institutionem a B. Francisco prælibato suscepit, consulimus ut Visitatores et informatores de Fratrum Minorum Ordine assumantur, quos Custodes vel Guardiani ejusdem Ordinis, quum super hoc requisiti fuerint, duxerint assignandos. Nolumus tamen congregationem hujusmodi a laico visitari. Hujusmodi autem visitationis officium semel exerceatur in anno, nisi necessitate aliqua suadente fuerit pluries facienda.

ARTICULUS XXV.

Qualiter visitandæ sint personæ tertii Ordinis.

A*D hæc,* id est ultra præhabita, *ministri et Fratres ac Sorores civitatis et loci cujuslibet, ad visitationem communem, in aliquo loco religioso, vel ecclesia, ubi locum hujusmodi contigerit deesse, conveniant :* id est, personæ Regulæ hujus semel in anno, tempore opportuno, congregentur in loco aliquo sito intra septa alicujus cœnobii, vel in aliqua ecclesia materiali, si talem non invenerint locum religiosum sibi satis propinquum. *Et Visitatorem habeant sacerdotem qui alicujus approbatæ religionis exsistat, quique illis*
B Fratribus et Sororibus, imo et eorum ministris, *de commissis excessibus,* et etiam de omissis actibus bonis, præsertim ad quos tenentur ex Regula, *injungat pœnitentiam salutarem.* Debet etenim singulorum illorum defectus et peccata seorsum inquirere aut alio modo percipere, vel ipsæ personæ debent sponte recognoscere suas culpas. *Nec quivis alius possit eis hujusmodi visitationis officium exhibere,* id est nec laicus nec presbyter sæcularis.

Quia vero præsens vivendi forma, vi-
C delicet tertia Regula, *institutionem a B. Francisco prælibato suscepit, consulimus ut Visitatores et informatores de Fratrum Minorum Ordine assumantur, quos Custodes vel Guardiani ejusdem Ordinis, quum super hoc requisiti fuerint*

a ministris tertiæ Regulæ, *duxerint assignandos.* Et valde necessarium est ut Visitatores sint vere religiosi, virtuosi, discreti, exemplares : alioqui melius esset habere alium Visitatorem de alia Regula, quam de Regula S. Francisci habere Visitatorem indignum, proprietarium, intimoratum, cui dici in primis posset : Medice, cura te ipsum. Nec Regula præcipit quod Visitator sit Frater Minor.

Luc. IV, 23.

Ista est forma visitationis personarum tertii Ordinis secundum primam institutionem earum, secundum quam non fecerunt tria vota religionis, nec pariter omnes in conventibus morabantur, sed pro maxima parte in conjugio erant. Nunc vero ex apostolicæ Sedis concessione plures earum faciunt vota præfata, et aliam habent formam visitationis, quia a generali suo Ministro cum uno ministro ei associato visitantur in propriis domibus. Porro ministri Ordinis hujus in Leodiensi diœcesi commorantes, jubentur in apostolico suo indulto semel in anno convenire ad domum Ordinis sui sitam in villa quæ Zepperen nominatur, et ibi celebrare generale capitulum : ad quod etiam jubentur venire Fratres qui in communi non vivunt, et capitulo obedire quantum ad [ea quæ] eorum statum et professionem concernunt.

Præterea advertendum, quod juxta sanctorum Patrum instituta ac documenta, visitationes religiosorum diligentissime fieri debent, et ipsi Visitatores debent esse valde circumspecti, timorati, justi, discreti ac fervidi : quia ex hoc quod visitationes debito modo fiunt, Ordo quicumque præcipue viget et Fratres proficiunt; quod si visitatio superficialiter fiat, et defectus ac vitia Fratrum sive Sororum remisse corripiantur nec debite corrigantur, mox regimen domus laxatur, negligentiæ multiplicantur, nec floret religio, sed arescit devotio.

Præterea, quoniam profectus subditorum multum dependet ex virtuosa et exemplari conversatione ejus qui præest,

A ideo Visitatores cum summa diligentia tenentur inquirere qualiter minister cetterique rectores personarum Ordinis hujus se habeant, qualiter vivant et officia sua adimpleant : an sint exemplares, modesti ac strenui circa delinquentium informationes, reprehensiones et punitiones; an sint personarum acceptores; an libenter, quantum convenienter potest fieri, maneant domi cum Fratribus suis; an sint leves in moribus, infructuosi in verbis, remissi in actibus bonis. Itaque quidquid

B in ministris Fratrum et in confessoribus matribusque Sororum invenerint, audierint aut viderint esse culpabile, hoc ipsi Visitatores diligenter scribant, proponant, redarguant et emendent, ne de cetero talia germina oriantur aut invalescant. Deinde similiter perscrutentur qualiter Fratres aut Sorores se habeant : an sint Deo devoti, atque in observantiis Regulæ diligentes; an sint invicem pacifici, obsequiosi, exemplares, et superiori suo debito modo obediant; an passiones suas discant

C efficaciter frangere, et in vera humilitate, patientia, mititate, caritate, obedientia quotidie crescere; an sint custoditi in exterioribus sensibus suis, et ædificatorii ac moderati in verbis, et congruo loco ac tempore silentium observantes.

Ex his facile est pensare, quod sicut generale capitulum obligatur illum eligere in generalem Ministrum, quem ad tantum officium reputat vita, scientia, moribus magis idoneum; ita providere tenetur ut is qui cum generali Ministro visitat ali-

D quam domum, sit præ ceteris ministris in capitulo congregatis ad visitandum magis idoneus, et ampliorem Ordinis zelum discretionemque habens. Idcirco nequaquam expedire videtur ut ministri in capitulo eligant a quo una cum generali Ministro velint visitari : nisi forte ipsi ministri sint tantæ perfectionis, quod non eligant nisi eum a quo æstimant se acrius increpandos. Quæ perfectio his diebus, proh dolor! satis rara in præsidentibus reperitur; et dato quod jam inesset mi-

nistris, timendum quod in eorum successoribus ita non erit. Ideo melius videretur quod in capitulo eligeretur unus ministrorum magis idoneus, qui cum generali Ministro visitaret omnes domus diœcesis, sua

A domo excepta, quam generalis Minister cum alio socio magis justo ac strenuo visitaret. Et talis cum generali Ministro sic visitans, posset in capitulo, prout expediret, mutari.

TEXTUS REGULÆ.

Incorrigibiles vero ac inobedientes monitio trina præveniat : qui si se corrigere non curaverint, de ipsius congregationis consortio expellantur omnino de consilio discretorum.

ARTICULUS XXVI.

Quando et qualiter incorrigibiles sint abjiciendi et expellendi.

I*NCORRIGIBILES vero ac inobedientes monitio trina præveniat :* id est, personæ tertii Ordinis rebelles et duræ, tribus vicibus per intervalla dierum, caritative, pie ac sapienter, imo et seriose et comminatorie a superioribus suis admoneantur ut se emendent, resipiscant, acquiescant, obediant. Talibus proponenda sunt eorum novissima, puta, quam brevis, incerta et fallax sit vita hæc, quam amara sit mors, quam periculose stent, et quam enorme peccatum sit nolle acquiescere, quam diabolicum sit in malis perseverare, quam metuenda sint Dei judicia, et quam grave judicium ipsis immineat, quæ et quanta sint illa infernalia tormenta superbis, rebellibus, incorrigibilibus, præsertim religiosis, parata. Sunt quoque cum pietate et lacrimis exorandi ut vere pœniteant. Instruendi sunt tales qualiter principium omnis boni in religiosa persona sit esse docilem et ad bona flexibilem, non esse proprii sensus, nec pertinacem, sed aliorum (præsertim superiorum) judicio magis quam proprio credere, propriam voluntatem abjicere, et frangere semetipsum. Istud est regia via salutis. Sed incorrigi-

B bilem atque indirigibilem et inobedientem se exhibere, non est aliud nisi tenebrosissima, periculosissima atque sceleratissima via æternæ atque gravissimæ damnationis.

Qui si se corrigere non curaverint, id est, nulla emendationis signa ostenderint, nec dixerint se velle emendare, aut scelera sua ita excusaverint atque defenderint, ut ea non recognoverint esse peccata, vel aliis imputaverint ea, *de ipsius congregationis consortio expellantur omnino de consilio discretorum* virorum. Quæ expul-

C sio facienda est cum præcordiali compassionis dolore et zelo justitiæ. Et quamvis tales incorrigibiles dicantur ter admonendi admonitione solenni a suo superiore in aliorum præsentia, nihilo minus interim admonendi sunt sæpe seorsum per Fratres devotos, discretos, caritativos ac mites. Et proponendum est eis quanta Dei Filius pro nobis sustinuit, in quanta obedientia, patientia, paupertate et humilitate vixit in sæculo isto, et qualiter oporteat nos sequi ejus vestigia, si salvari de-

D bemus.

Præterea, de hac materia scribit S. Benedictus in Regula sua : Si quis Frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, vel in aliquo contrarius Regulæ, et præcepta suorum superiorum contemnens exstiterit; hic, secundum præ- *Matth.*
ceptum Domini nostri, admoneatur semel xviii, 15, 16

et secundo secrete a senioribus suis. Si non emendaverit se, objurgetur publice coram omnibus. Quod si nec ita correxerit se, excommunicationi subjaceat (id est, ab oratorio et a communi mensa Fratrum removeatur). Verumtamen cum omni sollicitudine abbas (id est quicumque spiritualis pater) sit diligens circa delinquentes : quia non est opus sanis medicus, sed male habentibus. Ideo tanquam sapiens medicus immittere debet quasi occulte seniores sapientes Fratres, qui seorsum consolentur et instruant Fratrem fluctuantem, et ad humilem satisfactionem revocent eum, ne abundantiori absorbeatur tristitia, sed (ut ait Apostolus) confirmetur in eo caritas, et oretur pro eo ab omnibus. Magnopere enim sollicitudinem gerere debet qui præest, et omni sagacitate atque industria providere ne aliquam de ovibus sibi creditis perdat. Noverit se infirmarum suscepisse curam ac regimen animarum, non super sanas tyrannidem ; metuatque quod Dominus ait per Ezechielem : Quod debile erat, projiciebatis. Sicque boni pastoris imitetur exemplum, qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit quærere unam quæ erravit : cujus infirmitati in tantum compassus est, ut eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, et ita reportare ad gregem. Si autem nec sic emendaverit se qui excessit, acriter disciplinetur verberibus ; et si nec ita emendat se, oretur pro eo ab omnibus ; et si nec ita curatur, tunc tandem abjiciatur et expellatur. Hæc Benedictus.

[Matth. IX, 12.] [II Cor. II, 7.] [Ezech. XXXIV, 4.] [Luc. XV, 4.]

Ex quibus innotescit, quod sanctus ac discretissimus pater Benedictus valde difficulter processit ad expulsionem, ac variis modis docuit misero Fratri excæcato ac indurato esse subveniendum antequam expelleretur.

Insuper S. Benedictus ait in Regula sua : Frater qui propria perversitate recedit aut projicitur de monasterio, si reverti voluerit, spondeat prius omnem emendationem, et sic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus humilitas comprobetur. Quod si iterum exierit, usque tertio ita recipiatur, non amplius.

Denique his satis concordat quod in Regula scribit gloriosus Hieronymus : Contumax, inquit, præsumptuosa ac superba mulier (id est Soror seu monialis) in vestro sancto consortio, quæ dedignatur esse subjecta, suisque litibus ac jurgiis scandalum parit quieti Sororum, atque inobedientiæ exemplum eis demonstrat, arduis crebrisque jejuniis castigetur. Quam si jejunia non castigant, superbia ejus edometur verberibus, contumeliis et gravibus disciplinis. Quod si emendata non fuerit, cum apostatis angelis expellatur.

At vero quæ S. Benedictus ait de Fratribus, applicanda sunt Sororibus. Conformiter quæ B. Hieronymus scribit de muliere seu Sorore perversa, perversis Fratribus sunt apponenda.

Amplius, in Regula Basilii quæritur : Quales esse debemus erga eum qui pro peccato suo non pœnitet? Ad hoc respondet Basilius : Tales sicut præcepit Dominus, dicens, Sit tibi sicut gentilis et publicanus ; et sicut Apostolus docuit, dicens : Subtrahite vos ab omni fratre ambulante inquiete, et non secundum traditionem nostram. — Rursus in eadem Regula quæritur : Si quis habet aliquod vitium quod corrigere non potest, et frequenter notatus in pejus proficit, an expedit talem intermitti? Ad quod respondet magnus Basilius : Oportet peccantem corripere secundum modum a Domino positum (id est secundum formam præcepti fraternæ correptionis). Et si non sufficit ei ad emendationem objurgatio quæ fit a pluribus (id est, si non emendatur ex hoc quod coram multis et a multis objurgatur), tunc de cetero habeatur sicut gentilis et publicanus : quoniam nulli tutum est parcere ei quem Dominus condemnavit, maxime quum Dominus dicat quia expedit unicuique ut unum oculum aut unam manum aut unum pedem perdat, et ita intret in regnum Dei, quam dum pepercerit uni de his membris (id est per-

[Matth. XVIII, 17.] [II Thess. III, 6.] [II Cor. II, 6.] [Matth. XVIII, 8, 9.]

versis et incorrigibilibus Fratribus), totum corpus mittatur in gehennam. Nam et Apostolus protestatur de talibus : Modicum fermentum totam massam corrumpit. — Hæc Basilius. (I Cor. v, 6.)

Augustinus quoque in Regula sua : Convictus (inquit) de culpa, debet secundum arbitrium præpositi emendatoriam subire vindictam. Quam si ferre recusaverit, et si ipse non recesserit, de vestra societate projiciatur. Nec hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat. — Circa quæ verba asserit Hugo : Qui blande correptus non emendatur, necesse est ut acrius arguatur. Cum dolore enim sunt abscindenda quæ leniter sanari non valent. Manifesta quoque peccata non sunt occulta purgatione* (*ratione) purganda. Ideo palam sunt increpandi qui publice peccant, quatenus ceteri terreantur, et hi qui eos male secuti sunt, corrigantur. Nec est crudele quod incorrigibilis abjicitur, quoniam melius est ut pro multorum salvatione unus damnetur, quam per unius exemplum plures periclitentur.

Denique, sicut ait super Regulam Augustini Humbertus, tria sunt quæ solent hominem excusare aliqualiter a peccato. Primum est ignorantia, secundum est mala societas, tertium est exterior occupatio. Qui autem in devota congregatione sunt, per nullum horum excusare se queunt : quoniam quotidie instruuntur, et inter bonos versantur, nec ita forinsecus occupantur quin quotidie certis horis possint ac debeant Deo vacare.

Ex omnibus itaque præinductis satis reor patere qualiter duri et rebelles atque incorrigibiles sint tractandi, exhortandi, instruendi, corripiendi, et tandem ejiciendi.

TEXTUS REGULÆ

Vitent insuper Fratres et Sorores juxta posse litigia inter se, illa, si suscitari contigerit, sollicite dirimendo : alioqui de jure coram illo respondeant apud quem potestas residet judicandi.

ARTICULUS XXVII.

De litigiis, contentionibus et consimilibus malis vitandis.

VITENT insuper Fratres et Sorores juxta posse litigia inter se. Inter cetera Christus consuluit in exteriori foro non contendere judicio. (Matth. v, 40.) Et Paulus apostolus ad Corinthios scribit : Jam delictum omnino in vobis est, quod judicia habetis inter vos. (I Cor. vi, 7.) Verumtamen in casibus certis licitum est sæcularia judicia quærere : quæ tamen pro posse vitanda sunt. Sed extra forum judiciale mutuo litigare, contendere aut rixari, est omnino vitandum : præsertim quum contentio ex suo genere sit peccatum mortale, quia Apostolus inter peccata mortalia computat contentiones et rixas. (Galat. v, 20.) Ideo quilibet potest hæc vitia prorsus vitare, quoniam maledictus est qui dicit Deum impossibilia præcepisse hominibus. Denique vitia ista sunt religiosis penitus fugienda, quum Apostolus dicat : Quum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis? (I Cor. iii, 3.) et rursus : Noli verbis contendere, ad nihil enim utile est nisi ad subversionem audientium; (II Tim. ii, 14.) itemque : Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. (I Cor. xi, 16.) Jacobus quoque : Si zelum (inquit) amarum habetis, et contentiones sunt inter vos, nolite gloriari et mendaces esse adversus verita- (Jacob. iii, 14-16.)

tem ; non est sapientia ista desursum descendens, sed terrena, animalis et diabolica : ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum.

Præterea, sicut docet Gregorius, contentio generari solet ex superbia inanive gloria. Idcirco qui honoris sunt cupidi, aut prudentes et magni in oculis suis, sæpe sunt contentiosi. Qui ergo cupit contentionem vitare, non quærat apparere aut sapiens reputari, nec alios aspernetur, sed potius cedat ac deferat eis. Lis vero ex ira et impatientia nascitur, juxta illud Ecclesiastici : Homo iracundus incendit litem, et vir peccator turbabit amicos. (*Eccli.* viii, 11.)

Denique lis et contentio non solum sunt enormia vitia coram Deo, sed etiam coram hominibus inhonesta. Propterea qui ea non vitat eo quod offensiva sint Dei, saltem ab eis resiliat propter honestatem humanam, et ne contemptui pateat. Hinc scriptum est : Honor est homini qui separat se a contentionibus. (ov. xx, 3.)

Itaque Fratres et Sorores vitent litigia, *illa, si suscitari contigerit, sollicite dirimendo,* id est cum diligentia protinus exstinguendo, et contendentes pacificando, sive ab invicem veniam postulando. Hinc admonet Augustinus : Lites nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis, ne ira crescat in odium, et animam faciat homicidam, quoniam scriptum est : Omnis qui odit proximum suum, homicida est. (I *Joann.* iii, 15.) *Alioqui de jure coram illo respondeant apud quem potestas residet judicandi :* id est, nisi prætacto modo vitaverint lites, aut pro posse mox exstinxerint eas, jubeantur coram suo superiore adstare et reddere rationem, ac debite corrigantur.

Præterea Fratres aut Sorores non solum inter se tenentur vitare lites et contentiones, sed etiam cetera vitia linguæ, videlicet detractiones, susurrationes, murmurationes, verba pungitiva, derisoria et mendosa, testimonia falsa, excusationes propriæ culpæ, accusationes aliorum ex radice non bona : imo et verba otiosa vitanda sunt.

TEXTUS REGULÆ

Ordinarii autem locorum, vel Visitator, cum Fratribus et Sororibus universis, in abstinentiis, jejuniis et austeritatibus aliis, ex causa legitima, quum expedire viderint, poterunt dispensare. — Ministri vero manifestas Fratrum et Sororum culpas Visitatori denuntient puniendas. Et si quisquam incorrigibilis fuerit, post trinæ admonitionis instantiam, a ministris, de discretorum Fratrum aliquorum consilio, Visitatori nuntietur eidem, de Fraternitatis consortio abjiciendus ab ipso, et in congregatione postmodum publicandus. — Ceterum in præmissis omnibus ad quæ Fratres et Sorores vestri Ordinis non ex divinis præceptis vel statutis tenentur Ecclesiæ, nullum ipsorum ad mortalem culpam volumus obligari ; sed impositam sibi pœnitentiam pro transgressionis excessu, prompta humilitate recipiat, et efficaciter studeat adimplere.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti et ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Reatæ quintodecimo Calendas Septembris, pontificatus nostri anno secundo.

ARTICULUS XXVIII.

Qualiter episcopus loci et Visitator possint dispensare cum personis tertii Ordinis in his quæ earum respiciunt Regulam; de incorrigibilibus abjiciendis; et quod in prædictis nemo obligatur ad culpam mortalem, sed ad pœnitentiam.

ORDINARII *autem,* id est episcopi, *locorum* in quibus demorantur personæ tertiæ Regulæ, *vel Visitator,* id est etiam Visitator earum, seu generalis Minister, *cum Fratribus et Sororibus universis* tertii Ordinis, *in abstinentiis, jejuniis et austeritatibus* (id est rigorosis observantiis) *aliis, ex causa legitima, quum expedire viderint, poterunt dispensare.* Quæ sint legitimæ causæ dispensandi, et qualiter in prædictis sit dispensandum, supra expressum est, sextodecimo et septimodecimo articulis.

Ministri vero manifestas Fratrum et Sororum culpas Visitatori denuntient puniendas, id est, unusquisque minister evidentes et graves culpas personarum sibi commissarum, per se aut per alium, et per verba aut per scripta significet Visitatori suæ congregationis, quatenus Visitator juxta mensuram et gravitatem peccati imponat pœnam seu disciplinam eis qui taliter peccaverunt : qui etiam ultra hæc suo confessori tenentur eadem vitia confiteri, atque ab eo in foro conscientiæ pœnitentiam satisfactoriam accipere.

Et si quisquam incorrigibilis fuerit, post trinæ admonitionis instantiam sibi a suo ministro factam, *a ministris,* præsertim a proprio illius ministro, cui et alii ministri poterunt attestari, *de discretorum Fratrum aliquorum consilio, Visitatori nuntietur eidem, de Fraternitatis consortio abjiciendus ab ipso.* Et ita abjiciendus non erit sine Visitatoris scitu, judicio et consensu. Qualiter autem facienda sit abjectio ista, jam paulo ante ostensum est. *Et in congregatione postmodum publicandus,* id est in generali

art. xxvi.

A collectione omnium personarum Ordinis hujus ejusdem diœcesis, urbis aut loci : de qua congregatione jam dictum est. Ibi art. xxv. publice dicetur cunctis cur et qualiter talis incorrigibilis sit abjectus.

Denique ordinatio ista est similis ordinationi quam S. Franciscus in prima et principali sua Regula ponit, dicendo : Si quis Fratrum, instigante diabolo, mortaliter peccaverit in illis peccatis de quibus ordinatum fuerit inter Fratres ut recurratur ad suos Ministros provinciales, etc. B Constat autem quod prætacta commissio denuntiandi culpam Fratris aut Sororis apertam Visitatori, instituta sit in exordio tertiæ Regulæ, et pro laicis : intelligendaque est de gravioribus culpis, et de ministris laicis. Laici autem ministri possunt Fratribus sibi commissis in capitulo disciplinam et satisfactionem injungere : nam capitulum est quasi forum exterius contentiosum, ad quod non requiritur potestas ordinis sacerdotalis, sed sufficit potestas jurisdictionis exterioris. Sed per- C sonæ tertii Ordinis quæ nunc tria vota emittunt et obedientiam regularem suo promittunt ministro, tenentur eidem regulariter obedire, et possunt ab eo absolvi pœnitentiamque recipere in foro contentioso et foro exteriori, demptis casibus certis, in quibus ad provincialem Ministrum est recurrendum, juxta modum potestatis sibi concessæ a summo Pontifice.

Ceterum in præmissis omnibus in quibus Fratres et Sorores hujus* Ordinis non tenentur* ea servare *ex divinis præce-* D *ptis vel statutis Ecclesiæ, nullum ipsorum ad mortalem culpam volumus obligari; sed impositam sibi pœnitentiam,* sive in foro interiori, sive in foro exteriori, *pro transgressionis excessu, prompta humilitate recipiat, et efficaciter studeat adimplere.* Istud Pontifex summus pie ac provide addidit ad præcavendum periculum Fratrum ex multitudine statutorum, in quibus contingit interdum deficere.

* *ad quæ* * *vestri*

Itaque advertendum, quod quædam a superioribus sic instituuntur et commit-

tuntur, ut obligent subditos solum ad pœnam, non ad culpam. Aliqua vero sic instituuntur a superioribus, ut obligent inferiores ad culpam mortalem, nisi impleverint ea : sicut Ecclesia jussit servari certa jejunia, abstinentias speciales certis diebus ab esu carnium, ac aliqua festa. Porro in Regula ista contenta sunt aliqua quæ nec a Deo nec ab Ecclesia sunt instituta, regulariter loquendo, videlicet : abstinere ab esu carnium feria secunda et quarta, jejunare omni feria sexta, nisi impedimentum legitimum superveniens hoc ipsum impediat, et de observatione Quadragesimæ S. Martini ; item quod in anno ter confiteantur atque communicent, et quod arma non ferant, ac toties Orationem dominicam pro horis canonicis dicant, et multa similia. Sicque ad ista non obligantur obligatione culpæ mortalis, ex Regula aut institutione summi Pontificis, sed obligatione pœnæ seu pœnitentiæ adimplendæ : quam nisi implerent, non effugerent culpam.

Postremo, ex divino præcepto tenentur vitare mortalia peccata virtutibus ad salutem necessariis directe contraria, et ipsas virtutes habere. Similiter ex divino præcepto tenentur solennem promissionem, scilicet professionem Deo factam, implere : ad quod etiam ex statuto Ecclesiæ obligantur. Quod enim directe contrariatur professioni, gravius est peccatum quam violatio juramenti, prout supra, articulo septimo, ex dictis doctorum ostensum est. Ideo dici non potest quod professio ipsa non obliget ad culpam mortalem.

ARTICULUS XXIX.

De auctoritate et potestate generalis seu provincialis Ministri personarum de tertia Regula facientium tria vota.

art. xxv. SICUT ex præhabitis patet, in Regula tertii Ordinis, prout primo a S. Francisco est instituta, atque a summo pon- A tifice Nicolao IV in forma redacta ac confirmata, non fit formalis mentio de generali Ministro, sed de Visitatore qui alicujus sit Ordinis. Sed in apostolicæ Sedis indulto ac bulla in qua concessum est personis tertii Ordinis facere tria vota, et generalibus uti ac gaudere religiosorum privilegiis, inter cetera continetur : Omnes et singuli Fratres prædicti unum presbyterum, utputa dicti Ordinis sui professorem, in eorum generalem Ministrum habeant, qui ipsos Fratres per se, vel per B alium aut alios ad id per eum deputandum aut deputandos, visitare, et quibuscumque dicti Ordinis personis in omnibus, præterquam apostolicæ Sedi reservatis casibus, debitam absolutionem impendere possit, necnon quoscumque dictum Ordinem profiteri volentes recipere possit ; et ei omnes perpetuo obedire teneantur. Et nullus recipiatur ad habitum et observantiam ac Ordinis ipsius professionem, nec receptus promoveatur, sine expresso consensu generalis Ministri : cui omnes et C singuli, etiam sub observantia non viventes, habeant obedire ; qui inobedientes et delinquentes Fratres juxta excessuum aut criminum eorum exigentiam possit corrigere, incarcerare ac punire, eosque et eorum domus et loca visitare et reformare. Qui generalis Minister, seu deputatus vel deputati ab eo aut majori parte ipsorum Fratrum, habeant plenariam potestatem quæcumque justa et honesta ac religioni suæ convenientia statuendi ac ordinandi ; et omnis generalis Minister possit dis- D pensare in abstinentiis et jejuniis, austeritatibus ceterisque observantiis Regulæ, ex legitima causa, quum viderit expedire.

Hæc et alia quædam habentur in bulla præfata. Quæ et consonant his quæ in principali Regula S. Francisci habentur, ubi inter cetera dicitur : Solis provincialibus Ministris conceditur licentia recipiendi Fratres ; et iterum : Universi Fratres tenentur semper habere generalem Ministrum.

ARTICULUS XXX.

Ad quam virtuosam, exemplarem ac fervidam conversationem teneatur generalis Minister.

QUEMADMODUM S. Hieronymus et omnes doctores affirmant, unusquisque qui præest, præsertim in spirituali regimine, tanto majori affluentia gratiæ ac virtutum est indigens, quanto in altiori prælatione ac digniori officio est constitutus. Hoc utique unusquisque penset prælatus ac vere agnoscat, quod prælatio potius dici possit onus quam honor, et pondus quam dignitas. Nam et omnes ecclesiasticæ prælaturæ ac dignitates prælaticæ sunt quædam servitutes, quia ad subditorum profectum ac beatitudinem ordinantur. Idcirco et summus prælatus totius Ecclesiæ veraciter vocat se servum servorum Dei. Quum igitur præsidens debeat tanto virtuosior exemplariorque consistere quanto in altiori positus est potestate et loco, constat quod quo sublimior est ejus auctoritas, eo periculosior graviorque atque nocivior est ejus ruina. Idcirco necesse est ei ut omni stoliditate vanæ gloriæ reprobata ac repulsa, omni quoque insensatissimo elationis tumore excluso, sit tanto timoratior, sollicitior et vere humilior, quanto pluribus exstat præpositus altiusque promotus.

Amplius, divinus Apostolus universis ait
Philipp. II, 12. fidelibus : Cum metu, timore et tremore vestram salutem operamini. Prælatus ergo indiget tanto majorem habere metum, et tanto penetrabiliorem tremorem ac vehementiorem timorem, quanto plurium tenetur operari salutem, et quanto ei difficilius est implere hoc ipsum, et quo intolerabilior ei instat damnatio nisi om-
Gen. XLIII, 5. ne debitum compleverit sui officii. Non enim videbit faciem Dei nisi et minimum Fratrem suum, quantum in se est, adduxerit secum.

Sap. VI, 6, 7. Præterea, si sapienter pensaverit illud Sapientiæ : Durissimum judicium in his qui præsunt fiet, et potentes potenter tormenta patientur ; puto quod potius præoptabit subesse ac obedire quam præesse atque præcipere. Quo etenim vultu metuendissimus ille Judex adspiciet eum, per cujus negligentiam et inexemplaritatem et insufficientiam amiserit animam pro cujus salute dedit se ipsum in pretium, et amarissimam ac ignominiosissimam pertulit mortem? Hac consideratione motus ac territus S. Bernardus locutus est: Si Christo in cruce pendente stetissem sub ipso patibulo, et stillantem ex ejus sacratissimo corpore sanguinem collegissem in vasculo, cum quanta illud diligentia custodirem! quam sollicite circumferrem! Et nunc thesaurus ille commissus est mihi, utputa animæ, pro quibus sapientissimus ille mercator tam pretiosissimum sanguinem suum fudit : nonne ergo cum extrema diligentia et sollicitudine summa oportet animas Christi morte et sanguine liberatas pascere, gubernare et custodire?

Insuper, quum prælatus teneatur ad tam præclaros et tam multos virtutum actus, videlicet oves sibi commissas inspicere, judicare, instruere, gubernare, purgare, illuminare, perficere, et se ipsum in omnibus irreprehensibilem et exemplarem præbere, ut doceat factis magis quam verbis; certum est quod debitum sui officii nequeat adimplere, nisi sit multum virtuosus, prudens ac stabilis, in tantum quod per exteriorem occupationem, inquietudinem ac discursum non resolvatur ab interiori cordis sui custodia, a caritatis fervore et sollicitudine spirituali. Hinc Symmachus Papa : Vilissimus, inquit, est computandus *Decret.* p. II, caus. 1, q. 1, c. 45. qui præstantior est honore et altior auctoritate, nisi præcellat scientia (id est illuminatione divina) et ætate *, id est probitate morum ac merito vitæ. Gratianus * sanctitate. quoque testatur : Revera qui ad hoc eliguntur ut præsint ceteris, sicut præordinantur dignitate, ita præeminere debent et sanctitate : alioqui cur ceteris præferuntur, qui meritis non præfulgent? *Ibid.* c. 44.

Adhuc autem, ferventissimus et illumi-

...e Eccl. ...r. c. III. natissimus ille Dionysius ait : In omni divino officio non est audendum aliis fieri ducem, nisi quis secundum omnem habitum suum deiformissimus exstet, id est, per omnem virtutem exsistat simillimus Deo. Prælatus ergo, qui ad hoc in officio collocatur, ut sibi commissis ac creditis ostendat iter salutis, et ipsos præcedat in via virtutis, ad hoc debet infatigabiliter conari, ut sit utique omni virtute præclare ornatus. Præcipue tamen necessaria sibi est profunda insuperabilisque humilitas, quum illa sit omnium basis virtutum, per quam homo meretur a Spiritu Sancto inhabitari, et gloriose dirigi ab eodem, atque in bonis conservari ac perfici : quod totum unicuique præsidenti tanto plus necessarium esse cognoscitur, quanto pluribus prodesse tenetur.

Hinc Hieronymus super Leviticum scribit : Sciant omnes et certi sint, quoniam qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute perfectior, ille eligatur et promoveatur. Et hoc ipsum multaque insuper alia scribit ibidem Origenes in homilia. Ideo asserit Gratianus, quod pro gradu sui officii oportet unumquemque esse meliorem. (Cf. ...XXVII, ...2 B.) Nam, ut sanctus fatetur Bernardus, monstruosa res est gradus sublimis et vita vilis, lingua magniloqua et conversatio vacua.

Hinc quoque beatissimus princeps Apostolorum ad suum dilectissimum Clementem locutus est : Eum qui præest et instruit animas rudes, talem oportet esse, ut juxta ingenium discentium (id est juxta capacitatem subditorum) se ipsum valeat eis aptare, verbi ordinem juxta audientium mensuram dirigere. Ideo debet esse apprime eruditus, discretus, irreprehensibilis et maturus.

Hæc omnia sapienter, frequenter et profunde adverte, o generalis Minister ; et quanto personis Ordinis tu es altior, tanto sis cunctis humilior, timoratior, custoditior atque ferventior. Quanto plus in exterioribus et circa alios occuparis, tan-

A to frequentius ac diligentius ad interiora recurras, et in loco secreto te ipsum discutias, conscientiam purges, mentem devote exerceas, meditationibus sanctis insistas : et qualiter hi qui tibi commissi sunt conversentur, perpende; qualiter omne debitum tui officii impleas, intuere. Sicque in secreto studeas obtinere a Domino quod tibi commissis salubriter eructes in publico. Non cesses adspirare ad Dominum, et coram eo assidue ingemisce ; omnem infructuosam temporis deductionem abhorre, atque in omni compunctione, (B) diligentia et fervore cresce quotidie.

ARTICULUS XXXI.

Exhortatio ad ministros, et qualiter cuncti se habere debeant.

BONITAS vitæ subditorum et eorum profectus in gratia atque virtutibus, ex virtuosa et exemplari conversatione sapientique informatione prælatorum non (C) mediocriter procedunt ac pendent; imo in tantum, ut Jeremias propheta testetur : Quia stulte egerunt pastores, et Dominum non exquisierunt, ideo omnis grex eorum dissipatus est. (*Jer.* x, 21.) Hinc quoque in Ecclesiastico scriptum est : Qualis est rector civitatis, tales et habitantes in ea. (*Eccli* x, 2.) Et Salomon ait : Regnantibus impiis, ruinæ hominum. (*Prov.* xxviii, 12.) Sed et in libro Sapientiæ legitur : Rex sapiens stabilimentum est populi. (*Sap.* vi, 26.)

Quum itaque personæ tertii Ordinis communiter sint illitteratæ et simplices, (D) maxime indigent a ministris suis verbo et opere ædificari. Quod si viderint superiores suos, sacerdotes et clericos, leves in moribus, pronos ad iram, impatientiam, vanitatem, loquacitatem, otioque intentos, ad exeundum et epulandum proclives, negligentes in observantiis Ordinis; mox valde scandalizantur, et resolvuntur a Dei timore, a compunctione et profectu interno, et vitia superiorum suorum sectantur. Idcirco ministri cum infatigabili diligentia spirituali profectui sint intenti,

et quidquid scandalizativum est Fratrum, devitent : quibus præstent exempla vincendi impetus passionum et superandi se ipsos, et ipsos in omni humilitate, pietate, diligentia ac mortificatione salubri præcedant.

Denique diligentissime penset minister, imo et omnis qui præest, quod sanctus ait Hieronymus unicuique præsidenti : Attende vigilanter quam gravis sarcina imposita sit humeris tuis, qui de subditorum animabus atque corporibus, de verbis eorum ac moribus obligaris apud divinum examen reddere rationem. Cave, quæso, ne de te etiam levis suspicio in malo possit oriri, ne dispergas quos salvare teneris. Tam dulcis et mitis sit sermo tuus, ut subditos ad furorem atque duritiam non inducat, sed passionata corda reformet. Circa inobedientes virilis et constans sit animus. Nihil quippe periculosius in rectore quam vana humilitas et negligentia corrigendi protervos superbosque subditos. Cave ne ex officio regendi eleveris ad alta, ut imperes illicita, et quæ sunt importuna ac molesta subditis. Non enim ambulant in via Domini, qui in administratione regiminis honorem et propriam utilitatem ac libertatem deposcunt. Attende quod ait Salvator : Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos benefici vocantur ; vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, et qui præcessor est, sit velut ministrator. (*Luc.* XXII, 25, 26.) Non tibi blandiaris de Domini pietate, qui tam diu sustinet impios in peccatis : quoniam Dominus, qui te suis ovibus dedit ministratorem, vult a te exigere rationem de singulis ; et si quid defraudaveris eum, tradet te dæmonibus puniendum. Hæc Hieronymus. — Advertat ergo qui præest, quanta sint merita virtuosi prælati, quam inæstimabilis beatitudo et gloria præparata sit ei, et quantis affligetur tormentis, si negligens fuerit et injustus.

Insuper unicuique religioso præsidenti applicandæ sunt exhortationes quas S. Benedictus in Regula facit abbati, dicendo : Abbas (id est pater spiritualis seu præsidens) semper meminere debet quod dicitur, et nomen majoris factis implere. Et sciat culpæ suæ incumbere quidquid minus debito de spirituali profectu Judex altissimus in ovibus suis invenerit, nisi ipse omne debitum sui officii studuerit adimplere. Duplici ergo doctrina præsit sibi commissis, ita ut omnia bona et sancta ostendat et doceat magis factis quam verbis. Bonis ac piis discipulis mandata Dei verbis exponat, duris vero ac rudibus per propria facta ea demonstret ; et quidquid alios docet, ipse primo adimpleat. Sicque observet illud Apostoli : Argue, obsecra, increpa. (II *Tim.* IV, 2.) Et terroribus commisceat blanda, nunc durum ostendat magistri rigorem, nunc pium patris demonstret affectum. Indisciplinatos et inquietos arguat durius, obedientes autem et mites ac patientes obsecret ut proficiant magis, negligentes quoque increpet et corripiat. Neque dissimulet delinquentium culpas, sed mox ut cœperint oriri, radicitus amputet eas pro posse. Itaque honestiores Fratres prima aut secunda admonitione verbis corripiat ; improbos autem et duros corde atque superbos vel inobedientes, verberibus vel corporis castigatione in ipso peccati initio coerceat, sciens scriptum : Stultus verbis non corrigitur ; (*Prov.* XVII, 2.) et iterum : Percute filium tuum virga, et liberabis animam ejus a morte. (*Ibid.* XXIII, 14.) Consideret ergo qui præest, quod cui plus committitur, plus ab eo utique exigetur ; (*Luc.* XII, 48.) et penset quam difficilem rem suscepit, videlicet regere animas, et multorum moribus deservire : sicque unumquemque admoneat, increpet aut informet, secundum capacitatem illius. Hæc Benedictus. — Ex his ministri perpendant quam discreti, pii et justi, quam caritativi, seriosi et exemplares exsistere teneantur ; et coram Deo se ipsos quotidie prudenter discutiant, propriosque ac Fratrum suorum defectus considerent, defleant et emendent ; et primo se ipsos et totum gregem eis commissum Deo as-

sidue recommendent et committant cum orationibus lacrimosis ac fervidis.

ARTICULUS XXXII.

Quod acceptio personarum sit valde vitanda cunctis qui præsunt, et quam grave peccatum sit.

PRÆLATUS est spiritualis pater gregis sibi commissi, et medicus animarum ac custos; est etiam dispensator seu erogator rerum monasterii, non dominus : idcirco omnes sibi commissos debet communi caritate diligere, et unicuique sicut indiget subvenire. Neminem debet palpare : imo quos plus amat, plus debet arguere et disciplinare, imitando eum qui in Apocalypsi testatur : Ego quos amo, arguo et castigo. Insuper debet justitiam observare. Idcirco veræ caritati et æquitati contrariatur, si unum præ alio palpet, si unum præ alio persequatur ac tribulet, si uni concesserit quidquid petierit, alteri vero neget quæ juste neganda non sunt. Istud ad acceptionem pertinet personarum. Est quippe personarum acceptio, dum alicui aliquid datur aut fit non propter justam aut rationabilem causam, sed quia est talis aut talis persona : secundum quod quidam prælati afficiuntur ad eos qui ad aures ipsorum multa deportant, aut qui blande se habent ad ipsos, aut eorum promotionem procuraverunt; et talibus contra justitiam parcunt, acquiescunt et favent, et eorum culpas extenuant. Isti sunt præsidentes in quibus adhuc regnat amor privatus seu improbus amor, sive affectus proprii commodi aut honoris, præsidendi quoque libido, atque ad se ipsum inordinata reflexio. Ideo incidunt diversa et gravia valde peccata, imo, ut sanctus ait Gregorius, innumerabilia vitia, et subditos sæpius scandalizant, partialitates inducunt, discordiamque procurant. Idcirco sunt prælatione indigni.

Apoc. III, 19.

Hinc S. Benedictus ait in Regula sua : Non ab abbate persona in monasterio discernatur, non unus plus ametur quam alius, nisi qui melioris est vitæ et magis obediens. Ergo æqualis ad omnes sit caritas, et una omnibus præbeatur secundum merita disciplina.

Sanctus quoque Hieronymus in Regula sua loquitur abbatissæ seu matri : Non affines nec propinquæ exaltentur, ita quod ceteræ Sorores invideant; omnes æquali dilige spirituali amore ut filias. Quum tempus exigit correctionem, universas simili modo corrigas quasi ignotas, neque unquam ex aliqua passione ad crudelitatem movearis. Non datur tibi potestas ut inter Sorores et filias hanc eleves, hanc vero deprimas sicut velis; sed sollicitudo tibi injungitur universarum Sororum, ut omnes juste regas, castiges, informes, nec unam præ alia palpes.

Præterea S. Bernardus libro de Consideratione ad Eugenium Papam ait : Acceptio personarum præsidentibus et judicantibus insidiari non parum solet. Non parvi peccati te reum existimes, si facies peccatorum sumis, et non potius causas judicas meritorum.

Amplius, sicut in secunda secundæ, quæstione sexagesima tertia, S. Thomas declarat, personarum acceptio directe contrariatur justitiæ distributivæ, quæ diversis personis tribuit secundum dignitatem ipsarum ac merita. Quidquid autem directe contrariatur justitiæ, ex suo genere est peccatum mortale, sicut et illud quod caritati opponitur. Ideo ait S. Ambrosius : Inter omnia peccata sacerdotum maximum est personarum acceptio. art. I.

Ita et credendi facilitas est valde vitanda. Propter quod S. Hieronymus loquitur præsidenti : Non sis facilis ad credendum omnibus qui loquuntur. Levitas enim in credendo levem denotat mentem. Bernardus quoque : Facilitas (inquit) credulitatis est callidissima vulpecula, cujus versutias nullum magnorum comperi satis cavisse. Imo et B. Joannes apostolus ait : Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus an ex Deo sint. Præsidens igitur audiat al- I Joann. IV, 1.

teram partem. Multi namque sunt simulatores et callidi qui sub colore justitiæ suas palliant passiones, et veris falsa promiscent, aut simpliciter dicta pervertunt, vel alio repetunt sermone quæ audierunt, ac alios false accusant. Quod Assuerus rex expertus, prout in libro Esther habetur, *Esther* XVI, 6. dixit : Multi aures principum simplices et ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt.

ARTICULUS XXXIII.

Quam reverenter, caritative et obedienter se habere debeant Fratres et Sorores ad suos superiores.

OMNES sancti Patres, præsertim qui religiones instituerunt et regulas ediderunt ac conscripserunt, obedientiam sanctam præ ceteris virtutibus laudaverunt in religiosis personis, quia per obedientiam offert homo se ipsum totaliter Deo, et propriam mactat voluntatem, suoque Creatori se ipsum plenarie subdit. Nec sine obedientia aliqua actio religiosi complacet Omnipotenti : imo tanta est virtus et excellentia obedientiæ, ut omnium Imperatorem, Deum vivum, verum atque liberrimum, omnibus infinite superexaltatum, faciat obedire ei qui perfecte obediens est ; quemadmodum obedivit ipsi Josue, *Josue* x, 13. ad cujus imperium sol et luna steterunt immobiles in medio cœli, spatio unius diei.

Est autem obedientia virtus per quam inferior sponte se subdit et satisfacit præcepto sui superioris. Sed obedientia de qua nunc sermo, est virtus infusa a Spiritu Sancto, per quam homo, præsertim religiosus, ex caritate obtemperat jussionibus Dei et vicariorum ipsius. Et ut patet art. VII. ex præinductis, ad obedientiam istam religiosæ personæ obligaverunt se ipsas voto solenni, quod plus obligat quam juramentum : ita quod non sufficit eis ad salutem exterius exsequi aut corporaliter evitare quod superior eis jubet agere sive non agere, sed tenentur ad hæc ex animo, ut scilicet ex corde prompto et ex caritate hæc impleant, nec impleant ista in quantum complacet voluntati eorum, sed quia præcipiuntur a superiore, et quia sic placet Deo, et ad ejus honorem.

Hinc gloriosus Hieronymus ait in Regula sua (et quod ipse monialibus loquitur, certum est ad viros religiosos quoque spectare) : Hortor, moneo et exoro vos, dilectissimæ filiæ, ut subjiciatis vos in omni obedientia et timore ac reverentia præpositæ matri vestræ, ut jam omnino nil aliud velle aut nolle liceat vobis, quam quæ abbatissa domus mandaverit facienda. Nil grave, nil importabile videatur quod jusserit ipsa, quamvis illud non concordet propriæ voluntati. Vere obediens, et qui propter Christum relinquit et abjicit omne propriæ voluntatis arbitrium, nihil novit aut putat difficile vel injustum. Mementote, carissimæ, quod in religionis ingressu omnem volendi et nolendi licentiam Christo dimisistis, ita ut jam nihil agatis nisi quæ ipse ordinat de vobis per suos vicarios. Obeditis certissime Christo, quum matri vestræ obtemperatis.

Insuper ait Hieronymus ibidem : Nondum vivit Deo, nondum nuptias Christi religionisque semitam attigit religiosa persona quæ non efficitur ita pura et simplex, ut quidquid mandatum sibi fuerit per suum superiorem, angelico putet ore transmissum. Nihil honorabilius, nihil gloriosius quam servitus obedientiæ propter Deum, quæ præferenda est Imperatorum fastigio dignitatique regiæ et omni gloriæ sæculi hujus. — Iterum ait idem sanctissimus doctor Hieronymus : Non civitas, non regnum, non minima domuncula diu maneret in rure, si deesset cui obediretur. Ideo princeps Apostolorum : Regem (inquit) honorificate. *I Petr.* II, 17. Et ne quis arripiat scutum excusationis, generaliter addit : Servi, subditi estote in omni timore dominis. *Ibid.* 18. Et ne pravitas prælati producatur in medium, subditur ibidem : Non tantum bonis, sed etiam dyscolis. O felix et abundans

gratia in obedientia ! Nam simplici gressu A ducit hominem ad Christum; et mens obedientis non solum excusatur a reddenda ratione pro aliis, sed nec etiam obligatur reddere pro se ipsa. O summa libertas, qua obtenta, vix possit homo peccare !

ARTICULUS XXXIV.

Quam devote ac prompte oporteat religiosum obedire, ex verbis et doctrinis S. Benedicti.

SICUT ait S. Benedictus in Regula, pri- B mus humilitatis gradus est obedientia sine mora. Hæc convenit iis qui Christum præ omnibus diligunt, et mox ut aliquid fuerit jussum a superiore, sine mora obtemperant, ac si divinitus imperetur, ita quod ex occupatis manibus, et quod agebant imperfectum relinquentes, vocem jubentis mox implent. Isti angustam viam vere arripiunt, non viventes suo arbitrio, nec desideriis et delectationibus propriis obedientes, sed alieno judicio ac præcepto gaudentes duci ac vivere, imitantes C
ann. VI, eum qui ait : Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me. Tunc vero vera est obedientia, acceptabilis Deo et dulcis hominibus, si quod jubetur fiat non tepide, non tarde, neque cum murmure aut dura responsione : quoniam obedientia quæ majoribus exhibetur, Deo offertur. Qui autem invite aut cum murmuratione facit quod ei injungitur, quamvis foris impleat jussionem, Deo tamen acceptum non est, qui cor respicit murmurantis ; atque pro tali facto nullam consequitur gratiam : D imo murmurantium pœnam incurrit, nisi cum debita satisfactione emendet se.

Præterea loquitur Benedictus : Si cui Fratri aliqua gravia aut impossibilia injunguntur, suscipiat jubentis imperium cum omni obedientia et mansuetudine. Quod si pondus injuncti operis omnino excedit vires suas, suggerat hoc suo superiori patienter et opportune, non superbiendo aut resistendo vel contradicendo. Et si post talem suggestionem superior in sua manserit jussione, sciat inferior sibi sic expedire, et confidens in Dei adjutorio, obediat faciendo quod potest. Nec solum superiori, sed etiam sibi invicem obediant Fratres, præsertim juniores senioribus.

Amplius, in Regula S. Basilii quæritur : Quousque seu usque ad quem modum obedire oportet ? Ad quod respondet S. Basilius : Apostolus docet hoc, proponens nobis formam obedientiæ Christi, qui factus est *Philipp.*
obediens usque ad mortem. II, 8.

Rursus in eadem quæritur Regula : Si quis non est contentus de eo opere quod sibi injungitur, sed vult artificium aliquod discere, aut aliud facere, quali vitio ægrotat ? et an oportet acquiescere ei ? Ad hoc respondet Basilius : Iste talis præsumptor est et sibi placens ac infidelis, qui non timet sententiam Christi dicentis : Estote *Luc* XII, 40.
parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Si enim quotidie quis exspectat Dominum, sollicitus est ac trepidus quomodo præsentem diem non transeat otiosus. Si autem imperatur ei artificium discere, habeat lucrum obedientiæ suæ, et in hoc placeat Deo, et non assumat judicium in eo quod placet sibi.

Denuo quæritur in Regula illa : Si quis industrius sit et promptus ad implenda mandata, agat autem non quod ei injungitur, sed quod ipse vult, quam mercedem habet ? Respondet S. Basilius : Merces ejus illa ipsa est, quod placet sibi (id est propria concupiscentia). Quum autem dicat Apostolus, Unusquisque proximo suo pla- *Rom.* XV, 2.
ceat in bono ad ædificationem ; et ut amplius retraheret audientes a complacentia sui, adjecit, Etenim Christus sibi non pla- *Ibid.* 3.
cuit : sciat unusquisque in hoc consistere suum periculum, quod vult sibi ipsi placere ; simul enim et inobediens invenitur.

Deinde quæritur ibi : An licet religioso excusare opus quod ei injungitur, et aliud quærere ? Respondet Basilius : Quum definitum sit mensuram obedientiæ esse usque ad mortem obedire, qui devitat quod ei injungitur et aliud opus quærit, primo omnium inobedientiæ reus est, et mani-

feste ostendit quod nondum abnegavit se A ipsum. Insuper multorum malorum causa efficitur tam sibi quam aliis : quoniam aditum contradictionis pluribus aperit, et se ipsum ad contradicendum assuescit. Si autem rationem habet propter quam excuset se ab opere sibi injuncto, exponat hanc præsidenti, et relinquat ejus judicio.

Consequenter quæritur ibi : Si injunctum fuerit aliquid Fratri, et contradixerit, postea autem sua sponte obedierit, quid est ? Respondet Basilius : In eo quod contradixit, judicandus est inobediens ex- B stitisse, et ceteros concitans ad simile malum. In quo sciat se obnoxium sententiæ illi quæ ait : Contradictiones suscitat omnis malus ; Dominus autem angelum immisericordem (id est diabolum) immittet ei. Si autem compunctus fuerit de sua contradictione, satisfaciat primo de ea, et ita impleat quod fuerat ei injunctum, si permittit qui præest.

Prov. XVII, 11, juxta LXX.

Postremo quæritur ibi : Si obediat quis et murmuret, quid fiet ? Ad quod Basilius : Quum dicat Apostolus, Omnia facite C sine murmurationibus et hæsitationibus, alienus sit a Fratrum unitate qui murmurat, et opus ejus abjiciatur, quoniam infidelitate ægrotat, et certam futuræ retributionis non gerit fiduciam.

Philipp. II, 14.

Ecce ex iis sanctorum et illuminatissimorum Patrum verbis docemur quanta ad veram obedientiam requirantur atque pertineant. Idcirco religiosus studeat ex intimo ac integro cordis affectu obedire, et se ipsum in cunctis abnegare, vincere, mortificare atque relinquere ; sicque spe- D cialissimam gratiam obtinebit a Domino, et consolationes secretas a Spiritu Sancto, et fiet celeriter virtuosus.

ARTICULUS XXXV.

De eadem materia ex verbis S. Bernardi et aliorum.

DOCTOR religiosorum præcipuus, sanctus pater Bernardus, ait : Disce, o homo, obedire ; disce, tu qui terra et pulvis es, obtemperare ac subdi : quoniam de Deo ac Domino tuo Jesu Christo ait Evangelista, quod erat subditus illis, videlicet Mariæ et Joseph. Denique perfectæ obedientiæ exemplum et formam præbuit Paulus, dicens : Domine, quid me vis facere ? O quam pauci inveniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui scilicet suam voluntatem sic abjecerunt, ut omni hora requirant non quid ipsi, sed quid Dominus velit ! Multorum pusillanimitas et perversitas profecto exigit hodie ut ab eis quæri oporteat, Quid vis faciam tibi ? et non ipsi quærant : Domine, quid me vis facere ? Considerare necesse habet minister et vicarius Christi quid sibi præcipi velint ; non ipsi considerant quæ voluntas sit præceptoris. Discernunt atque dijudicant et eligunt in quibus obediant imperanti, imo in quibus necesse sit præceptorem suum ipsorum obedire voluntati. Non est eorum obedientia plena, nec parati sunt in omnibus obsequi, neque in omnibus sequi conantur eum qui non suam sed Patris venit facere voluntatem. Quicumque enim aperte aut occulte satagit ut spiritualis pater hoc ei injungat quod ipse habet in voluntate, ipse se fallit, si putat se obedientem. Neque enim in ea re ipse obedit prælato, sed magis ei obedit prælatus. Quod si obediat quis quidem ad oculum, murmuret autem in abscondito, falsa est obedientia. Sola caritas facit obedientiam gratam et acceptabilem Deo ; et verus obediens dat suum velle et suum nolle. Præterea, ad hoc quod quis sit vere obediens, necesse est ut non sit in proprio sensu pertinax, nec proprio innitatur consilio. In corde namque est duplex lepra, videlicet propria voluntas et proprium consilium : lepra utraque pessima nimis. Lepra proprii consilii eo perniciosior est quo amplius latens ; et quanto magis abundat, tanto sibi quisque sanior esse videtur. Hæc illorum est qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, sequentes errorem suum, et obstinati in eo, ita ut

Luc. II, 5
Act. IX, 6
Joann. 38.
Rom. X, 2

nullis acquiescant consiliis. Hi unitatem A et pacem perturbant. Advertant ergo quod quasi scelus idololatriæ sit non acquiescere. Et quæ major superbia, quam ut unus homo toti congregationi suum judicium præferat, tanquam ipse solus habeat Spiritum Dei? Hæc Bernardus.

Reg. xv,

Advertat religiosus quantum crimen sit inobedientia sua. Est enim contra divinum præceptum : quoniam Christus jussit suis obedire vicariis. Est quoque contra votum solenne : et ita excedit perjurium in gravitate. Denique, si quis obtulisset B ecclesiæ calicem, et deinde calicem illum ecclesiæ datum retraheret sibi et applicaret proprio usui, nonne enorme facinus esset, et furtum ac sacrilegium, seu rapina sacrilega? Quanto magis gravissimum scelus est, dum religiosus voluntatem suam, quam Deo et ejus vicario dedit ac obtulit per votum solenne, retrahit sibi, et utitur ea ad libitum per inobedientiam maledictam? Hoc plane est sceleratissimum furtum, abominabile sacrilegium, rapina æterno supplicio ulciscenda.

At vero inobedientia solet nasci ex superbia. Et sunt nonnulli spiritualiter et occulte superbi, qui quamvis vix trahi queant ad ea quæ præsidens præcipit eis, tamen ad alia quædam exercitia ex suo genere alta et ardua, sunt fortes et proni, præsertim ad faciendum ea juxta propriam voluntatem, videlicet ad orationes, meditationes, disciplinas, psalmodias, vigilias. Hi, proh dolor! fallunt se ipsos. Ideo audiant et formident quod sanctus ait Bernardus : Nec studium bonæ actio- D nis, nec otium sanctæ contemplationis, nec lacrimæ pœnitentis extra obedientiam Deo placent : imo ingratum est Spiritui Sancto quidquid ei obtuleris, neglecto eo ad quod teneris. Verus obediens mandati exsecutionem non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri manusque operi, et se totum colligit intus ut mandatum impleat præsidentis. — Hinc quoque in statutis Ordinis Cartusiensis habetur : Quanquam multa sint quæ religiose agimus, solo tamen obedientiæ bono omnia nobis profutura speramus. Quæ obedientia si deesset, tanti labores non solum meritum nullum haberent, sed etiam æternam damnationem acquirerent.

Itaque de his omnibus caritative, frequenter ac diligenter sunt instruendæ ac admonendæ personæ tertii Ordinis a suis Visitatoribus, ministris seu confessoribus et matribus, ne ab invisibilibus hostibus suæ salutis aliquo modo decipiantur.

ARTICULUS XXXVI.

Qualiter instruendæ sint de omni vitio proprietatis vitando, et de vera paupertate, ad quam ex professione tenentur.

JUXTA præhabita, religiosi ad paupertatem se obligant voto, prout paupertas est virtus qua non solum exterior substantia non habetur nec aliquid proprium possidetur, sed et inordinatus affectus ha- C bendi ea abjicitur, et mens propter Deum omnem proprietatem in talibus detestatur. Quemadmodum autem religiosis facilius est proprietatem istam vitare quam gulæ et incontinentiæ ac superbiæ motus, ita vitium proprietatis eis fit difficillimum repellere, si semel cœperint illud admittere, prout Cassianus docet diffuse.

art. xii.

Cf. t. XXVII, p. 78 C et s.

Hinc sancti Patres diligentissime docuerunt, imo et districtissime præceperunt ut hoc vitium proprietatis in primis pure ac radicitus evellatur. Hinc S. Benedictus ait in Regula sua : Præcipue hoc vitium proprietatis amputetur radicitus de monasterio, ne quis præsumat aliquid dare aut accipere sine abbatis jussione, neque habere propriam ullam omnino rem, nec codicem, nec tabulas, nec graphium, quum religiosis non liceat corpora sua aut voluntates habere in propria potestate. Ideo omnia necessaria petantur a Patre monasterii; nec quidquam liceat habere, quod ipse non dederit aut licentiaverit. Quod si quisquam deprehensus fuerit huic nequis-

simo vitio subjacere, admoneatur semel et iterum ; et si non emendaverit se, debitæ pœnæ subjaceat. — Iterum ait : Lecta Fratrum a patre spirituali frequenter scrutanda sunt, ne quis habeat aliquid peculiare aut proprium ; et si apud aliquem inventum fuerit quod a Patre non acceperit, gravissimæ disciplinæ subjaceat. Et ut omnis excusatio necessitatis auferatur, omnia necessaria dentur a Patre.

Hinc quoque S. Hieronymus scribit in Regula sua : Tanquam fatuus in sabulo ædificat qui in apostolica vita et religionis proposito appetit temporales divitias. Hic attendite, o filiæ, diligenter : hic periculum omne est, hic interitus animæ, hic mors æterna. Qui jam renuntiaverunt omnibus quæ possident, et ex voto promiserunt propria non habere, nihil terrenum, nihil temporale tanquam proprium debent habere neque appetere : certe non tunicam, non caligam, neque quodcumque aliud minimum. Idcirco obtestor vos omnes et singulas coram Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est omnes, ut aurum et argentum et cito transiens pecunia nulla ratione cor vestrum seducat, ut aliqua vestrum *Act.* v, 3, 9. cum Anania et Saphira mentiri nitatur Spiritui Sancto, quem nihil latet, retinendo apud se occulte quantumcumque minimum temporale. *Matth.* v, 3. Hinc dicuntur beati pauperes spiritu, ut sciatur quod non sufficit cuncta temporalia relinquendo ad monasterium pauperem accedere, si mens miserrima appetit quæ reliquit : quoniam oculi Dei magis contemplantur affectum quam nummum aut censum. Melius est enim in sæculo cum divitibus temporalibus rebus insistere, quam in monasterio pauper ipsas appetere. Propter quod volo et hortor ut in monasterio vestro hæc perpetua observatio maneat, quod nulla Soror audeat tangere aut retinere per horam censum vel obolum, aut aliquid quantumcumque minimum, quanquam a matre aut sorore mittatur. Sic, sic, Dei sponsæ, sponsum Jesum adstringite mentibus mundis a terrenorum contagione, quoniam se-

A cum in habitatione nihil permittit esse terrenum. Sic, sic, apostolicæ feminæ, projicite peras et sacculos, ut neque marsupia ex latere pendeant, nec opus sit clavibus, ut monstretur ex ipsis exteriorum indiciis, quod nihil habetur intrinsecum nisi Jesus. Nunquam in Christi et Apostolorum consortio (id est in claustro) quærat filia regis præeminere pompis terrenis. Dignitatibus carnis spiritualis vita non eget, et carnis arrhas Christus non quærit in suo conjugio. Quæ nobilior est, ipsa quoque exsi-

B stat humilior, et ad cuncta obsequia, etiam vilia, promptior. Hæc Hieronymus.

Omnia ista perpendant sollicite ministri et matres personarum tertiæ Regulæ quæ ad tria vota se obligant, ut vitium proprietatis inter eas nullo colore, nulla occasione subintret. Nec permittant ut in eorum congregationibus unus abundet in aliqua re, et alter indigeat. Idcirco, si alicui Fratri aut Sorori vestes aut aliquid tale apportetur et detur a parentibus vel cognatis, nequaquam recipiat ea sine mi-

C nistri aut matris licentia, nec dentur ei, nisi indigeat eis. Vel si ei donantur, mox auferantur ab eo vel ab ea vestimenta, camisia, seu consimilia quibus non indiget, quatenus indigentibus tribuantur.

Hinc in Regula S. Benedicti habetur : Nullatenus liceat monacho sine licentia dare aut recipere munuscula, litteras aut eulogias a parentibus, neque ab invicem, nec ab aliquo hominum. Et si a parentibus alicui aliquid directum fuerit, non præsumat illud accipere nisi indicaverit prius

D abbati, in cujus sit potestate cui illud detur. Nec contristetur Frater cui forte directum fuerat, si ei datum non fuerit, ne diabolo detur occasio.

Hinc ait et Hugo : In communi vita nihil licet occulte recipi, nihil proprium retineri ; sed si quid alicui detur, præsentandum est præsidenti, ut cui necesse fuerit præbeatur. Sic namque avaritia exstinguitur, superfluitas resecatur ; sic nutritur caritas, et sancta custoditur paupertas : quia dum animus non habet terrena re-

tinere, cogitur cœlestia cogitare. Sed sunt A aliqui qui graviter conturbantur, dum ea quæ eis data aut missa sunt, retinere non permittuntur. Amant munuscula, delectantur in propriis; et sæpe ex parvis et vilibus rebus tanto inardescunt desiderio, ut earum occasione concordiam Fratrum soleant perturbare : quod diabolica persuasione certum est fieri. Debemus ergo dæmonum laqueos in omni rerum materia præcavere, et cuncta terrena animi virtute calcare.

Præterea, B. Augustinus ait in Regula B sua : Quicumque ad tantum progressus fuerit malum, ut occulte litteras aut munus accipiat, si sponte hoc confitetur et prodit, parcatur ei, et oretur pro eo. Si autem deprehenditur aut convincitur, gravius emendetur. Quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur. Circa quod ait Hugo : Frater qui rem sibi collatam celare appetit, Judæ traditoris locum tenet in Ecclesia sancta.

Itaque omnis religiosa persona diligentissime studeat mentem suam reformare C funditusque purgare ab omni inordinata affectione circa terrena : quia, ut sancti anachoretæ abbas Paphnutius abbasque Daniel docuerunt, nisi religiosus sic fecerit, paulatim circa minima quæque inordinatius afficietur.

ARTICULUS XXXVII.

De informatione Fratrum et Sororum circa votum castitatis, et de remediis contra tentationes et contra concupiscentias carnis. D

NON solum ab actu exteriori obsceno, scilicet fornicatione, sed etiam ab interiori concupiscentia vitiosa religiosus promittit se abstinere per votum castitatis. Quum igitur mens humana diu esse non possit sine amore et delectatione, ideo omnis religiosa persona debet se tota diligentia et conatu assiduo dare ad veram et spiritualem dilectionem ac delectationem in actibus virtuosis, atque ab omni carnali amore et delectatione sensuali cavere.

Et si quæratur qualiter istud fieri valeat, respondendum quod ita. Ad hoc enim quod crescamus et accendamur in Dei amore, primo valet, quod consideremus quam bonus, amabilis et superdesiderabilis sit Dominus Deus noster : quia revera universis et singulis creaturis est in infinitum desiderabilior, melior, pulchrior, atque in omni nobilitate et perfectione eminentior. Et qui non potest sic Deum pure ac intellectualiter contemplari, saltem credat sic esse, et ex rebus creatis hoc ipsum pro posse perpendat. Secundo valet ad idem, considerare quod Dominus et Creator noster ipse prior dilexit nos. *I Joann.* IV, 10, 19.
Durissimus namque ingratissimusque existit, qui non rediligit eum a quo scit se diligi, et qui prior dilexit se. Tertio valet ad hoc, considerare universa beneficia Dei pro posse, et præsertim quod unigenitus Dei Filius propter nos factus est homo, et tanta pro nostra salute fecit ac sustinuit. Quarto, quod tam ineffabilem beatitudinem nobis præparavit in cœlis. Quinto valet ad hoc, omni hora invocare Dominum quatenus sua sancta caritate et spirituali proximorum dilectione dignetur nos inflammare. Sexto valet ad hoc, facere sibi consuetudinem elevandi cor suum ad Deum, in omni loco, actu et tempore eum laudando, orando ac meditando. Septimo, divina præcepta viriliter exsequi.

Religiosus ergo non afficiatur ad aliquam personam humanam nisi puro et spirituali affectu, in quantum videlicet est Dei creatura, summæ Trinitatis imagine insignita, ad æternam beatitudinem a Deo ordinata et condita, et Christi sanguine liberata, atque in quantum ornata est caritate et gratia Dei ceterisque virtutibus et actibus bonis, vel eis ornari potest, et ut ea obtineat. Porro amor naturalis, familiaris ac socialis ad spiritualem amorem est referendus.

Ad hoc autem quod omnis religiosus

vitet omnem carnalem et turpem amorem A et concupiscentiam sensualem, requiritur quod vitet causas et occasiones concupiscentiæ et carnalis amoris, videlicet incautum adspectum, tactus, amplexus et oscula, colloquia quoque superflua et lasciva, imo et imaginationes ac cogitationes carnales et fœdas, societates periculosas, loca et tempora importuna. Nec solum vitanda sunt ista circa personas feminei sexus, sed etiam circa adolescentes et juvenes sexus virilis.

Denique concupiscentiæ et stimuli car- B nis quandoque oriuntur ex causa naturali seu interiori atque spontanea : quia etsi dæmones non essent neque tentarent, adhuc homines sustinerent hujusmodi motus. Aliquando vero oriuntur ex causa extrinseca, hoc est, ex dæmonum suggestione, sive ex humana instigatione, vel exteriorum objectorum impressione. Et qualitercumque oriantur concupiscentiæ et stimulationes istæ in homine, debet eis unusquisque, potissime religiosus, prudenter resistere, dissentire, imo et ne oriantur in se provide C prævenire, quantum sibi exstat possibile, vitando (ut dictum est) causas et occasiones earum.

Præterea multis modis resistendum est eis. Primo, per orationes assiduas atque ferventes. Secundo, per frequentem, præcordialem et compassivam meditationem passionis dominicæ. Tertio, per sapientialem considerationem quatuor novissimorum : quæ qui quotidie diligenter attendit, varia evadit peccata. Qui enim quotidie pensat se moriturum in brevi, D atque perpendit districtionem divini judicii, acerbitatem quoque omnis infernalis supplicii, et inenarrabilia gaudia paradisi cœlestis, faciliter potest abhorrere peccata et oblectamenta carnalia. Quarto, omnem otiositatem et loquacitatem vitando, seque viriliter occupando in actibus bonis. Quinto, omnem gulam atque convivia fugiendo. Sexto, ut tactum est, vitando ea ex quibus nascuntur concupiscentiæ et stimuli carnis, videlicet incautum et libidinosum adspectum, turpem imaginationem, cogitationes immundas, tactus, amplexus et oscula, atque similia libidinis incitamenta. Estque tentationibus et concupiscentiis carnis statim in principio quum cœperint surgere resistendum. Et debet se homo avertere ab intuitu, imaginatione et consideratione objectorum et incitamentorum actuumque carnalium. Affectiones namque et concupiscentiæ ex aliqua prævia cognitione nascuntur, quum objectum appetitus sit bonum cognitum. Quum igitur cœperit quis sentire in se ortum alicujus concupiscentiæ aut sensualis amoris vel stimuli carnis, protinus se convertat ad orationes, ad meditationem dominicæ passionis, ad memoriam novissimorum, et ad cetera remedia contra concupiscentiam et vitia carnis valentia.

Hoc quoque sciendum, quod non solum consensus in opus obscenum, sed etiam consensus in delectationem est mortale peccatum ; similiter delectatio morosa in cogitatione seu apprehensione consistens. Hinc S. Augustinus valde admonet religiosos ut oculos suos non figant in aliquam feminam. Et Dominus ac Salvator contestatur : Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. *Matth.* 28. Subjiciendus est ergo sensitivus appetitus rationi, ut nil appetat nisi secundum rectæ rationis imperium ac dictamen.

ARTICULUS XXXVIII.

Quam caritative, patienter et gratanter suscipienda sit paterna ac fraterna correptio atque correctio.

AD proficiendum in vita religiosa valde salubre et utile, imo et necessarium est, paternas et fraternas increpationes ac admonitiones libenter accipere, debitam quoque correctionem cum contritione et humilitate amplecti : quia in multis offendimus omnes, *Jacob.* III, quum et justus septies in *Prov.* XXI 16.

s. lxiv, 6. die cadat, et universæ justitiæ nostræ sint A quasi pannus menstruatæ, nec numerare valeamus peccata quæ omni die incidimus, non solum peccata commissionis, sed etiam omissionis, quæ tot et tanta sunt, quod ea pro maxima parte nescimus neque advertimus. Propter quod vir sanctus clamavit : Ps. xviii, 3. Delicta quis intelligit ? Ab occultis meis munda me, Domine.

Quum ergo peccata sint vulnera animæ et læsiones ac maculæ ejus, imo et spiritualis mors vel dispositio ad eamdem, quid tam insensatum ac fatuum, quid tam B injustum ac improbum, sicut corripi ac corrigi nolle, quum paterna seu fraterna correptio non sit nisi saluberrima medicina ad curandum peccata præterita, ad pessumdandum præsentia vitia atque ad præcavendum futura ? Ideo cum omni gratiarum actione est correptio illa suscipienda, præsertim a præsidente, deinde a confratribus et consororibus universis, et non solum verbalis correptio, sed etiam realis correctio a præsidente. Et certe qui pro suis peccatis veram habet contritio- C nem, et propriam agnoscit miseriam, defectuositatem et culparum suarum congeriem, non aliud optat in præsenti vita nisi reprehendi et castigari. Ideo istud est signum veræ humilitatis et saluberrimæ contritionis. Porro qui reprehendi et corrigi dedignatur, qui metuit increpari, qui vituperari, accusari humiliarique refugit, superbiam, insipientiam et vanitatem suam demonstrat. Qui vero increpantem et corrigentem contemnit, dijudicat aut dure alloquitur, aut ei irascitur, detrahit, indi- D gnatur, vel contra ipsum amaricatur, similis est phrenetico ; nec ovi, quæ transit sub baculo sui pastoris, sed cani et lupo remordenti recte assimilatur.

Præterea, dato quod quis immunis sit a peccato quod ei objicitur, tamen propter alia peccata sua innumerabilia et occulta debet increpationem et disciplinam gratanter suscipere, imo etsi nulli subesset peccato : quia correptio ista non solum est peccati medela, sed etiam cautela contra peccata futura, et via promerendi gratiam ampliorem, saluberrima quoque exercitatio ad patientiam obtinendam et ad frangendum ac superandum se ipsum. Ideo eam diligere et amplecti, signum est veræ sapientiæ, humilitatis et contritionis.

Hinc divina Scriptura, præsertim in libris Sapientialibus, copiosissime ac specialissime admonet non solum religiosos, sed etiam universos fideles, ad exhibendum aliis et ad suscipiendum ab eis correptionem. Nempe in primis Virtus et Sapientia Dei Patris, Christus Dominus, jubet : Si *Matth.* peccaverit in te (id est te sciente) frater xviii, 15. (id est proximus) tuus, corripe eum inter te et ipsum solum. Hinc et Salomon in Proverbiis ait : Qui diligit disciplinam, *Prov.* xii, 1. diligit et scientiam ; qui autem odit increpationes, insipiens est. Et rursus : Qui *Ibid.* xv, abjicit disciplinam, despicit animam suam ; 32. qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis. Qui autem illusor est, *Ibid.* xiii, 1. non audit quum arguitur. Iterumque protestatur : Argue sapientem, et diliget te ; *Ibid.* ix, 8, doce justum, et festinabit accipere. Viro 9. *Ibid.* xxix, qui corripientem dura cervice contemnit, 1. repentinus superveniet ei interitus. Præterea in Ecclesiastico scriptum est : Corripe *Eccli.* xix, amicum, ne forte non intellexerit, et 13. dicat, Non feci ; aut si fecerit, ne iterum addat facere. Quam bonum est arguere *Ibid.* xx, 1, quam irasci ! Quam bonum est correptum 4. ostendere pœnitentiam ! sic enim effugies peccatum. Qui odit correptionem, vesti- *Ibid.* xxi, 7. gium est peccatoris ; qui autem timet Deum, convertetur ad cor suum.

Hoc demum sciendum, quod correptio delinquentis uno modo est actus caritatis, et ita pertinet ad superiores et æquales ac inferiores. Alio modo est actus justitiæ, et ita pertinet ad superiores ac præsidentes, ad quos etiam spectat correptioni correctionem adjicere, dum ratio id requirit. Corripiendus est autem peccans, non ex perturbatione, crudelitate, odio aut impatientia, neque aliqua vehementia passionis, sed ex caritate, justitia, discretione, pietate et compassione, ita ut ipse corri-

piens propriæ infirmitatis sit memor, et sic conetur delinquentem curare, ut nec se ipsum per iram, impatientiam aut passionem aliam lædat, nec correptum ad graviorem inducat ruinam. Hinc ait Isidorus : Qui delinquentem superbo aut odioso animo corripit, non emendat, sed percutit; quidquid indignans aut protervus protulerit animus, furor est objurgantis, non dilectio corrigentis; quidquid lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non caritas emendantis. Verumtamen, eodem protestante Isidoro, qui blando verbo castigatus non emendatur, necesse est ut acrius arguatur; et qui secrete admonitus se corrigere negligit, publice arguendus est; et vulnus quod occulte sanari non potest, debet manifeste emendari. Manifesta quoque peccata non sunt occulta correctione purganda. Hinc Apostolus jubet (*I Tim.* v, 20.) : Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant.

Sed, ut Antisiodorensis scribit in Summa sua, paucissimi præceptum istud fraternæ correptionis adimplent. Et in hoc hi qui præsunt, damnabilius negligentes exsistunt. Verum, quoniam sanctis doctoribus Ambrosio Chrysostomoque testantibus, indigni sunt alios judicare atque corripere qui in eisdem aut majoribus sunt peccatis, ideo qui præsunt, debent se ipsos in primis corrigere et irreprehensibiles exhibere, ne eis illud valeat dici (*Luc.* IV, 23.) : Medice, cura te ipsum; et illud Apostoli (*Rom.* II, 21.) : Qui alium doces, te ipsum non doces. Debent quoque qui præsunt, in correptionibus et correctionibus suis circa subditos uti grandi discretione, et misericordia justitiam contemperare.

ARTICULUS XXXIX.

De taciturnitate servanda, et loquacitate vitanda.

Quemadmodum libri Sapientiales specialiter exhortantur omnem hominem ad suscipiendum æquanimiter correptionem et correctionem pro suis peccatis, ita specialiter ac diligentissime, imo et frequentissime admonent omnem fidelem ad refrenandum propriam linguam, et ad indesinentem custodiam oris sui, ita ut non nisi fructuosa et ædificatoria verba loquatur, seque a multiloquio reprimat. Denique, quantum vitanda sint verba vitiosa, utputa mendosa, detractoria, pungitiva, irrisoria, contentiosa et seminativa discordiæ, Christus brevi sententia pandit, inquiens (*Matth.* XII, 36.) : De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii.

Hinc Salomon loquitur (*Prov.* XIII, 3.) : Qui custodit os suum, custodit animam suam; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est. Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur (*Ibid.* XVII, 27, 28.). Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam (*Ibid.* XXI, 23.). Stultus autem verba multiplicat : quia in multiloquio peccatum non deerit (*Eccle.* X, 14; *Prov.* X, 19.). Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum (*Prov.* XXV, 28.). Vidisti hominem velocem ad loquendum? Stultitia magis speranda est quam illius correctio (*Ibid.* XXIX, 20.). — Hæc omnia Salomonis sunt verba. Ex quibus docemur quanta sit insipientia loquacium, et quanta damna animæ suæ incurrat homo ex incustodia linguæ suæ.

Hinc quoque in Ecclesiastico scripta sunt multa per diversa capitula, videlicet : Qui odit loquacitatem, exstinguit malitiam; et est odibilis, qui procax est ad loquendum (*Eccli.* XIX, 5; XX, 5.). Qui multis utitur verbis, lædit animam suam (*Ibid.* XX, 8.). Ubi non est auditus, non effundas sermonem (*Ibid.* XXXII, 6.). Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia (*Ibid.* 9.).

Quum igitur refrenatio linguæ sit tam necessaria ad salutem, tamque fructuosa et commendabilis, et incustodia ejus tam periculosa, nociva atque damnabilis; hinc sancti Patres inter observantias regulares præcipuas constituerunt observationem silentii, ut religiosi non nisi certis horis

et de licentia sui superioris loquantur. A
Hinc B. Hieronymus in Regula sua ait :
Illud apostoli Jacobi in corde vestro mul-
Jacob. I, 26. toties repetatur in die : Si quis putat se
religiosum esse, non refrenans linguam
suam, sed seducens cor suum, hujus vana
est religio. Religio igitur sancta non potest
inesse loquacibus, qui ab inutilibus verbis
* Ex abstinere non possunt. Et * hoc sancti Pa-
tres edocti in eremo cum summa diligentia
observant sancta silentia, tanquam sanctæ
contemplationis subsidia. Plures vidi qui
infra septem annos nullum verbum locuti B
fuerunt hominibus. Hinc Jacobus aposto-
lus in refrenatione linguæ beatitudinem
Ibid. 25. ponit, dicendo, Quicumque refrenat lin-
guam suam, hic beatus in facto suo erit :
ut sciamus quod Deus, qui est beatitudo
nostra, haberi et contemplari non potest
in multiloquio. Refrenatio linguæ est, quum
ei silentium imponitur, ne in verba Deo
displicentia prorumpere audeat, vel exer-
cetur ad bonum, ut divinas laudes ex-
solvat.

Præterea Sororibus et monialibus spe- C
cialiter scribit B. Hieronymus : Si quando
mulierculæ de propriis viris, de filiis, de
vestibus, de mundi vanitatibus cœperint
garrulare ut moris est eis, mox frangite
verba earum otiosa, et introducite verba
Dei : quæ si audire noluerint, fenestra
in detestationem criminis claudatur illis
in faciem, et velox fuga testetur sancti-
tatem intrinsecam, ne rumores intrantes
mentem per aures, distractionem et in-
quietudinem cordi inducant tempore ora-
tionis et contemplationis. Exteriores sen- D
sus et os sunt fenestræ et ostia : quæ si
clausa non fuerint, morti patet ingressus
in animam. Porro exteriores sensus nostri
claudi non possunt in tumultibus homi-
num : ideo solum in silentio et quiete
Sap. I, 3. vitantur cogitationes perversæ, quæ sepa-
rant nos a Deo. Tam raro vir vobis appa-
reat, tam raro habeatur de viro inter vos
mentio, ut puellæ vestræ pene ignorent
sexum virilem. Labia viri venena præbent
mulieribus. Vir cujuscumque conditionis
exsistat, aut nunquam vobis appareat, aut
visus perterreat visum vestrum tanquam
horridum monstrum. Propterea volo ut si
necesse fuerit loqui cum viro, velum in
fenestrula tractum, mutuum adspectum
impediat. Hæc Hieronymus.

Sanctus quoque Augustinus inquit : Si-
lentium, o fratres carissimi, vobis summe
necessarium est. Omne verbum quod non
ædificat, in periculum vertitur dicentium
atque audientium. Lingua vestra rationem
sequatur, non voluntatem : non enim so-
lum debemus oculos clausos tenere, sed et
linguas infra dentes servare illæsas. Vanus
sermo, vanæ conscientiæ index est.

ARTICULUS XL.

Quam fideliter debeant Fratres et Sorores laborare, et laborando orare ; et de loquacitate in laboribus vitanda.

HOC plurimum consolatur religiosas
personas de laboribus suis viventes,
quod ait Propheta : Labores manuum tua- Ps. CXXVII, 2.
rum quia manducabis, beatus es, et bene
tibi erit. Verum sunt multi qui pro proprio
lucro et commodo fortius instantiusque
laborant, quam pro bono et emolumento
communi : quia in eis plus regnat carnalis
affectio quam spiritualis dilectio, et im-
probus amor sui, quam caritas communi-
tatis et Dei. Quocontra S. Augustinus ait
in Regula sua : Nullus sibi aliquid opere-
tur, sed omnia opera vestra in unum fiant
majori studio et frequentiori alacritate,
quam si vobis singulis faceretis propria.
Caritas namque, de qua scriptum est, quod
non quærit quæ sua sunt, sic intelligitur, I Cor. XIII, 5.
quia communia propriis, non propria com-
munibus, anteponit. Ideo quanto amplius
rem communem quam vestram propriam
curaveritis, tanto plus vos proficere nove-
ritis. Hæc Augustinus. Super quæ verba
scribit Humbertus : Quidam sunt religiosi
qui ad opera communia sunt nunc impo-
tentes, nunc negligentes, nunc querulosi
et tristes, ad propria autem fortes, læti

et diligentes. Et hoc est quod in loco communitatis singularitatem inducit. Propter quod sanctus ait Bernardus : Homo singularis ad omnia sua est strenuus, ad communia piger. Contra quod ait Apostolus : Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum. Hoc est quod destruit religionem. Quantæ etenim abbatiæ tam in temporalibus quam in spiritualibus perierunt, eo quod relictis bonis communibus, vacaverunt propriis commodis ?

Philipp. II, 4.

Præterea, juxta doctrinam S. Bernardi, in corporali labore sanctæ religionis valde cavenda est omnis loquacitas : alioqui majus demeritum erit in fabulando, quam meritum in laborando. Hinc devotissimi Fratres in eremo atque in sanctorum Patrum cœnobiis cum summo silentio exercuerunt exteriores labores : quia noverunt quod per loquacitatem compunctio cordis dissolvitur, recollectio atque stabilitas mentis in Deo penitus dissipatur ; et ipsi qui laborant, ad jocos et risus prosiliunt, sicque inaniter delectantur, et omni spirituali consolatione privari merentur.

Si itaque Fratres religiosi nolunt in laborando continuum et perfectum servare silentium, quamvis interius meditationibus et orationibus vacent mentalibus, non tamen omittant confabulationes suas frequenter interrumpere per orationes, ita ut is qui præest, aut senior inter laborantes, frequenter voce aliqualiter alta clamet et dicat : Pater noster. Quo audito, unusquisque laborantium dicat devote Orationem dominicam cum Salutatione angelica. Et deinde teneatur ad aliquantulum tempus silentium, quousque præsidens aut senior dicat : Benedicite. Et infra tempus illius silentii mens dirigatur ad Deum.

Hinc Cassianus ait in libro de Institutis Patrum, quod Fratres egressi ad necessaria opera, taliter ea expleverunt, quod nulla penitus inter eos collocutio tenebatur ; sed sic complevit unusquisque opus suum injunctum, quod interim de Scripturis sacris aliquid meditabatur, aut ora-

A tionibus insistebat, et nullam temporis partem infructuose expendit. Nec licuit uni alium tenere cum manu, seu manus invicem sibi inferre. Quod etiam in Regula S. Pacomii divinitus jussum fuit.

ARTICULUS XLI.

Qualiter personæ religiosæ debeant exercitia sua sapientialiter ordinare ad perfectionem.

B SICUT beatissimus pater Antonius docuit, nulla virtus tam compendiose ducit hominem ad veram perfectionem sicut discretio. Exercitia autem religiosorum sunt triplicia. Nam quædam sunt omnino exteriora et corporalia, ut jejunia, vigiliæ, abstinentiæ, disciplinæ, et manuales labores. Alia vero eorum exercitia sunt penitus interiora et intellectualia, ut meditari, contemplari mentaliterque orare, et Deum laudare atque diligere, credere et sperare in eum. Sunt quoque alia eorum
C exercitia, quæ inter præfata se habent medio modo. Sunt enim interiora, et tamen ad reformationem passionum animæ pertinent : quæ passiones in appetitu sunt sensitivo. Exigit ergo vera discretio ut exercitia illa exteriora et corporalia, quum sint infima, ordinentur ad reformationem passionum appetitus sensitivi : quia ad hoc debemus jejunare, abstinere, vigilare, et corpora nostra per disciplinas atque labores affligere, ut sensualitas et sensitiva pars animæ cum motibus et affectionibus
D suis plene subjiciantur imperio rectæ rationis, ac præceptis legis divinæ et ordini caritatis, hoc est, ut concupiscentiæ et delectationes sensuales, carnales amores, timores, ac ceteræ passiones, videlicet ira, tristitia, cupiditas, per rationem et per virtutes morales refrenentur ac rectificentur, ita ut non afficiamur nec moveamur ad aliquam rem temporalem, sensibilem aut carnalem, nisi secundum quod dictat ratio recta, et docet lex divina, et caritas Dei requirit, nec aliter delectemur,

contristemur, irascamur aut timeamus de A quacumque re terrena, carnali aut sensitiva.

Insuper ista passionum reformatio est ordinanda ad perfectam reformationem ac veram perfectionem rationis seu intellectus ac voluntatis, puta ad hoc quod Deum altissimum et æternum pura ac stabili mente contemplemur eumque fervide diligamus, divinam Scripturam intelligamus, sicque æterna, cœlestia ac divina sinceriter meditemur, et ea ferventer amemus. In contemplatione enim et dilectione Dei B consistit tota perfectio nostra. Ideo omnia alia debemus ordinare ad contemplationem dilectionemque Dei omnipotentis, qui est summa et invariabilis veritas, æterna quoque, pura infinitaque bonitas : a cujus contemplatione et dilectione impediunt mentem passiones animæ, nisi refrenatæ sint ac reformatæ. Qui enim impatiens est, iracundus, libidinosus, cupidus, voluptuosus, sæculariter tristis, carnaliter timidus, aut similibus passionibus aut vitiis subditus, non est aptus ad contemplationem C et dilectionem supermundissimi Dei.

Itaque qui corporaliter se exercet et affligit jejuniis, abstinentiis, vigiliis, disciplinis, laboribus, et intus non proficit in reformationibus passionum, in expurgationibus vitiorum, in humilitate, patientia, mansuetudine, sobrietate, castimonia, puritate, stulte inaniterque laborat, et similis est ei qui terram laboriose arat ac seminat, et tamen nunquam colligit fructum.

De hoc Eusebius Emisenus in suis Ho- D miliis pulcherrime ac sapientissime loquitur : Non nobis sufficere credamus quod in hac virtutum schola nos cernimus congregatos, nisi in ipsis virtutibus quotidie proficiamus. Quid enim prodest nobis secretum hujus habitationis, quando tyrannico dominatu malitia in nobis regnat, quando ira superequitat aut impatientia exagitat, quando majorem metum nobis incutit humanus oculus quam divinus, quando nos qui extra mundum esse credimus, per diversarum passionum vitia mundum intra nos inclusum tenemus ? Ideo, Fratres, videte vocationem vestram. Venire ad claustrum seu congregationem, summæ perfectionis initium est ; sed in claustro aut congregatione non perfecte vivere, summa damnatio est. Quid prodest, si locus quietus tantum corporaliter teneatur, et inquietudo in corde versetur ? Quid (inquam) prodest, si in habitaculo silentium sit, et in habitatoribus vitiorum tumultus et colluctatio passionum ? Non ad carnalem requiem, non ad vanam securitatem, sed ad præliandum contra passiones et vitia, ad istum convenimus locum, ut peccata linguæ vincamus, ut non solum invicem non inferamus injurias, sed nec sentiamus illatas. Peculiarius autem istud ad nostram spectat professionem : nihil in hac vita consolationis requirere aut quietis, nec velle recipere bona in hac vita, sed honores refugere, subjectione et abjectione gaudere, paupertatem studio quærere, et non solum facultates, sed ipsas etiam cupiditates e cordibus eradicare. Habendi etenim amor nisi integre resecetur, ardentior est in parvis, et plus torquet in minimis ; et nisi ex corde pauper sis et affectu, paupertas tua miseria est, et non virtus. Jejunare et vigilare, nec tamen mores corrigere, est quasi extra vineam emundare, et vineam ipsam incultam relinquere.

ARTICULUS XLII.

De simonia vitanda.

QUANTUM, id est cum quanta puritate et diligentia, omnis simoniaca pravitas sit religiosis vitanda in susceptione personarum ad religionem, constat ex verbis gloriosi Hieronymi, in Regula sua dicentis : Detestabilem hæresim simoniæ, quam communi pravitate diaboli moniales assuetæ committunt, etiam in auditu horreat vestra societas. Giezi pœna et Simonis vos terreat pravitas. Vox Petri vicarii

Christi ad Simonem nunquam exeat de A auribus vestris : Pecunia tua tecum sit in perditionem ; existimasti enim donum Dei haberi pecunia. Ad vos venientes Sorores, ad Christi suscipite nuptias gratis. Præponatur sanctitas pecuniæ ; exquiratur bonitas vitæ, non generositas carnis, non utilitas mundi. Nulla omnino pactio aut conditio, nulla opinio (id est existimatio de aliqua re temporali danda) quæ mentis puritatem perturbat, præveniat (id est, receptionem personæ præcedat). Apud Isaiam, beatum Sapientia clamat qui excutit B manus suas ab omni munere ; et in Ecclesiastico, qui post aurum non abiit, nec speravit in thesauris pecuniæ, quæ subvertit verum judicium animæ. Hæc Hieronymus.

Act. VIII, 20. — *Is.* XXXIII, 15. — *Eccli.* XXXI, 8.

Insuper Papa Urbanus V tam districte et omnifarie prohibuit aliquid temporale peti a persona ingressum religionis petente, quod ejus prohibitio palliari non potest, nec excusare se potest aliquis ab observantia ejus. Jussit namque ut nec ante receptionem nec in receptione neque C post receptionem aliquid exigatur, et ut nullo colore nulloque modo sub paupertatis prætextu fiat exactio aut pactio de aliquo temporali dando. Constitutionem autem hanc Urbani Papæ successor ejus Gregorius XI confirmavit.

Extrav. lib. V, tit. 1, c. 1.

Hinc quoque in statutis Cartusiensis Ordinis dicitur : A novicio, id est, ab eo qui recipi petit, aut ad noviciatum seu probationem receptus est, nec vestis nec aliud exigatur. Si Prior exegerit, sit extra sedem suam in ecclesia quadraginta diebus et D noctibus, et totidem sine misericordia, infra sex menses, faciat abstinentias. Si Procurator vel alius exegerit, sit novicius per quadraginta dies, et totidem in capitulo recipiat disciplinas. Prioratum quoque Prior et procurationem Procurator amittant, si eis consentientibus exactio jam venit ad effectum. — De hac materia alibi scripsi plenius.

Cf. t. XXV, p. 51 C et s.

Denique quantæ detractiones et temeraria judicia diversaque scandala oriantur quotidie ex practica illa quorumdam religiosorum periculosa qua vel directe vel indirecte, vel per se vel per alios aliquid petunt a persona recipi postulante, experientia docet, et ex ea sanctæ religioni detrahitur, pusilli scandalizantur, pauperes quoque a religionis ingressu impediuntur, nec species mali vitatur : propter quam vitandam asserit S. Thomas in Quodlibetis suis, quod saltem ante receptionem personæ nihil sit exigendum.

Insuper non sufficit ad salutem nihil exigere, sed coram Deo requiritur etiam nihil temporale pro receptione personæ intendere, hoc est non accipere personam intuitu aut spe alicujus rei temporalis dandæ ab ea : quia hoc esset simonia intentionalis. Quam solent incurrere illi qui personam accipiunt absque prævia pactione, tamen si infra annum probationis viderint se nihil temporale, prout sperabant, adepturos ab ipsa, expediunt se ab ea, et quærunt occasionem qua eam egredi faciant nec ad professionem admittant : quod impium est coram Altissimo, quem nullus irridere potest aut fallere. Religiosæ ergo personæ, quæ semel propter Deum omnia temporalia reliquerunt, nequaquam rursus tantis se involvant periculis propter temporalia semel amore Dei contempta, præsertim quum non solum ad meliorem, sed item ad tutiorem viam sint obligatæ, prout in Summa sua Antisiodorensis fatetur.

Galat. VI, 7.

ARTICULUS XLIII.

De temerariis judiciis, suspicionibus, detractionibus, contumeliis seminationibusque discordiæ penitus evitandis.

CHRISTUS in Evangelio : Nolite (inquit) judicare (id est incaute judicando aliquem reprobare aut male de eo sentire), et non judicabimini (judicio reprobationis). Quum igitur proximus, etiam qui peccavit, omni possit momento tangi a Spiritu Sancto et pœnitere, stultum est eum absolute

Luc. VI, 37.

seu penitus reprobare aut condemnare. A Sunt tamen aliqua facta quæ bono nequeunt animo fieri, nec valent a mortali vitio excusari : et de talibus possumus judicare quod prava sint, et quod faciens ea sit impius quamdiu ea exercet aut exercere intendit. Sed quia aliorum intentio nobis incognita est, de ea judicare non possumus, nisi in quantum ostenditur nobis per verba vel facta. Alium ergo judicare non possumus certitudinaliter esse iniquum, nisi dum eum in actu vitioso vel in omissione debiti actus conspicimus. B Qualis vero erit postea, non scimus pro certo. Ideo de absentibus, et de eis quos non scimus esse in actu peccandi vel realiter in omissione debiti actus, non præsumamus certitudinaliter judicare quod mali sint. Nec de eis quos pro nunc scimus esse iniquos, audeamus judicare quod iniqui manebunt, quia nescimus quales futuri sint.

Quum itaque possit homo tam multipliciter errare, deviare, peccare et periclitari judicando de aliis, ideo Christus saluberrime C docuit nos ut non judicemus, quia per hoc varia pericula et peccata evadimus. Hinc et sancti Patres in eremo et omnes viri religiosi ac timorati et sapientes, maxime horruerunt judicare de aliis.

Unde monstratur quam insipientes, intimoratæ ac stolidæ sint religiosæ personæ quæ tam proclives et pronæ sunt alios judicare, non solum confratres et consorores, sed et superiores suos ac judices : quod est valde perversum et ineffabiliter periculosum. D Imo quidam sunt ita perversi et malitiosi, quod discussione propriæ conscientiæ derelicta, ex proposito observant defectus et opera aliorum, et ea quæ possunt interpretari in melius, interpretantur in pejus : imo et ea de quibus certi non sunt quo animo facta sunt, judicant quasi sciant quo animo facta sint, quum tamen religiosa persona non debeat nisi se ipsam indesinenter observare, dijudicare et castigare. Tales ergo curiosi, vani ac fatui homines in periculo atque damnabili statu sunt. Ideo resipiscant, et patrocinentur in propria causa, et quæ Deus requirit ab eis cogitent semper.

Præterea sæpe contingit, quod quanto religiosi minus indigent se occupare circa provisionem domesticam et circa exteriora negotia ardua, tanto facilius occupent se cum temerariis judiciis, vanis suspicionibus illicitisque fabulationibus de proximis suis. Quod faciunt hi qui non advertunt quotidie ad quanta se obligaverint in sua professione, et quantum deficiant a suæ professionis impletione, quam graviter ac multipliciter peccent quotidie, quam metuendum judicium immineat eis ; nec curant quotidie debite proficisci in via monasticæ conversationis, atque cum reverentia condigna et puritate interna in divinæ majestatis præsentia ambulare, sed superficiales, intimorati, remissi ac leves sunt, cancrizantes magis quam progredientes, quum tamen religiosus teneatur in via virtutum quotidie crescere et veræ perfectioni appropinquare.

Insuper advertendum, quod suspicio est æstimatio seu opinio mali de alio ex levibus causis et signis procedens. Et suspicio ista interdum procedit ex malitia suspicantis, qui propriæ malitiæ conscius sibi, omnes æstimat tales qualis est ipse. Secundo procedit ex experientia quadam. Idcirco, secundum Aristotelem secundo Rhetoricæ, senes quidam sunt magis suspiciosi, quoniam plura experti sunt. Et ista suspicio ex experientia nascens, est minus culpabilis, in quantum certitudini magis propinquat. Est autem triplex gradus suspicionis. Primus, dum quis ex levibus signis et causis incipit dubitare de virtute et bonitate alterius : et hoc est veniale peccatum. Secundus gradus est, dum quis ex levibus causis et signis pro certo reputat alium esse malum : et hoc est mortale peccatum, quando malum quod imputat alteri, est mortale. Tertius gradus est, dum quis ex tali suspicione procedit ad punitionem alterius : et hoc est gravius quam solum sentire malum de ipso.

Ex his valde timendum videtur, quod A quidam religiosi frequenter mortaliter peccent in suspicionibus suis, qui ex levi occasione suspicantur mala de proximis : quod est valde vitandum. Et ista vitia eis contingunt qui propria peccata non pensant nec ponderant sicut deberent : ideo quanto immoderatius occupant se circa aliorum observationem, dijudicationem et discussionem, tanto negligentiores et excæcatiores sunt circa proprii cordis custodiam ac propriæ vitæ examinationem ; sicque inaniter complacent sibi, et stulte B audaces sunt atque præcipites ad fabulandum ac judicandum de aliis : quod totum est contra rationem ac proprietatem vere religiosi. Idcirco paulatim ad graviora labuntur, quia frequenter ad verba detractionis prosiliunt : et ita spiritualiter interimunt semetipsos, et eos qui verba eorum libenter audiunt, aut non resistunt, neque dissentiunt. Aliquando etiam in præsentia proximi proferunt verba injuriosa de ipso : quod vocatur contumelia. Sed ex istis sequitur seminatio discordiæ. C Suntque vitia ista valde enormia et plusquam mortalia. Detractio namque est gravius vitium quam furtum et rapina. Et sicut rapina est gravior culpa quam furtum, in quantum raptor majorem irreverentiam et contemptum irrogat ei cui violenter ac publice rapit sua ; sic contumelia est enormius vitium quam ipsa detractio : quoniam contumeliosus, qui alteri in faciem injuriatur per verba, majorem irreverentiam et aspernationem infert eidem quam detractor, qui nocet occulte. D Porro seminatio discordiæ omnibus vitiis jam præfatis est gravior : quoniam maximum aufert bonum, videlicet caritatem, pacem, concordiam.

De his modo pertranseo, quia in aliis opusculis, præsertim in Sermonibus pro religiosis, plenius inde conscripsi. Ex his igitur innotescit quam necessaria sit religiosis refrenatio linguæ, custodia cordis, modestia quoque in actibus exterioribus, et morum honestas.

Cf. t. XXIX, p. 444 D' et s.; XXXI, p. 604 B et s.

De præinductis materiis multa in Regula S. Basilii continentur, ubi sic quæritur : Qui detrahit Fratri, aut audit detrahentem et sustinet, qua dignus est pœna ? Respondet Basilius : Excommunicari debet. Et in hoc manifestum est judicium iracundiæ Dei quæ facta est super Mariam, quando detraxit Moysi : cujus peccatum, nec ipso Moyse pro ea rogante, Deus inultum esse permisit. *Num.* XII.

In eadem Regula ait S. Basilius ad interrogationem qua quæritur usque ad quam mensuram sermo judicabitur otiosus : Generaliter omnis sermo qui non proficit ad aliquam gratiam aut profectum fidei Christi, otiosus est ; et tantum est talis sermonis periculum, ut etiam si bonum esse videatur quod dicitur, et ad ædificationem tamen non pertineat fidei, non effugiat periculum culpæ qui protulit illud, sed in eo quod sermo prolatus non proficit ad ædificationem, contristet Spiritum Sanctum. Hoc enim manifestat Apostolus, dicens : Omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed qui bonus est ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Super quod addidit : Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei. *Ephes.* IV. 29. *Ibid.* 30.

Amplius, in præfata Regula quæritur : An ex toto non licet ridere ? Respondet Basilius : Quum Dominus condemnet eos qui nunc rident, dicendo, Væ vobis qui nunc ridetis ; manifestum est quod nunquam sit tempus ridendi fideli animæ : maxime quum tam multi sint qui Deum quotidie tam graviter inhonorent et mandata ejus transgrediantur, et peribunt atque damnabuntur, pro quibus utique contristari indesinenter convenit et lugere. *Luc.* VI. 25.

Hinc quoque S. Hieronymus in Regula sua ait : Dum caritas vos convenire facit, non sit inter vos feminalis abusio ut undique cachinnis et vocibus aer resonet, et audientium aures terreantur præ strepitu ; sed cum omni modestia state, et una loquente, taceant ceteræ, nec una vocem alterius ex aviditate loquendi interrumpat; ipsa demum quæ loquitur, non præsumat

modum excedere. — Hinc denuo ait gloriosus Hieronymus : Inter vos nunquam disputetur de vita alterius ; maneat divino examini omne judicium. Peccata vestra cognoscite, proprias culpas deflete. Vos ipsas existimate omnibus esse pejores. Si quem alicui detrahentem audieritis, procul fugite, et dimittite eum tanquam serpentem. Nolite instar muliercularum quarumdam esse garrulæ, nec secreta pandatis, sed cum Sponso cœlesti mentem vestram jugiter occupate.

ARTICULUS XLIV.

De quibusdam generalibus saluberrimis documentis.

MULTA sunt præclarissima Apostolorum sanctissimorum documenta, potissime B. Pauli, quæ quamvis ad universos pertineant Christifideles, maxime tamen ad religiosas personas : ideo fervide ac frequenter proponenda sunt eis a superioribus suis, ut est illud quod ad Ro-
om. xii, 2. manos scribit Apostolus : Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probe-
d. 10-12. tis quæ sit voluntas Dei. Caritatem fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes, spiritu ferventes, spe gau-
bid. 14. dentes, in tribulatione patientes. Benedicite persequentibus vos ; benedicite, et
d. 16-19. nolite maledicere. Id ipsum invicem sentientes ; non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos ; nulli malum pro malo reddentes ; providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete, non vosmetipsos defendentes,
bid. 21. carissimi. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

Tale est quoque quod ad Ephesios scri-
A bit Apostolus : Obsecro vos in Domino ut Ephes. iv, 1-3.
digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Estote invicem beni-
gni, misericordes, donantes invicem, sicut Ibid. 32.
et Deus in Christo donavit vobis. Estote Ibid. v, 1, 2.
imitatores Dei sicut filii carissimi ; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos.

His et consimilibus documentis et ex-
B hortationibus plenæ sunt epistolæ Pauli, epistolæ quoque beatissimi Petri, Joannis, Jacobi et Judæ apostolorum : quæ hi qui præsunt religiosis aut aliis, possunt sibi colligere atque memoriæ commendare, ac sibi commissis uberrime inculcare.

Insuper instruendæ sunt religiosæ personæ ut Deo adhæreant ac ministrent non ex servili timore, neque principaliter intuitu præmii seu amore mercedis, sed ex pura ac fervida caritate, in tantum ut fateantur et sciant omnem honorem, cultum
C et servitutem quæ offerunt Deo, nullius esse momenti respectu seu comparatione infinitæ honorabilitatis et excellentiæ Dei, qui in infinitum majori est dignus honore quam ei a cunctis pariter creatis possit impendi. — Hinc ad quæstionem qua quæritur quali affectu debet quis Deo servire, respondet Basilius : Affectum seu animum bonum illum esse arbitror, dum vehemens, inexplebile atque immobile desiderium placendi Deo inest nobis, ita ut
dicere valeamus illud Psalmistæ : Sicut Ps. xli, 2.
D cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Et cum tali affectu oportet nos Deo servire, im-
plentes illud Apostoli ad Romanos : Quis Rom. viii, 35.
nos separabit a caritate Christi ?

Admonendæ sunt quoque ut ea quæ in generali capitulo atque in actu visitationis ordinantur et instituuntur, diligentissime servent. Ministri quoque in hoc se ipsos exhibeant exemplares, ea omnia plenarie adimplendo quæ ipsorum officia aut personas concernunt.

Amplius, exhortandæ et inflammandæ A sunt personæ tertii Ordinis ut ad opera manualia pronæ et alacres sint, juxta præhabita, et ne hæ quæ fortius operantur ac plura lucrantur, de hoc unquam extollantur aut inaniter glorientur, nec eas quæ minus lucrantur, et parum aut nihil laborant, despiciant, nec aliquid plus requirant sibi dari, nisi aliunde ex rationabili indigerent causa. De hoc sancti patres Augustinus, Basilius, Benedictus ac alii, personas Ordinum suorum diligenter edocuerunt. Denique, quam libenter et fortiter personæ B de tertia Regula debeant laborare, ipsæmet merito debent perpendere ex hoc quod specialis institutor et patronus earum, ardentissimus seraphicusque Franciscus, ait in Regula sua : Fratres quibus Dominus dederit gratiam laborandi, laborent fideliter et devote, ita quod excluso otio inimico animæ, sanctæ devotionis et orationis spiritum non exstinguant : cui devotioni debent omnia temporalia deservire. Deinde in testamento suo fatetur : Et ego meis manibus laborabam, et volo C laborare, et firmiter volo quod omnes alii Fratres laborent de laboritio quod pertinet ad honestatem ; et qui nesciunt, discant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter exemplum et expellendam otiositatem.

art. xl.

Insuper, quæstioni qua quæritur an licet alicui vitare opus quod gravius esse videtur, respondet Basilius : Qui pure ac fideliter diligit Deum et certus est de remuneratione ejus futura, nequaquam sibi sufficere putat implere ea quæ sibi injun- D guntur, sed majora opera quærit ; nec unquam securus est, quasi satis laboraverit, sed sollicitus anxiusque consistit, memor verbi Christi dicentis : Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus ; quod debuimus facere, fecimus. — Verumtamen, facto signo aut pulsu ad obsequium divinum, ab exteriori opere est cessandum.

Luc. xv 10.

Postremo, universis qui præsunt, vigilanter pensanda est responsio magni Basilii, qui ad quæstionem qua quæritur, quid sentire debet de se is qui præest, dum præcipit aliquid, ita respondet : Apud Deum sit sicut minister Christi et dispensator mysteriorum Dei, timens ne præter voluntatem Dei, vel præter id quod in sanctis Scripturis evidenter præcipitur, aliquid dicat vel imperet, et inveniatur tanquam falsus testis Dei, aut sacrilegus, vel introducens aliquid alienum a doctrina Dei, vel certe omittens sive præteriens aliquid eorum quæ Deo sunt placita. Porro ad Fratres debet esse tanquam nutrix fovens parvulos, paratus eis communicare non solum Evangelium Dei, sed etiam animam suam, memor præcepti Dei ac Domini nostri dicentis : Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos ; et, Majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

I Thess. 1 7.

Joann. xii 34.

Ibid. xv, 13

Sic itaque in schola virtutum, hoc est in congregatione seu claustro, quod est schola cœlestis magisterii, omnes pariter proficere atque ad sanctam perfectionem pertingere nitamur, ut post incertissimæ vitæ hujus curriculum ingredi valeamus cœlestis paradisi palatium. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS ENARRATIONIS IN TERTIAM REGULAM S. FRANCISCI.

DE OBEDIENTIA
SUPERIORIBUS PRÆSTANDA

PROŒMIUM

OMNIS *anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Rom. XIII, 1.

In verbis præmissis Apostolus per omnem animam, intelligit hominem omnem, seu universos fideles : quos hortatur ut potestatibus sublimioribus sint subjecti, id est, superioribus suis sponte et caritative ex obedientia vera subdantur. Et non dixit Apostolus singulariter, potestati sublimiori, sed pluraliter, « potestatibus sublimioribus », quoniam in Ecclesia militanti sunt multæ ac variæ potestates prælativæ sibi invicem subordinatæ : ita quod idem homo multos habet prælatos ac superiores ordine condecenti distinctos, quibus omnibus decenter et ordinate obedire tenetur. Ideo, quum dixisset Apostolus, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, addidissetque causam, subjungens, Non est enim potestas nisi a Deo; adjecit : Quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt : hoc est, potestates sublimiores ecclesiasticæ et dignitates a Deo procedentes, sunt ab eodem in Ecclesia sapienter congruentique ordine institutæ, ita quod una est altior alia, altiorique potestati obtemperandum est magis.

Denique, de hac ordinatissima distinctione pulchriformique ordine et multiplici varietate ecclesiasticarum potestatum, auctoritatum aut dignitatum tam in militanti quam in triumphanti Ecclesia, profundissime tractat magnus Dionysius in libris suis de Angelica et Ecclesiastica hierarchiis. Etenim tertio de Angelica hierarchia capitulo : Hierarchia, inquit, est sancta rationalium personarum congregatio, per gradus et potestates atque officia ordinate distincta. Octavo quoque ejusdem libri capitulo : A Deo, ait, est institutum, ut inferiores per superiores suscipiant illuminationes divinas. Et rursus in eodem libro fatetur : Ordo hierarchiæ est, ut inferiores a suis cap. III.
superioribus purgentur, illuminentur et perficiantur, superiores vero purgent, illuminent atque perficiant subditos sibi. Sicque omnia sub uno Dominatore altissimo ordinate reguntur, dum unicuique præsidenti secundum mensuram, gradum et exigentiam suæ prælationis aut eminentiæ obeditur. Propter quod hortatur Apostolus : Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis. I *Cor.* XIV, 40.

Hinc super Angelicam hierarchiam magister Hugo de S. Victore disseruit : Dionysius Areopagita ex philosopho christianus effectus theologus, divinæ dispositionis ordinem in rerum omnium gubernatione demonstrat, quomodo rationalem creaturam fecit Deus suæ potestatis ac dominationis participem, constituens principatus et potestates ac magistratus sacros in angelis atque in hominibus. Et hæc est rationalis creaturæ celsitudo ac dignitas admiranda, qua dominatur ac præsidet in operibus sui factoris, accepta virtute ab ipso, et tenens potestatem cum illo.

Hinc quoque dominus Petrus de Alliaco in libro de Ecclesiastica potestate effatur :

Christus Ecclesiam suam instituit statibus, officiis gradibusque diversis hierarchice Ephes. iv, 7. distinctam, juxta illud Apostoli : Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Idcirco varietas officiorum, graduum, statuum ac dignitatum in Ecclesia, non est principaliter ex institutione Ecclesiæ, nec ex alicujus puri hominis auctoritate processit : unde nec eam destituere potest. Præfata autem varietas ad sui decorem ordinemque requirit, quod inter auctoritates et potestates Ecclesiæ regitivas sit hierarchica subordinatio, et quod inter eas sit una suprema, cui præ ceteris obedire oportet.

DE OBEDIENTIA SUPERIORIBUS PRÆSTANDA[1]

ARTICULUS PRIMUS.

De materia et motivo hujus tractatuli.

ROGAVIT me venerabilis et religiosus pater dominus Bartholomæus sacerdos, generalis Minister Fratrum de tertia Regula Ordinis S. Francisci in diœcesi Leodiensi, ut ei conscriberem qualiter et in quibus personæ Ordinis sui teneantur plus obedire suo generali Ministro, aut etiam Visitatoribus suis, quam propriis ministris suis : eo quod nonnulli Ordinis sui B ministri, ex imperitia magis quam ex malitia, putent ac dicant sibi Fratres subjectos atque professos, magis sibi quam generali Ministro obedire debere. Ad quod opinandum forsitan inducuntur ex hoc quod Fratres eis commissi, eis directe et immediate obedientiam promiserunt; et obedientia illa essentialis est religioni eorum, ideo inseparabilis ab eisdem. Idcirco in præjudicium obedientiæ proprio ministro promissæ, non videntur obligari plus obedire generali Ministro quam ministro C prælatoque proprio.

Itaque materia ista et ceteros religiosos concernit, videlicet qualiter et in quibus Fratres ac monachi magis sint obligati obedire Visitatoribus suis aut supremo Ordinis sui Patri, quam immediato prælato suo propriove Priori. Ideo intendo, quantum Fons sapientiæ, Dominus universita- A tis, conferre dignabitur, de hac ipsa materia diffuse quid scribere, ut possit et aliis religiosis de quæstione hac hæsitantibus deservire. Verumtamen, quia materia ista satis difficilis est atque subtilis, necesse est ad claram atque resolutam ejus discussionem, non solum sanctorum Patrum, sed scholasticorum quoque doctorum introducere scripta.

ARTICULUS II.

An fideles et religiosi pluribus potestatibus coordinatis subjecti, teneantur in omnibus obedire magis potestati seu prælato superiori, quam inferiori proprio ac immediato prælato.

SICUT religiosi subduntur tam immediato suo prælato, puta Abbati vel Priori seu ministro, quam Visitatoribus suis, et etiam generali totius Ordinis sui prælato religioso, ut Cistercienses Abbati Cistercii, et Cartusienses Priori Majoris Cartusiæ, religiosi quoque non exempti subjecti sunt episcopo ; sic sæculares, laici aut clerici, subditi sunt suo decano aut plebano, atque episcopo aut archiepiscopo. Conformiter Fratres de tertia Regula subduntur proprio suo ministro, et Visitatoribus suis, et item generali suo Ministro. Porro laici sæculares, quantum ad regimen spirituale, subduntur spirituali-

1 Ex editione Coloniensi s. t. n., 1534.

bus suis prælatis, ut tactum est. Quantum vero ad regimen civile, subduntur sæcularibus potestatibus diversis ac subordinatis : quemadmodum idem vir sæcularis subjectus est rectoribus civitatis seu domicello aut domino suæ villæ, et ballivo quoque, et principi militiæ, ac duci seu regi aut comiti, et etiam Imperatori. Universi autem et singuli fideles, tam spirituales quam sæculares, subjecti sunt summo Pontifici, in quo continetur plenitudo utriusque potestatis.

Quæritur primo in generali, utrum fideles qui pluribus potestatibus sunt subjecti, teneantur in omnibus obedire magis potestati superiori quam inferiori.

Et videtur quod imo. Primo, quia potestas superior inferiorem includit et ei aliquid superaddit. Idcirco communiter dicitur, quod quidquid potest potestas inferior, potest et potestas superior. — Secundo, quoniam Augustinus ait in sermone : Si quid jusserit curator, numquid faciendum est, si sit contra proconsulem ? Rursus, si proconsul quid jubeat contra Imperatorem, non est obediendum proconsuli. Ergo oportet in omnibus magis obedire potestati superiori. Hæc quoque verba allegantur circa finem secundi Sententiarum, atque in Glossa super illud ad Romanos :
Rom. XIII, 2. Qui autem resistunt, damnationem sibi acquirunt. — Tertio, quoniam dominus Guillelmus Antisiodorensis affirmat in tertia parte Summæ suæ : Regula est, quod dum duo sunt superiores, et præcipiunt contraria, majori superiori obediendum est.

In contrarium arguitur primo sic : Abbates non exempti, episcopis sunt subjecti; tamen monachi obligantur in multis magis obedire suo abbati quam præsuli : ergo non semper est magis parendum potestati superiori. — Secundo, quoniam subditi episcoporum tenentur in multis casibus magis parere suis episcopis quam archiepiscopis, quum tamen archiepiscopi sint episcopis superiores. — Tertio, quia potestas spiritualis est altior potestate sæculari ; et tamen, si princeps terræ præcipiat subditis suis aliqua ad suam jurisdictionem pertinentia, spiritualis prælatus non potest subditos a tali præcepto absolvere : sicque in quibusdam magis obtemperandum est potestati sæculari quam spirituali. — Quarto, quoniam princeps militiæ est superior simplici patrifamilias : tamen filii in multis tenentur magis suo patri quam principi militiæ obedire, ut etiam nono Ethicorum ait Philosophus.

Ad hanc quæstionem respondet S. Thomas in ultima distinctione super secundum Sententiarum, dicendo quod potestas superior et inferior habent se dupliciter. Primo sic, quod potestas inferior in toto oritur a potestate superiori ; et tunc tota virtus inferioris potestatis fundatur super potestatem superioris : idcirco in omnibus magis obediendum est superiori potestati quam inferiori. Et ita se habet potestas Dei ad omnem potestatem creatam. Sic quoque se habet potestas Imperatoris ad potestatem proconsulis ; et item potestas summi Pontificis ad omnem spiritualem in Ecclesia potestatem, quia ab ipso Papa diversi gradus dignitatum ac potestatum in Ecclesia ordinantur ac disponuntur : unde potestas Papæ est quoddam fundamentum Ecclesiæ. Idcirco omnis fidelis, etiam monachus, magis tenetur obedire summo Pontifici quam alicui prælato inferiori. — Secundo potestas inferior et superior ita se habent, quod ambæ oriuntur ex una quadam potestate eminentiori, quæ unam earum alteri subdit secundum quod vult. Et tunc una non est superior altera nisi in his in quibus ab eminentiori potestate superponitur alteri. Idcirco in illis in quibus sic superponitur alteri, magis obediendum est ei quam alteri illi inferiori. Et ita se habent potestates episcopi et archiepiscopi, descendentes a potestate domini Papæ. Sic quoque se habent potestates episcopi et abbatis, et consimilium inferiorum præsidentium ita ad invicem dispositorum.

Huic distinctioni S. Thomæ concordat Durandus de S. Portiano super secundum Sententiarum.

Denique his consonat quod eadem distinctione ait Bonaventura : Dupliciter (inquiens) contingit loqui de potestate inferiori et superiori. Aut ita, quod potestas inferior taliter fluit a superiori sicut potestas proconsulis ab Imperatore. Et tunc amplius standum est præcepto superioris quam inferioris in omnibus licitis. Aut illæ potestates ita se habent, quod ambæ fluunt a quadam superiori. Et tunc tertia illa potestas superior plenam habet auctoritatem super utramque. Unde respectu Papæ, qui plenam habet potestatem in tota Ecclesia, generaliter verum est quod magis standum est et obediendum præcepto superioris quam inferioris. Hæc Bonaventura.

Præterea ex his patet argumentorum contra hoc inductorum solutio. Ad primum namque dicendum est, quod potestas absolute superior, a qua omnino fluit inferior, inferiorem perfecte includit, et potest quidquid potest inferior; in aliis non oportet. — Ad secundum jam patuit solutio : quoniam Augustinus loquitur de potestatibus quarum una omnino dependet et fluit ab alia, et in talibus magis obeditur in omnibus potestati superiori. — Ad tertium respondetur, quod regula illa intelligenda est in casibus illis in quibus superior præsidens superpositus est præsidenti inferiori, vel quando tota auctoritas inferioris a superioris auctoritate fluit aut oritur.

Postremo, quamvis argumenta ad aliam partem inducta, non sint contra solutionem præinductæ quæstionis jam habitæ, tamen pro eorum declaratione addendum est, quod monachus magis obligatus est obedire abbati quam præsuli in his quæ concernunt statuta regulæ suæ. In his vero quæ ad ecclesiasticam pertinent disciplinam, magis tenetur obedire episcopo quam abbati : quia in illis abbas episcopo est subjectus. — Insuper, in his in quibus magis obediendum est episcopo quam archiepiscopo, archiepiscopus non est episcopo superior, sed solum in casibus a jure determinatis, in quibus subditi ab episcopo ad archiepiscopum habent recursum. — Sic et potestas spiritualis est super potestatem sæcularem in pertinentibus ad animarum salutem. Et princeps militiæ est super militem in bellicis rebus : nihilo minus miles ille in rebus familiaribus atque domesticis subjectus est et obedire tenetur parentibus.

ARTICULUS III.

De potestate et jurisdictione generalis Ministri Fratrum de tertia Regula super Fratres Ordinis sui.

QUAMVIS ex dictis in præcedenti articulo possit trahi solutio ad quæstionem principalem in primo articulo introductam, tamen pro clariori solutione pleniorique intellectu hujus materiæ, descendendum est ad particularia magis.

Itaque in bulla plumbea *Sedis apostolicæ* Fratres de tertia Regula concernente, inter cetera continetur : Generalis Minister, seu deputatus vel deputati ab eo aut majori parte ipsorum*, habeant plenariam potestatem quæcumque justa et honesta ac religioni prædictæ convenientia et utilia statuendi et ordinandi ; etiam inobedientes et delinquentes Fratres, juxta criminum et excessuum per eos pro tempore commissorum exigentiam, et instituta ac ordinationes a generali capitulo ordinata atque ordinanda, corrigere, incarcerare et punire ; et in abstinentiis et jejuniis et austeritatibus ceterisque observantiis in prædicta Regula contentis, ex legitima causa, quum expedire viderint, dispensare ; ac Fratres prædictos et eorum domus et loca visitare, corrigere, punire et reformare ; necnon omnia et singula in præmissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna, facere et exsequi. Nec alius quisquam possit beneficium visitationis hujusmodi exhibere, non obstante quod in eorum Regula continetur, quod Visitatorem habeant sacerdotem qui ali-

*[Fratrum]

cujus approbatæ religionis exsistat. Quodque Fratres prædicti ad observandum præmissa sub pœna excommunicationis et aliis pœnis cogi ac compelli possint, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, advocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, in perpetuum statuere, decernere et ordinare.

Item in eadem bulla continetur : Generalis Minister, quoties opus fuerit, ipsos Fratres per se, vel per alium aut alios, ad id per eum deputandum seu deputandos, quibuscumque dicti Ordinis Fratribus et eorum familiaribus seu servitoribus, eorum confessionibus diligenter auditis, in omnibus, præterquam Sedi apostolicæ reservatis casibus, debitam absolutionem possit impendere et injungere pœnitentiam salutarem. At ipsos Fratres, familiares et servitores a votis minoribus possit absolvere, necnon quoscumque prædictum Ordinem profiteri volentes, ad professionem hujusmodi recipere ; etiam quædam indulta seu concessiones per felicis recordationis Eugenium Papam IV, prædecessorem nostrum, circa tria vota specialia, valeat habere ; ac illi omnes obedire perpetuo teneantur.

ARTICULUS IV.

Solutio principalis quæstionis ex præinductis.

QUALIS et quanta auctoritas seu jurisdictio collata sit ab apostolica Sede generali Ministro Fratrum de tertia Regula, tam in foro interiori conscientioso quam in foro exteriori contentioso, constat ex præcedenti articulo. In quo per consequens patet, in quibus et qualiter tam ministri speciales quam Fratres eis crediti ac subjecti teneantur suo generali obedire Ministro. Nempe in omnibus illis ei obtemperare sunt obligati, in quibus Pontifex summus contulit ei potestatem et jurisdictionem super ipsos. Et quæ sint A illa, præcedens expressit articulus. Potest namque, ex indulto apostolico, tam ipse generalis Minister quam illi quibus ipse vices suas committit, scilicet Visitatores domorum, ordinare atque statuere quæcumque justa, honesta seu virtuosa quæ illorum religioni ac subditis prosint et congruant : et hoc præsertim in actu visitationis; et quæcumque tunc taliter jubent ac ordinant, vim sortiuntur, et obligant tam ipsos ministros qui visitantur quam subditos eorumdem, usque ad visitationem B sequentem, vel usque ad tempus præfixum a generali Ministro seu Visitatoribus. Porro in foro contentioso potest tam generalis Minister quam Visitatores corripere, corrigere et incarcerare eos, præsertim rebelles et criminosos, sicut ex bulla in præhabito allegatur articulo. In foro autem conscientioso possunt subditos suos ab universis peccatis, præterquam Sedi apostolicæ reservatis, absolvere, atque eis pœnitentiam injungere salutarem. Insuper in generali Ministro, non solum in actu visitationis, sed C per totum jugiter annum, manet ac residet potestas sibi collata in his quæ cathedram seu generalis officii sui præsidentiam sollicitudinemque concernunt : per quam semper prospicere, providere potest communi sui Ordinis utilitati, atque in occurrentibus arduis casibus vel gravibus causis in quibus ad ipsum habetur recursus, determinare ac judicare quod rectum expediensque consistit.

Denique per istam generalem communem Ministri auctoritatem, ob quam Fra- D tres Ordinis sui tenentur ei potius obedire quam propriis suis ministris, in punctis et causis ac casibus jam prætactis ejus magisterium ac cathedram specialiter concernentibus : per hanc, inquam, auctoritatem, quam Pontifex summus vocat plenariam potestatem, in nullo derogavit auctoritati et obedientiæ propriorum inferiorumque ministrorum, quoniam professio obediendi eis impendenda est, salvo debito ordine ac respectu ad potestatem superiorum, tam Visitatorum quam gene-

ralis Ministri, et præsertim generalis eorum capituli, cui et ipse generalis Minister subjicitur et parere tenetur ; a quo etiam potest judicari, atque (si justa exegerit causa) deponi, sicut in bulla continetur papali.

Itaque obedientia exhibenda immediato prælato monastico propriove ministro, essentialis est religioni inseparabilisque ab ea, quantum ad ea quæ prælationem et cathedram talis præsidentis concernunt seu ad ejus spectant officium, et hoc quamdiu subditus ac professus manet sub immediato prælato. Imo nec summus Pontifex a tali obligatione et voto solenni obediendi potest religiosum absolvere, secundum doctores præcipuos. Hinc super quartum Sententiarum, distinctione tricesima octava, Bonaventura testatur : Dum Papa aliquem a religione ad prælationem assumit vel ad se vocat, religiosus ille non absolvitur ab obedientiæ voto, quoniam omnem obedientiam quam prius debebat suo superiori, jam debet Papæ, nec potest eum Papa absolvere ab obedientia sua.

Præterea, omnia ista copiosissime possent probari ex verbis divini et magni Dionysii in libris de Angelica et Ecclesiastica hierarchiis, et ex dictis Hugonis, Alberti et aliorum doctorum super libros præfatos. Sed præhabitas probationes reor sufficere, et brevitati studendum est.

ARTICULUS V.

Quousque et in quibus subditi teneantur suis obedire prælatis, videlicet an in omnibus.

ss. III, AD Colossenses scribit Apostolus : Filii, obedite parentibus per omnia ; et ite-
d. 22. rum : Servi, obedite per omnia dominis carnalibus. Si ergo filii et ministri jubentur suis carnalibus parentibus ac temporalibus et sæcularibus dominis per omnia seu in omnibus obedire, multo magis (ut apparet) tenentur tam ipsi quam ceteri

A Christifideles in omnibus obedire spiritualibus suis patribus ac prælatis. Sed advertendum, quod sicut egregius doctor Alexander de Hales, Petrus de Tarantasia ceterique doctores super Sententias concorditer scribunt, ista est regula generalis infallibilisque doctrina, quod unicuique prælato seu præsidenti ac judici vel superiori obediendum est a subditis suis in omnibus quæ ad ejus spectant officium, jurisdictionem seu cathedram. Idcirco verba præallegata Apostoli, et omnes aucto-
B ritates consimiles, intelligenda sunt cum distributione accommoda, non absoluta.

Hinc in secunda secundæ, quæstione centesima quarta, ait Thomas : In his quæ art. 5.
pertinent ad dispositionem actionum et rerum humanarum, tenetur subditus suo obedire superiori secundum mensuram et rationem superioritatis : sicut miles duci exercitus, in his quæ pertinent ad bellum ; servus domino, in pertinentibus ad exsequenda servilia opera ; filius patri, in his quæ pertinent ad disciplinam vitæ et cu-
C ram domesticam ; sicque de aliis.

Rursus eodem libro asserit Thomas : ibidem.
Obediens movetur ad imperium præcipientis quadam necessitate justitiæ, sicut res naturalis movetur ex virtute sui motoris necessitate naturæ. Quod autem res aliqua naturalis non moveatur a suo motore, dupliciter potest contingere. Primo, ex impedimento proveniente ex fortiori virtute alterius moventis : sicut lignum non comburitur ab igne, si fortior vis aquæ impediat. Secundo, ex defectu ordinis mobilis
D ad motorem ; quia etsi mobile subjiciatur actioni motoris quantum ad aliquid, non tamen quantum ad omnia : quemadmodum humor interdum subjicitur actioni caloris quoad hoc ut calefiat, non tamen ut exsiccetur aut consumatur. Conformiter ex duobus potest contingere quod subditus non teneatur suo superiori in omnibus obedire. Primo, propter præceptum potestatis sublimioris : sicut civis non debet obedire proconsuli, si rex aut Imperator contrarium jubeat. Secundo, si superior aliquid

præcipiat inferiori in quo non habet potestatem et jurisdictionem super inferiorem : ut si parentes præcipiant soboli suæ ingredi claustrum, aut non contrahere matrimonium.

Postremo, super secundum Sententiarum, ultima distinctione, sanctus Doctor fatetur : Illi qui obedientiam non profitentur, videlicet sæculares, non tenentur in omnibus obedire spiritualibus prælatis, nisi in his quæ pertinent ad regulam quam in Baptismo professi sunt, ut scilicet abrenuntiantes Satanæ et omnibus pompis ejus, christianam vitam exerceant, et novum induant hominem, qui secundum Deum creatus est. *Ephes.* IV, 24.

Et breviter, unusquisque tenetur obedire suo superiori in omnibus in quibus est suus superior, atque in illis quæ ad suam spectant vocationem. Imo sic unusquisque tenetur obedire Deo, et Ecclesiæ, id est prælatis, ac rectæ rationi seu judicio conscientiæ suæ : nam quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam, ut asserit Augustinus.

ARTICULUS VI.

An religiosi teneantur superioribus suis in omnibus obedire.

POSSET autem aliquis opinari quod religiosi teneantur absolute in omnibus obedire superioribus suis. Primo, quoniam vita et status religiosorum in veteri Testamento præfigurabantur per sacrificium illud dignissimum quod vocatum est holocaustum, quod ad divinæ majestatis honorem totaliter incendebatur et comburebatur usque ad minutissimos cineres : per quod designabatur quod religiosi in evangelica lege debent se ipsos plene et integre Deo offerre, ut unusquisque eorum sit hostia viva, sancta ac placita Creatori. *Rom.* XII, 1. Ergo non debent sibi aliquid reservare de propria voluntate, sed se ipsos totaliter abnegare, atque simpliciter in omnibus obedire. — Præterea, sanctus pater Basilius quærit in Regula sua : Usquequo monachus debet obediens esse ? Et respondet, quod monachus debet sequi Christum, de quo ait Apostolus, quod factus est obediens usque ad mortem. *Philipp.* II, 8. Sicque religiosus obedire [debet] usque ad mortem, non solum quantum ad obedientiæ dominationem, sed etiam in omni actione et passione quæ citra vel usque ad mortem exerceri potest aut sustineri. Unde beatissimus princeps Apostolorum testatur : Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. *I Petr.* II, 21. — Insuper, B. Benedictus ait in Regula sua, quod etsi prælatus aliquid impossibile jubeat, subditus debet tamen attentare ut impleat. Ergo in omni re possibili debet se ad obediendum exponere. — Amplius, S. Bernardus fatetur, quod illorum obedientia non est sincera et plena, qui judicant et discernunt in quibus debeant obedire, et in quibus non. Rursus ait, quod judicium pertinet ad superiorem, cujus est discernere de actibus subditorum, non econverso. Et de hoc illustrissimi patres nostri Climacus et Cassianus multa conscribunt. Si autem religiosus non tenetur obedire superiori suo in omnibus, ergo licite potest judicare in quibus debet obtemperare, et in quibus non ; et si superior suus quædam ad quæ non tenetur præceperit ei, potest præceptum sui superioris dijudicare : quod indecens esse videtur.

Verumtamen, quod religiosus non teneatur superiori absolute in omnibus obedire, ex præhabitis innotescit. *art. præced.* Non enim tenetur obedire suo superiori nisi in pertinentibus ad cathedram præsidentis, hoc est in his quæ continentur in regula quam est professus. Imo, si tenetur subditus obedire in omnibus, unus Ordo non est perfectior alio : quia perfectio Ordinum maxime attenditur penes perfectionem obedientiæ quam religiosi promittunt. Unde, quum Fratres Cartusienses promittunt obedientiam absolute, et non secundum regulam debitam ac certam, propter quod nec regulam habent, sed statuta ; ideo S. Ber-

nardus scribit ad eos in epistola ad Fratres de Monte Dei, qui erant Cartusienses : Altissima est professio vestra. Cœlos penetrat, par angelis est, angelicæ similis puritati. Non enim solum promisistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, et omnis consummationis finem.

Ad hanc quæstionem S. Thomas, Durandus et alii quidam super secundum Sententiarum, Joannes quoque in Summa confessorum et Bartholomæus in Summa Pisana respondent, dicentes quod quædam sit obedientia imperfecta et sufficiens ad salutem; et de illa loquendo, non tenetur religiosus obedire nisi in his quæ exprimuntur in regula quam profitetur. Alia est obedientia perfecta, quæ potest dici supererogationis, per quam subditus sponte obedire conatur non solum in his ad quæ ex voto adstringitur, sed item in omnibus quæ non contrariantur legi divinæ, aut regulæ suæ professionis. (st. xliv.)

Porro quod hæc ita se habeant, probatur ex verbis Bernardi, in libro de Dispensatione et præcepto dicentis : Nihil me prælatus prohibeat eorum quæ promisi, nec plus requirat a me quam promisi. Et rursus : Hoc non parum præscribitur voluntati prælati, quod is qui profitetur, spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, sed determinatam secundum regulam aliquam. Idcirco prælatus sciat ex regula præfixam sibi mensuram : sicque sua moderetur imperia circa id solum quod rectum est; nec tamen circa quodlibet rectum, sed circa hoc tantum quod constituit regula. — His verbis addit Bernardus : Ceterum subditus hujusmodi obedientiam quæ voti finibus coarctatur, esse noverit imperfectam. De plena vero obedientia loquitur idem sanctus pater Bernardus : Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, nec continetur professionis angustiis ; sed largiori voluntate fertur in latitudinem caritatis, atque ad omne quod injungitur spontanea, liberalis alacrisque animi vigore in infinitam libertatem extenditur, non considerans modum. Et ita auctoritates Basilii et Benedicti et consimilium Patrum de hac obedientia sunt supra allegatæ. Et per ista patet solutio ad objecta.

Verumtamen, quum status religionis sit status perfectionis saltem acquirendæ, ita quod religiosus tenetur ad spiritualem profectum ; ad perfectionem quotidie proficisci omnino exhortandi sunt religiosi, ut ad perfectam obedientiam se accingant, Deoque serviant corde perfecto atque verissimo : ita ut semper in omni humilitate concrescant, et universum obsequium quod Omnipotenti offerunt quasi pro nihilo reputantes, æmulentur indesinenter charismata meliora, pensantes illud Apostoli, Quæ priora sunt obliviscens, in anteriora extendo me ipsum ; et ita unusquisque infatigabiliter quærat, apprehendat et exsequatur meliora ac viciniora saluti. (*Josue* xxiv, 14. — I *Cor.* xii, 31. — *Philipp.* iii, 13. — *Hebr.* vi, 9.)

ARTICULUS VII.

Quam grave peccatum sit inobedientia.

MORTALE peccatum ex suo genere est omne illud quod repugnat caritati Dei aut proximi, vel quod directe contrariatur justitiæ. Et ex horum utroque ostenditur quod inobedientia sit mortale peccatum. Primo enim est contra caritatem : quoniam caritas Dei requirit ut præceptis ejus ac vicariorum ipsius obediatur, quum Joannes in sua Canonica protestetur : Hæc est caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus. Et rursus apud Joannem ait Salvator : Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Qui et suis vicariis apud Lucam protestatur : Qui vos spernit, me spernit. Unde et apostolus Paulus ad Thessalonicenses effatur : Qui hæc spernit, non hominem, sed Deum spernit. Insuper inobedientia contrariatur justitiæ, præsertim quum secundum Guillelmum Parisiensem aliosque doctores, obedientia sit pars justitiæ et respiciat debitum, quia præceptum ex sua vi rationem debiti facit. Unde et (I *Joann.* v, 3. — *Joann.* xiv, 23. — *Luc.* x, 16. — I *Thess.* iv, 8.)

superioris violare præceptum, ex suo ge- A nere mortale est peccatum. Et istud est verum in omni Christiano.

Porro in religioso inobedientia non solum est mortale peccatum ex duplici ratione præfata, sed est ineffabiliter grave crimen, quum sit contra solenne votum, quod (secundum Thomam et alios) plus obligat quam juramentum, ita quod inobedientia religiosi est enormius vitium quam fractio juramenti. Propter quod Sa-
I Reg. xv, 22, 23. muel ait : Melior est obedientia quam victima : quoniam quasi peccatum ario- B landi est, repugnare ; et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Peccatum autem ariolandi est ipsa ariolatio, quæ est opus magicæ artis. Et circa hæc verba scribit Antisiodorensis in parte tertia Summæ suæ : Inobedientia comparatur idololatriæ, quoniam inobediens, in quantum talis, respuit cultum Dei, cui proprie debetur obedientia. Item, sicut idololatra servit creaturæ magis quam Creatori, sic inobediens magis acquiescit voluntati propriæ quam divinæ. Obedientia vero est C melior quam victima. Primo, quia per obedientiam mactatur propria voluntas ; per victimam, caro aliena. Secundo, quia per obedientiam homo offert se ipsum Deo ; per victimam, aliquam rem ad extra. Tertio, quoniam interior actus obedientiæ est opus et sacrificium spirituale, victima autem est opus et sacrificium corporale. Quarto, quia obedientia incipit in vita et æternaliter durat in patria, victima autem est temporalis dumtaxat.

Denique, ut in secunda secundæ, quæ- D
art. 2. stione centesima quinta, asserit Thomas, una inobedientia est gravior alia dupliciter. Primo, ex parte præcipientis : quia quo ipse præcipiens est major et altioris prælationis, eo gravior culpa est ei non obedire. Idcirco gravissimum est non obedire omnium Creatori, deinde non obedire summo Pontifici, et ita juxta gradum et ordinem prælaturæ. Deinceps secundo, ex parte præcepti. Quo enim præceptum magis est de intentione præcipientis, vel de bono eminentiori aut perfectiori, eo non obedire est magis culpabile. Vitiosius quoque est præcipientem contemnere quam præceptum ipsius.

Obedientiæ vero contrariatur abundantia proprii sensus atque mansio propriæ voluntatis. Inobedientia demum ex superbia et vana gloria solet oriri.

Postremo, inobedientia ingerit homini multa mala. Primo etenim homini Deum et omnem gratiam ejus aufert. Ideo in Numeris scriptum est : Anima quæ per Num. x[v], 30, 31.
superbiam aliquid commiserit, quoniam adversus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo : verbum enim Domini contempsit ; idcirco delebitur. Secundo facit opera bona ex genere inaccepta Deo et vacua. Unde in Isaia filii inobedientiæ quærunt a Domino : Quare jejunavimus, et Is. LVIII, 3.
non adspexisti ? Dominus eis respondet : Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra. Tertio assimilat hominem ariolo atque idololatræ, sicut jam patuit. Quarto excommunicat hominem, quum ad Thessalonicenses scribat Apostolus : Si II Thess. III, 14.
quis non obedierit verbo nostro, per epistolam hunc notate, et non commisceamini cum illo. Quinto subjicit hominem multiplici maledictioni. Unde in Deuteronomio legitur : Si obedire nolueris, venient super Deut. XXVIII, 15-18.
te omnes maledictiones istæ : maledictus eris in civitate, maledictus in agro ; maledictum horreum tuum, et maledictæ reliquiæ tuæ ; maledictus fructus ventris tui, et maledictus fructus terræ tuæ. Sexto facit hominem spiritualiter furem, imo sacrilegum. Religiosus namque voluntatem suam, quam obtulit Deo in manu vicarii ejus, vitiose retrahit et resumit, et rem sacram male contrectat ac ea abutitur. Si ergo sacrilegum est furari calicem, quanto magis Domino voluntatem consecratam ? Septimo facit hominem dignum morte temporali ac æternali, juxta quod in Deuteronomio fertur : Qui superbierit, nolens Ibid. XVII, 12.
obedire sacerdotis imperio, morietur ; itemque : Si genuerit homo filium contuma- Ibid. XXI, 18, 21.
cem, qui obedire contempserit, lapidibus

obruetur. Octavo facit hominem confusibilem et aspernabilem. Unde in Osee legitur : Confundetur Israel in voluntate sua. (*see x, 6.*) Hinc apud religiosos honorabiles sunt obedientes et humiles, contemptibiles vero sunt inobedientes.

ARTICULUS VIII.

Quod inferiores prælati frequenter et fervide exhortari debent subditos suos ad diligentem impletionem eorum quæ superiores eorum ordinaverint aut præceperint.

SANCTUS doctor Augustinus affirmat : Nihil iniquius quam velle sibi obtemperari a subditis, et nolle obtemperare superiori. Hoc ergo perpendens minister ac prælatus inferior, suo superiori vigilanter obediat, atque ad idem subditos suos inducat, ut scilicet ordinationibus Visitatorum et generalis Ministri seu præsidentis atque capituli cum omni reverentia atque fervore semper obediant, præsertim quia nunc dictum est, quod quanto (præced.) potestas est altior, tanto vitiosius est non obedire eidem. Denique divinus Dionysius : Ordo, inquit, est optimum quid in rebus. Saluberrimum ergo est in omni religione, ut omnia fiant in ea ordinate, et unicuique superiori prompte obtemperetur juxta mensuram et dignitatem suæ superioritatis.

ARTICULUS IX.

Quod unusquisque præsidens debeat tanto esse in omni virtute perfectior quanto in prælatione est altior.

QUANTÆ difficultatis sit ut unusquisque animam propriam salvet, constat ex eo quod Salvator et Judex noster fatetur : Arcta est via quæ ducit ad vitam, et (*tth.* VII,) pauci inveniunt eam. Si ergo homo ad sui ipsius custodiam atque ad operandum propriam salutem, tam incessanter indiget

A supernaturali auxilio Dei, et gratiosa directione Spiritus Sancti, imo et actuali motione ipsius in omni meritorio actu ; constat quod quanto pluribus præest, et quanto aliquis præsidens ad spiritualiorem conversationem tenetur, tanto majori pietatis divinæ subsidio stabiliorique virtutum constantia, abundantiori illuminatione ac discretione indiget. Denique, quum juxta apostolicum documentum, unusquisque (*Philipp.* II, 12.) debeat sui ipsius operari salutem cum metu, timore atque tremore : nonne unum-

B quemque qui præest necesse est tanto timoratiorem, sollicitiorem ac custoditiorem consistere, quanto pluribus præsidet, et quanto pro pluribus daturus est rationem Judici metuendo, et quo magis sibi instat periculum? Rursus, quum tanta sit diversitas hominum in naturalibus inclinationibus, moribus, assuefactionibus ac studiis : nonne qui pluribus præest, et tam diversorum suppositorum constitutus est custos, judex, mediator ac medicus, magister ac rector, discretione eget præ-

C cipua, et gratiosissima æternæ Sapientiæ directione continua, ut universis ac singulis secundum eorum capacitatem et commoditatem queat prospicere, providere, mederi, succurrere, correptionem atque correctionem, consolationem et informationem impendere? Vere (ut ait Gregorius) ars est artium regimen animarum.

Præterea, quum Deus superbis resistat, (*Jacob.* IV, 6.) humilibus vero det gratiam, certum est quod quanto in aliquo est major prælatio, tanto plus ei necessaria est profundior

D immobiliorque humilitas, ut indesinenter suspiret et recurrat ad Deum, et ejus jugiter ferventissime invocet opem, atque pro grege sibi commisso instantius oret, nec unquam inaniter glorietur, nec cornua sibi assumat, nec subditorum quempiam aspernetur, imo omnibus eis exsistat humilior, mitior, patientior, et in omni virtute perfectior, ut non tantum verbo et lingua, sed opere quoque et veritate sibi commissos ædificet, instruat et præcedat.

De hac materia multa in suis libris at-

que epistolis scribit divinus atque illustrissimus Dionysius. Etenim asserit, quod in omni divino officio non est audendum aliis fieri ducem, nisi quis secundum omnem virtutem deiformissimus (id est Deo simillimus) exsistat. Et denuo docet, quod aliorum rectorem oportet tanta sapientia decorari, tanta divinorum charismatum exuberantia adimpleri, atque in omni virtute tam perfectum exsistere, ut de plenitudine sua subditis suis valeat communicare, influere, dispertiri.

De Eccl. hier. c. III.

Ibid. c. I, v.

A

Denique de hac re in Decreto multa habentur. Siquidem Symmachus Papa testatur : Vilissimus computandus est, nisi præcellat scientia et ætate * (id est probitate vitæ et maturitate virtutum), qui præstantior est honore. Sanctus quoque Bernardus scribit beato Papæ Eugenio : Absque virtutibus tanto es deformior, quanto in dignitate sublimior. Hinc loquitur Gratianus : Pro gradu sui officii, oportet quemquam esse meliorem. Et denuo : Revera qui ad hoc eliguntur ut ceteris præsint, sicut præordinantur dignitate, ita præeminere debent et sanctitate.

B

Decret. p. II, caus. 1, q. 1, c. 45.

* sanctitate

Ibid. c. 44.

C

Insuper, super Leviticum ait gloriosus Hieronymus : Sciant omnes et certi sint, quoniam qui præstantior est ex omni plebe, qui doctior, qui sanctior, qui omni virtute eminentior, ille eligatur, ille promoveatur, ut in eo omnes animæ sint congregatæ virtutes, vigilentque in eo et intensæ sint, et nihil sapientiæ desit in eis, sed adsit omnis collectio spiritualium sensuum, omnis congregatio cogitationum sanctarum, et quid sit sacerdos, quid officium suum, intra cordis sui sacrarium conferat et advertat. — De his copiose scribit in suo Pastorali Gregorius.

D

Ex his omnibus innotescit quantæ præsumptionis ac temeritatis sit ad aliorum regimen adspirare, prælationem appetere. Væ ergo ambitiosis, væ stultis prælatis, qui divinæ districtionis judicium non pensantes, de sua præsidentia intumescunt, qui proprium quærunt honorem, qui temporalia commoda magis quam animarum salutem sectantur. Ideo recte ait Chrysostomus : Quis est qui cupit præesse, nisi qui non timet judicium Dei ?

ARTICULUS X.

De discretione servanda in præcipiendo.

JAM dictum est articulo septimo quam enorme peccatum sit in religiosis inobedientia. Ideo ad evitandum tantæ impietatis periculum, religiosus prælatus non nisi ex bona deliberatione et rationabili causa debet subditis suis præcipere ; et præsertim multiplicationem præceptorum non necessariorum debet vitare, sicut et Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima quinta, fatetur. Nam et Seneca loquitur : Generosus est animus hominis, facilius ducitur quam trahitur. Unde et Paulus apostolus in epistola ad Philemonem : Fiduciam (inquit) habens imperandi tibi quod ad rem pertinet, propter caritatem magis obsecro. In epistola quoque ad Hebræos : Rogo (ait) vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii. Denique, prout sancti Patres testantur, præcipere est quasi gladium extrahere : quod non est sine grandi et legitima causa agendum. Hinc qui ad præcipiendum est pronus ac præceps, laqueos tendit ruinæ subditis suis. Augustinus quoque vituperat eos qui ordinationes indiscrete multiplicant, et eas subditis portandas ac observandas imponunt, dicens quod tales evangelicæ legis libertatem quasi in Mosaicæ legis servitutem convertunt.

art. 1 ad 3um

Philem. 8 9.

Hebr. XIII 22.

Moderamen ergo servandum est in præcipiendo ac ordinando, ne subditi immoderate graventur, sed ex caritate et sancta libertate, in puritate atque justitia Creatori suo jugiter famulentur : qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS TRACTATULI DE OBEDIENTIA SUPERIORIBUS PRÆSTANDA.

EXHORTATORIUM NOVICIORUM

PROŒMIUM

Christus. — *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.* Luc. ix, 62.

Hoc in Evangelio generaliter sum locutus ad omnem fidelem Patri cœlesti servire cupientem, ad insinuandum quam necessarium sit perseverare in bonis usque in finem. Hoc tibi, mi novelle discipule in sacra religione novicie, specialiter dico, ad perseverantiam ac profectum te hortans, ne gratiam tibi concessam amittas, ne a via salutis tibi ostensa te retrahas. Melius enim tibi esset non cognovisse viam *II Petr.* ii, justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti. Sic quippe contingeret tibi illud 21, 22; *Prov.* xxvi, 11. veri proverbii : Canis reversus ad vomitum suum ; et, Sus lota in volutabro luti. Denique servus cognoscens voluntatem domini sui et non faciens eam, plagis vapulabit *Luc.* xii, 47. multis.

Novicius. — Nonne, o Domine, iste est annus noviciatus, annus probationis, in quo nondum adstrictus sum in monasterio permanere, possumque libere egredi et abire ?

Christus. — Cur huc venisti et novicius es effectus ?

Novicius. — Ut tibi, o Domine, ministrem, et ministrando experiar an obsequium istud continuare valeam ac implere.

Christus. — Bona ac prudens responsio. Sed dic, qua et cujus virtute, an istud possis continuare ac implere, vis experiri ?

Novicius. — Ista, Domine mi, quæstio adhuc mihi rudi ac simplici nimis est alta et intricata : puto tamen quod quærere velis, an experiri intendam utrum possim propriis viribus seu virtute naturæ, et non potius auxilio tuo virtuteque gratiæ, continuare atque feliciter consummare hoc tuum in hac religione obsequium. Ad quod cum supportatione respondeo, quod experiri propono, an in naturalibus bene dispositus sim ad istud complendum, præsupposito semper auxilio gratiæ tuæ, sine qua nihil est validum, nihil sanctum. Hoc quoque plene confido, quod ex parte tua non erit defectus ; sed an ego in natura sim aptus ad gratiam huic necessariam servituti, ignoro.

Christus. — Satis argute respondes, et quæstionem tibi propositam recte intelligis. Verum quid de efficacia gratiæ meæ et de potestate auxilii mei sentias, pande.

Novicius. — Credo majorem vim esse gratiæ quam naturæ, teque omnipotentem esse non ambigo. Certus sum quoque Dei auxilio fieri posse quod naturæ viribus fieri nequit.

Christus. — Dato igitur quod in naturalibus minus sufficiens esses, nihilo minus dono gratiæ te sufficientem satisque fortem facere valeo, qui do lasso virtutem, *Is.* xl, 29.

Is. xl, 31. et his qui non sunt, robur multiplico : idcirco qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem (fortitudinem, inquam, naturæ in fortitudinem gratiæ), assument pennas
Ps. xc, 9. contemplationis ut aquilæ, volabunt ad eum qui altissimum posuit refugium suum,
Esther xiii, 9, 11. et non deficient, innitentes ejus auxilio cui nullus potest resistere.

Novicius. — Cur igitur sancti Patres annum probationis instituerunt? Et cur multi tam ante professionem quam post eam deficiunt?

Christus. — Annus probationis a Patribus Spiritum Dei habentibus institutus est non propter novicios tantum, sed item propter professos et conventuales; nec solum ad experiendum vires naturæ, sed etiam ad explorandum mores ac diligentiam animæ constantiamque personæ. Denique nec ipse novicius de se ipso, nec conventuales de ipso queunt in anno primo certitudinem adipisci quod post professionis emissionem satis fortis manebit in corpore, aut satis devotus in anima, quanquam de hoc probabilem quamdam et conjecturalem notitiam infra tempus hoc possint sortiri.

Quod vero nonnulli ante professionem, quidam post professionem in religione deficiunt viribus corporis aut a constantia cordis, ex ipsorum culpa, indiscretione, negligentia potissime venit : quanquam debilitas corporalis ex causis pure naturalibus frequenter contingat; quæ dum æquanimiter toleratur, profectui mentis multipliciter suffragatur, nec impedit a salute. Præterea, si novicius in anno probationis consiliis acquiescat, discrete procedat, totoque corde Deum quærat sinceriter et constanter, tentamentis non cedens, et cordis sui secreta spiritualibus patribus pandens, præsertim Abbati, Priori, et suo magistro; nunquam aut rarissime deficiet corpore, imo quotidie fiet alacrior atque robustior. Nonne et ante tuam ad noviciatum receptionem vires tuas considerasti, teque in naturalibus competenter idoneum ac robustum sperasti?

Novicius. — His contradicere nequeo. Insuper a te, Domine, informari deposco qualiter discrete procedere debeam, teque toto quærere corde sinceriter et constanter, tentationibus quoque non cedere, sed reniti, ac cordis mei arcana Patribus revelare, et eorum consiliis acquiescere ac doctrinis, sicque in tantum proficere, ut quotidie alacrior fiam et fortior.

Christus. — Grandis est hæc tua petitio et multa complectens, nec minus salubris
II *Par.* i, 10. ac provida quam Salomonis sapientiam postulantis oratio. Hinc consequenter satisfaciam tibi. Verumtamen primo dic mihi, quo movente instiganteque spiritu putas te huc adductum et ad religionis introitum inspiratum?

Novicius. — Utique a Spiritu Sancto.

Christus. — Nonne Spiritus Sanctus Patri ac Filio coæqualis, infinitæ est sapientiæ et prorsus immensæ potentiæ, nec minus interminatæ clementiæ, munificentiæ quoque illimitatæ?

Novicius. — Sic penitus credo.

Christus. — Nonne consimiliter credere et confidere debes, quod Spiritus ille tam bonus ac sapiens, tam potens, liberalis et clemens, non te huc adduxisset, nec hoc religiosum propositum inspirasset, nisi te satis validum in natura agnovisset, aut (quantum in se est) facere vellet, omnemque gratiam et profectum huic vocationi et Ordini congruentes conferre tibi esset paratus?

Novicius. — Aliud sentire impium reor.

EXHORTATORIUM NOVICIORUM[1]

ARTICULUS PRIMUS.

Qualiter novicius sui debet incipere emendationem.

Christus. — Mox ut religionem ingressus es, diligenter adverte unde exieris, quo item intraveris. Existi quippe de hoc sæculo nequam, et scholam virtutum in- . LI, 6. gressus es ; fugisti de medio Babylonis et servitute Ægypti, id est, de multitudine mundanorum, in quibus abundat confusio vitiorum, de jugo peccati, de ignorantiæ tenebris atque caligine pravitatis. Discute ac perpende quot vitia et peccata, quot errores et defectus ibi quotidie incidisti, quot mala egisti, quot bona quotidie omisisti. Intuere profundius quantum et qualiter, quam indesinenter atque crudeliter vulnerasti, imo et occidisti ibi quotidie animam tuam, in tantum quod nec tu ipse læsiones illas ac trucidationes animæ tuæ sensisti : quo constat te spiritualem sensum tunc amisisse, et spiritualiter mortuum exstitisse. Vide quam vilis, iniqua, misera atque damnabilis fuerit vita illa, vel potius mors, tot mortibus, id est mortalibus vitiis, plena. Quid tam vile, tam impium tamque horrendum et fugiendum, sicut proprio Creatori et Deo altissimo esse et vivere tam rebellem, injuriosum, ingratum ? Quid tam insensatum, imo tam furi- A bundum ac stultum, ut ferocissimis ac pravissimis hostibus, nil aliud nisi animarum æternam damnationem et indesinentem transgressionem quærentibus, obsequi et parere ; rebusque vanis, caducis, fœdis, carnalibus, magis quam Deo sanctitatis ac dignitatis incircumscriptibilis adhærere, plusque appretiari, amare, inquirere hæc transitoria, vilia et terrena, quam divina charismata, gratiæ dona, sapientiæ claritatem, virtutum splendorem, opulentiam spiritualem, beatitudinem æternalem, in- B cessabilemque profectum et thesaurizationem in omnibus istis quotidianam ?

Novicius. — O Deus æterne, o Salvator piissime, si quis ista rite consideret, mirum si in claustro exsistens, denuo afficiatur ad sæculum, ad vitam priorem, ad conversationem mundanam redire, in qua se recolit tam insensate damnabiliterque vixisse.

Christus. — In primis ergo disce, pensa ac pondera, quantæ pietatis et gratiæ, quantæ beneficentiæ et amoris sit istud, C quod in hujusmodi vita tam diu te toleravi, quod te inde eduxi, quod pro tantis malis tot bona tibi exhibui ; multa quoque multo majora largiri paratus sum, quibus si bene utaris, pro eisdem paulo post sempiternam ac plenam tibi salutem et gloriam condonabo.

Novicius. — Si istud non pondero, omni

[1] Ex editionibus Coloniæ : s. t. n., 1531 ; Melchioris Novesiani, 1534 ; Joannis Birckmanni Junioris, 1559.

talpa sum cæcior, omni cane irrationabilior, omni bruto ingratior : imo, ut mihi modo videtur, ipsis quoque dæmonibus pejor et magis ingratus. Etenim illos, mox ut semel transgressi sunt, irreparabiliter condemnasti : quibus si post primam prævaricationem paululum pepercisses, eisque comminatus fuisses damnationem si secundo peccarent, forsitan non peccassent altera vice. Porro mihi tam innumerabiliter tamque enormiter excedenti post veniam primo datam, post comminationem tuam toties repetitam, post inspirationem et exhortationem tam crebro ac pie exhibitam, post remissionem et absolutionem tam multoties impertitam, tam benignissime pepercisti hucusque, et nunc me de tantis periculis, perditionibus et peccatis superpiissime eduxisti. Quomodo igitur potero tantæ pietati et gratiæ, tam incomprehensibili caritati et beneficentiæ esse ingratus, immemor et rebellis? Nonne si pedem extra claustrum ad apostatandum posuero, a terra protinus absorbebor, aut certe absorberi et in æternum damnari merebor? Absit a me perversitas tanta, ingratitudo tam infinita.

Christus. — Ecce jam illuminari cœpisti ; persiste in gratia ista, et profice in eadem. Nunc dicta et cetera beneficia mea quotidie diligenter recole : quatenus ex tuarum consideratione culparum salubriter compungaris, te ipsum humilies, et arctam viam salutis pœnitentialemque vitam prompte aggrediaris, ex meorum quoque attentione beneficiorum, ex misericordiis tibi indultis divina incipias dilectione accendi. Assidua demum pensatio diræ mortis, divini judicii ac futuri supplicii, timore bono configat te ac mihi affigat. Potissime vero profunda ac frequens consideratio omnium quæ pro tua salute assumpsi, egi ac pertuli, omni devotione te repleat, omni patientia te confortet, ab omni tentatione te eruat ac meo vehementer accendat amore.

Novicius. — O Domine, multa nunc saluberrima tetigisti, nec cuncta hæc simul fieri queunt : doce me, precor, in his ordinate procedere.

ARTICULUS II.

De ordinato modo se occupandi, et procedendi ac proficiendi in exercitiis virtuosis.

Christus. — Discretio compendiosius ad finem perducit intentum atque ad veram virtutum perfectionem, docens hominem unumquodque agere suo loco ac tempore apto. Hoc ergo in primis agnosce, quod caritas Dei vita est animæ : sine qua caritate nihil est meritorium vitæ æternæ nec Deo acceptum. Primo igitur satage jugiter esse in caritate : quod est esse in statu salutis et sine mortali peccato. Hinc quotidie ad minus semel conscientiam tuam diligenter examina, an tibi sis conscius de aliqua culpa mortali, et an sis ita coram Deo dispositus, quod pro nulla re mundi velis peccare mortaliter ; et si taliter exstas dispositus, confide te esse in caritate. Denique, ut semper sis longe ab omni mortali excessu, non omittas te etiam de venialibus in Dei conspectu discutere, accusare, deflere, atque cum diligentia, quantum tua sinit fragilitas, ea vitare.

Insuper, ea quæ tibi incumbunt agenda ex Ordine, persolve suo loco et tempore. Consimiliter suo tempore reficere, atque in cibo ac potu moderantiam serva, necessitatem, non delectationem, require. Statutaque hora perge dormitum, et antequam eas ad stratum, recogita qualiter diem ipsum expenderis, quid boni in eo omiseris, quid mali commiseris, qualiter te habueris in divinis, in verbis quoque et gestis coram hominibus, quomodo singulas expenderis horas, an aliquem scandalizasti aut offendisti ; sicque coram Deo te increpa, sperne, humilia, deplange, veniam pete, emendationem et satisfactionem propone ; deinde recommenda te Deo, cruce consigna, ingredere lectum, ac salubria meditando sive orando obdormi.

cli. xviii, Ante orationem et persolutionem Horarum præpara animam tuam, considerando tui ipsius defectuositatem, miserias, indigentias, culpas, majestatemque, dignitatem, justitiam, misericordiam et præsentiam ejus quem oras et invocas, quatenus cum grandi attentione, custodia, affectione ac metu Deum exores, laudes, psallas, glorifices; et ea quæ agis, stude quotidie magis devote peragere. Esto internus; Omnipotentis præsentiam semper considera, ejusque vultum omnia intuentem assidue memorare. Disce ac assuesce ubique et semper, frequenter, imo (quantum tibi possibile est) indesinenter recolere verbum illud salubre magni Eliæ : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. (II Reg. ..., 1.) Ex qua consideratione erubesce te coram summæ majestatis intuitu indigne viliterque habere, indecentia cogitare, illicita affectare, insipienter loqui, negligenter aut tepide conversari.

Nunquam in te des otio locum, indesinenter fructuose te occupa orando, psallendo seu meditando quocumque perrexeris, sederis sive steteris. In exterioribus item operibus mentem frequenter ad Dominum eleves. In verbis et factis coram aliis sis custoditus et exemplaris, non levis nec dissolutus in moribus, risu, joco, apparatu aut signis. Eundo ad chorum, redeundo inde, reverenter te habe et custoditus sis visu. Rumores libenter non audias. Signo ad surgendum audito, alacriter surge, matutinale officium jucunda devotione persolve. Admonitionibus et directionibus Patrum tuorum obtempera. Sicque vires tuas considera, et prout tempore procedente videris te posse sufferre, supererogare non desinas, prout tempore suo docebit te unctio. (...ann. ii,)

Ecce ista in generali sunt tacta. Ex quibus, quantum in noviciatu sufficere valet, potes perpendere qualiter te quotidie ordinate debeas occupare atque ad meliora conari : ita tamen quatenus (sicut prætactum est) passionem quam propter te subii, attentissime recogitare quotidie cu- (...ræced.)

A res, sicut te infra super hoc informabo.

Novicius. — Sapientissima, compendiosissima et saluberrima prorsus instructio; verumtamen mihi miserrimo, defectibus pleno, ad irrationabiles passionum motus proclivi, phantasiis inanibus et distractionibus tabescenti, valde difficilis ad implendum.

Christus. — Noli diffidere nec pusillanimis esse : paulatim longius itur. Viriliter incipe, quotidie profice, quotidie validius inardescas; proficiendi affectu B hujusmodi inflammato, offer ac funde Domino preces affectuosas et lacrimosas pro omni profectu gratiæ concupito, dabitque tibi petitiones cordis tui, si perseveraveris orans. (Ps. xxxvi, 4.) Sic agendo et jam præmissa exercitia quotidie adimplendo, abhorrebis, odies et vitabis motus passionum ac vitia de die in diem magis intense, plenius atque facilius. Deprecare totis præcordiis Deum ut mentem tuam purgare, reformare, adimplere dignetur; et contra peccata ac impetus passionum ad quos ex innata C dispositione aut assuefactione proclivior es, instantius pugna, ferventius ora, indefesse labora. Sicque in exercitiis viæ purgativæ te primo diligenter ad tempus exerce, passiones frenando, vitia exstirpando, corpus in servitutem animæ redigendo, (I Cor. ix, 27.) membra tua exhibendo arma justitiæ Deo; (Rom. vi, 13.) exteriores etiam sensus a suis evagationibus, delectationibus, petulantiis cohibendo; quotidianas culpas corripiendo, corrigendo, effugando quotidie; observantias quoque et cærimonias Ordinis D exteriores, corporales, servando decenter; in cibo, potu, somno, vestitu, incessu habendo te moderanter. Quumque in his fueris convenienter exercitatus, ad exercitia viæ illuminativæ ascendes, ut infra tangetur.

Novicius. — Documenta hæc optima adimplere propono atque conabor. Verum, quoniam paulo ante dixisti, quod te toto corde quærere debeam sinceriter et constanter, (In Proœmio.) quæso ut mihi hoc ipsum digneris exponere, et qualiter id agere debeam edocere.

ARTICULUS III.

Qualiter novicius debeat Deum toto corde quærere sinceriter et constanter.

Christus. — Deus ubique præsens est, et cunctis fidelibus aliquo modo notus, atque ab exsistentibus in caritate aliquo
I Joann. iv, 16. modo habetur : nempe qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. Quomodo ergo quæritur qui jam præsens est et habetur, cognoscitur et videtur, quem-
Job xxxvi, 25. admodum scriptum est, Omnes homines vident Deum, unusquisque intuetur procul ? Imo nisi aliquo modo haberetur, non quæreretur. Non enim quæreretur, nisi appeteretur ; nec appeteretur, nisi aliquo modo diligeretur. Quid igitur est quærere Deum, nisi eum qui imperfecte habetur, imperfecte cognoscitur et amatur, velle perfectius obtinere clariusque cognoscere, et magis ferventer diligere atque in ejus cultu ac honorificentia indesinenter proficere ? Porro Deum quærere ita sinceriter, est in hac ejus quæsitione ac cultu irreflexe ferri in ipsum, non intendendo nec cupiendo propriam laudem, commodum vel honorem, sed ipsum summum bonum dumtaxat, et ei velle uniri propter bonitatem ipsius ; sicque ipsum diligere, non quoniam ipsi diligenti bonus, pius ac liberalis exsistit, sed quoniam in se ipso summe, infinite et prorsus incomparabiliter bonus est atque amabilis, pulcher, dulcis, perfectus et omnifarie felix. Et qui in hac Dei quæsitione permanet stabilis, nec prosperis, nec adversis, nec ulla tentatione, suggestione seu alio modo inde deflectens, imo in hac usque in finem crescens, ille quærit Deum
Ps. civ, 4. constanter, sicut hortatur qui dixit : Quærite Dominum et confirmamini, quærite faciem ejus semper.

Novicius. — O Veritas summa, quam nobile et præclarum est Deum sic quærere ! Sed heu, quam longe est hoc a me, qui nec Orationem unam dominicam et vix Salutationem angelicam semel sine distra-
A ctione queo proferre, privatoque sordesco amore, et cito fatigor in tuo obsequio ! Deinde in confabulatione, in egressione ad spatiamenta, in cibo et potu ac somno ad me ipsum reflector, recreationem, solatium, delectationem, repausationem superflue quærens, sicque me in me turpiter et oblique, non in te sinceriter ac integre diligens : quod ex amore privato, non divino, prodire non ambigo.

Christus. — Quemadmodum tetigi, nemo repente fit summus, nec subito tam art. præc
B perfectus ; sed pedetentim proficitur, atque de statu incipientium ad statum proficientium, de statuque proficientium ad statum pertingitur perfectorum, quorum potissime est Deum sic quærere toto corde, id est toto intellectu et affectu, tota intentione et actione, sinceriter et constanter. Nihilo minus incipientes novicii tenentur Deum quærere ex caritate, et præfatam perfectionem finaliter in hac vita intendere, totamque suam conversationem ordinare ad ipsam, et proficien-
C do in via virtutum appropinquare eidem, quoniam status religionis est status perfectionis acquirendæ. Itaque stude privatum amorem omni die minuere, et nec te ipsum nec aliquam creaturam nisi in Deo et secundum Deum et propter Deum diligere, nec quidquam appetere, admittere, agere, quod impeditivum est spiritualis profectus aut incrementi divini amoris : a quo solatium non impedit moderatum, neque refectio sobria, neque dormitio temperata ; imo per ea sustentantur reparan-
D turque vires ad Dei obsequium.

Præterea, non ita dico Deum jugiter et constanter quærendum, quasi oporteat sive possibile sit, omni momento actualiter ferri in ipsum per intellectualem considerationem et virtuosam affectionem aut actionem, sed quod homo, præsertim religiosus, proficere cupiens, debeat toto assiduoque conatu ad hoc niti, ut quantum sibi Deo auxiliante possibile est, propinquet quotidie indesinenti illi actuali elevationi mentis in Deum, conando ad id,

ut sæpissime in Deum feratur et stabilis A in tali elevatione actualiter maneat, sicque quotidie frequentius, purius atque stabilius erigatur in Omnipotentem per ipsius considerationem seu contemplationem affectuosam et fixam, et item per actualem ipsius dilectionem, contemplationem puram et stabilem.

Novicius. — Documenta hæc saluberrima aliqualiter capio, et juxta ea procedere cupio et intendo. Præterea scire opto, an cunctos novicios oporteat uniformiter secundum modum, gradum ordinemque præ- B fatum proficere, proficisci, ascendere, nec ea quæ perfectionis sunt statim in primo anno arripere.

ARTICULUS IV.

De diversitate noviciorum secundum varietatem gratiæ Dei in ipsis.

Christus. — In diversis diversimode ago ; diversis quoque gratiis et virtutibus sibi in Baptismo, contritione, conversione religionisve ingressu concessis, variis mo- C dis utuntur. Quidam tam gratiose præveniuntur, quod mox in ipso noviciatus anno tam spirituales, interni ferventesque sunt, ut jam inter perfectos valeant computari. Tales fuerunt Gregorius et Bernardus, et ante eos Gregorius Nazianzenus atque Basilius. Quantam etiam contulerim gratiam mox in ipso conversionis exordio magno illi Antonio, Augustino, Benedicto, et admirabili viro Germano, multisque aliis, in eorum narratur Legendis. Nonne electus ille Bernardus in suæ conversionis pri- D mordiis fuit ita in Deum absorptus, ut pene nullo uteretur sensu corporeo? Denique annum in cella noviciorum exegerat, nondum agnoscens an testudinem domus ipsa haberet. Multo quoque tempore intrans exiensque ecclesiam, putavit unam dumtaxat esse fenestram in loco superiori, ubi tres erant. Oleum demum pro cervisia bibens, et crudum sagimen comedens pro butyro, non sensit neque discrevit.

Præterea, quanta caritatis perfectio, quanta internæ suavitatis experientia, quanta exuberantia gratiarum collatæ sint Augustino in suæ conversionis initio, ipse grata mente deprompsit, dicendo : Sagittaveras tu cor meum tuæ jaculo caritatis prævalidæ, et gestabam verba tua transfixa in visceribus meis ; nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudinem divini consilii super modo salvationis generis humani. Quantum flevi in hymnis et canticis suave sonantis ecclesiæ ! Voces illæ fluebant in auribus meis, liquebanturque lacrimæ, et bene erat mihi cum eis. Audivi dicentem : In pace in id ipsum *Ps.* IV, 9.
dormiam et requiescam. O in pace ! o in id ipsum ! Tu enim es id ipsum, qui nun- *Ps.* CI, 28.
quam mutaris. In te requies omnium obliviscens laborum. O Domine Jesu Christe, quam suave subito factum est mihi carere malis voluptatibus meis ! et quas amittere metuebam, jam me dimisisse gaudebam : intrasti enim pro eis cor meum, tu omni voluptate suavior.

Novicius. — Heu me miserum, qui adhuc in meis squaloribus jaceo, in fæcibus meis remaneo, atque ad oblectamenta fœda inclinor, quæ tamen detestor ! Præterea suspicor quod viri tam præelecti, quos in conversionis principio tantis gratiis prævenisti, etiam ante innocentes et puri fuerunt : ideo ego mearum mihi conscius pravitatum et immunditiarum, ad tale quid adspirare nec queo nec audeo.

Christus. — Nondum historiás legisti Sanctorum : quas si legisses, scires utique quot annis Augustinus ante sui conversionem servivit libidini. Germanus quoque elationi et vanitati antequam convertebatur deditus fuit, in tantum quod spiritualem patrem suum, sanctum episcopum, voluit trucidare. Imo sceleratissimi quidam in sui conversione tanta gratia sunt præventi, quod infra brevissimum tempus ad miram sanctimoniam sunt perducti. Nescis quod ubi abundavit iniquitas, su- *Rom.* V, 20.
perabundare soleat gratia? Tales ergo communi legi et laborioso diuturnoque pro-

ficiendi modo ac ordini non subduntur.

Quidam in suæ conversionis exordio mediocriter sunt devoti, proficiuntque quotidie, ac paulatim viri virtuosi redduntur, quamvis non sancti. Aliqui vero labore afficiuntur assiduo, tentationibus agitantur, nec consolationem experiuntur internam : quibus via salutis dura et amara videtur potius quam jucunda ac dulcis ; quod et frequenter ex eorum contingit culpa, quoniam se a levitatibus, negligentiis, loquacitatibus non refrenant, neque advertunt beneficia Dei et sua peccata, nec rite memorantur sua novissima, neque acerbissimam meam passionem cordibus suis inscribunt, atque cur venerint non advertunt. Verumtamen potest hoc ex divinæ dispensationis moderamine provenire, ut interim sic probati gratiam paulo post sortiantur majorem : quemadmodum abbati Moysi, Mariæ Ægyptiacæ aliisque nonnullis noscitur accidisse. Hi ergo paulatim habent proficere, et de statu inferiori ad superiorem ascendere.

Novicius. — In novissimorum istorum catalogo potius reor me esse : attamen, ad laudem tuam id dixerim, serenitatem quamdam et consolationem prædulcem sentio mihi interdum inesse, sed heu ! cito pertranseuntem ; moxque distractiones, inquietudines, tentationes, difficultates experior mihi in corde succedere, in quibus major mihi est mora ac molestior hora.

Christus. — Sic expedit tibi.

Novicius. — Nonne salubrius mihi esset in prætacta mentis serenitate ac dulci devotione diuturnius stare ?

Christus. — Aliquid directe et secundum se salubrius esse potest, quod tamen incidentaliter occasionaliterque damnabilius fieret. Enimvero nondum exercitatis in spirituali militia, nondum in Dei timore, humilitate atque interno profectu digne fundatis, celeriter et faciliter subrepunt aut etiam prævalent tentationes vanæ gloriæ, complacentiæ propriæ, elationis occultæ, temerarii quoque judicii : quæ omnia tibi et consimilibus tuis periculose

A contingerent, si dulci ad libitum devotione, tranquillitate consolationeque frueremini ; et putares te aliquid esse, ac meritis et viribus tuis adscriberes quod divinæ pietati ac gratiæ dumtaxat est adscribendum ; nec disceres compati aliis, sed magis temere judicare atque contemnere. Expedit igitur tibi ire per aquam et ignem, et virgam baculumque sentire, adversa et prospera experiri, proprias infirmitates, defectuositates, ærumnas experimento cognoscere, sicque assuescere ad Omnipo-

B tentem confugere, ejus auxilium affectuose et anxie invocare.

Denique qui ista non recognoscit nec experitur, remanet in schola cœlestis magisterii inexpertus, et pauca de interna exercitatione cognoscit : idcirco nec aliis apte consulere, aut tentatis, periclitantibus et afflictis mederi et subvenire est idoneus ; nec ex sententia dicere valet : Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut *Is. L, 4.*
sciam eum qui lassus et lapsus est sustentare verbo. Qui vero prætacta expertus

C est, et modo prædicto exercitatus, unctioneque doctus et desuper eruditus, efficaciter potest implere quod hortatur Apostolus : Corripite inquietos, consolamini *I Thess. 14.*
pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes ; itemque : Si præoccu- *Galat. VI,*
patus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris. Et denuo : Debemus *Rom. XV,*
(inquit) nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere. Verum ne ex hac infir-

D morum tolerantia firmior extollatur, opportune subjunxit Apostolus : Et non *Ibidem.*
nobis placere.

Novicius. — Gratiose et optime prolata sunt omnia ista. Sed precor te, Domine, dignare me edocere qualiter in hac vicissitudine, successione et alternatione spiritualium prosperitatum et adversitatum istarum debeam me habere ; et quomodo in omni tentatione adversus hostes salutis humanæ debeam incessanter confligere ; qualiter etiam ad illuminationem super-

nam, ad consolationem internam, ad caritatis sinceritatem atque monasticæ vitæ perfectionem queam pertingere.

CHRISTUS. — Nondum professus es, et jam de perfectione ad quam ordinatur professio sciscitaris. Præterea magnanimis esse videris, fortia perscrutaris, perseveraturum te præsupponis. Ad præinducta ergo, quantum ad tuam spectat mensuram, tibi mox respondebo.

ARTICULUS V.

Qualiter in alternatione et successione spiritualium prosperitatum et adversitatum debeat se habere ac regia via incedere ipse novicius.

CHRISTUS. — In bonis et prosperis, in spiritualis alacritatis, consolationis atque profectus concessione gratias Deo age; et ita gloriare in Domino, non in te ipso, ut scias te in tali dispositione votiva et dulci non jugiter et forsan non diu mansurum: idcirco te tunc ad futuros dispone adventus tentationum, afflictionum et adversitatum. In adversis quoque, duris et asperis, et consolationis internæ subtractione, patientiam habe, et Deo nihilo minus gratias refer, ipsumque invoca, ac fidelitatem ad ipsum conserva. Cave vigilantissime offensam ipsius, reditum quoque ejus gratiosum ac consolatorium æquanimiter præstolare, et consolationes contemne indignas.

cli. xi, Hoc nempe est quod ait Scriptura: In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum; itemque: LXXVI. Renuit consolari anima mea; et rursus: XXVI, 14. Exspecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

NOVICIUS. — Quomodo æquanimiter ferre possum quod indevotus sum Deo, et absque sapore et gaudio ei ministro, quum scriptum sit, lipp. IV, Gaudete in Domino semper; et denuo, XCIX, 2. Servite Domino in lætitia?

CHRISTUS. — Tu et similes tui in spiritualibus exercitiis nondum satis exercitati ac triti, putatis veram devotionem in sensibili quodam sapore interno perceptibilique fervore consistere: non pensantes quod hæretici quoque, Judæi et Sarraceni in sacrificiis et orationibus suis frequenter lacrimantur, fervent ac dulci afficiuntur sapore, sive ex naturali ad Deum amore, sive ex dæmonum cooperatione, qui ad hujusmodi alterationes, affectiones, delectationes variis possunt modis cooperari atque concurrere. Sed scito, quod quamvis internæ consolationes, degustationes, fervores, frequenter a Deo præstentur, et veræ sint caritatis effectus, non tamen (ut tactum est) semper, nec ad veram devotionem necessario requiruntur. Porro vera et secura devotio, est promptitudo superioris appetitus seu voluntatis ad ea quæ Dei sunt, cum cordiali detestatione ac debita fuga omnis mortalis peccati, sive hoc sit cum fervore sensibili, sive non.

Præterea, quod allegasti ita exponitur: Gaudete in Domino semper, id est omni tempore opportuno, non indesinenter in actu. Sic et cum lætitia serviendum est Deo, imo et in tristitia bona ac salutari, de qua fatetur Scriptura: Cor sapientium ubi tristitia; *Eccle.* VII, 5. et iterum: Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii. *Ibid.* 3. Beati quippe qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. *Matth.* V, 5.

NOVICIUS. — Magna est ignorantia et inexperientia mea, et erravi hucusque, tunc solum ac vere putans me esse devotum, dum consolationem, fervorem et gustum sensi internum.

CHRISTUS. — Error ille in multis consistit, periculosusque esset, si pertinaciter defenderetur. Vera namque devotio nequaquam sine caritate habetur. Si ergo fervor, sapor, suavitas essent certa veræ devotionis indicia, quicumque illa experiretur in se, certus jam esset se in caritate esse: quod tamen sine revelatione divina sciri non valet, sicut hoc alibi declaratur, atque Scriptura testatur: Sunt *Eccle.* IX, 1. (inquiens) justi et sapientes, et opera eo-

rum in manu Dei sunt; et tamen nescit A homo utrum amore an odio dignus sit.

Novicius. — Qualiter discernere potero quando consolatio illa interna et fervor ac sapor interior ex caritate nascuntur ac desuper infunduntur, et quando non?

Christus. — Quemadmodum sine revelatione superna certitudinaliter discerni non valet inter amorem Dei naturalem et infusum, qui caritas appellatur, ita nec inter quosdam eorum effectus jam tactos. Et sicut per signa quædam probabiliter quis agnoscit se esse in caritate, ita pro- B babiliter scire valet quod fervor suus, sapor, alacritas desuper sint et ex caritate emanent.

Novicius. — Signa illa audire desiderat anima mea. Nec enim puto quod per signa illa Dominus meus designet intelligatque miracula.

Christus. — Signa illa sunt multa; sed veriora et certitudini propinquiora ac magis secura, sunt: propriam conscientiam diligenter discutere, et quidquid mortale occurrerit, toto corde abominari, confite- C ri, deflere, et libenter satisfacere pro eodem; integrum quoque habere propositum cavendi semper illud in posterum, nec pro aliqua re scienter velle peccare mortaliter; insuper affici vehementer ad Deum absque omni reflexione ad proprium commodum et honorem; honorem etiam Dei et animarum salutem in cunctis zelari ac procurare pro posse; malle subesse, subjici, obedire, quam præsidere; de propriis injuriis et aspernationibus non tristari; omnia quoque ad suam vocationem spe- D ctantia, præsertim præcepta et vota, prompto animo fideliter adimplere, nec ea pro aliqua re creata, imo nec pro vita propria conservanda, transgredi aut omittere velle.

Amplius, quum quis de fervore suo sensibili et delectatione suavi gloriatur, non jam principaliter in quantum sunt pro relevamine suo et dulcia sibi in se, sed in quantum per ea totalius promptiusque fertur in Deum, et ei perfectius sine renisu obsequitur, tunc multum probabile est quod ex caritate procedant; similiter dum ex hujuscemodi fervore, delectatione et gustu homo magis succenditur Dei amore sincero, et amplius crescit in vera humilitate, patientia, custodia cordis ac Dei timore, nec periculosa securitate resolvitur, nec vane erigitur, nec aliquid sibi ipsi nisi omnem pravitatem, fragilitatem miseriamque adscribit. Si vero ex illis fiat audacior, tutior, intimoratior, et ad judicandum de aliis pronior, et quærat in illis se ipsum, velitque devotior reputari, et corripientibus ac humiliantibus ipsum faciliter indignetur, aut dure et aspernanter loquatur; suspecta res est et infecta, præsertim quum patientia sit omnium virtutum probatrix, juxta quod legitur: *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.* (*Eccli.* xxvii, 6.) Unde quemadmodum mala olla in igne posita mox crepat et exsilit; sic homo adhuc passionatus, nondum virtuosus et plene devotus, adversitate, correptione, castigatione et humiliatione pulsatus, interius commovetur, et per verba erumpit male flammantia, dura, superba et aspera.

Novicius. — O Sapientia summa, quam recte me tangis! quam bene mihi me ipsum ostendis! Et certe conscientia mea salubriter puncta cognoscit atque fatetur verissima, imo et saluberrima esse quæ dicis, multumque valentia ad noscendum salubriter semetipsum, et an vere quis consistat devotus. Verumtamen, quum ista materia sit satis profunda, subtilis, interna, ego autem adhuc externus, adhuc rudis; jam deprecor informari qualiter in omni tentatione debeam contra salutis meæ hostes confligere.

ARTICULUS VI.

Qualiter in omni tentatione debeat novicius se habere atque resistere.

Christus. — Prorsus sapientialis et salubris est interrogatio ista. Noviciis namque acrius solent imminere, insidiari et

adversari invisibiles inimici, acies vitio- A rum et consuetudines pristinæ, ita ut de ipsis specialiter verificetur dictum illud
ıb vii, 1. commune : Tentatio, seu militia, est vita hominis super terram. Hinc multi novicii in prælio succumbentes deficiunt, non satis instructi in modis ac mediis resistendi. Porro de tentationum remediis generalibus ac specialibus conscripta sunt multa utilia. Nunc vero de his compendio tangam nonnulla. Imple ergo quod ait Scriptura :
cli.ii, 1. Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad ten- B
Tim.ii,5. tationem. Et scito quod non coronetur nisi
t.xiv,21. qui legitime certaverit, et quod per multas tribulationes oporteat electos intrare in regnum Dei.

Primum itaque et commune contra omnem tentationem remedium est, propriam defectuositatem, fragilitatem insufficientiamque agnoscere, atque ad Dei auxilium confidenter confugere, ipsum indesinenter, ferventer et anxie invocando in adju-
. LXIX, 2. torem, instar dicentis : Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum C me festina : sicque in Deo incessanter sperare, et de propriis viribus ac meritis nequaquam præsumere.

Secundum remedium est, se ipsum in cunctis profunde coram Deo humiliare, despicere, imo pro nihilo reputare. Nempe qui in propria æstimatione tam parvus, imo tam nihil est, ab adversario teneri non valet, sed protinus manus ejus elabitur, atque a Deo, qui tales exaltat et confortat, suscipitur.

Tertium est, Omnipotentis præsentiam D semper attendere, et ejus judicium ac vindictam, præsertim æternam damnationem, prudenter advertere ac vehementer vereri.

Quartum est, acute considerare quales sint tentatores et adversarii electorum, quid quærant, quo tendant, quid incessabiliter machinentur. Sunt quippe crudelissimi, callidissimi et invidiosissimi ; nec aliud quærunt finaliter nisi æternam et infernalem hominum damnationem, atque ut interim a Deo avertantur, omni gratia et virtute priventur, et ipsis subdantur, cunctisque vitiis inquinentur. Hoc mille modis ac practicis machinari non desinunt. Quo igitur certius istud agnoscis, eo stolidius agis, si illis consentis, et nisi ipsis sine mora et toto affectu atque extremo conatu resistas. Numquid silvam cum latronibus introires a quibus te inibi jugulandum cognosceres ?

Quintum est, vigilanter pensare quanta damna tentationibus consentiendo incurras. Per hoc enim summum et incommutabile bonum, Deum verum, amittis ; omni caritate et gratia ejus meritisque præcedentibus spoliaris ; Dei et Creatoris Salvatorisque tui adoptivus filius, servus, amicus, miles, heres ac membrum esse desistis, et insuper ipsius hostis adversariusque efficeris. Dæmonum quoque servus, membrum et filius redderis, et anima tua, quæ paulo ante fuerat Dei sponsa, diaboli fit confestim adultera ; æterna felicitate te privas, perpetuam damnationem incurris, te ipsum spiritualiter perimis, omnique cadavere ac cloaca fis turpior, et omni bruto pejor ac vilior.

Novicius. — O Deus æterne, quid audio ? O quam infinita est iniquorum stultitia ! quam inæstimabiliter magna est acquiescentium diabolicis tentamentis insania ! Heu, quot et quanta incidunt nocumenta pro delectatione vili, brevi et modica ! Et nunc, auxiliante et conferente te, Domine, firmiter propono tentationibus usque ad sanguinem reluctari, usque ad mortem resistere. Et quamvis ad hoc implendum sufficiant sufficienterque instruant, animent et accendant jam tacta remedia ; tamen, ut hoc ipsum efficacius fiat, remedia inchoata prosequere.

Christus. — Sextum remedium est, vivaciter atque assidue intueri quam victoriose et inclyte electi Dei tentationibus restiterint, et quantam ex hoc triumpho gloriam sint sortiti. De hoc, tempore procedente, vitam sanctorum patrum Antonii, Hilarionis et consimilium legendo, plenius instrueris.

Septimum est, contemplari qualiter Deus altissimus, angeli sancti et omnes cives superni conflictum tuum contra tentamenta inspiciant, parati juvare, atque de tua resistentia et victoria exsultantes; et item, quantum de tua dejectione et transgressione malignissimi spiritus collætentur et tibi insultent, quemadmodum psallis : Qui tribulant me exsultabunt, si motus fuero. Ex hac consideratione oravit Psalmista : Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, Prævalui adversus eum; itemque : Deus meus, in te confido, non erubescam, neque irrideant me inimici mei. Noli me Creatorem et Salvatorem tuum offendere, relinquere, aspernari. Noli beatissimam Matrem meam tibi succurrere paratissimam, et tuam salutem vehementer zelantem, contristare. Noli angelum tuum sanctum te sincerissime diligentem, sollicite custodientem, fidelissime admonentem, inhonorare, plus advertendo et assequendo diabolica illa susurria quam ejus angelica saluberrima hortamenta. Noli te toti triumphanti Ecclesiæ cœlestique curiæ odibilem contemptibilemque efficere. Noli te invidiosissimis ac crudelissimis hostibus tuis opprobrium, subsannationem et prædam peragere, sed potius ora cum Sapiente : Domine pater et dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu et consilio illorum, ne incidam in conspectu adversariorum meorum, et gaudeat de me inimicus meus.

Ps. XII, 5. *Ibid.* 4, 5. *Ps.* XXIV, 2, 3. *Eccli.* XXIII, 1, 3.

Octavum est, statim in principio tentationi resistere : quod in tentamentis carnalibus potissime est agendum, a quibus et quorum objectis, occasionibus, incitamentis atque materiis debes oculos mentis et corporis, imaginationem, phantasiam, memoriam confestim avertere, eosdemque oculos ad intuendum et considerandum salubria et compunctiva convertere, Crucifixum adspiciendo, ejusque passionem et tua novissima ponderando, brevitatem quoque et incertitudinem vitæ præsentis pensando. Præterea debes esse magnanimis et laudabiliter vindicativus, ita ut afflictores tuos diabolos dire affligas, tanto instantius et incessabilius dando te ad omnium actus virtutum, præsertim ad profundam humilitatem, obedientiam, caritatem, quanto plus illi conantur te a tua salute retrahere. Dic cum idoneo pugnatore : Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant; confringam illos, nec poterunt stare. Nec hoc dicas de tuis viribus aut meritis præsumendo, sed divinæ pietatis gratioso auxilio cum omni humilitate et spe jugiter innitendo, juxta illud : In Deo salutare meum et gloria mea; Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.

Ps. XVII, 39. *Ps.* LXI.

Nonum est, vilitatem, impietatem et turpitudinem tentationum ac vitiorum perpendere, et ita te protinus inde quasi a cadavere prorsus fœtidissimo atque turpissimo cum indignatione avertere, dicendo, Fy. Quemadmodum si emptor mercatori pro auro et balsamo præbeat ferrum et stercora, cum indignatione avertet se mercator, dicens, Fy; ita dum tibi pro Domino Deo tuo æterno, infinito et superdignissimo, et pro pretiosissimis donis gratiæ et gloriæ ejus proponuntur a mundo, carne, diabolo vana, fœda et vilia ista caduca, cum intensissima aspernatione responde, Fy. Nec digneris talia suggerentem adspicere vel audire; imo, sicut docuit signifer ille Franciscus, dic tentatori : Aperi os tuum, et projiciam ibi stercus.

Novicius. — Vehementer me juvant, confortant, consolantur, inflammant documenta hæc optima. Verumtamen unum me adhuc intus molestat, quod vix exprimere audeo.

Christus. — Si modice exspectasses, reserassem tibi decimum tentationum remedium : quo audito, quidquid in corde tuo versatur ac latet, plane ac simpliciter manifestasses.

Novicius. — De præcipitatione mea veniam precor, et illud remedium audire deposco.

Christus. — Decimum est, totum quod

versatur et latet in mente, tam in sacramentali confessione quam extra eamdem, viris discretis, bonis et caritativis insinuare, atque eorum consiliis et doctrinis humiliter obtemperare. Tentator quippe quærens decipere, falsa ac prava sub specie veri proponit ac boni, et fraudes innectit ac laqueos : propter quod metuit deprehendi. Nempe, ut in Evangelio dixi, (…nn. III,) omnis qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non manifestentur opera ejus. Dum igitur homo omnia mentis suæ abscondita idoneis prodit viris, jam pene vincit diabolum, et fraudes ejus ac laqueos detegit. Sic quoque interiora sua detegere et informationem expetere, humilitatis ac discretionis est opus : idcirco superbiam vincit diaboli.

Novicius. — Jam paratus sum interiora quædam evolvere, non tamen sine pudore. Audio interdum nescio quæ in corde meo susurria, argumentationes, blasphemias contra fidem, contra providentiam Dei, contra honorificentiam Christi ac gloriosissimæ Virginis. Et quanto plus contra talia arguo et propter ea contristor ac turbor, tanto acrius sæviunt et erumpunt.

Christus. — Satis hæc tetigisti. Itaque scias hujus tentationis generi speciali industria obviandum. Non enim contra eam argumentando aut propter eam se ipsum turbando dejicitur, sed potius deridendo, nec eam curando, seque mox avertendo ab ea et convertendo ad alia bona salubria, atque cum jucunditate serviendo Altissimo, et psalmodiis, orationibus meditationibusque divinis vacando, quemadmodum scriptum est : (…b. v,) Tristatur aliquis ex vobis ? oret æquo animo, et psallat.

Verumtamen ita tentatus, intra se potest sic simpliciter cogitare interdum isto aut simili modo : Ego credo sicut innumerabiles Patres sancti ac eremitæ et anachoretæ et monachi innumerabilesque utriusque sexus martyres crediderunt : quos Deus omnipotens in vita et morte, in martyrio et post mortem ipsorum, innumerabilibus et præclarissimis solique

A omnipotenti Deo possibilibus decoravit miraculis. Ecce fides christiana utriusque Testamenti roboratur scripturis ; et omnia gratiarum charismata, virtutes, signa, prodigia olim Synagogæ tradita Judæorum, per Apostolos Christi ad Ecclesiam gentium sunt translata, nec interim habuerunt Judæi viros sanctos et Prophetas miraculis coruscantes. Ista quoque finalis Judæorum relictio certissimum signum est veritatis fidei christianæ. Insuper, in Alcorano, id est in libro legis Mahometi et B Sarracenorum, apertissime ac frequenter habetur, quod Jesus Mariæ filius fuit rex Messias, seu Christus in lege et Prophetis promissus, et quod Judæi per totum mundum dispersi et a Deo finaliter sunt relicti, eo quod Jesum non receperunt pro Christo ; et quod Jesus Mariæ filius ac Apostoli fuerunt a Deo missi, et suscitaverunt defunctos, aliisque coruscaverunt miraculis, quæ in Evangelio recitantur ; atque quod mater Jesu Maria fuit omnium mulierum sanctissima, omniumque virginum mundissima, etiam in partu et post partum.

C Novicius. — Gratias ago tibi, o Domine, quoniam verba ista sanctissima omnem cordis mei inquietudinem, turbulentiam, involutionem, caliginem penitus deterserunt et expulerunt a me. Et nunc si quid addendum videtur de tentationum remediis, addat hæc Dominus meus, quanquam nunc tacta mihi videantur sufficere et supersufficere.

Christus. — Plura utique addi possent, videlicet : ad sacratissimam meam Matrem, D et ad Sanctos ad quos specialior habetur devotio, devote confugere ; atque quod hi qui in fide fuerunt firmiores et ab omni magica arte prorsus immunes, præ ceteris fulserunt miraculis. Unum tamen adhuc restat remedium remediorum, maxime expugnativum universarum tentationum, potissime instructivum cunctarum virtutum, et ad summam perfectionem maxime inductivum : quod est diligens consideratio meæ acerbissimæ passionis. Et de hoc in sequenti te edocebo articulo.

ARTICULUS VII.

Quod frequens, devota ac diligens dominicæ passionis consideratio sit efficacissimum remedium contra omnem tentationem, compendiosissimum quoque medium ad omnem spiritualem profectum atque perfectionem.

Christus. — Passioni meæ seu morti, qua totum redemi genus humanum, inæstimabilem contuli efficaciam ac virtutem, et ipsa meriti fuit quodammodo infiniti : quia ex summa et ardentissima caritate, perfectissima obedientia, profundissima humilitate, inconcussa patientia, constantia fortissima, mente prorsus mitissima pertuli eam ; deitas quoque humanitati meæ unita, immensam quasi idoneitatem et efficaciam promerendi præstitit ei. Hinc quanto homo per caritatem ardentius, humilius atque vicinius unit se mihi, et meis meritis ac virtutibus magis confidenter innititur, tanto copiosius efficitur particeps virtutis ac meriti mei.

Si ergo tentaris difficultate arduitateve Ordinis observantiarumque ejus, et quasi duritia ac rigore religionis, et grave tibi videtur crucem tuam ferre et sequi me ; diligenter considera quanta pro te pertu-
Luc. xxii, 43, 44. lerim ego : qualiter factus in agonia, præ horrore mortis sanguineum fudi sudorem,
Marc. xiv, 34. fuique tristis usque ad mortem ; qualiter etiam propriis humeris grave crucis pati-
Joann. xix, 17. bulum bajulans, ignominiosissime ductus fui ad Calvariæ locum.

Si vero tentaris illecebris carnis, seu desiderio voluptatis, dissolutionis, ludi, joci, cachinnationis ; attende quid pro te tuli doloris, quando usque ad costarum patefactionem tenerrima mea caro est lacerata et omnino crudelissime dilaniata flagellis ; quando per medium manuum mearum ac pedum transverberati sunt obtusi et grossi illi ferrei clavi ; dum item
Matth. xxvii, 29, 30. caput meum spinis est coronatum, arundine cæsum.

Si ambitione tentaris, adverte qualiter
A propter te factus sum opprobrium homi- *Ps.* xxi, 7.
num et abjectio plebis, alba veste illu- *Luc.* xxiii, 11.
sus, purpura subsannatus, vultu conspu- *Marc.* xv, 17.
tus, blasphematus, et tanquam vilissimus
et sceleratissimus universorum hominum
spretus, tractus, occisus : quoniam om- *Ps.* xxi, 8.
nes videntes me deriserunt me, dicentes : Si rex Israel est, descendat nunc de *Matth.* xxvii, 42.
cruce.

Si gravis tibi videtur abstinentiæ seu jejunii rigor, et delicatiori cibo tentaris et potu ; recole quemadmodum dederunt *Ps.* lxviii, 22.
B in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

Si motus superbiæ, si impatientiæ aut iracundiæ impetus te invadit propter illatas tibi injurias, aut propter quæcumque adversa ; adverte qualiter cuncta prætacta patientissime toleravi, quomodo coram Pi- *Marc.* xv, 5.
lato steti mitissimo corde, silenti ore, falsissime ac enormissime accusatus.

Si te rancor pulsat aut motus invidiæ, recordare qualiter in cruce fixus, et jam mortis angustiis et puncturis circumda-
C tus, imo potius intus transfixus, oravi pro *Luc.* xxiii, 34.
crucifixoribus meis. — Si te impugnat acedia, recole quanto caritatis ardore tuam procuravi salutem.

Et breviter, in omni tentatione intime intuere quæ, quanta et qualia pro tua salvatione assumpsi, exercui, toleravi : qualiter amarissima et acerbissima morte peremptus sum, et toto corpore violentissime ac pœnalissime in cruce distentus usque ad ossium meorum dinumerationem *Ps.* xxi, 18.
venarumque ruptionem ; quomodo spinis *Marc.* xv, 17.
D coronatus, purpurea veste pro irrisione indutus, vultuque sanguine madens præsentatus populo, clamantibus illis : Tolle, tol- *Joann.* xix, 15.
le, crucifige eum.

Præterea conspice quis, qualis et quantus sum, qui universa ista sustinui. Nonne secundum naturam meam divinam æterno Patri æqualis sum, secundum assumptam quoque humanitatem, ut Verbo æterno hypostatice unitam, toto dignior universo ? Attende complexionis meæ teneritudinem : quia ex sacrosanctæ Virginis

purissimis sum conceptus sanguinibus. Vi- A
de innocentiam meam ; et quam caritative, virtuose, promptissime cuncta pertulerim, contemplare.

Insuper contuere quemadmodum tempore passionis meæ acerbior fuerit in me dolor compassionis qua ingratis ac pereuntibus condolebam, quam ipsa corporalis passionis meæ afflictio ; quantum item dilectissimæ meæ condolui Genitrici, cujus amaritudinem, pœnam, compassionem inspexi ; sed et aliis adstantibus devotis discipulis ac feminis vehementer compa- B
tiens fui. Ista jugiter porta in mente, atque quotidie semel speciali ad hoc hora deputanda, distincte, ordinate, compassive recogita, ac si præsentialiter te præsente et intuente hæc paterer.

Denique, ut cum præcordialiori compassione ista reminiscaris, considera quam grave et molestum tibi esset talia pati. Quantum doleres, si patrem aut fratrem tuum carnalem etiam pro se ipsis et suis excessibus talia cerneres sustinere, magis autem si sine ipsorum demeritis, et ma- C
xime si pro te et tua ereptione a morte corporali ac temporali taliter occiderentur ? Quanto magis Deo creatori salvatorique tuo propter te incarnato, ac taliter passo absque sua offensa, pro tua culpa et pro tua liberatione a morte et condemnatione æterna, imo et pro obtinenda tibi gratia multiplici in præsenti æternalique gloria in futuro, præcordialissime compati te oportet ? Itaque, dum ad ista meditanda accedere vis, mentem tuam recollige et mihi ardenter conjunge, sicque sine dis- D
tractione, cum omni compassione, compunctione gratiarumque actione hæc recorderis.

NOVICIUS. — Ista mihi, o Domine, saluberrima est doctrina, efficacissima medicina, memoratio nunquam obliviscenda. Imo, quamvis ex horum reminiscentia non oriretur nobis medela, maximæ tamen (ni fallor) ingratitudinis esset, ista non recognoscere, non pensare, non gratias agere, nec vicem pro posse rependere. Hæc igitur tanquam fasciculum propono oculis mei cordis indesinenter objicere, præsentare, imprimere, ut compatiar, ut gratias agam, ut imiter, et in omni tentatione remedium habeam salutare ad manum, omne quoque inordinatum ac vile abjiciam ac detester solatium.

CHRISTUS. — Recte consideras. Etenim passio mea variis modis est recolenda. Primo, ad condolendum. Secundo, ad imitandum eam, et omnem quam in ea monstravi caritatem, humilitatem, patientiam, mansuetudinem, obedientiam, fortitudinem, pietatem. Tertio, ad gratulandum, in quantum fuit tam fructuosa et salvativa, quemadmodum scriptum est : Mihi absit gloriari, *Galat.* VI, 14.
nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Itaque ex hac passionis meæ recordatione crucifixus tibi sit mundus : ita ut quidquid appretiatur ac diligit mundus, id est mundani carnalesque homines, utpote deliciæ, divitiæ et honores sæculi hujus, tibi sint crux, et ea fastidias, horreas, fugias, sicut solent homines fugere ac vereri crucis patibulum ; tibi vero delectabile sit ac suave, Deo tuo propter te incarnato, pauperato, crucifixo, compauperari, configi et compati : sicque deificaberis, id est, divinus et ei carissimus eminenterque similis eris. Quarto, ad admirandum quod Unigenitus Dei dignatus sit te ita redimere. Quinto, ad prævalendum in omni tentatione per eam modo nunc introducto. Sexto, ad contemplandum misericordiam, justitiam et sapientiam Dei in passione dominica. Septimo, ad inflammandum : quatenus omnia jam inducta pensando, totaliter accendaris amore Filii Dei, qui te in tantum dilexit ac prædilexit taliterque redemit.

NOVICIUS. — Certe (ut arbitror) in his altitudo consistit sapientiæ christianæ. Sed precor, o Domine, ut clarius mihi exponas qualiter tuam debeam recolere passionem ad contemplandum, et qualiter ad illuminationem internam et ad veram queam pertingere sapientiam.

ARTICULUS VIII.

Qualiter per assiduam, diligentem et compassivam dominicæ passionis recordationem pertingatur ad contemplationem sublimem, illuminationem supernam, sapientiam salutarem.

art. II, III. CHRISTUS. — Dixi tibi, discrete et ordinate esse procedendum atque proficiendum. Tu autem videris velle volare antequam habeas pennas; et qui adhuc in actibus viæ purgativæ ac status incipientium indiges exerceri, de viæ unitivæ et perfectivæ contemplationisque actibus ac volatu vis edoceri.

NOVICIUS. — Quantum ad meæ pertinet parvitatis mensuram, hoc petii : verumtamen indiscretionis præsumptionisque meæ deprecor veniam. Attamen supra testatus es triplicis viæ actus et exercitia sibi invicem aliqualiter permisceri, atque ad incipientes necessario exigi caritatem ac sapientiæ donum secundum aliquem gradum. art. III.

CHRISTUS. — Quid necessaria est excusatio coram cordium inspectore ac judice Deo? Mentis tuæ intentionem et piam cerno radicem ac fervens propositum : ideo satisfaciam tibi.

Ex philosophia agnoscis, quod omnis effectus similitudo est suæ causæ, omnis quoque creatura radius Creatoris. Hinc ex cognitione effectuum ad notitiam pervenitur causarum, et ex creaturarum intuitu ad Creatoris aliquantulam contemplationem pertingitur. Verumtamen effectus gratiæ et gloriæ effectibus naturæ eminentiores consistunt : idcirco in ipsis excellentius contemplative inspicitur Deus; potissime autem in humanitate a Verbo æterno in unitate personæ assumpta, et in ejus mysteriis ac supernaturalibus præclarissimæ gratiæ ac gloriæ suæ donis : in quibus omnibus Deitas adoranda, Trinitas superbenedicta, multo incomprehensibilius, exuberantius, gloriosius suam ostendit relucereque fecit bonitatem immensam, munificentiam infinitam, gratuitam caritatem, interminabilem sapientiam, pie-

A tatem, justitiam, et incircumscriptibilem potestatem, quam in toto residuo universo. Nempe hoc prorsus omnem superat intellectum, quam inæstimabilis et immensa fuit illa superessentialis et superbeatissimæ Trinitatis bonitas, caritas, pietas, munificentia, sapientia, dignatio, qua decrevit ac voluit ab unigenito Patris Filio naturam assumi humanam ad hypostaticam unionem suppositalemque unitatem. Eodem quoque momento quo creata est anima illa et caro formata, ipsa anima ad splen-
B didissimam beatificam divinæ essentiæ visionem est elevata, et gratia, virtutibus, donis, fructibus, beatitudinibus et omni perfectione (quantum capax fuit) impleta.

NOVICIUS. — Horum altitudo et claritas, mentis meæ imbecillitatem prorsus reverberant, vincunt, obtundunt. Hæc ergo, quantum in me est, malo abscindi et transiliri, quam protrahi.

CHRISTUS. — Adverte tamen, quod et facile advertere potes, quanta sit iniquitatis enormitas, ac divinæ justitiæ æquitas,
C quum nulla pura creatura fuerit digna et efficax redimere et salvare genus humanum, sed ipsummet unicum Dei Filium oportuit incarnari, quem et Pater in assumpta natura maluit taliter (ut dictum est) pati, quam peccata manere inulta; quam infinitæ quoque sapientiæ fuerit, quod Deus omnipotens, salva sua justitia, per particularem ac temporalem Christi mortem decrevit humanum redimere genus a morte universali ac sempiterna, et ad amissam reducere gratiam ac salutem;
D quanta quoque pietas Dei relucet in isto, et qualiter omnipotentia Creatoris in incarnatione Verbi æterni et in ceteris ejus repræsentatur ac relucet mysteriis.

NOVICIUS. — Magna et valde supernaturalis est altitudo sapientiæ christianæ, nec humanitus adinventa aut ficta; atque, ut tactum est supra, non per naturalia argumenta, nec magica arte, neque armorum violentia, nec humana potentia, est hominibus persuasa, recepta, ac toto orbe terrarum diffusa. art. VI.

Christus. — Illuminari cœpisti. Et quoniam copiosius appetis illuminari ac dono sapientiæ adimpleri, stude puritati internæ, totamque conversationem tuam funda ac stabili in humilitate profunda, ac filiali et indesinenti Dei timore. Atque, ut tactum præced. est, passionem meam ad imitandum pensa assidue, meam considerando fideliterque sectando caritatem, patientiam, mititatem, constantiam, humilitatem ; ac mei intuitu et amore corpus tuum discrete castiga ; quæ carni molestiora sunt elige ; subesse, obedire, corripi, corrigi, humiliari potius opta quam præesse, præcipere, promoveri, laudari, delicate tractari. In omni eventu satage esse tranquillus in Deo. Omnipotentis præsentiam incessanter considera et honora ; in ejus conspectu custoditus et sollicitus esto, ne in aliquo tantam majestatem ac sanctitatem offendas ; omne opus ejus cum reverentia, fervore et alacritate adimple.

Ecce si ista impleveris, imo ad ista implenda diligentiam et conatum omni hora impenderis, erit Deus omnium Deus tuus, susceptor et exauditor tuus, et protector animæ tuæ ; erit sine dubio animæ tuæ sponsus, et in mente tua quasi in thalamo incessabiliter requiescet ; deosculabitur, amplectetur, consolabitur, fecundabit te intus ; intellectum tuum implebit splendo- ann. II, ribus, affectum ardoribus sanctis, et docebit te unctio Spiritus Sancti in universis. tth. XI, Tunc senties quam vere suave sit jugum meum, et veritatem fidei experimentaliter nosces, atque cum fratre illo Ægidio æstimabis te scientiam magis habere quam fidem.

Novicius. — O Salvator dulcissime, putasne miserrimus ego ad ista tandem pertingam ?

Christus. — Nescis quod Deus sit bonitas pura, penitus infinita ? cujus munificentia est immensa, qui rationales creaturas sibi fideliter adhærentes tam præcipue amat : ideo ipse exuberantissima abundantia suæ pietatis immensæ merita supplicum excedit et vota, et plura ac majora paratus est dare quam creatura petit accipere, quantum in ipso est, et dummodo illa non ponat obstaculum, sed reddere se capacem sategerit. Solæ etenim iniqui- *Is.* LIX, 2. tates, ingratitudines, negligentiæ et torpores ac culpæ vestræ inter Deum vestrum et vos dividunt, et peccata vestra abscondunt faciem, id est gratiosam ejus præsentiam, a vobis. Certissime ergo agnoscas, quod quanto plus puritati mentis studueris, quanto diligentius ab omni offensa Deitatis præcaveris, quo profundius humiliaveris et abnegaveris temetipsum et obedientior fueris, tanto copiosius Sol sapientiæ, Deus lucis ac liberalitatis interminatæ, in anima tua splendebit, radios sapientiæ suæ diffundet, ignem sancti amoris accendet. Imo tam inundanter ac redundanter offeret et communicabit se tibi, ut ferre non prævalens, clames : Domine, contine undas gratiæ tuæ.

Præterea, per donum sapientiæ ad gradum tertium et perfectum perductæ, ardentissimæ caritati unitæ, faciet te quasi consiliarium et secretarium suum, incerta *Ps.* L, 8. et occulta sapientiæ suæ tibi manifestans, teque familiariter et intime sibi adstringens, et in divitias gloriæ suæ te rapiens, in secretum saporem, in Deitatis oceanum, in supergloriosissimæ arcanum Trinitatis te assumens, elevans et absorbens, ut superdignissimæ et supervoluptuosissimæ Trinitatis gloriam et mutuam intuitionem, dilectionem et complacentiam, atque ipsius ad suos electos caritatem et pietatem, feliciter (prout in præsenti vita conceditur) contempleris. Verum, ut dixi, ad hæc obtinenda, ad proficiendum ac permanendum in gratia tanta, oportet in Dei præsentia jugiter custoditum, timoratum, sincerum exsistere, ab omni vanitate, levitate, dissolutione cavere, spirituali profectui condignam impendere diligentiam et conatum. Denique hoc est quod in Evangelio, simplici quidem sermone, sed alto sensu expressi : Si quis (inquiens) voluerit vo- *Joann.* VII, 17. luntatem Dei facere, cognoscet de doctrina an ex Deo sit. Nempe qui modo nunc tacto

conversatur, certitudinaliter in se ipso experitur evangelica documenta verissime esse divina, et ad deificam perfectionem, ad transformationem in Deum supernaturalem, seraphicam, ad obdormitionem in Deo dulcissimam, deiformem ac cœliformem ducentia, soporato jam corpore, omnique sensu a suo actu alienato, suspenso ac derelicto.

Novicius. — Certe, mi Domine, postulationi meæ satisfecisti piissime, et erudisti me qualiter ad sapientiam salutarem, contemplationem divinam et illuminationem supernam queam ac debeam pervenire per indesinentem cordis custodiam, per oris refrenationem, per sensuum coercitionem, per mentis munditiam, per reformationem passionum fugamque vitiorum, per salubrem compunctionem atque assiduam tuæ dignissimæ passionis ac mortis memoriam, non per lectionem et studium. His igitur documentis obtemperare intendo ; et affectuosissime precor ut gratiam ac virtutem adimplendi hæc omnia indignissimo mihi præstare digneris ex tua bonitate, caritate et pietate immensa, per merita omnium quæ pro me facere ac perferre dignatus es.

Christus. — Ex parte mei non erit defectus ; fac tu quod in te est, et quod tibi incumbit. Verumtamen ad proficiendum modo prætacto, lectionem et studium non obesse sed magis prodesse agnoscas, præsertim si discrete agantur.

Novicius. — De hoc ipso instruere me digneris, et de cautelis novicio necessariis ad vitandum impedimenta quotidiani idoneique profectus.

ARTICULUS IX.

De libris qui noviciis conveniunt magis, et de modo lectionis ac studii in eisdem.

Christus. — Noviciis in suo noviciatu non multum vacat lectioni ac studio immorari, sed ea quæ Ordinis sunt diligenter addiscere, cantum, psalmodiam, cærimonialia, observantias regulares. Certis tamen horis debent in suo secreto discussioni A conscientiæ suæ esse intenti, beneficia Dei recolere, priora pericula et peccata horrere, seque ad Deum cum præcordiali affectu convertere, et cur venerint intueri, dominicæ passionis (ut dictum est) recordari (art. VII.). Conformiter hora ad hoc magis vacante legere debent salubria et suo proposito magis accommoda, utputa ea quæ compunctionem inducunt, devotionem nutriunt et inflammant, timorem Dei in corde stabiliunt, et quæ ad vitiorum horrorem, ad mundi contemptum, ad sui ipsius B aspernationem et humiliationem vehementius incitant atque erudiunt mentem ; ea quoque quæ efficacius docent modum ac ordinem spiritualis profectus, reformationem passionum, remedia ac triumphum tentationum, et exercitationem internam. Quemadmodum enim per januam introitur in domum, ita per moralem doctrinam et reformationem exstirpationemque passionum ac vitiorum, ad theoriam et mysticam sapientiam contemplativamque vitam.

Porro libri ad prætacta convenientiores, C sunt : Moralia B. Gregorii, volumina Cassiani et Climaci, sermones et tractatus Bernardi, quædam quoque moralia scripta Hugonis et Richardi de S. Victore ac S. Bonaventuræ ; item Profectus religiosorum, Horologium æternæ sapientiæ ; libri etiam Vitaspatrum multum consolatorii, inflammativi ædificatoriique consistunt. Consimiliter Legendæ et historiæ quædam Sanctorum, ut Actus Francisci, et similia devotionalia quædam opuscula, potissime quæ pertractant de passione dominica, de D quatuor novissimis, de mundi contemptu, de arcta via salutis, de vitiis atque virtutibus. Non quod omnia ista, sed quædam horum, quæ tibi magis ad manum sunt, legere debeas : non varia percurrendo et folia revolvendo, aut solam notitiam vel temporis deductionem seu speculativam et superficialem delectationem quærendo ; sed ut proficias, ut virtuosus reddaris, ut in timore, humilitate, custodia ac salubri proposito, condecentia morum, refrenatione linguæ et sensuum, reformatione

passionum et puritate interna funderis, corroboreris, excrescas. Idcirco quæ legis, tibi ipsi applicare mox debes, imperfectum tuum deflere, emendationem proponere, et ordinate, ferventer ac perseveranter prosequi eam. Ecce tale sit tuum studium.

Dum taliter legis ac studes, Spiritus Sanctus loquitur tibi, quemadmodum dum oras, tu loqueris Creatori. In hujuscemodi libris et in sacris Scripturis, quasi in speculo vides et agnoscis te ipsum et faciem cordis tui. Ibi imperfectum tuum clarissime conspicis, quid agendum restat et qua- (Tim. III, 17.) liter proficere debes, discis. Omnis enim Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum se ipsum, ad corripiendum caritative ac juste proximos, ad erudiendum se ipsum ac alios in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus (n. XV, 4.) bonum instructus ac promptus. Quæcumque in his codicibus scripta sunt, ad doctrinam fidelium scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem (ilipp. 13.) habeant; nec unquam in vita hac arbitrentur se apprehendisse, imo priora atque præterita exercitia sua parvi pendentes, in anteriora et eminentiora extendant se (r. VI, 9.) ipsos, meliora et viciniora saluti per infatigabilem assiduumque profectum obtine- (ilipp. 14.) re conantes, sicque ad supernæ vocationis bravium quotidie ferventius properantes.

Novicius. — Hæc compendiosissima documenta cunctis Aristotelicis Platonicisque doctrinis incomparabiliter pulchriora, sapientialiora ac salubriora consistunt. Nunc de cautelis vitandi impedimenta spiritualis profectus dignetur prosequi Dominus meus.

ARTICULUS X.

De cautelis necessariis novicio ad perseverandum et vitandum impedimenta spiritualis profectus.

Christus. — Primo considera cum quanto fervore ac quali diligentia reliqueris sæculum, et omnia quæ habebas in eo : parentes, propinquos, notos, caros, fami- A liares, terram natalem, opes, societatem dilectam ; atque ad vitam hanc pœnitentialem venisti, ut tibi ipsi ac sæculo moreris. Numquid ex parvo affectu id fieri potuit? Attende etiam quam verecunde, humiliter ac instanter recipi postulasti ; receptus quoque, quam modeste, devote, obedienter ac dirigibiliter te habere cœpisti. Hujus exordii semper sis memor, et noli tepescere, cancrizare, præsumere, extolli, resolvi, audacior aut negligentior effici : imo in tam felici exordio cresce, B persiste, et usque in finem fructuose atque salubriter persevera. Hinc et typice jussum est filiis Israel egressis Ægyptum : Mementote diei hujus in qua eduxit vos (Exod. XIII, 3; Deut. IV, 20.) Dominus de Ægypto, de fornace ferrea, et servitute luti ac lateris. Ita et tu recordari non cesses quam gratiose ac virtuose eduxit te Spiritus Sanctus de hoc sæculo nequam, de fæcibus carnalitatis, de jugo diaboli, de durissima atque vilissima servitute peccati, imo de pœnis inferni, quas jam incidere meruisti, et paulo post inci- C disses, nisi operi manuum suarum Deus (Job XIV, 15.) dexteram porrexisset. Hinc unus Patrum respondit interroganti : Qualiter me habebo? Vide, inquit, qualis fueris primo die quando existi de sæculo et receptus fuisti in claustro, et talis permane semper. Attende quam vile est in claustro tepescere, remissius agere, falli et vinci ab hoste, quum in Apocalypsi testatus sim : Habeo (Apoc. II, 4.) adversum te quod caritatem tuam primam reliquisti ; itemque : Quoniam tepidus es, (Ibid. III, 16.) incipiam te evomere ex ore meo. Vas quo- D que electionis protulit : Voluntarie pec- (Hebr. X, 26.) cantibus post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.

Secundo, indesinenter sta super custo- (Habac. II, 1.) diam tuam, ne ab adversariis vulnereris : imo ad conflictum contra omnem tentationem stude jugiter esse armatus ac præparatus. Timoratusque esto, quemadmodum scriptum est et tactum superius : (art. VI.) Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in (Eccli. II, 1.) timore, et præpara animam tuam ad tentationem. Imo exordio tentationis protinus

art. vi. obvia et resiste, prout de hoc dictum est ante. Hoc est quod pastor Ecclesiæ ait : I Petr. v, 8. Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.

Tertio, omne temerarium judicium cave, ne quemquam incaute despicias : nihilo minus cave ne exemplo eorum qui negligentius agunt, decipiaris aut remissior fias ; et prospice quorum collocutio et conversatio te magis ædificet, ac illis te magis applicare et sociare coneris. Alios tamen dijudicare non audeas, sed suis eos committe judicibus.

Quarto, attende ne specie boni fallaris. Quos enim hostis nequissimus conspicit fervidos, nec evidenti malo dejici posse, apparentibus et non exsistentibus bonis decipere nititur. Ideo cordis tui secretas suggestiones et machinas pande viris idoneis, sicut præhabitum est. art. vi.

Quinto, attende ut rationabile ac discretum sit tuum obsequium, nec immoderatis vigiliis, abstinentiis aut consimilibus exercitiis frangas te cito, ita ut iter religiosæ peregrinationis continuare non queas.

Sexto, adverte quam ineffabiliter grandis sit causa tua cum Deo, a quo in brevi te judicari oportet. Profundissime pensa quia in hoc brevi, incerto præsentis vitæ curriculo necesse est te aut sempiternam beatitudinem meritorie adipisci, aut infernalem damnationem incurrere. Si hoc rite ac frequenter perpenderis, in cella et claustro patienter ac libenter manebis, quamvis inibi usque ad collum in medio vermium resideres.

Postremo, pro conservatione et defensione ac profectu condigno invocare non cesses ; beatissimam quoque humani generis Advocatam diligere, honorare et exorare non desinas.

ARTICULUS XI.

Summaria et finalis noviciorum instructio.

Christus. — Attende nunc, fili mi, quam bene sit eis qui olim in sæculo isto mun-

A dum cum universis suis spreverunt deliciis, divitiis atque honoribus. Ecce quantam gloriam, excellentiam, laudem inæstimabilemque honorem brevi in tempore modico cum labore mercati sunt ! Certe jam computantur inter filios Dei, et inter Sap. v, Sanctos sors illorum est. Nunc de indicibili sua beatitudine, de beatifica ac suavissima fruitione superdignissimæ Deitatis æternaliter sunt securi ; et tanto sunt modo feliciores in sempiternum, quanto in brevi hoc spatio vitæ Deo sincerius, dili-

B gentius amorosiusque servisse inventi sunt. Considera quoque quam male et pessime sit jam eis qui arctam viam salutis incedere neglexerunt, qui in suis sunt concupiscentiis conversati, qui carnalia magis ac terrena quam spiritualia, cœlestia et divina sunt assecuti. Perpende quanta eorum exsistat calamitas. Nonne ignis, sul- Ps. x, 7 fur et spiritus procellarum pars calicis est eorum ? Numquid pro toto mundo et deliciis ejus cunctis velles unum diem aut horam unam nudo corpore jacere in me-

C dio æstuantissimi clibani ? Et nonne fateris sulfureum illum tartareum ignem omni igne hujus mundi vehementer esse calidiorem ?

Novicius. — Heu, quanta excæcatio ac vesania est, pro hujus fallacis vitæ caducis deliciis se ipsum exponere periculo æternæ, intolerandissimæ afflictionis illius ferventissimi incendii infernalis, amissionis quoque perpetuæ felicitatis ! Et dato quod quis in sæculo non penitus pereat, tamen vix contingit quin grave ac diuturnum ni-

D mis ibi purgatorium mereatur.

Christus. — Recte consideras. Et nunc, quoniam firmiter decrevisti in religione permanere, me caput tuum ac Dominum strenue imitare, per ignem et aquam me sequere ; disce a me quia mitis sum et hu- Matth. 29. milis corde. Carnem tuam cum vitiis et Galat. v, concupiscentiis crucifige ; mortifica, abnega, vince te ipsum ; voluntatem tuam mihi plenarie offer per obedientiam plenam. Cum metu et reverentia servi Deo ; Hebr. 28. cum omni cordis custodia et fervore, cum

puritate et profectu adhærere et obsequi omnipotenti et incircumscriptibili Deo non cesses, vilibus et indignis solatiis consolatiunculisque contemptis. Si taliter egeris, habebis nunc paradisum in terris, summo et infinito bono mente tranquilla dulcissime adhærendo, et paulo post paradisum
xxvi,13. cœlestem ; videbisque bona Domini in re-
Cor. ii, 9. gno Sanctorum, quæ nec oculus viatorum vidit, nec auris eorum audivit, nec in cor peregrinantium ascenderunt, quæ præparata sunt atque largissime conferentur veris religiosis consilia mea implentibus.

Novicius. — Ita, mi Domine, legifer summe, consultor sapientissime, agere cupio et propono, teque præstante implebo.

Christus. — Constans esto, et juxta præhabita operare, sicque videbis et experieris auxilium meum in te. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS EXHORTATORII NOVICIORUM.

DE PROFESSIONE MONASTICA

PROŒMIUM

E*XCELLENTIOREM viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens.* I Cor. XII, 31 ; XIII, 1.

Verba sunt Apostoli ad Corinthios. Et est sensus : Quamvis loquerer linguis gentium omnium (sicut Apostolis fuit collatum donum linguarum, quo omnium hominum utebantur loquelis), loquerer etiam linguis spiritualibus angelorum ; si caritatem Dei et proximorum non haberem, inanem strepitum verborum emitterem. Caritas namque est spiritualis vita creaturæ rationalis : ideo, si careat caritate, mortua est coram Deo, nec aliquid meritorie cogitare, appetere, loqui aut agere potest quamdiu privata est caritate; nec aliquod aliud donum seu charisma Spiritus Sancti, vel opus bonum ex genere, potest ei ad salutem proficere. Ideo necessitatem, dignitatem et excellentiam caritatis volens insinuare Apostolus, addit : *Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria* I Cor. XIII, 2, 3. *omnia et omnem scientiam, et si habuero omnem* (id est perfectam atque certissimam) *fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam,* id est, tormentis et incendiis corpus meum exponam pro defensione æquitatis aut fidei, *caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ex quibus verbis probatur, quod nullum opus misericordiæ, imo nec mori et comburi pro fide, placet Deo sine caritatis virtute. Imo, si aliquis sine caritate moreretur pro fidei atque justitiæ conservatione et defensione ex servili timore, æternaliter damnaretur. Ecce quam necessaria, quam salubris et præclara est caritas sancta, sine qua nec miracula, nec prophetia, nec liberalitas maxima, nec divinorum notitia secretorum neque martyrium complacent Deo !

Ideo, ne quis inaniter sibimet blandiatur et fallat se ipsum, putando et persuadendo sibimetipsi quod habeat caritatem, Apostolus docuit qualis sit caritas de qua tractat, et quæ sint opera ejus, dicens : *Caritas patiens est, benigna est ; caritas non æmulatur,* Ibid. 4-6. id est, non invidet prosperitati alterius ; *non agit perperam,* id est perverse, impediendo profectum, salutem aut commoditatem alterius ; *non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt ; non irritatur,* id est, non provocatur ad iram ex verbis aut signis alterius, nec ex injuriis sibi illatis ; *non cogitat malum,* id est, non proponit alicui facere nocumentum ; *non gaudet super iniquitate,* id est, de ruina et culpa proximi non lætatur, *congaudet autem veritati.* Alia quoque multa caritati adscribit : *Omnia* Ibid. 7. (inquiens) *suffert, omnia sustinet,* quia adversa fortiter tolerat, et aliorum defectus ac onera æquanimiter et compassive supportat, sicut hortatur Apostolus : Alter alterius Galat. VI, 2. onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. Itaque qui istas caritatis proprietates et

actiones invenit in se, pie confidere potest humiliterque sperare quod habeat caritatem.
Jacob. III, 14. Porro qui impatiens est, et zelum habet amarum, nec proximis suis indulget ex corde, atque faciliter irritatur, indignatur et appetit ultionem, ex præinductis Apostoli verbis discat quam longe a vera ac saluberrima caritate exsistat. Conformiter qui contra proximum suum extollitur, aut cupit præesse, seu propria commoda quærit magis quam
Job XLI, 25. Dei honorem et proximorum salutem, non est filius caritatis, sed servus illius qui est rex super omnes filios superbiæ.

Hæc de caritate præmisi ac breviter tetigi, quia ad eam et ejus perfectionem ordinatur omnis professio religiosorum. De qua professione, sicut rogatus sum, aliquid scribere nunc intendo, et specialiter de professione venerabilium et devotarum Regularissarum quæ clausæ sunt : qualiter ipsa professio sit intelligenda, et quando ac qualiter transgressio eorum quæ in professione continentur, sit mortale aut veniale peccatum. Quæ et omnibus utriusque sexus religiosis applicari possunt.

DE

PROFESSIONE MONASTICA[1]

ARTICULUS PRIMUS.

Quod universi Ordines a sanctis Patribus instituti, et omnia evangelica Christi consilia, principaliter ordinantur ad caritatis perfectionem.

im. I, 5. FINIS *præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* Hæc sunt verba Apostoli. Quorum sensus est, quod sincera et fervens dilectio qua Deus proximusque diligitur, est finalis perfectio omnium præceptorum novi ac veteris Testamenti, secundum quod Christus testatur, dicendo : In his duobus caritatis præceptis tota lex pendet et Prophetæ. Hinc rursus ait Apostolus : Plenitudo legis est dilectio.

Caritas namque est virtus dignissima, ceterarum virtutum regina, imperatrix, motrix, forma, vita et finis : quia per caritatem maxime ac propinquissime conjungimur, conformamur adhæremusque Deo ; atque per voluntatis conformitatem et mentis consensum, unum cum Deo efficimur, prout asserit Paulus : Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum illo. Hinc ceteræ virtutes et actiones earum ad caritatem et ejus profectum et perfectionem potissime ordinantur. Caritas quoque movet et excitat hominem ad actus et exercitia ceterarum virtutum, hoc est ad patientiam, mansuetudinem, humilitatem, sobrietatem, constantiam, pietatem, justitiam. Quum etenim caritas conformet voluntatem hominis voluntati Creatoris, instigat eum et provocat ad volendum et agendum ea quæ placent Deo, atque ad respuendum et vitandum ea quæ displicent ei.

Matth. ..., 40. — Rom. XIII, ... — I Cor. VI, 17.

Hinc denique non solum cuncta præcepta, sed universa quoque evangelica Christi consilia ordinantur ad caritatis perfectionem. Sunt autem duodecim consilia Christi in Evangelio scripta : quæ dicuntur consilia, quoniam quamvis prima facie non teneamur ad ea, tamen per eorum impletionem pertingit homo expeditius atque celerius ad caritatis et ceterarum virtutum perfectionem, beatitudinemque æternam. Removent namque et auferunt impedimenta spiritualis profectus. Quumque sint tria præcipua spiritualis profectus ac perfectionis impedimenta, quorum primum est divitiarum et propriarum rerum possessio, secundum vero est carnalis voluptas et sensualis affectio, tertium autem est propriæ voluntatis libertas ; Dominus noster Jesus Christus, virtus et sapientia Dei Patris, contra hæc tria impedimenta contulit principalia tria consilia. I Cor. I, 24.

Primum est derelictio omnium terrenarum divitiarum propriarumque rerum. Unde dixit Salvator : Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere me. In hoc consilio fundatur votum paupertatis. Secundum consilium est derelictio uxoris, et parentum, ac omnium cognatorum. Unde locu-

Matth. XIX, 21.

[1] Ex editionibus Coloniæ : s. t. n., 1531 ; Melchioris Novesiani, 1534 ; Joannis Birckmanni Junioris, 1559.

Luc. xiv, 26. tus est Christus : Qui non odit patrem suum et matrem, et uxorem et filios, et fratres et sorores, non potest meus esse discipulus. Hi etenim odiendi sunt, non quoad eorum naturam aut personam, sed in quantum a spirituali profectu impediunt, seu (ut sanctus ait Gregorius) in quantum in Dei itinere nobis obsistunt. Et in hoc consilio fundatur votum perpetuæ castitatis. Tertium consilium est abnegatio propriæ voluntatis. De quo locutus est
Ibid. ix, 23. Dominus Jesus : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam B quotidie, et sequatur me. In quo consilio fundatur obedientiæ votum.

Ista sunt tria principalia vota, omni religioni monasticæ substantialia : quæ sancti Patres religionum et Ordinum institutores, ordinaverunt a cunctis religiosis utriusque sexus esse solenniter promittenda, ad hoc ut per eorum adimpletionem ad caritatis divinæ et fraternæ perfectionem velocius et expeditius queant pertingere. Ideo certum est, quod religiosæ personæ quæ in caritatis sinceritate ac profectu C non crescunt, præfata vota inaniter promiserunt. Porro in caritate non crescit nec proficit nisi qui in vera humilitate, patientia, mansuetudine, obedientia cre-
In Procemio. I Cor. xiii, 4, 5. scit : quia, ut dictum est, caritas patiens est, benigna est ; non irritatur, non inflatur, non quærit quæ sua sunt. Superbia quoque, impatientia, iracundia, inobedientia, caritatem expellunt ac destruunt, sicut et cetera peccata mortalia.

Omnis ergo religiosa persona penset quotidie diligenter, imo omni die frequen- D ter, hæc tria vota prætacta ; et cur ea promiserit recogitet, utpote quatenus per eorum impletionem crescat in caritate : sicque indefesse conetur sua vota implere, atque per hæc in caritate proficere ac perfici. Et quotiescumque venerit ei aliquis motus caritati contrarius, utputa aliquis motus odii aut rancoris, aliqua indignatio, amaritudo, elatio, ira, impatientia, aversio, prattatio adversus proximum suum, protinus recordetur suæ professionis, A et cur ita professa est, dicens in corde suo : Cur venisti? quid promisisti ? propter quid vota illa fecisti ? Et sic omnem vitiosum statim abjiciat motum.

ARTICULUS II.

Quod sancti Patres in Regulis suis primo et maxime ad caritatem, pacem et concordiam exhortati sunt universas Ordinum suorum personas.

OBSECRO vos ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Sancti Patres Ordinum fundatores, scientes quod religiosæ personæ in primis teneantur ad evangelica Christi præcepta, præsertim ad duo caritatis mandata dignissima, sine quorum observatione nil prosunt observantiæ regulares aut vota monastica, circa Regularum suarum exordia ferventissime ac diligentissime docuerunt, hortati sunt et jusserunt, ut cunctæ Ordinum suorum personæ in primis studeant irreprehensibiliter adimplere duo caritatis præcepta, et pacem internam cum Deo atque concordiam cum proximis suis habere. Nam pax et concordia ex caritate nascuntur. Ephes. 1-3.

Hinc gloriosus Hieronymus ait in primo capitulo Regulæ suæ : Quis modus vivendi primo arripiendus sit Sororibus in monasterio constitutis, Christus instruit, dicens : Si vis ad vitam intrare, serva man- Matth. xix, 17.
data. Et quæ sint illa docuit, dicens :
Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde Ibid. xx, 37, 39.
tuo, et proximum tuum sicut te ipsum. Pensate sollicite, quod sine adimpletione præceptorum istorum nemo ingreditur ad vivendum Deo. Idcirco Apostolus non glo- I Cor. xiii, 1, 2.
riatur in linguis angelorum et hominum, non in cognitione mysteriorum Dei, non in spiritu prophetiæ, sed in caritate. Hæc sola facit hominem Deo viventem ; hæc religiosos, hæc monachos facit ac moniales.

Sine caritate monasteria sunt tartara, et habitantes in eis sunt dæmones. Porro cum caritate monasteria sunt paradisus in terris, et commorantes in ipsis sunt angeli. Ideo, dilectissimæ filiæ, quamvis longa jejunia macerent corpora vestra, licet abjecta et vilis vestis deformet, et longa Officia persolvantur ; si intus desit caritas, nondum perventum est ad infimum gra-
cxxxii, dum religionis. Bonum et jucundum est fratres et sorores habitare in unum, hoc est in uno vinculo dilectionis et caritatis affectu : qui sibi invicem in tentatione auxiliantur, et caritatis ac pietatis obsequia sibi mutuo administrant. Ideo vobis corporaliter adunatis sit cor unum et anima una. Nulla vita pro certo deterior est, quam simul degere corpore et non mente ; et vere infelices sunt quibus non inest una, sed diversa voluntas. Sit itaque vobis semper unus affectus, una fraternitas, una voluntas, una proportio morum, una jucunditas, una tristitia : ne quod placet uni in Domino, displiceat alteri ; neque unde una lætatur, altera tristetur. Et sic habere poteritis religionis propositum et virtutem, si unanimes in domo Domini habitetis. Hæc vere vita Dei, non diaboli ; vere monasterium, non infernus ; vere vita religiosa, non diabolica.

Ex istis B. Hieronymi verbis ostenditur, quod religiosæ personæ impatientes, contentiosæ, discordes, et proximis suis non ignoscentes, non religiosam, sed diabolicam ducunt vitam. Nec dignæ sunt sponsæ Christi vocari, sed (ut sanctus asserit Augustinus) adulteræ sunt diaboli, cum quo spiritualiter fornicantur per impiæ voluntatis conformitatem ac pravæ mentis consensum. Sicque ab adultero suo diabolo concipiunt dolorem, id est cogitationem iniquam, intentionem obliquam, affectionem damnabilem, propositum vitiosum : quæ omnia dolor vocantur, quia deflenda sunt, et ad æternam pœnam ac infernalem
vii, 15. trahunt mœrorem. Concipiunt ergo dolorem, et pariunt iniquitatem, id est opus injustum. Imo, sicut in præinductis verbis testatur Hieronymus, tales religiosi sunt dæmones, quorum tentationes ac vitia imitantur.

Adverte hoc, o religiose, et noli per rancorem, discordiam, aversionem, aut similes diabolicas suggestiones, tuos labores perdere universos, et non solum æterna felicitate privari, sed etiam infernalem damnationem miserrime adipisci.

Insuper, sicut Hieronymus, ita et Augustinus Regulam suam incepit ab exhortatione et jussione caritatis ac pacis, dicens : Ante omnia diligatur Deus, deinde proximus, quia ista præcepta sunt nobis principaliter data. Hæc igitur sunt quæ præcipimus ut servetis. Primum, propter quod congregati estis in unum, ut unanimes habitetis in domo, et sit vobis anima una et cor unum in Deo : hoc est, animæ vestræ et corda vestra sint per caritatem, pacem atque concordiam ad invicem semper unita, nequaquam a se invicem per invidiam, dissensionem turbulentiamque divisa.

Sic et S. Basilius suam Regulam inchoavit ab expositione præceptorum caritatis Dei et proximorum. Sanctus quoque Benedictus assignans in Regula sua bonorum operum instrumenta, incepit a caritate, dicendo : In primis debemus Dominum *Marc.* xii,
Deum diligere toto corde, tota anima et 30, 31.
tota virtute, deinde proximos tanquam nos ipsos.

Itaque tot beatissimorum Patrum doctrinis, exemplis et præceptis instructi, caritatem, pacem, concordiam totis præcordiis amplectamur ; rancorem, turbationem, discordiam, tanquam diabolica mala infernaliaque tormenta vitemus. Nam et unigenitus Filius Dei in Evangelio ait : Beati *Matth.* v,
pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Ideo 9.
infelices ac miseri sunt discordes ac turbatores, quia filii diaboli reputantur. Atque, ut sanctus vir Climacus docet, sicut unus lupus turbat totam ovium congregationem, sic una perversa persona totum conventum turbat frequenter. Erubescat ergo, pœniteat seque emendet qui talis

est : alioqui minus damnabile ei esset mansisse in sæculo, quam se ita habere in claustro.

ARTICULUS III.

De forma professionis Regularissarum, et qualiter sit intelligenda.

Ps. LXXV, 12. VOVETE, *et reddite Domino Deo vestro.* Nulli Christiano licet dubitare quin multo melius, salubrius, perfectius ac Deo placentius sit, facere opera bona ex voto quam sine voto : alioqui sancti Patres non ordinassent ut religiosæ personæ faciant professionem solennem. Et, ut sanctus ait Anselmus, qui bona agit ex voto, et qui professionem facit in claustro, offert arborem cum fructibus Deo. Hinc asserit S. Thomas : Quanto actus bonus procedit ex pluribus excellentioribusque virtutibus, tanto est dignior majorisque meriti apud Deum. Vovere autem Deo, est actus virtutis quæ latria appellatur, quæ inter virtutes morales est dignissima, quum sit virtus Deo cultum cærimoniamque impendens. Ideo facere opera bona non solum ex præcepto divino et inferiori virtute morali, sed etiam ex voto solenni, est acceptissimum Deo omnipotenti.

Summ. th. 2a 2æ, q. LXXXVIII, a. 6.

Denique, quamvis hic specialiter tractem de professione Regularissarum, quia ad hæc scribenda rogatus et motus a quadam venerabili Regularissa, accedente ad hoc pia instantia cujusdam excellentis, devotæ atque illustris personæ, cujus est parvitati meæ præcipere ; tamen ex declaratione professionis præfatæ intendo ceterorum quoque religiosorum professiones exponere.

Itaque forma professionis Regularissæ prætactæ et consororum ipsius, est ista : Ego Soror N. promitto stabilitatem, et conversionem morum meorum, perpetuam continentiam, carentiam proprii, obedientiam secundum Regulam B. Augustini, sub perpetua clausura.

In hac professione continentur sex puncta. Quorum primum est stabilitas : per quam principaliter ac directe intelligitur perseverantia, quæ est virtus per quam homo firmiter proponit permanere in actibus bonis usque in finem, et in eisdem finaliter perseverat. De qua ait Salvator : Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Ad quam hortatur Apostolus, dicens : Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper. Secundum est conversio morum, id est reformatio interiorum affectionum actionumque hominis, hoc est refrenatio passionum, expurgatio intellectus a cogitationibus pravis, emundatio voluntatis a desideriis atque amoribus et delectationibus vitiosis, coercitio linguæ a verbis illicitis et aliorum membrorum ab operibus malis, evitatio negligentiæ et torporis atque omissionis culpabilis, exteriorum interiorumque sensuum repressio atque custodia ac morigeratio in exteriori apparatu et in incessu et actu : hæc omnia ad conversionem pertinent morum. Tertium est perpetua continentia, id est inviolata castitas usque ad mortem, secundum quod castitas est virtus moralis concupiscentiam carnis refrenans a consensu illicito et actu obsceno. Quartum est carentia proprii, id est voluntaria paupertas, quæ est virtus cupiditatem refrenans : per quam virtutem religiosa persona propter Deum sponte contemnit habere et possidere aliquid proprium. Quintum est obedientia, quæ est virtus per quam propria voluntas et mens sponte subjicitur Deo, et ejus vicario aut vicariæ, utputa spirituali patri aut matri, secundum tenorem Regulæ quam religiosa persona profitetur seu vovet. Sextum est clausura perpetua, id est nunquam exire de claustro, et libenter manere in eo usque ad mortem propter Deum : nisi forte propter necessariam causam, de superioris licentia exire contingeret ad aliquantulum temporis.

Matth. xxiv, 1[3]. I Cor. [xv], 58.

Hæc est brevis declaratio professionis præfatæ. Circa quam venerabilis Regularissa petiit sibi exponi quando et qua-

liter persona professionis istius peccaret mortaliter aut venialiter, circa aut contra hanc ipsam professionem. Et hoc præcipuam habet difficultatem circa secundum punctum in hac professione contentum, quod est conversio morum. Quum enim conversio morum omnia jam prætacta includat, et præsertim requirat reformationem affectionum refrenationemque passionum, videtur religiosa persona frangere suum votum (quod est valde grave et mortale peccatum) quotiescumque alicui passioni aut inordinatæ affectioni succumbit, hoc est, quandocumque ad iram, impatientiam aut similem passionem movetur ac labitur, aut inordinatis affectionibus superatur : quod esset valde periculosum et grave.

Nunc ergo per ordinem de his sex punctis plenius clariusque, Deo auxiliante, tractabitur ; et quando circa ea peccatur mortaliter aut venialiter ostendetur.

ARTICULUS IV.

Qualiter religiosa persona ex sua professione teneatur ad stabilitatem, et quando circa hanc mortaliter aut venialiter peccet.

or. xv, STABILES *estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Verbum Dei et adimpletio ejus, virtus et gratia et obedientia sancta, stabiliunt et confortant mentem in Deo, ita ut nec prosperis nec adversis dejiciatur, nec tentationibus neque passionibus superetur. Sicque stabilitas ad omnem pertinet Christianum. Hinc ait Salvator : Omnis
atth. 4, 25. qui audit verba mea et facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram ; et descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat supra petram. Itaque structura virtutum fundanda est supra petram, id est stabile fundamentum : per

A quod potest intelligi firma fides, aut profunda humilitas, seu timor Dei, aut forte propositum perseverandi in vita virtuosa usque in finem, sine quo bono proposito nullum opus bonum acceptum est Deo. Sicque specialiter religiosi etiam voto solenni obligant se ad hujuscemodi stabilitatem, et eam in forma suæ professionis exprimunt primo loco, quatenus universa suæ monasticæ conversationis exercitia fundent et collocent supra eam, tanquam super solidam atque immobilem petram,
B ita ut malint mori, imo mille mortes pati, quam ab assumpta religione et Deo oblata professione recedere. Sic ergo stabilitatis promissio in professione multorum religiosorum, utputa Benedictinorum et Cartusiensium, ac Regularissarum, saltem quarumdam, recte præmittitur, quia est tanquam solida petra supra quam tota fabrica et exercitatio sanctæ religionis construitur ac fundatur.

Denique opus bonum specialem solet habere difficultatem ex temporis diutur-
C nitate. Nam, ut communiter dicitur, facile est inchoare, sed diu et usque in finem vitæ in actibus virtuosis ac arduis permanere, est difficile. Idcirco, ne hac difficultate vincamur, et ne ex humana instabilitate, fragilitate et infirmitate a bonis inceptis ante terminum vitæ deficiamus, indigemus speciali virtute, quæ stabilitas seu perseverantia nuncupatur : per quam, ex intentione veræ salutis, firmiter proponimus permanere usque in finem vitæ præsentis in actibus virtuosis.
D Hinc religiosi ad stabilitatem et perseverantiam istam voto se obligant, et non solum ad tale propositum perseverandi finaliter, sed item ad exsecutionem et finalem consummationem ejusdem propositi. Ideo quidquid huic stabilitati directe contrariatur, hoc professioni monasticæ contrarium perhibetur. Et est non solum mortale peccatum, sed etiam peccatum mortale valde enorme in religioso, videlicet violatio voti, quæ gravius crimen consistit quam perjurium, ut S. Thomas declarat. Summ. th. 2a 2æ, q. LXXXIX, a. 8.

A Porro stabilitati huic duo directe ac specialiter contrariantur. Primum est, propositum seu desiderium deliberatum non manendi in religione assumpta. Secundum est, non manere in ea usque ad finem. Ideo quotiescumque religiosa persona proponit aut deliberato animo cupit Ordinem suum exire atque relinquere, toties peccat valde mortaliter et contra suam agit professionem. Similiter peccat mortaliter, si Ordinem suum exierit. Verumtamen istud intelligendum est, nisi cum licentia petita vellet intrare Ordinem B arctiorem et altiorem, in loco ubi observantia regularis vigeret; aut certe Ordinem inferiorem et leviorem, in quo observantia viget, si in Ordine suo aut claustro non vigeat, nec in Ordine suo possit acquirere locum in quo observantia viget (quo tamen in casu superioris judicium est requirendum); aut si rigorem Ordinis sui ferre non possit : et hoc tamen in casu dispensatio est necessaria.

Insuper, quoniam religiosus profitetur stabilitatem prout est virtus, utpote C perseverare in Ordine propter Deum et finem beatum; idcirco, si religiosus corrueret ad tantam tentationem aut cordis tepiditatem, quod Ordinem suum exiret nisi ex humana confusione aut temporali incommodo exire omitteret, hoc quoque esset mortale peccatum et contra votum, non tamen tam grave neque tam periculosum sicut absolute velle exire, aut realiter ab ipsa religione recedere : imo saltem ex tali causa in religione manere et retrahi ab egressu, potest esse occasio D redeundi ad cor ac pœnitendi. Certum est etiam, quod realiter a religione discedere, sit vitiosius magisque scandalosum quam velle exire. Itemque omnino apostatare a religione, vitiosius ac scandalosius est quam laxiorem et inferiorem Ordinem introire. Si autem quis ex irrationabili causa, hoc est absque necessitate aut vera utilitate, intret Ordinem aut conventum laxiorem, non excusatur coram Deo de instabilitatis peccato, quamvis cum dispensatione hoc agat, quoniam talis dispensatio est dissipatio juris, secundum S. Bernardum aliosque doctores.

Præterea, sicut circa præcepta Dei quandoque peccatur venialiter, quando videlicet non penitus violantur, sed tamen non satis plene implentur, nec eorum transgressioni perfecte resistitur, sed aliqualiter consentitur, et modicum quid agitur contra ea, quod tamen caritati Dei atque justitiæ non repugnat totaliter aut complete; sic circa votum stabilitatis hujus potest contingere veniale peccatum, si religiosa persona ex fragilitate humana aut suggestione maligna, aliqualiter inclinetur ad ea quæ juxta jam dicta contrariantur virtuti ac voto perseverantiæ, non tamen plene consentiat, sed intuitu et amore Dei, ex deliberatione et superiori ratione resistat. Periculosum tamen esset in tali conflictu debiliter reluctari : imo mox fortiterque abjicienda est talis tentatio.

Postremo, ex inductis nunc patet qualiter intelligendum sit quod sanctus ait Bernardus : Promissioni stabilitatis tria contrariantur : remissus descensus, contentiosus discessus, et vagus seu curiosus discursus. Remissus descensus, est ex negligentia et torpore paulatim a pristino fervore deficere, et ad deteriora corruere, sicut quibusdam scribit Apostolus : Quum *Galat.* III, spiritu cœperitis, nunc carne consummamini. Unde in Apocalypsi Dominus ait ad quemdam : Habeo adversum te quod ca- *Apoc.* II, ritatem tuam primam reliquisti. Contentiosus discessus, est apostatare ab Ordine, vel laxiorem conventum seu Ordinem ex irrationabili causa intrare. Curiosus et vagus discursus, est ex levitate et causa insufficienti, de loco ad locum, de claustro ad claustrum, de congregatione ad congregationem transire, atque hinc inde per aliquot dies morari et pigritiæ ac carnalitati vacare. Hinc S. Benedictus in Regula sua ponit quatuor genera monachorum : quorum primi vocantur cœnobitæ, qui in claustro et congregatione vivunt sub re-

gula et obedientia Patris. Secundi vocantur anachoretæ, qui omnino solitarii sunt, et vitam angelicam ducunt in terra. Tertii dicti sunt Sarabaitæ, qui coram hominibus magnam devotionem finxerunt, sed in suis latibulis gulæ et omni torpori vacabant. Quarti gyrovagi sunt vocati, quia hinc inde discurrunt, ut tactum est : quos S. Benedictus ait Sarabaitis esse pejores.

Ex his religiosa persona consideret qualiter circa votum stabilitatis debeat se habere, studeatque de die in diem magis hilariter in regulari observantia permanere, et in loco et habitu suo atque proposito permanere.

ARTICULUS V.

De his quæ stabilitatem nutriunt et confortant.

br. xiii, *OPTIMUM est gratia stabiliri cor.* Homo ex sua natura fragilis est atque instabilis : idcirco per gratiam et virtutes ac dona Spiritus Sancti indiget roborari, juvari ac stabiliri in bonis. Denique, sicut passiones et vitia, fatuitas et insipientia efficiunt hominem vagum, dissolutum, instabilem ; sic gratia et virtutes, prudentia et sapientia faciunt eum stabilem, uniformem, constantem et probum. Unde in Ecclesiastico legitur : Homo sanctus in sapientia manet ut sol ; stultus autem mutatur ut luna. In Job quoque scriptum est : Si iniquitatem quæ est in manibus (id est operibus) tuis abstuleris, stabilis eris, et non commoveberis *.

Eccli. ..., 12. xi, 14, imebis

Itaque qui cupit in vera stabilitate proficere, conetur cor suum a passionibus et peccatis purgare, in gratia et virtutibus crescere, in prudentia ac vera sapientia quotidianum adipisci profectum, et non sequi impetum passionis, sed rectum judicium rationis, ac Deum semper habere præ oculis.

Secundo ad stabilitatem multum specialiter confert caritas Dei. Etenim ubi amor, A ibi oculus ; et quod quis ferventius diligit, in illo magis quiescit. Idcirco, quo religiosa persona plus proficit in divino amore, tanto robustius Deo virtutibusque inhæret, et in perseverandi proposito radicatur.

Tertio stabilitatem hanc nutrit diligens consideratio æternalium tormentorum quæ instabilibus atque apostatis infliguntur ; consideratio quoque districtionis metuendissimi judicii Dei, qui infideles, carnales, instabiles et perversos religiosos du- B rissime judicat, damnat ac punit.

Quarto stabilitatem istam confortat et alit attenta consideratio futuræ, æternæ et maximæ felicitatis ac gloriæ fidelibus, virtuosis ac stabilibus religiosis præparatæ ac dandæ. Etenim consideratio remunerationis minuit vim laboris, ac incitat et confortat animum laborantis. Et utique tanta est pulchritudo lucis æternæ, tanta est beatitudo et merces paradisi cœlestis, tanta dignitas beatificæ visionis supergloriosissimæ Trinitatis, quod licet non esse- C mus eas habituri nisi per horulam unam, dignum esset mille annis pro eis usque ad sanguinem laborare.

Quinto ad proficiendum in mentis firmitate ac stabilitate atque custodia cordis maxime confert et adjuvat, quod homo faciat sibi consuetudinem cogitandi divinæ majestatis præsentiam in omni loco, actu et tempore, et cum sancto Elia jugiter dicat in corde suo : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. Sic enim erubescet se negligenter ac viliter coram D Deo habere, et divini rigorem judicii formidabit ; quumque senserit se mente distractum a Deo, protinus revocabit cor suum ad Dei considerationem, dicendo : Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. Sicque cum sancto David dicere poterit : Oculi mei semper ad Dominum. *Ps.* xxiv, 15.

III *Reg.* xvii, 1.

Sexto ad stabilitatem inducit consideratio propriæ professionis, et rite pensare quam ineffabiliter enorme atque damnabile sit professionem hanc violare, et quam inhonestum ac offensivum sit hoc coram

omnibus angelis Dei et Sanctis ac bonis A hominibus.

Septimo ad stabilitatem inducit, se ipsum strenue exercitare in actibus bonis, et omnem otiositatem pigritiamque vitare ac semper agere aliquid boni. Ex multis etenim actibus bonis generatur habitus virtuosus consuetudoque bona : quæ est velut altera natura, quia per eam prompte ac delectabiliter operamur ea quæ Deo sunt placita.

Octavo stabilitatem hanc nutrit assidua oratio qua Omnipotentem fervide deprecamur B ut in vera stabilitate nos roboret semper ac servet.

Ut ergo, o religiosa persona, in sancta stabilitate proficias et persistas, stude in divino amore proficere, in Creatore tuo incomparabiliter bono, pulchro, dulcissimo libentius quam in creaturis quiescere. Novissima tua sollicite præmeditari non cesses ; districtionem intuere divini judicii, damnationem religiosi instabilis, gloriosissima sempiternaque præmia religiosi perseverantis. Divini quoque vultus præ- C sentiam indesinenter attende ; acediam fuge, omne tempus tibi concessum fructuose expende, nec desinas Dei auxilium implorare. Postremo, hæc omnia agere tanto plus necessarium est monialibus, quanto feminæ naturaliter magis instabiles esse solent.

De laudibus autem et effectibus perseverantiæ hoc sufficiat tangere, quod ipsa est virtutum omnium complementum, decor et gloria : quæ sola coronari meretur, sine qua nulla virtus, nullum meritum D æternam felicitatem sortitur ; sine qua nec orans in suis petitionibus exauditur : quia, *Luc.* XVIII, 1. ut ait Salvator, oportet semper orare et *II Thess.* III, 13 ; *Galat.* VI, 9. non deficere. Hinc hortatur Apostolus : Benefacientes nolite deficere ; tempore enim suo metemus non deficientes. Itemque : *Hebr.* XII, 7. In disciplina perseverate. Dominus quo- *Apoc.* II, 10. que in Apocalypsi : Esto (inquit) fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Idcirco ait Gregorius : Incassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur.

ARTICULUS VI.

Quid sit conversio morum, et qualiter impleatur ; et quando ac quomodo religiosa persona circa hanc mortaliter aut venialiter peccet.

EXSPOLIANTES *vos veterem hominem cum actibus suis, induite novum,* *Coloss.* 9 ; *Eph* IV, 24. *qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Inter sacrificia veteris Testamenti unum fuit dignissimum, quod holocaustum vocatur : quod ad divinæ majestatis reverentiam totaliter comburebatur. Per quod religiosæ præfigurabantur personæ, quæ ex caritatis fervore debent se ipsas totaliter Deo offerre ac ejus obsequiis mancipare. Idcirco religiosi morum suorum conversionem Deo promittunt : ut si in sæculo erant superbi, iracundi, impatientes, pigri, gulosi, immundi, inanes, instabiles, invidi, loquaces, avari, contentiosi aut obloquentes, jam de cetero in claustro digne conentur et efficaciter studeant esse humiles, mansueti, patientes, fervidi, sobrii, continentes, timorati, stabiles, caritativi, silentes, pauperes, pacifici et bene de proximis suis loquentes ; et qui ante temerarie judicabant, proximosque spernebant, atque ex levibus causis ac signis suspicabantur mala de aliis, et verba et facta proximorum interpretabantur in pejus, jam de cetero ab omni incauto, temerario, usurpato proximorum judicio prorsus abstineant, discutiantque, judicent ac dijudicent semetipsos, nec mala faciliter de aliis suspicentur, imo verba et facta ipsorum interpretentur in melius.

Itaque ad morum conversionem pertinet singulas vires animæ reformare, in verbis et actibus ordinatum consistere, interiores exterioresque sensus reprimere : quatenus sicut religiosus totum quod est et habet in anima et corpore, a Deo accepit, sic totum hoc ad Dei cultum, amorem et honorem convertat, nec aliquid sui relinquat sibi, sed quam fervens et sollicitus fuit aut esse potuit in sæculo ad com-

placendum hominibus, atque ad obtinendum propriam laudem, honorem, delectationem et commodum, tam (imo et multo plus) sollicitus sit et fervens in claustro ad complacendum Altissimo, ad vilipendendum ac castigandum se ipsum, ad promovendum Creatoris honorem, laudem et gloriam ; et sicut in sæculo alios multipliciter scandalizare non timuit, sic de cetero summe devitet ne aliquem scandalizet, sed verbis et actibus universos ædificare conetur.

Stude ergo et satage, o religiosa persona, intellectum tuum et rationem ab omni errore et falsitate, ab omni cogitatione inani et prava, ab omni distractione, præsertim tempore orationis ac divini Officii, expurgare et custodire. Sanctis et salubribus meditationibus, contemplationibus divinorum, consideratione defectuum propriorum, commemoratione dominicæ passionis, recordationibus beneficiorum promissionumque Dei mentem tuam stude implere, ornare et exercere. Cogita semper Omnipotentis præsentiam et adspectum ; indesinenter attende quid Deus requirat a te, et qualiter satisfacere queas tuæ professioni. Quotidiana tua peccata quotidie pensa, defle, emenda ; sicque tibi ipsi in tantum displiceas et vilescas, ut omni confusione et pœna, omni correptione et correctione te reputes dignam, nec alios asperneris aut vilipendas, neque alicui indigneris, irascaris aut detrahas, quamvis videatur offendere te. Si ista peregeris, intellectum tuum et rationem reformabis, custodies et ornabis.

Voluntatem quoque tuam ab omni malitia, invidia, amaritudine fellea, crudelitate, pertinacia, duritia, elatione, ambitione, cupiditate ac privato amore emunda atque præserva ; et eamdem omni virtuositate, interna ac spirituali suavitate, pietate, fervore divini ac fraterni amoris, dirigibilitate, humilitate, adimple ac perfice : ut nemini serves iram, nulli signa aversionis ostendas, imo cunctis caritatem benevolentiamque demonstres verbo,

A signo et opere, potissime his qui tibi graviores esse videntur, quatenus nequaquam vincaris a malo, sed vincas in bono malum ; sicque totum cor tuum in affectum totius bonitatis ac virtuositatis sincerissime transformetur, ita ut vix queas malum cogitare de proximo tuo, nullique noceas, sed cunctis prodesse coneris.

Rom. XII, 21.

Insuper memoriam tuam ab inutilium et noxiorum recordatione refrenes, injuriarum tibi forsan factarum confestim

B obliviscaris, atque in rebus salubribus ac divinis totam tuam defigas memoriam.

Interiores quoque sensus tuos a vanis et stultis phantasiis, ab immundis et indecentibus imaginationibus semper purges et custodire non cesses ; et quoties sentis tibi intus occurrere vana et vitiosa, toties te inde statim avertas, atque ad dominicæ passionis memoriam, et ad cetera salutaria jam præfata, cogitationem et affectionem tui cordis convertas. Præterea, ab omni immoderantia et impetu

C passionum, quæ sunt motus et affectiones sensitivi appetitus, te abstinere oportet, ut de rebus sensibilibus exterioribus non appetas, nec contristeris, nec delecteris, nec timeas, nisi secundum Deum, videlicet ordinate ac juste : sicque circa cibum et potum, circa vestes et alia utensilia quibus uteris et indiges, non afficiaris nisi in quantum tibi utilia aut necessaria sunt ad bene vivendum, ad spiritualem profectum, et ad animæ tuæ salutem ; sicque omnem superfluitatem, curiositatem

D et sensualem delectationem omnino devites.

Amplius, exteriores sensus tuos te oportet compescere, ne mors culpæ ingrediatur animam tuam per corporis tui fenestras, hoc est, per visum incustoditum, per audientiam illicitorum verborum, per indecentem contactum, per delectationem gustus, odoratus aut tactus. Sed et linguam potissime te refrenare oportet ab omni fractione silentii, a maledicta detractione, a diabolica seminatione discor-

diæ, a serpentina susurratione, a damnabili murmuratione, a contentione pestifera, a loquacitate vitiosa ac fatua, sicque sola necessaria, ædificatoria, utilia loqui apto loco et tempore, cum vera discretione et recta intentione. Postremo, totum corpus tuum et omnia membra ejus divino obsequio exhibe semper, alacriter præpara in omni vigilia et labore, in abstinentia, jejunio, disciplina et castigatione, in incessu modesto et apparatu maturo.

Ecce in his reformatio morum consistit : quæ et hoc requirit, ut quanto quis magis excessit in aliqua passione et culpa, tanto deinceps plus studeat se exercere in virtute passioni et culpæ illi contraria.

Præterea, conversio ista morum multa includit, et est quid unum aggregative sicut exercitus, non unum simpliciter sicut unus homo. Ideo, si religiosa persona committat aliquid moribus bonis contrarium, seu conversioni morum oppositum, intus in anima, vel in verbis aut factis, non ex contemptu suæ religionis aut professionis, neque ex pertinacia cordis, sed potius ex ignorantia, aut infirmitate vel fragilitate humana, seu ex vehementia tentationis ; hoc non videtur mox esse contra votum suæ professionis quo ad morum conversionem se obligavit, quamvis aliunde possit esse peccatum mortale : ut si sit contra præceptum Dei sive Ecclesiæ, sicut dum excedit per gulam, acediam, iram, aut similem passionem. Nec talis particularis excessus contrariatur toti morum conversioni, sed parti ipsius.

Votum quoque conversionis morum quum sit affirmativum, obligat semper, sed non ad semper. Idcirco, si religiosa persona fiat multum remissa, negligens et tepida, ita quod de spirituali profectu non curet, nec in uno neque in alio conetur se reformare, abnegare ac vincere, sed in claustro gerat cor sæculare, et quantum potuerit, habeat se mundane, externas et carnales consolatiunculas, loquacitates, dissolutiones quærendo et acceptando,
A nec coram Deo sollicite conversando ; hoc directe repugnat suæ professioni ac promissæ morum conversioni. Conformiter professioni contrariatur, si ex contemptu et pertinacia peccet, aut immansivam, inflexibilem seu incorrigibilem exhibeat se. Tenetur namque ad perfectionem quotidie tendere.

Hinc in libro de Præcepto et dispensatione sanctus scribit Bernardus : Sane interest qua causa, quo affectu, qua intentione, quo præcipiente in quove præ-
B cepto aliquid fiat. Ex quibus verbis elicitur qualiter transgressio aggravetur aut allevietur.

Specialiter quoque vitanda est religioso consuetudo agendi aliquid contra regulam aut morum conversionem : quia irrefrenata consuetudo peccandi includit contemptum, nec simul stare videntur conversio morum et consuetudo ei contraria.

Advertendum est etiam diligenter quod iterum ait beatus pater Bernardus : Di-
C videnda est (inquiens) in duo universa hæc observantia regularis, videlicet in præcepta et remedia. Præceptis instruimur contra peccata, remediis restituitur et reparatur post peccatum innocentia. Sic ergo professio nostra complectitur duo ista, ut dum professus in aliquo regularium mandatorum excesserit, si ad remedium æque regulare confugerit, etsi convincitur transgressor mandati, non tamen prævaricator pacti (id est promissi). Ideo illum solum censuerim fregisse votum et vio-
D lasse propositum, qui contempserit præceptum atque remedium (hoc est pœnam et satisfactionem ab Ordine institutam). — Hoc advertant ac timeant, qui suas culpas non recognoscunt humiliter, nec correptionem et castigationem suscipiunt patienter, sed se impudenter excusant, ac præsidenti faciliter indignantur et dure loquuntur : quibus gravissima instat damnatio, nisi a tantis perversitatibus resipiscant, seque condigne emendent, humilient, defleant et accusent.

ARTICULUS VII.

Quam periculosum sit religiosis non proficere in interiorum reformatione et purificatione.

ss. III, 3. INDUITE *vos sicut electi Dei viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam; supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam.* Quemadmodum Christus in Evangelio pro-
II, 48. testatur : Cui plus datum est, plus requiretur ab eo. Idcirco, quo religiosus plura et aptiora habet media proficiendi in omni gratia et virtute, quo etiam plura atque majora Omnipotenti promisit, et ad sublimiora sua professione se obligavit, eo coram Judice summo culpabilior ac damnabilior invenitur, nisi secundum exigentiam suæ vocationis et juxta suæ professionis tenorem profecerit in interiorum suorum reformatione, in passionum et vitiorum exstirpatione, in puritate interna, in omni virtute et gratia. Certum est C autem exteriores observantias regulares, abstinentias, jejunia, disciplinas, silentium, duritiam strati, abjectionem vestitus, separationem a mundo et clausuram, ad interiorum reformationem, ornatum et perfectionem principaliter ordinari. Ubi ergo manebunt, ubi latebunt, quo fugient, qui diu aut multis annis fuerunt in Ordine, et tamen adhuc tam passionati sunt, tam proni ad iram, impatientiam, proterviam, acediam ac proprii sensus immansionem, sicut dum Ordinem primo introierunt, aut D magis? Numquid tales suis satisfaciunt votis? Non utique. Imo perversi et stulti sunt, ac similes illis qui navem habent aut scalam, nec tamen eis utuntur navigando aut ascendendo.

Hinc in Homiliis suis loquitur Eusebius Emisenus : Videte vocationem vestram, carissimi. Venire ad claustrum aut eremum, summæ perfectionis exordium est; sed non perfecte in eremo vivere, summa damnatio est. Quid prodest, si locus clau- A stralis et quietus corporaliter teneatur, et inquietudo in corde versetur? Quid (inquam) prodest, si in habitatione silentium sit, et in habitantibus sit vitiorum tumultus et colluctatio passionum; si exteriora nostra serenitas teneat, et interiora tempestas? Non enim ad istum convenimus locum ut honoremur et nobis deserviatur, ut rebus omnibus abundemus, et corporali quiete fruamur. Non ad securitatem, sed ad pugnam huc venimus, ut contra vitia præliemur, ut linguæ gladios retun- B damus (id est, verba pungitiva, contentiosa, maligna, detractoria evitemus), ut non solum invicem non inferamus injurias, sed nec sentiamus illatas. Specialius vero istud ad nostram spectat professionem : nihil in hac vita consolationis terrenæ requirere; nec velle recipere bona in *Luc.* XVI,
vita sua, sed honores fugere, abjectione 25.
et subjectione gaudere, paupertatem amare; nec solum facultates, sed ipsas quoque cupiditates et omnes inordinatas affectiones e cordibus exstirpare, et solis necessariis contentari. Nisi enim amor habendi funditus eradicetur ex corde, ardentior est in parvis, et plus torquet in minimis.

Sciamus itaque nihil nobis prodesse, si corpora nostra jejuniis atque vigiliis affligamus, et mentem nostram non emundemus. Quid prodest afflictio corporalis, si mentem malitiis et nequitiis ac linguam obtrectationibus aut mendaciis polluamus? Nonne omnes labores nostri in nihilum rediguntur? Nonne opus nostrum velut fumus et umbra evanescit? O quam magni et diuturni labores subito pereunt, dum bona quæ fecimus, custodire negligimus! Quapropter, si exterior noster homo religiosis laboribus exercetur, et interior homo a passionibus non curetur, sic est ac si quis domum faciat a foris pulchram, ab intus vero serpentibus et scorpionibus plenam. Quid prodest quod affligis corpus tuum, quando nihil proficit cor tuum? Jejunare et vigilare, et mores non emendare, sic est ac si quis extra aut prope

vineam exstirpet et colat, ipsamque vineam desertam et incultam relinquat, ut spinas ac tribulos germinet.

O nimis dura et deflenda conditio, die ac nocte laborare, et fructum laboris non obtinere ! Quid enim corporalia exercitia prosunt ei quem malitia depravat, quem iracundiæ furor exagitat, quem superbia omni gratia Dei exspoliat, quem vitiosis verbis maculat lingua, quem perturbant atque excæcant passiones et vitia, quem protervia vincit, quem rancor exulcerat, cui pertinacia ac vindictæ desiderium dominantur ? Quid tibi prodest habitationis claustralis secretum aut clausura, quando tyrannico dominatu in te regnat malitia, superequitat ira ; quando majorem metum tibi incutit humanus oculus quam divinus ; dum tu qui extra mundum te esse credis, per varias passiones, vanitates ac vitia mundum in te tenes inclusum, ita quod qui putas te precibus tuis ac meritis mundo posse succurrere, indigeas intercessionibus mundi ? — Hæc omnia Eusebius.

Certum est penitus, ut idem testatur, quod nisi religiosa persona discat se ipsam quotidie frangere, passiones proprias exstirpare, suamque vocationem attendere, multo deterior fit in claustro, quam erat aut esse valebat in sæculo. Unde videmus quasdam religiosas personas esse inconvertibiliores, inflexibiliores ac duriores mundanis hominibus. Studeat ergo religiosus quotidie humilior, timoratior et custoditior fieri, atque in reformatione interna perfectior inveniri.

ARTICULUS VIII.

De proprietatibus personarum feminei sexus.

II Cor. XIII, 5. *An non cognoscitis vosmetipsos, nisi forte reprobi estis?* Ad hoc quod religiosa persona studeat reformare se ipsam, necesse est ut dispositionem suam cognoscat, id est proprietates et inclinationes

A suas naturales aut consuetudinales : quatenus in quibus defectuosior culpabiliorque consistit, ac pronior ad peccandum, in illis fortius instet ad reformandum et emendandum se. Nam juxta diversitatem complexionum, diversæ sunt inclinationes et pronitates ad mala. Sanguinei namque communiter proniores sunt ad delectationes, cholerici ad iram, phlegmatici ad pigritiam, melancholici ad tristitiam atque invidiam. Unde vir sanctus Leo Papa testatur : Dæmones quoque hominum tentatores, singulorum discutiunt mores, B scrutantur affectus, ventilant curas, et ibi quærunt artes nocendi ubi viderint quempiam amplius occupari.

Verumtamen sunt quædam proprietates in quibus feminæ communiter conveniunt. Etenim feminæ, secundum communem cursum, imperfectiores et defectuosiores sunt viris. Nihilo minus quædam feminæ sunt multum viriles, constantes atque prudentes, partim ex naturali sua dispositione, partim ex gratia studioque virtutum.

C Itaque, sicut Aristoteles et alii docent, mulieres ex sua dispositione naturali communiter sunt verecundæ ac timidæ : et hoc est bonum, quia ex naturali verecundia ac timore retrahuntur et abstinent a multis excessibus. Quædam tamen sunt inverecundæ et male audaces : quæ solent multa et magna peccata incidere, et difficulter corrigibiles esse.

Insuper mulieres communiter sunt ex naturali dispositione pusillanimes et cupidæ honoris, et non bene sciunt secreta D celare. Idcirco consulitur viris ut secreta sua non revelent uxoribus suis : dum enim conveniunt, solent sibi invicem revelare secreta maritorum suorum.

Feminæ quoque communiter sunt molles corde, et multum compassivæ ac pronæ ad fletum : et ista sunt bona. Communiter quoque non sunt ita superbæ et duræ ut viri : idcirco ad devotionem solent esse magis dispositæ quam sunt viri. Unde in antiphona dixit Gregorius : Intercede pro devoto femineo sexu.

Præterea communiter sunt debiliores in ratione quam viri ; et nisi per gratiam ac virtutes juventur, multum sequuntur suas passiones et inclinationes. Ex quo ultra consequitur, quod non bene neque faciliter sciunt se frangere, nisi gratia auxiliante. Et quales sunt, tales sunt valde : quia si ex naturali dispositione sunt piæ, compassivæ atque flexibiles, tunc sunt nimis piæ et compassivæ ac flexibiles ; si autem ex naturali dispositione sunt duræ, protervæ ac pertinaces, iracundæ et contentiosæ, tunc sunt valde duræ, protervæ, immansivæ, iracundæ, litigiosæ, perversæ, turbulentæ. Ideo in Ecclesia-

cli.xxv, 23, 17. stico scriptum est : Non est caput nequius super caput colubri, et non est ira super iram mulieris. Commorari leoni et draconi placebit magis quam habitare cum muliere nequam. Omnis plaga, tristitia cordis ; et omnis nequitia, nequitia mu-

Prov. II, 15. lieris. Hinc Salomon dixit : Tecta jugiter perstillantia et mulier litigiosa comparantur. Et sicut in libris Sapientialibus mulier bona excellenter laudatur, ita in libris illis mulier mala vehementissime vituperatur.

Insuper mulieres ex naturali dispositione communiter sunt instabiles mente, et pronæ ad fabulandum ; atque ad ea quæ ipsis prohibentur, magis affici solent : sicque suæ reformationi et bonæ informationi multæ earum difficillime acquiescunt.

Hæc de naturalibus proprietatibus feminarum breviter tango : non quod omnes sint tales, sed quia communiter tales sunt. Et quamvis ex naturali dispositione tales exsistant, tamen auxilio gratiæ Dei studioque virtutum, possunt esse valde virtuosæ ac sapientes, sicut et multæ earum sunt. Attamen quædam earum etiam in medio devotarum et sanctarum congregationum non satis efficaciter pro sui emendatione laborant, sed in prætactis proprietatibus pravis ac pessimis perseverant, ac instar luparum atque ursarum consorores suas devotas ac pias inquietant et gravant : imo et superioribus suis rebelles

A sunt. Hæc dico in generali, quatenus unaquæque diligenter se ipsam consideret, veraciterque agnoscat, humiliet et emendet.

Hinc gloriosus expertissimusque Hieronymus in Regula sua, quam monialibus devotis et sanctis scripsit, interdum alloquitur eas durissime, et prætactas earum proprietates defectuosas acriter tangit atque vituperat, dicens : Debilis est nimium sexus quem geritis, et fragilis ac mobilis, si suo relinquatur arbitrio ; etsi virtuosus sit animus, tamen nisi regatur ac dirigatur

B continue, cito dejicitur a sancto proposito, sicut in Eva hoc patuit. Profecto nihil virtutum in vobis foret durabile, si vos ipsæ tantum de vobis ipsis curam ac regimen haberetis. Proh dolor ! infelix conditio sexus vestri. Sanctior mulier ultra quam dici liceat, si viro adhæreat quantumcumque spirituali, instinctu naturali inclinatur tandem ad nefas, si in viro virtus deficiat. Hinc rursus sanctus affirmat Hieronymus : Infortunatissimum genus mulierum ! hamo capiuntur ut pisces, ad

C macellum conducuntur ut bestiæ. Protervæ nimium feminæ ficticia cupiunt, subornata verba deposcunt, exquirunt mendacia, fabulas non fastidiunt.

Hæc et consimilia multa beatus tangit Hieronymus, quatenus moniales suam imperfectionem advertant, atque in quibus se emendare ac refrenare indigent ac tenentur, prudenter perpendant, seque in prædictis vincere semper nitantur.

D

ARTICULUS IX.

Quod unaquæque religiosa persona tanto sollicitior ac ferventior esse debet ut cohabitantes sibi ædificet et nullatenus scandalizet, quanto major est congregatio in qua manet.

QUI scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei Matth. XVIII, 6, 7.
ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Væ homini per quem scandalum venit.

Hæc sunt verba Dei et Salvatoris ac Judicis nostri, Jesu Christi. In quibus verbis horribiliter valde loquitur contra eos qui non metuunt suos proximos scandalizare, hoc est verbo aut facto minus recto occasionem peccandi præstare. Porro pusilli vocantur homines bonæ voluntatis, sed imperfecti atque ad peccandum proclives: qui tamen peccare solent potius ex ignorantia, vel infirmitate, id est vehementia passionis, quam ex proposito ac certa malitia. Perfecti autem non scandalizantur faciliter, sed peccantibus et scandalizantibus compatiuntur, et orant pro ipsis, eosque increpant et informant. Pusillorum vero scandalizatio est maxime præcavenda, quum sit contra Dei honorem et proximorum salutem, ac duplex sit scandalizantis transgressio atque perditio.

Denique, si ita damnabile, periculosum et enorme est unum scandalizare pusillum, ut ex prætactis Christi verbis ostensum est: quæ mens concipere, quæ lingua possit exprimere quam vitiosum sit totam communitatem aut multos pusillos scandalizare, inquietare, turbare, et eos qui justi ac perfecti sunt, pravitate propria contristare, quum per Ezechielem prophetam Dominus inter gravissima Judæorum peccata computet quod justos contristaverunt, Mœrere (inquiens) fecistis cor justi, quem ego non contristavi? *Ezech.* XIII, 22.

Audi, o religiose, quid præcipuus religiosorum doctor, sanctus dicat Bernardus: An non graviorem persecutionem videtur tibi Christus pati ab eo qui suggestione maligna, exemplo pernicioso, scandali occasione avertit ab eo animas quas sanguine suo redemit, quam a Judæo qui sanguinem ipsum fudit? Certe religiosus qui hoc verbum non expavescit, spiritualiter vivere non videtur. Nam, ut rursus fatetur Bernardus, Salvatori animarum non potest gravior persecutio fieri, quam ut animæ avertantur ab eo, aut a spirituali impediantur profectu. Præterea, sicut sanctus asserit Augustinus, qui in conspectu aliorum male agit, quantum in ipso est, eos spiritualiter perimit a quibus conspicitur. Imo, ut B. Gregorius protestatur, qui coram aliis scandala seminat, tot et tantis condemnationibus dignus est, a quot et quantis videtur.

Tenetur ergo religiosus proximis suis exemplaris consistere, sicut jussit Salvator, dicendo: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. *Matth.* 16. Hoc autem impletur, quando apparet misericordia in effectu, benignitas in vultu, humilitas in habitu, modestia in cohabitatione, patientia in tribulatione. Quantis enim exempla veræ humilitatis, caritatis et aliarum virtutum præbueris, pro tantis et cum tantis æterna præmia possidebis. Ideo ait Bernardus: Nullum consilium melius arbitror, quam ut exemplo tuo doceas proximum quæ oporteat et quæ non oporteat fieri, provocans eum ad meliora, non verbo tantum, sed opere et veritate. Nempe, ut asserit Leo Papa, validiora sunt exempla, id est exemplaria seu ædificatoria opera, quam verba; et plenius est opere docere quam voce.

Hinc innotescit, quod religiosus tanto majorem gloriam promeretur, quanto inter plures exemplariter conversatur; tanto quoque graviorem damnationem incurrit, quanto inter plures perverse et scandalose se habet. Idcirco qui in medio congregationis versatur, cum summa sollicitudine studeat exemplaris esse in verbis et factis, et tanquam angelus pacis satagat de domo Dei scandala tollere. *Ibid.* XIII,

De hac materia notabiliter loquitur in suis sermonibus Eusebius Emisenus: Si bene perspicimus, non solum solitudo ista (id est locus monasterii) constringit et obligat nos ad conversandum perfecte, sed congregationis etiam multitudo. Nam sicut pretiosum atque præcipuum est, in medio multorum bene agere, plurimos ad profectum exemplo boni operis excitare; ita periculosum et perniciosum est, negligentius tepidiusque agendo, multorum devotionem impedire, multorum animas de-

pravare. Hoc autem cur dico? Quia (quod A pejus est) facilius invenimus qui ea quæ deteriora sunt quam qui meliora sectentur.

Itaque qui inter multos vitam agere statuerunt, cum grandi fructu sunt diligentes, aut cum grandi periculo negligentes. Unde felix est illa anima quæ dum bene in congregatione versatur, multorum gaudium est, et plurimi ex ea ædificantur aut illustrantur. Itaque, si in congregatione positus religiosus obedientiam tenuit, si patientem humilemque se præbuit, quantos ædificavit, tantos et fœneravit, et quan- B tum bonum ex se proximis commendavit, tantum in sua lucra convertit. Si vero per inobedientiam vel superbiam alios ad peccandum induxit, quantos destruxit, de tantis periculum damnationis incurrit, et peccatum quod ab eo semel processit, ad ipsum multipliciter redundavit. Quamobrem, sicut ille valde admirandus est atque laudandus, cujus cursus multorum profectus est; ita ille merito lugendus est, cujus vita multorum ruina est.

Itaque in medio multorum positi, ea C quæ ad ædificationem pertinent agere studeamus, ne vitia nostra aliorum virtutibus noceant, ne aliorum fervorem tepor noster debilitet, ne aliorum patientiam iracundia nostra violet, ne aliorum humilitatem superbia nostra depravet, ne aliorum ardentes lampades exstinguamus, si nostras illuminare negligimus. Et quidem
Matth. xxv, 8. stultæ illæ virgines, quantumlibet stultæ, non tamen lampades alienas exstinguere, sed suas illuminare cupiebant. Ad istarum ergo virginum similitudinem, si alicui no- D strum deest pinguissima gratia humilitatis, si fidei ignis, si flamma fervoris, si oleum caritatis, si lumen discretionis; veniat ad eos quos in his bonis magis abundare perspexerit, et gratiam proximi sui in se, non auferendo, sed imitando, transfundat, et bona possessionis alienæ sine damno, imo cum lucro possessoris, invadat. Benedicta Deo illa anima cujus humilitas alterius confundit superbiam, cujus patientia proximi exstinguit iracundiam, cujus obedientia pigritiam alterius tacite increpat, cujus fervor inertiam alieni teporis exsuscitat; qui oculum cordis proximi sui turbatum præ ira, verbo consolationis et ædificationis illuminat. Melior est hic quam ille qui proximum suum ab aliquo contristatum aut tentatum, multiloquio suo adjuvat ad ruinam. — Hæc Eusebius.

Itaque caveat unusquisque ne sit alteri occasio perditionis, aut detrimenti, sed profectus ac majoris salutis.

ARTICULUS X.

De perpetua continentia, quæ est tertium punctum in præfata professione contentum.

O *QUAM pulchra est casta generatio* Sap. iv, 1.
cum claritate! Vitia carnis delectationesque tactus mentem hominis vehementissime cæcant, hominem quoque vilificant ac bestiis reddunt consimilem: ideo religiosi castitatem perpetuam Sponso promittunt cœlesti. Est autem castitas ista virtus moralis concupiscentias et voluptates carnis refrenans ac auferens: ideo quidquid huic castitati contrariatur, monasticæ professioni repugnat, et mortale peccatum est, imo et fractio voti in religiosa persona. Porro castitati huic contrariatur, non solum commixtio viri et feminæ, sed etiam consensus in delectationem. Toties ergo violat religiosus suam professionem, quoties plene consentit in delectationem obscenam, aut in opus venereum, et maxime si (quod absit) ad commixtionem ruat carnalem. Promisit enim castitatem quæ virtus est, quæ non solum cavet ab opere, sed ipsam quoque concupiscentiam reprimit, et vitiosam delectationem contemnit.

Tu ergo, o monialis consecrata et oblata Altissimo, desponsata Unigenito Dei, conjuncta per fidem et caritatem professionemque monasticam Sponso cœlesti, dignitatem tuam grata ac humili mente

adverte ; noli vilificare te ipsam ; nequaquam alienum appetas aut adspicias amatorem ; oculos cordis fige in Sponso superno ; oculo corporali non optes adspicere quod non licet tibi appetere. Si fœda aliqua imaginatio cogitatiove immunda occurrerit tibi, mox atque celerrime averte te inde, et ad cœlestis Sponsi contemplationem te erige ; passionem ipsius diligentissime cum præcordiali dilectione et compassione stabiliter intuere ; novissima tua attende ; Deum invoca, lauda, amplectere. Nullum locum, nullam moram tribue in te cogitationi immundæ, inclinationi vilissimæ. Noli virum cogitare aut amare ut virum, sed ut hominem ; obliviscere sexum ; familiaritatem cum viro, secreta colloquia, periculosum amorem sensualem prorsus devita. Nihil periculosius mulieri quam vir, et viro quam mulier.

Denique castitatem conservant refrenatio sensuum exteriorum, occupatio bona, studium Scripturarum, sobrietas, asperitas lecti ac vestium, oratio, dominicæ passionis memoria, consideratio districtionis divini judicii, et infernalium tormentorum gravissimorum quæ incontinentibus sunt parata, evitatio occasionum et opportunitatum peccandi, utputa loci et temporis ac personæ, raritasque sermonis. Hinc intra clausuram et ad facialem intuitum monialium viri non admittantur, nec ad colloquium, nisi per fenestram velo obtectam, prout in Regula sua sanctus scribit Hieronymus, in qua de ista materia conscripsit multa salubria. Præterea castitati ac virginitati humilitas firma semper addenda est, timor et verecundia. Nec enim castitas sine his placet.

O quanta est dignitas virginis monialis quæ casta est mente et corpore, humilis et pudica, timorata ac taciturna, in sancta dilectione Sponsi cœlestis fixa et fervida, atque custodiæ sui cordis indesinenter intenta ! Ideo ait Scriptura : Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata ac tacita. *Eccli.* XXVI, 19, 18.

ARTICULUS XI.

De voluntaria paupertate quam profitentur religiosi.

VULPES foveas habent, et volucres cœli nidos ; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Hæc verba locutus est de se ipso Sponsus cœlestis, Dominus Jesus Christus, qui quum dives esset, propter nos pauper factus est, ut ejus inopia divites essemus, id est, merito suæ paupertatis spirituali opulentia gratiæ ac virtutum atque donorum Spiritus Sancti adimpleamur. *Matth.* VIII, 20. II *Cor.* 9.

Hanc paupertatem Filii Dei cupientes aliqualiter imitari, religiosæ personæ paupertatem promittunt, prout paupertas est virtus per quam temporalia contemnuntur amore Sponsi cœlestis, ita quod de eis nil proprium possidetur neque appetitur. Ideo quotiescumque persona religiosa aliquid proprium cupit habere aut habet, aut aliquo proprio utitur, toties professionem suam transgreditur, et valde mortaliter peccat. Si autem tentetur de habendo aliquid proprium, nec satis cito viriliterque resistat tali tentationi, quamvis non consentiat plene ; venialiter peccat, quemadmodum si tentetur de vitio aut concupiscentia carnis.

Itaque parum est, imo et religioso nil prodest, terrenas opes et propria cuncta relinquere, nisi mentem suam expurget ab omni cupiditate et inordinato affectu circa terrena et temporalia bona, nec quidquam de temporalibus cupiat tanquam proprium possidere, imo nec in communi, nisi in quantum utile aut necessarium est pro moderata et sobria corporis sustentatione, ut aptius sit ad religiosa Dei obsequia, juxta illud Apostoli : Habentes victum et quibus tegamur, his contenti simus. Hinc ait Eusebius : Hunc modum sibi specialiter imponere debet religiosus, ut tantum habeat quantum necessitas poscit, non quantum cupiditas concupiscit. Etenim nisi ex corde pauper sis et affectu, paupertas tua I *Tim.* VI

non virtus, sed miseria judicanda est. A

In hac re quædam religiosæ personæ valde insipienter ac culpabiliter habent se, quæ licet nil proprium habent nec cupiunt, verumtamen in his quæ earum usui conceduntur, non sola necessaria provisione contentæ sunt, sed aliqua curiosa atque superflua petunt, procurant et amant, et circa ea tam immoderate afficiuntur, ut confratribus aut consororibus suis ea vix velint ad modicum tempus concedere, nec sine turbatione, murmuratione et indignatione patiantur ea sibi a superioribus suis B auferri: quod periculosum est, et vitio proprietatis valde propinquum, prout magni patres Cassianus et Climacus contestantur. Et quoniam corda sua ab inordinatis affectibus circa terrena non satis purificant, idcirco interdum pro amissione, ablatione aut deterioratione vilium rerum eis ad usum concessarum tam impatientes et turbulentæ redduntur, ut homines sæculares pro magnis damnis vix tantum tristentur aut perturbentur : quia, ut tactum est, (art. VII.) nisi amor desideriumque habendi terrena C plene et integre exstirpentur de corde, ipsa inordinata affectio ardentior est in parvis, et plus vexat et inquietat in minimis. Tales personæ parum aut nihil in religione proficiunt, sed manent in passionibus et fæcibus ac puerilitatibus suis.

Advertat et ponderet religiosus quod doctor ille famosus, dominus Guillelmus Antisiodorensis, ait in Summa sua : Tenuitas victus et vestitus ita sunt de essentia religionis, quod super ea non cadit dispensatio. Cur ergo religiosi emunt, quærunt et D procurant superflua, nec necessariis sunt contenti, sed agrum agro, domum domui, possessionem possessioni conjungunt, non sine grandi scandalo et oblocutione pusillorum et sæcularium hominum, quum tamen religiosi maxime teneantur esse omnibus exemplares? Atque, ut sanctus affirmat Hieronymus, quidquid vitari potest salva triplici veritate, utputa veritate doctrinæ, veritate vitæ, et veritate justitiæ, hoc vitandum est etiam a sæcularibus (quanto magis a religiosis?) propter vitanda scandala pusillorum.

Certe, ut asserit Cassianus, cupiditas aut avaritia a religiosis personis in exordio conversionis earum faciliter vincitur ac vitatur; sed si rursus cœperint cupiditatem admittere, fiunt cupidæ nimis, ac difficillime a cupiditate purgantur, imo multis sæcularibus fiunt avariores : quod est vehementer detestabile ac deflendum.

Insuper sunt quidam religiosi votum suæ paupertatis non satis pensantes, quibus si a superioribus suis non ministretur de cibo, potu, vestitu aut consimilibus ad voluntatem eorum, mox indignantur, obloquuntur ac murmurant, sicut de impiis in Psalmo cantatur : Si vero non fuerint saturati, et murmurabunt. (*Ps.* LVIII, 16.) Imo nonnulli qui in domibus suorum parentum vix tenuem alimoniam habuissent, jam in claustro abundantiam quærunt.

Attendat ergo religiosus, quod terrena reliquerit nec proprium habeat, quatenus cor suum a variis distractionibus, curis et affectionibus liberatum et ereptum, in Deo suo totaliter occupetur, accendatur, stabiliatur et quietetur; atque hoc indefesse conetur : sicque curiosa, superflua, delicata et carnalia spernet.

ARTICULUS XII.

De vera et sancta obedientia ad religiosos spectante.

Melior est obedientia quam victimæ; et auscultare, magis quam offerre adipem arietum : quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare; et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. (I *Reg.* XV, 22, 23.) Hæc sunt verba Samuelis prophetæ. Si ergo inobedientia tam enorme peccatum est in unoquoque credentium, quanto magis in religiosis, qui Altissimo et ejus vicariis obedientiam solenniter promiserunt?

Porro obedientia virtus est castitate et paupertate præstantior, et obedientiæ votum aliis duobus votis est dignius atque

sublimius : quia per obedientiam offert et subjicit religiosus Deo et ejus vices gerenti se ipsum, scilicet propriam voluntatem et intellectum. Est enim obedientia virtus per quam homo sponte subdit se ipsum superiorum suorum præceptis, et primum Deo, deinde vices ejus gerentibus propter Deum. Debetque obedientia ista ex caritate exhiberi ac fieri, quemadmodum beatissimus princeps Apostolorum locutus est, di-
I Petr. I, 22. cens : Castificantes animas vestras in obedientia caritatis. Nam et præsidentes sunt specialiter diligendi, atque ex corde sinceriter honorandi, secundum quod Vas ele-
I Thess. v, 12, 13. ctionis hortatur, dicens : Rogamus vos ut noveritis eos qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate propter opus illorum ; pacem habete cum illis. Hoc utique ad bonum pertinet subditum, præsertim religiosum, adhibere diligentiam grandem ne sua duritia, rebellione, pertinacia, aut tarditate obediendi, contristet aut gravet suos superiores, aut conventuales conturbet, sed potius alacritate obedientiæ suæ ipsos lætificet atque ædificet. Hinc quippe ad Hebræos scribit
Hebr. XIII, 17. Apostolus : Obedite præpositis vestris et subjacete illis, ipsi enim pervigilant tanquam rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes : hoc enim expedit vobis.

Itaque religiosa persona obedire tenetur suo superiori ex promptitudine cordis, et suam voluntatem subjicere voluntati spiritualis patris aut matris. Et non solum propriam voluntatem, sed et judicium proprii intellectus debet subjicere judicio præsidentis, ne sit immansiva aut pertinax. Idcirco conari non debet ad hoc ut voluntatem superioris retorqueat et inflectat ad acquiescendum suæ voluntati, vel ut id sibi injungatur a præsidente ad quod ipsa magis afficitur : imo hæc obedientiæ contrariantur, prout S. Basilius in Regula sua et alii sancti Patres testantur.

Hinc quotiescumque religiosus præcepto sui superioris non obedit spontanee pro-
A pter Deum, aut propositum firmum seu deliberatum habet non obediendi si sibi aliquid præciperetur propriæ voluntati contrarium, vel superiorem suum importune, injuste et irrationabiliter trahit aut trahere nititur ad acquiescendum suæ propriæ voluntati : toties contra votum obedientiæ agit, et valde mortaliter peccat. Dicitur autem voluntas propria quæ sic est volentis, quod non est Dei nec Ordinis, id est, nec voluntati Dei nec Ordinis est conformis. Porro, si religiosus superiori
B suo obediat, non tamen tam libenter et prompte ut decet et regula docet, peccatum est veniale. Similiter, si tentetur de peccato inobedientiæ, nec resistat satis cito ac fortiter, non tamen plene consentiat, aut voluntatem superioris sui nitatur inflectere ad acquiescendum suæ voluntati aliqualiter importune, non tamen inflexibiliter aut incorrigibiliter; peccat in hoc venialiter tantum, nisi forsan consuetudinem habeat ita agendi.

Itaque religiosus voluntatem suam et in-
C tellectum, quos solenniter vovit, consecravit ac obtulit Creatori, nequaquam sibi resumat, retrahat aut usurpet, ne fiat sacrilegus, id est abutens re sacra, videlicet voluntate sua et intellectu consecratis oblatisque Deo : alioqui spirituale furtum pessimamque rapinam committeret. Obediat quoque suo superiori, non quia sibi placet et convenit quod ei injungitur, sed quia sic placet superiori, cujus voluntati suam conformare voluntatem tenetur.

Postremo, ad obediendum promptissi-
D me, inducere debet omnem religiosum, imo et omnem Christianum, quod ait Apostolus : Omnis anima potestatibus subli- Rom. x
mioribus subdita sit. Non est enim potestas 1, 2.
nisi a Deo : quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit ; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Hinc quoque Spiritus Sanctus per Moysen est locutus : Anima quæ per superbiam aliquid Num. x
commiserit, quoniam adversus Dominum 30.
rebellis fuit, peribit de populo suo.

ARTICULUS XIII.

Quam fervide et frequenter sancti Patres exhortati sint religiosos ad obediendum libenter ac prompte.

Joann. VI, 38. DESCENDI *de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Hæc sunt verba Filii Dei. Religiosæ ergo personæ, quarum est Christum perfectius ac specialius imitari quam sæcularium hominum, nequaquam inniti debent, immorari aut adhærere pro- B priis consiliis, propriis judiciis, aut voluntatibus propriis, contra doctrinam et jussionem superiorum suorum regulariter conversantium, sed se ipsas in cunctis humiliare, subjicere, frangere, omnemque singularitatem ac pertinaciam evitare, ne eis conveniat quod ait S. Judas aposto- Judæ 19. lus : Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.

Itaque beatissimi Patres, scientes universos labores et observantias religiosorum sine obedientia non solum non habere C beatam mercedem, sed etiam sempiternam adipisci damnationem, specialissime ac ferventissime exhortati sunt cunctos religiosos ad obediendum prompte in omnibus.

Hinc etenim gloriosus Hieronymus ait in Regula sua : Hortor, admoneo et exoro vos, carissimæ ac dilectissimæ filiæ, quæ Coloss. III, 3. jam mortuæ et sepultæ estis cum Christo, quæ jam carne et omni gloria ejus contempta, ad novitatem vitæ spiritus estis I Petr. II, 11. renatæ, ut tanquam peregrinæ et advenæ D abstineatis vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, subjicientes vos in omni obedientia et timore et reverentia præpositæ matri vestræ, ut jam omnino nihil liceat velle aut nolle aliter quam abbatissa seu mater domus mandaverit, nihil grave aut importabile videatur, quamvis jussum non concordet propriæ voluntati. Vere obediens, et qui pro Christo caret omni voluntatis suæ arbitrio, nihil novit difficile, nihil injustum.

A Mementote, carissimæ, quod in religionis ingressu omnem volendi aut nolendi licentiam ac libertatem pro Christo dimisistis et abnegastis, nisi quæ Christus ordinaret de vobis per gerentes vices ipsius. Obeditis namque certissime Christo, quum obeditis præpositæ matri. Tuncque Sponso cœlesti magis gratæ, magis estis placentes, citiusque meremini duci ad thalamum ejus supernum, ut cum omni jucunditate adstringamini beatissimis atque mundissimis ejus amplexibus, dum studetis obedire B ejus mandatis in sua vicaria. Honor enim vicarii redundat in Dominum. Æmulamini II Cor. XI, 2. semper in hac Dei æmulatione, ut certatim ad invicem una conetur aliam excedere in obedientia. Non est monasterium, non religiosi, nec moniales, ubi subditis deest obedientia erga prælatum. Destructioni corpus expositum est, dum membra discordant a capite.

Hinc rursus ait Hieronymus : Nondum vivit Deo, nondum attigit semitas religionis ac Christi monialis quæ non efficitur C ita simplex et pura, ut quidquid sibi mandatum fuerit per præpositam matrem, putet angelico ore transmissum. O quam advertendum ac metuendum est verbum hoc monialibus universis ! Nam denuo protestatur Hieronymus : O quam felix et abundans gratia ! In obedientia summa virtutum clausa est. Nam simplici gressu hominem ducit ad Christum ; et mens non solum excusatur a reddenda ratione pro subditis, sed nec etiam obligatur reddere de se ipsa. O summa libertas, qua obtenta D vix possit homo peccare !

Præterea S. Benedictus scribit in Regula sua : Primus humilitatis gradus est obedientia absque mora, quæ convenit veris religiosis, qui mox ut aliquid jussum fuerit a superiore, sine mora obediunt, ac si divinitus imperetur; qui relinquentes quæ sua sunt, et voluntatem propriam deserentes, mox exoccupatis manibus, et quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede jubentis vocem factis sequuntur. Obedientia namque acceptabilis

erit Deo et dulcis hominibus, si quod jubetur fiat et impleatur non trepide, non tarde, non tepide, neque cum murmure, nec cum responsione nolentis. Nam obedientia quæ superioribus exhibetur, Deo
Luc. x, 16. offertur, qui suis vicariis loquitur : Qui vos audit, me audit. Ideo bono animo eam exhibere oportet. Si enim malo animo aut cum murmuratione obediat subditus, etsi impleat jussionem, tamen acceptum Deo non erit, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam : imo murmurantium pœnam meretur.

Insuper Eusebius Emisenus fatetur : Omnia detrimenta animæ ex inobedientiæ vitio oriuntur. Obedientes autem et humiles multas tribulationes atque omnes labores æquanimiter sustinent et in suum profectum convertunt. Sciendum est enim, quod quanto humiliores et obedientiores fuerimus, tanto jugum Domini super nos levius ac dulcius sentiemus. Quanto obedientiores fuerimus Patribus et superioribus nostris, in tantum Deus obediet orationibus nostris. Videamus quam acceptabilia sint Deo opera vel jejunia eorum qui potius obsequuntur voluntatibus suis quam
Is. LVIII, 3. superiorum suorum. Clamant illi : Quare jejunavimus, et nescisti (id est, non approbasti) ; humiliavimus animas nostras, et non adspexisti ? Ad quod Deus respondet :
Ibidem. Quia in diebus jejuniorum vestrorum invenitur voluntas vestra (id est, propriam facitis voluntatem). Videmus propter inobedientiam opera animarum non respici, jejunia non acceptari, vota non suscipi. Idcirco nos potius sectemur mandata illius qui ad hoc ad nos de cœlo descendit, ut non solum redimeret nos pretio suæ mortis, sed etiam ædificaret exemplo con-
Joann. VI, 38. versationis ; et cum illo dicamus : Ego non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris. Ire autem post proprias voluntates tam perniciosum est, ut hoc Dominus iratus pro pœna pec-
Ps. LXXX, 13. cati irroget, dicens : Dimisi eos secundum desideria cordis eorum. Quamobrem qui vult opera sua esse tuta et recta in con- A spectu Dei, nihil obedientiæ præferat, nihil penitus anteponat, sive junior, sive senior : imo quo senior est, eo ædificationi et perfectioni plus studeat, nullum sibi faciat finem proficiendi.

Denique his consonat quod sanctus ait Bernardus : O quam pauci inveniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui ita perfecte suam abjiciant voluntatem, ut omni hora requirant non quod ipsi, sed quod Dominus vult, dicentes cum Paulo apostolo : Domine, quid me vis facere ? *Act.* IX, 6
B Multorum pusillanimitas et perversitas hodie exigit ut ab eis quæri oporteat : Quid vis faciam tibi ? Non ipsi quærunt : Domine, quid me vis facere ? Considerare necesse habet vicarius Christi quid sibi præcipi velint ; non ipsi considerant quæ sit præceptoris voluntas. Discernunt et dijudicant, eligentes in quibus obediant imperanti, imo in quibus præceptorem suum necesse sit obedire voluntati eorum. Non est eorum obedientia plena, non in omnibus parati sunt obsequi ; non per omnia C sequi proposuerunt eum qui non suam, sed Patris venit facere voluntatem.

Hinc iterum loquitur S. Bernardus : Quicumque aperte vel occulte satagit ut id quod ipse in sua habet voluntate, hoc ei spiritualis pater injungat, ipse se seducit, si sibi de obedientia blandiatur. Neque enim in illa re ipse obedit prælato, sed magis prælatus ei. Quod si quis obediat quidem ad oculum, murmuret autem in corde, falsa est obedientia. Sola etenim caritas est quæ obedientiam gratam facit D et acceptabilem Deo. Verus obediens dat suum velle et nolle. — Hinc dicit B. Gregorius : Obedientia non servili metu, sed caritatis affectu servanda est ; non formidine pœnæ, sed amore justitiæ.

Religiosus non se excuset ab adimpletione ejus quod sibi injungit superior, quasi melius aut sublimius quid acturus : quia, ut ait Bernardus, nec studium bonæ actionis, nec quies contemplationis, nec lacrima contritionis extra obedientiam placet Deo. Qui iterum protestatur : Verus

obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, seque totum colligit intus, ut mandatum impleat præsidentis.

ARTICULUS XIV.

De variis causis et motivis quæ omnem religiosam personam inducere debent ad fortem impletionem voti obedientiæ, et aliorum quæ in sua professione ac regula continentur.

onæ II. 10. QUÆCUMQUE *vovi, reddam pro salute Domino.* Ad indefessam atque idoneam impletionem suæ professionis inducere debet quemlibet religiosum, ipsa obligatio permaxima suæ solennis promissionis quam fecit Altissimo : quæ major ac fortior est quam obligatio juramenti, ut dictum est. (art. IV.) Videmus autem quod etiam homines sæculares, ruteri et militares ac bellatores, et qui Deum non metuunt, in tantum abhorrent violationem suæ promissionis ac juramenti, propter vitandam humanam diffamiam, ut quum capti fuerint et sub juramento seu promissione redeundi infra tempus taxatum dimissi fuerint, revertantur, quamvis sciant se diro carceri mancipandos, aut aliter puniendos, vel etiam occidendos. Quanto magis satagere debet religiosus, ut ea quæ Deo vovit aut juravit, fideliter indilateque impleat, ne coram Omnipotente et omnibus Sanctis ejus inveniatur et sit perfidus, infamis, damnabilis?

Secundo ad hoc incitare debet religiosum, ineffabilis magnitudo atque enormitas peccati quod in transgressione professionis consistit, quod perjurio gravius est. Ideo, ne religiosus tam abominabilis, vilis et impius coram Deo reddatur, debet incessabilem diligentiam adhibere ut professionem suam persolvat.

Tertio ad hoc religiosus debet induci, ex consideratione et horrore æternalium tormentorum acerbissimorum quæ violato- A ribus suarum professionum infliguntur : qui præ ceteris in inferno tanto acrius intolerabiliusque torquentur, quanto eorum scelera sunt enormiora. Similiter consideratio et pavor rigorosissimi judicii Dei eis imminentis qui sua vota transgrediuntur, ad executionem votorum virilem accendere debet omnem religiosum. O quali vultu adspiciet Sponsus cœlestis, Judex supremus, animas religiosorum, præsertim monialium, quæ sibi fidelitatem non servaverunt, sed cum dæmonibus spiritu- B aliter fornicatæ sunt, aut corporaliter quoque cum amatoribus alienis!

Quarto ad hoc provocare debet, contemplatio gloriosissimæ beatitudinis quæ observantibus suam professionem promissa est ac præstanda. Quanto enim in hac vita se ipsos plenius offerunt Deo et ejus servituti se mancipant, tanto in regno cœlesti Deus se ipsum plenius, clarius atque suavius reddet, conjunget et applicabit se ipsis. Et quanto plus propter Deum suas fregerunt ac abjecerunt voluntates, et quo C per obedientiam profundius humiliaverunt se ipsos, eo in paradiso cœlesti Deus omnipotens gloriosius adimplebit voluntatem ipsorum, eosque sublimius collocabit. Hinc in Vitaspatrum narratur, quod quidam sanctorum Patrum in ecstasi positus, vidit quatuor genera hominum Deo placentium. Unum fuit infirmorum qui in suis infirmitatibus patientiam habent et Deo regratiantur. Secundum fuit eorum qui hospitalitatem et opera misericordiæ exhibent. Tertium fuit omnino solitariorum. Quartum D fuit cœnobitarum, qui sub spiritualis patris aut matris regimine serviunt Deo. Hi erant majores in gloria, et torquibus uti aureis videbantur, quia præ ceteris propriam voluntatem propter Deum integralius dereliquerunt.

Quinto ad idem inducere debet consideratio Salvatoris, qui propter nos factus est (Philipp. II, 8.) obediens Patri usque ad mortem; et passioni proximus dixit ad Patrem : Non quod (Marc. XIV, 36.) ego volo fiat, sed quod tu; et antea : Sicut (Joann. XIV, 31.) mandatum dedit mihi Pater, sic facio.

Consideratio quoque obedientiæ sancti Abrahæ, et omnium religiosorum sanctorum, qui in magnis et arduis fidelissime atque promptissime obedierunt.

Sexto, quia Deus omnipotens per multa præclara miracula ostendit sibi obedientiam esse gratissimam : ut patet in eo qui ad jussionem abbatis filium suum infantulum projecit in fornacem ardentem, et mansit ibidem puer illæsus ; similiter in discipulo Pauli abbatis, qui ad jussionem sui abbatis cingulo proprio ligavit draconem, et ligatum duxit usque ad claustrum; in Fratre quoque qui mortuum suscitavit merito obedientiæ suæ; atque in S. Mauro, discipulo beatissimi Benedicti, qui cucurrit super aquas quasi super terram, et puerum nomine Placidum submersum extraxit de aqua.

Septimo, quia divina Scriptura et omnes Patres sancti, exemplo et verbis ac scriptis obedientiam maxime laudaverunt.

Octavo, quoniam obedientibus et veris religiosis dat Deus multiplicem consolationem, mentis tranquillitatem, conscientiæ serenitatem, et copiosum in omni gratia ac virtute profectum. Etenim quanto plus amore Dei spernunt ac vitant solatia carnalia et mundana, et timorati sunt in jugi cordis custodia, tanto copiosius promerentur consolationes spirituales, internas, divinas. De talibus quippe Propheta loquitur Deo : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum ! Proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum, abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum. Itaque monialis reclusa, et omnis religiosa persona, cupiens increatam et infinitam Sponsi æterni dulcedinem experiri, ac futuram beatitudinem dulciter prægustare, vanas et viles consolatiunculas spernat, loquacitatem et rumores sæculares devitet, custodita sit corde, et sollicita jugiter coram Deo ne eum offendat in aliquo.

Ps. xxx, 20, 21.

Nono, quoniam tanta est obedientiæ virtus, ut Deus omnipotens dicatur obedientibus obedire, id est per modum obedientis se circa illos habere, preces et desideria eorum celeriter exaudiendo, sicut patuit in Josue, de quo ait Scriptura : Non præteriit Josue de universis mandatis Domini ne unum quidem verbum. Et de eodem viro ait Scriptura divina : Dixit Josue, Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Aialon. Steterunt itaque sol et luna in medio cœli spatio unius diei, obediente Deo voci hominis.

Josue xi. *Ibid.* x, 14.

Decimo et maxime debet religiosa persona implere fideliter sua vota ex puro Dei amore, potius quam intuitu præmiorum aut timore suppliciorum. Et quanto ille Sponsus, cujus sapientia, nobilitas, pulchritudo, dulcedo, excellentia, perfectio, felicitas finem prorsus non habet, gratiosius et amorosius se habuit circa eam, tanto et ipsa religiosa persona infatigabilius debet conari ut sit grata, fidelis, ac toto corde intenta atque unita Sponso superno.

Hæc de obedientia tacta sint, quæ est quintum punctum in professione Regularissarum præfata contentum.

Præterea, si quæratur cui monialis magis obedire teneatur, suæ abbatissæ seu matri spirituali, an confessori : respondetur, quod quantum ad ecclesiastica sacramenta magis obedire tenetur rectori et confessori ; in his vero quæ ad observantiam pertinent regularem, magis adstricta est obedire matri spirituali, cui et obedientiam vovit : sicque obedientia illa essentialis est suæ professioni, et major quam obedientia quam confessori tenetur.

ARTICULUS XV.

De clausura perpetua, et magnitudine præmii ejus, ac de causa ejus finali.

ABSCONDIT *me* Dominus *in tabernaculo suo in die malorum ; protexit me in abscondito tabernaculi sui.* Ex his quæ supra, octavo articulo, dicta sunt de

Ps. xx[vi], 5.

proprietatibus mulierum, faciliter potest A perpendi quam periculosum sit monialibus egredi claustrum, vagari per mundum, inter sæculares homines conversari, viros, juvenes ac adolescentulos intueri. Sunt enim naturaliter molles, instabiles, fragiles, atque ex intuitu objectorum concupiscibilium mobiles valde. Idcirco earum compunctio, devotio, recollectio et amor ad Sponsum cœlestem cito atque faciliter disperguntur, impediuntur ac pereunt, nisi indesinenter custodiantur. Imo, nisi omnis peccandi occasio eis præcidatur, protinus B mens earum mundanis ac sensualibus inficitur ac repletur affectibus.

Hinc sancti Patres, instructi ac moti a Spiritu Sancto, saluberrime ac sapientissime ordinaverunt ut universæ moniales perpetuo clausæ sint; et ab exordio omnes fuerunt clausæ. Porro, quod ad tantam lapsæ sunt calamitatem, relaxationem ac vanitatem, quod jam multæ earum passim monasteria sua egrediuntur, venit ex negligentia et vitioso superiorum suorum regimine : qui ab observantia regulari misera- C biliter damnabiliterque collapsi, subditas quoque eis personas permiserunt corruere, et non solum ad istam mundanitatem venire qua exeunt claustrum, imo etiam ad damnabilissimum istum statum permiserunt descendere, quod proprietariæ sunt, atque dum ad visitandum homines sæculares inaniter exeunt, tam pretiose et curiose se vestiunt, ut nisi diligenter inspiciantur, vix moniales esse noscantur, nisi forsan ex tenui velo aut modico scapulari : sicque suo vestitu pandunt se D potius esse filias Babylonis adulterasque diaboli, secundum quod sanctus docet Augustinus, quam filias Dei et sponsas Christi.

Quamvis autem in regulis quorumdam Patrum sanctorum de monialium clausura perpetua nihil dicatur, quia videlicet regulæ illæ primo a sanctis Patribus datæ sunt monachis ; postea tamen, dum et feminæ cœperunt regulas illas assumere, sancti Patres tunc exsistentes, inter cetera pro monialium conservatione instituerunt ut usque ad mortem sint in monasterio clausæ. Et hoc manifeste jubetur in Regula gloriosi Hieronymi, quam sanctus vir ille monialibus scripsit et dedit.

Hinc Bonifacius Papa VIII, volens universas moniales ad pristinam clausuram reducere, dedit de hoc generale mandatum, prout sexto Decretalium continetur, hoc modo : Cupientes salubriter providere periculoso ac detestabili statui quarumdam monialium, quæ laxatis honestatis habenis et monastica modestia ac verecundia sui sexus impudenter abjectis, nonnunquam discurrunt extra monasteria sua per habitacula sæcularium personarum, et infra * monasteria sua frequenter admittunt suspectas personas, in gravem illius offensam cui suam integritatem et castitatem voluntate spontanea devoverunt, et in religionis opprobrium ac scandalum plurimorum ; præsenti constitutione perpetuo irrefragabiliter valitura sancimus, universas ac singulas moniales præsentes atque futuras, cujuscumque sint Ordinis, debere manere sub perpetua monasterii sui clausura, nisi tali ac tanto morbo earum aliqua laboraret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo seu scandalo commorari. Nulli etiam inhonestæ personæ nec honestæ pateat accessus ad moniales absque speciali superioris licentia, et nisi fuerit manifesta et rationabilis causa : quatenus moniales sic separatæ a publicis ac mundanis conspectibus, valeant Deo servire liberius, eique diligentius custodire corda sua et corpora in omni sanctimonia, omni opportunitate lasciviendi sublata.

Sext. lib. III, tit. 16, c. unic.

* intra

Ecce in hac constitutione asserit Pontifex summus, quod usus ac status monialium sua monasteria egredientium est periculosus ac detestandus ; et quod moniales sic exeuntes, laxant honestatis habenas, hoc est, contra virtutem et frenum honestatis debitæ agunt ; ac impudenter abjiciunt religiosam modestiam ac verecundiam ad sexum femineum potissime

pertinentem ; quod item per hoc graviter Deum offendunt ac Sponsum cœlestem, cui suam integritatem voverunt ; atque quod exitus ille cedit in sanctæ religionis opprobrium ac scandalum plurimorum. Idcirco moniales exeundo cœnobium non excusantur a gravi culpa per dispensationem et licentiam superiorum suorum, quum dispensatio et licentia illa justam et rationabilem causam non habeat : propter quod dissipatio juris est et abusus. Unusquisque quoque fidelium, tam religiosus quam sæcularis, magis tenetur obedire Pontifici summo, videlicet domino Papæ, quam cuicumque inferiori prælato, quemadmodum super secundum Sententiarum doctores concorditer scribunt. (dist. XLIV.)

Amplius, in constitutione prætacta tangitur causa finalis propter quam moniales jubentur ac obligantur esse reclusæ, videlicet ut omnis occasio incontinentiæ eis penitus auferatur, et tanto purius ac liberius serviant et inhæreant Sponso cœlesti in omni castitate et sanctitate mentis et corporis, quanto plus separatæ sunt ab humanis adspectibus ac mundanis consortiis. Porro quanta scelera et scandala oriantur ex monialium egressione de claustris suis, quid necesse est scribere et probare, quum tumentes uteri et argumenta super terram gradientia satis et plus quam satis hoc protestentur ? Aliæ quoque dissolutiones et vanitates quamplurimæ inde sequuntur. Ideo devotæ et timoratæ moniales in suis clausuris libenter ac hilariter manent, et quidquid a contemplatione, amore et amplexu Sponsi cœlestis, quidquid a puritate interna et spirituali profectu atque a stabili recollectione mentis in Deo impeditivum est, horrent ac vitant. Et si (quod absit) absque justa et rationabili causa exire optarent aut exeundi licentiam procurarent, nequaquam a grandi excusarentur peccato.

Denique, hujus spontaneæ ac perpetuæ clausuræ ineffabiliter magna gloriosaque merces est apud Deum in cœlis. Nec dubium quin religiosæ personæ suam clausu-

A ram fideliter conservantes, tanto jucundius post hanc vitam volabunt per longitudinem latitudinemque cœli empyrei, quanto nunc propter Deum in strictiori se continent loco.

Verumtamen, quoniam parum aut nihil confert clausura exterior corporalis, nisi mens clausa, custodita et munda sit a cogitationibus vanis et vilibus, ab imaginationibus fœdis, a vitiosis affectibus, ab inquietudine passionum, a sollicitudine mundanorum, a sæcularibus occupationi-
B bus, curiositatibus, fabulationibus, atque sæculi rumoribus ; ideo religiosa persona reclusa indesinenter conetur de die in diem magis ac magis pura, stabilita, quieta, illuminata ac fervida esse in Deo. Ab otiosis et superfluis caveat verbis ; in cibo et potu moderantiam servet, et necessitatem quærat, non voluptatem. Discretionem tamen servet in omnibus, et juxta superiorum suorum informationem procedat. Consuetudinem faciat sibi ut in omni loco et tempore adspiret ad Deum et mentem
C suam levet ad ipsum, considerando infinitam bonitatem, sapientiam, pulchritudinem, suavitatem ipsius, et omnem caritatem, pietatem ac liberalitatem ejus circa genus humanum. Atque in horum consideratione vehementer accendatur divino amore, et glorietur in suo Creatore, congratulando infinitæ excellentiæ omnique perfectioni et beatitudini ejus. Sicque requiescat in ipso, ut ex sententia dicere
queat : In pace in id ipsum dormiam et *Ps.* IV, 9.
requiescam ; et rursus : Oculi mei semper *Ps.* XX[IV,] 15.
D ad Dominum ; itemque : Memor fui Dei, et *Ps.* LXXVI[,4.]
delectatus sum ; et, In meditatione mea *Ps.* XXXV[III,] 4.
exardescet ignis.

ARTICULUS XVI.

De aliquibus rebus in quibus religiosæ personæ debent se prudenter habere.

HABEO *adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti.* Hæc sunt verba Christi ad quemdam qui a primo suo (*Apoc.* II,)

fervore corruerat. Et idem improperat Dominus unicuique negligenti religioso, qui pro eo quod de die in diem deberet in caritatis fervore et in omni virtute, puritate ac stabilitate proficere, paulatim negligentior tepidiorque efficitur; sicque immemor fit suæ professionis, ex qua coram Altissimo obligatur quotidie ad perfectionem conari ac tendere. Ideo omni tali religioso valde horrendum est quod in Apocalypsi Dominus Jesus Christus ait ad quemdam : Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus. Utinam frigidus esses (saltem servili timore Deum timendo) aut calidus (caritatis ardore) ; sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. *[Apoc. III, 15, 16.]*

Primum ergo in quo religiosa persona debet se caute ac sapienter habere, est ut a primo suo fervore, et prompta voluntate, atque laudabili dispositione, ex quibus religionem intravit et in ea Deo servire cœpit, non solum non deficiat, sed etiam in eis crescere studeat incessanter. Certe magnus fuit fervor quo religiosus universos propinquos, amicos, consortes, totumque mundum et cuncta quæ habuit aut habiturus fuit, propter Deum reliquit, et religionem ingressus est. Perpendat quam verecundus, obsequiosus, taciturnus, obediens, agilis fuerit in exordio suæ conversionis, et talis permaneat, imo quotidie perfectior fiat talis.

Sed contra hoc agunt qui paulatim fiunt audaces, inverecundi, verbosi, dissoluti atque ad inobedientiam proni. Nonne multi inveniuntur magis proclives ad impatientiam, iram, detractionem, suspicionem, murmurationem, gulositatem, rebellionem, superbiam, dissolutionem, postquam multis annis fuerunt in Ordine, quam in suæ conversionis et professionis fuere exordio? O quanta damnatio imminet eis, nisi condigne pœniteant et emendent! In talium persona ait Eusebius Emisenus : Interdiximus nobis diversas sæculi voluptates, ad relinquendos parentes et cognatos carissimos fortissimi fuimus : et nunc abstinere non possumus a venenatis passionibus superbiæ, invidiæ, iræ, impatientiæ, in quibus nihil est nisi quidquid amaritudinis est et rancoris ; ad declinandum negligentias, ad vincendum levissima vitia debiles sumus ; pro rebus vilissimis indignamur, et in lites ac jurgia concitamur. — Hinc, sicut in Vitaspatrum narratur, quidam senior sanctus interrogatus a Fratre qualiter habere se deberet in religione, respondit : Vide qualis fueris primo die tuæ conversionis, et sic jugiter vive.

Secundum in quo religiosa persona prudenter habere se debet, est ne aliquem temere judicet aut contemnat, sed proprios defectus semper intueatur, ponderet, defleat et emendet, peccantibus vero compatiatur, et culpas eorum quantum potest alleviet, propriamque fragilitatem perpendens vereatur, et dicat : Ille cecidit hodie, ego cras. Hinc in Ecclesiastico scriptum est : Memor esto judicii mei ; sic enim erit et tuum : mihi heri, et tibi hodie. *[Eccli. XXXVIII, 23.]* Unde Apostolus : Considera (inquit) te ipsum, ne et tu tenteris. *[Galat. VI, 1.]* Verum sunt quædam religiosæ personæ, imo perversæ et irreligiosæ, quæ ad observandum, aggravandum et accusandum defectus aliorum sunt vigilantes, acutæ et celeres, ad considerandum vero propria vitia cæcæ sunt, nec æquanimiter ferunt si increpentur. Porro bonus religiosus quidquid virtuositatis cernit in aliis studet sectari, culpas vero aliorum pie pertransit, salva correptione fraterna.

Tertium est ne ex aliorum negligentia, dissolutione, verbositate et pravis consortiis aut exemplis fiat remissa, sed indesinenter attendat causam animæ suæ quam habet cum Deo, et qualiter cito judicabitur ab eodem : imo ex aliorum damnis fiat peritior.

Quartum est ut ea quæ agit in Dei obsequio, agat quotidie cum diligentia ampliori. Quidam enim ad tempus devoti videntur, et Horas suas atque confessiones, ac consimilia, proferunt ac persolvunt attente, sed postea cum arida quadam consuetudine.

Quintum est ne aliquem scandalizet, sed A omnes quantum valet ædificet. Deo namque debemus conscientiam puram, proximis exemplaritatem et bonam famam. Unde dixit Salvator : Væ homini per quem scandalum venit ; et denuo : Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Apostolus quoque hortatur : Videte ne ponatis fratri offendiculum aut scandalum.

Matth. xviii, 7. *Ibid.* v, 16. *Rom.* xiv, 13.

Sextum est ut totam conversationem suam fundet in vera et profunda humi- B litate, atque in stabili Dei timore, in quibus duobus jugiter crescere ac firmari conetur. Ideo sanctus vir abbas Pastor disseruit, quod religiosus debet tam indesinenter humilitatem ac Dei timorem mente revolvere ac tenere, quam incessanter attrahit sibi aerem ore. Hinc locutus est Christus : Discite a me quia mitis sum et humilis corde ; itemque : Nolite timere eos qui corpus occidunt, sed eum timete qui habet potestatem corpus et animam perdere in gehennam ignis.

Matth. xi, 29. *Ibid.* x, 28.

Septimum est ut omnia agat cum discretione : quia, ut beatissimus pater Antonius docuit, discretio compendiosius ducit religiosum ad perfectionem.

Octavum est ut circa superiores suos semper se habeat reverenter, pacifice, obedienter et grate, verba quoque eorum et facta interpretetur in melius.

ARTICULUS XVII.

De aliquibus documentis S. Hieronymi ad moniales pertinentibus. D

SANCTUS Hieronymus in Regula sua multa scribit saluberrima documenta : quæ quamvis specialiter scribat monialibus Ordinis sui, nihilo minus ad omnes pertinent moniales.

Itaque primo admonet eas ad sinceram et integram caritatem, pacem atque concordiam in omnibus observandas, sicut allegatum est supra, secundo articulo.

Denique eas hortatur ad omnem proprietatem vitandam, dicendo : Ædificat fatuus ille in sabulo, qui in religione quærit temporales divitias. Hic attendite, o filiæ, diligenter ; hic periculum omne est, hic interitus, hic mors æterna. Qui jam ex voto renuntiaverunt omnibus quæ possidebant, promiserunt præter Christum nihil temporale et terrenum possidere, neque appetere ea quæ dimiserunt. Idcirco obtestor vos omnes et singulas coram Deo, ut argentum et aurum et terrena substantia cor vestrum nulla ratione seducat ut nitatur aliqua vestrum mentiri Spiritui Sancto, retinendo apud se quantumcumque minimum temporale, ultra ea quæ ex necessitate portantur, nec hoc nisi ex licentia matris. Ideo hæc observatio in vestro monasterio perpetuo maneat, quod nulla omnino tangere aut aliquo modo retinere audeat per horam censum aut obolum, seu aliquid quantumcumque minimum, quanquam a matre aut sorore mittatur.

C Insuper admonet eas : Nulla in vestibus pretiositas, nulla melioritas sit, ut una videatur ancilla, alia domina ; sed in omnibus æquales exsistant, quæ uni Sponso nuptæ, communi voto professæ sunt. Nec filia regis, militis filiam pauperis excedere velit pompis terrenis. Dignitatibus et nobilitatibus carnis spiritualis vita non indiget. Nobiliores impleant quod ait Scriptura : Quanto major es, humilia te in *Eccli.* omnibus. Nunquam inter vos disputetur aut contendatur de carnis nobilitate. Non nobilior, sed virtuosior præferatur. Omnis vanitas, mollities, pompa, superfluitas vestimentorum contemnatur et abjiciatur a vobis.

Virorum consortia fugite. Zelotypus valde est Sponsus vester : nullatenus patitur sponsas suas proferri in publicum, ne concupiscantur ab amatoribus sæculi hujus. Semper vult solus amari atque amplecti, neminem vult admittere ad solatium. Tam justus et nobilis est, quod si alium quæsieritis amatorem, statim recedet et dis-

solvet omne conjugium. Idcirco, o dominæ meæ, quia sponsæ Domini mei, omni custodia vos ipsas servate, ne Sponsus separetur a vobis. In monasterio vestro velut in thalamo maneatis cum Sponso.

Ferventissime quoque admonet eas Hieronymus ad linguæ refrenationem : In refrenatione (inquiens) linguæ beatitudo ponitur, ut detur intelligi, quod Deus, qui est beatitudo, in multiloquio haberi non potest nec contemplari. Linguas domate, ut beatæ esse possitis ; nec convertantur ad lites, nec jurgia, contentiones, rixas et scandala resonent. Inter vos nunquam disputetis de vita alterius ; maneat divino examini omne judicium. Peccata vestra cognoscite, delicta vestra plorate, vos ipsas universis existimate pejores. Si quem audieritis alicui detrahentem, procul fugientes, dimittite eum velut serpentem, ut verecundia victus, discat de aliorum factis silere.

Præterea, qualiter castigandæ sint duræ et inverecundæ Sorores, docet Hieronymus, dicens : Contumax, præsumptuosa et superba mulier in vestro sancto consortio, quæ dedignatur esse subjecta, suisque litibus ac jurgiis scandalum præbet quieti Sororum, et eis inobedientiæ monstrat exemplum, arduis crebrisque jejuniis castigetur, quum resistit mandatis. Si eam jejunia non castigant, superbia ejus dometur verberibus, confusionibus et gravibus disciplinis, ut discat quod nisi obe-
.XIII, diat superiori, partem cum Christo habere non poterit in regno cœlesti, quanquam etiam mandata ei injuncta videantur extranea, nec consona rationi. Si autem nec sic fuerit emendata, cum apostatis angelis expellatur (quod nunc est incarceratio).

Insuper, de simonia vitanda in receptione Sororum saluberrime jubet, dicens : Detestabilem hæresim simoniæ, quam communi pravitate diaboli moniales assuetæ committunt, etiam in auditu horreat et de-
g. V, vitet sancta societas vestra. Pœna Giezi, quem lepra implevit, et pravitas Simonis,

A quem beatissimus Petrus apostolus maledixit, vos terreat. Vox sacratissimi Petri, summi vicarii Christi, ad Simonem dicta, nunquam exeat de auribus vestris : Pecunia tua sit tecum in perditionem ; *Act.* VIII, 20.
existimasti enim donum Dei pecunia possideri. Ad vos venientes Sorores, ad sanctas Christi nuptias suscipite gratis ; præponatur sanctitas pecuniæ ; exquiratur bonitas vitæ, non generositas carnis, non utilitas mundi. Nulla omnino pactio, nulla conventio aut conditio quæ mentis puri-
B tatem perturbet præveniat. Sapientia clamat eum esse beatum qui excutit manus *Is.* XXXIII, 15.
suas ab omni munere, et qui post aurum *Eccli.* XXXI, 8.
non abiit, nec speravit in thesauris pecuniæ, quæ subvertit judicium. Si qua Sororum ex sua abundantia inopiam Sororum cupit supplere, omnia det ad usum communem, et fiat sicut una ex minimis. Nec murmuret, si sibi sumptuosius non ministretur quam his quæ ex paupertate venerunt. Nec extollatur et cervice erecta more femineo improperet ceteris, se
C tantum ex suis facultatibus attulisse : plus etenim attulit Soror paupercula quæ ingrediens religionem, affectum habendi dimisit, quam quæ multum apportans, superbiam domui intulit. — His gloriosi Hieronymi verbis per omnia consonat constitutio Urbani Papæ V : quam et Gre- Extrav.
gorius Papa XI legitur confirmasse. In lib. V, tit. 1, c. 1.
qua constitutione et bulla Urbanus ille sub horribilibus pœnis jubet religiosis ne a persona recipi cupiente, aliquid exigant directe aut indirecte, neque per se neque
D per alios, nec vestem, nec prandium, nec aliquid quantumlibet parvum aut magnum, nec ante receptionem personæ, nec in receptione, neque post eam.

ARTICULUS XVIII.

De aliquibus documentis ad religiosos spectantibus, ex libris Joannis Cassiani.

HOMO *homini reservat iram, et a Deo* Eccli.
quærit medelam? Hoc est quod Do- XXVIII, 3.
minus Jesus Christus ait in Evangelio :

Marc. XI, 25, 26. Quum statis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester cœlestis dimittat vobis peccata vestra; quod si vos non remiseritis, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra. Quumque doctrina hæc ad omnem pertineat Christianum, quanto magis ad religiosas personas?

Hinc loquitur Cassianus : Religiosus ad perfectionem tendens, ab omni vitio iræ et indignationis alienus consistere debet. Et si proximum delinquentem velit corripere, tam caritative, mansuete, juste ac discrete id faciat, quod non lædat se ipsum per iram, impatientiam aut rancorem, nec alios scandalizet. Etenim eum qui alterius vitium vult curare, oportet spiritualiter sanum esse, ne ei dicatur : Medice, cura te ipsum. *Luc.* IV, 23. Quid ergo dicemus de his qui iram et impatientiam aut indignationem multis diebus portant in corde; qui etsi dicant se verbis non irasci, tamen reipsa et opere indignari atque irasci proximis suis probantur, quia nec solita affabilitate illis loquuntur, nec congruenter eos appellant, nec amicitiæ signa eis ostendunt, imo sua taciturnitate et prattatione interdum plus provocant illos, quam si eis cor suum effunderent?

Præterea, si quis ad tantam mentis obdurationem, insipientiam labatur, ut ex vehementia passionum suarum ab ecclesiasticis sacramentis retrahatur atque abstineat, talis ineffabiliter errat, et victus est ac deflendus et acriter puniendus, quum tanta impietas in sæcularibus quoque hominibus intolerabiliter magna, gravis damnabilisque consistat. Hinc, ut asserit Cassianus, non solum foris refrenanda est ira a verbis et factis pravis, sed est etiam ab arcanis pectoris funditus eruenda, ne ejus caligine obscurati, a susceptione salubris consilii ac salutaris scientiæ impediamur, nec templum Spiritus Sancti esse possimus. Qui enim iram portat in corde, etiamsi mortuos suscitet, Deo placere non valet. Cohibitus quoque iracundiæ motus in corde, quamvis eos qui adsunt homines non offendat, attamen splendidissimum lumen Spiritus Sancti impedit et excludit a mente, ac si effunderetur in publicum. Nec vult Salvator iram ad momentum in corde manere, qui nec spiritualia orationum nostrarum sacrificia permittit nos sibi offerre, si vel alium aliquid rancoris contra nos habere cognoscimus. *Mat* 23, 2

Præterea, quidam tamdiu patientes et humiles esse videntur, quamdiu non contingit eis aliquid voluntati eorum contrarium. Si vero occurrat eis adversitas aliqua, aut alicujus commotionis occasio, apparebit quam longe a vera humilitate, patientia et mansuetudine distent. Tunc enim erumpunt passiones ac vitia quæ latebant, et tanquam equi indomiti otio longiori nutriti, in damnum miserorum acrius surgunt. Idcirco passiones sunt radicitus exstirpandæ, ita ut nec contra res inanimatas et mutas provocemur ad iram.

Insuper vitanda est omni religiosæ personæ vana gloria : quæ est vitium periculosum et inquietum, quod religiosos vere devotos solet multum vexare; et quo magis dejicitur, magis insurgit. Sed hoc vitium vincit qui omne bonum Deo indesinenter cum omni humilitate et gratiarum actione adscribit, et propria pensat peccata, se quoque advertit esse incertum an in caritate exsistat, et an finaliter sit salvandus.

ARTICULUS XIX.

De aliquibus verbis doctrinalibus Joannis Climaci.

CONFUSIO maxima est, post vocationem nostram, qua vocavit nos Deus, et non homo, de aliquo alio curare aut sollicitari, nisi quod possit nobis prodesse ad conversationem hac vocatione et professione condignam : hoc namque est retro respicere. Non corruamus a primo nostro fervore, sed in eo crescamus quotidie.

Cœnobium est cœlum terrenum : ideo, sicut angeli sancti in cœlo deserviunt Deo cum omni caritatis ardore, puritate ac reverentia ; sic religiosa persona, quantum sibi possibile est, Deo servire debet cum omni custodia, reverentia et fervore.

Considerare non cesses profunditatem et immensitatem ignis æterni, immanissimosque ministros, et implacabilem Judicem, atque immensum chaos flammæ infernalis ; subterraneum quoque et terribilem locum, ubi impii æternaliter ac acerbissime puniuntur. Omnium horum memoria omni vespere cœnet ac dormiat tecum, et tecum pariter surgat, et non dominabitur tibi negligentia aut somnolentia in divino Officio. — Qui genas suas rigat quotidie lacrimis ex recordatione mortis et culparum suarum, stabilitur in Deo.

Multiloquium est vanæ gloriæ cathedra, porta detractionis, origo mendacii, resolutio compunctionis, impedimentum divinæ illuminationis, auctor acediæ, exterminatio interioris custodiæ, frigefactor fervoris, obscurator orationis, scurrilitatis indevotionisque causa. Qui peccata sua attendit, linguam suam refrenat. Amans silentium, Deo propinquat; et orans ac laudans Deum, illuminatur ac inflammatur ab eo.

Acedia et otiositas dispergunt universarum virtutum divitias. Acediosus et piger semper cogitat de lauta ventris sui repletione, et quærit exteriora solatia ac vana colloquia.

Dum manducas et bibis, cogitare non cesses qualiter Rex tuus pro te aceto et felle potatus est ; et sobrius eris, nec delectationem sensualem in cibo ac potu quæres.

Non cessemus nos ipsos quotidie examinare, considerare et dijudicare per comparationem ad sanctos Patres qui præcesserunt, et tunc inveniemus nos nondum calcasse aut inchoasse diligentis ac dignæ conversationis exordium, sed adhuc quasi in sæculari vita esse detentos. — Superbus religiosus non indiget dæmone se tentante : ipse enim sibi ipsi factus est dæmon et impugnator. — Vere humilis atque obediens semper abominatur propriam voluntatem ut seductricem.

Ranam cum aqua haurimus, quando opera bona cum negligentia et torpore efficimus. — Quemadmodum nemo vivere potest sine esca, ita nunquam convenit eum qui vult salvari, dare negligentiæ locum.

Si quis cupit Deo exhibere corpus castum et cor mundum, integre servet se ipsum in impassibilitate et sobrietate, sine quibus omnis labor noster est inutilis.

Sicut qui portat aromata, etiam nolens ab odore deprehenditur ; ita Spiritum Dei habens et vere virtuosus, ex verbis et actibus suis cognoscitur. — Sicut ignis non producit, sed dissipat nivem ; ita qui in præsenti vita proprium quærit honorem, jucunditate futuri honoris cœlestis privabitur.

Dæmones in omnibus bonis operationibus nostris tres foveas nobis suffodiunt. Nam primo conantur ut a bonis agendis impediant nos. Et quando in hoc vincuntur, conantur ut non secundum Deum fiant opera ipsa, id est non recta intentione et cum debita diligentia. Quumque in hoc fuerint superati, nobis nequiter adulantur, ut de bonis peractis stolide extollamur aut inaniter gloriemur.

Quemadmodum impossibile est serpentem suam antiquitatem exuere nisi intrando per angustum foramen, ita et nos non poterimus veteres nostras consuetudines pravas et solitas vanitates dissolutionesque cordis abjicere, nisi pergendo per arctam viam pœnitentiæ ac salutis.

Quemadmodum radius solis domum ingrediens, illuminat eam, et tenuissimos pulveres ejus volitantes in aere facit videri; sic illuminatio Spiritus Sancti, timor Dei, mentem illustrant ad intuendum et considerandum omnia ejus peccata etiam minima.

Sicut cancri velociter procedere nequeunt, quia nunc ante, nunc retro gradiuntur, propter quod faciliter capiuntur ;

sic homo quandoque ridens, aliquando lugens, interdum custodite, interdum dissolute se habens, nihil aut parum proficere potest.

Sicut regi terreno abominabilis est ei adsistens, et vultum ab eo avertens ejusque hostibus loquens ; ita abominabilis est Deo, qui in oratione cogitationes immundas admittit.

ARTICULUS XX.

Brevis formula vitæ virtuosæ ac spiritualis profectus.

Deut. IV, 9. CUSTODI *temetipsum et animam tuam sollicite.* Ars artium est, vivere Deo, et compendiose proficere. Si ergo vis cito copiosum obtinere profectum, Deum stude super omnia semper diligere, et te ipsum non ames nisi pure in Deo, hoc est, omnia illa desideres et acceptes quæ tibi magis expediunt ad complacendum Deo, atque ad obtinendum felicitatem æternam, id est adversa et aspera, correptiones et correctiones pro tuis peccatis, abstinentias, jejunia, disciplinas, vigilias. Ama nesciri, opta subesse ; honores, promotiones, laudes, adulationes abhorre. Adversarios et persecutores tuos cordialiter dilige, tanquam purgatores et locupletatores animæ tuæ. Nullam horulam temporis tibi concessi infructuose expendas.

Ante orationem et psalmodiam atque Horarum persolutionem, cor tuum recollige. Propriam vilitatem, defectuositatem et vitiositatem attende ; Creatoris quoque altissimi majestatem, dignitatem excellentiamque immensam considera : et ita cum omni humilitate, attentione, timore et reverentia ac fervore Omnipotentem adora, lauda et cole. Ab ejus invocatione et laude nunquam (quantum possibile est) cesses.

Antequam eas dormitum recogita qualiter diem expenderis, quid boni in eo omiseris, quid mali commiseris ; tunc reprehende et disciplina te ipsum, veniam pete, emendationem propone, confiteri intende, satisfacere stude.

A Deum jugiter ora ut in omni virtute et gratia te confirmet, perficiat et conservet. In divino amore te exercitare non desinas, contemplando quam perfectus et infinitus sit Deus æternus et gloriosus in omni bonitate, amabilitate, pietate, dulcedine, pulchritudine, felicitate, justitia, sanctitate, sapientia, potestate, libertate, perfectione et gloria ; atque in horum contemplatione accendatur cor tuum prævalide in ipsius sincerissima caritate.

Adspira et ingemisce ad Deum, dicendo : B O Deus omnipotens, o suavissime et incomparabiliter bone, amabilissime ac gratiosissime Deus, quamdiu manebo in hac mea imperfectione, negligentia, frigiditate et defectuositate ? Quando te toto corde ardenter amabo ? Quando in tuæ dilectionis fervore stabiliter permanebo ? O fons omnis bonitatis, dulcedinis et decoris, accende me tuo sancto et puro amore totaliter ; fac me tibi quotidie magis devotum, gratum, perfectum ; indesinenter posside totum cor meum. Fac me coram te quoti- C die magis custoditum, timoratum, sollicitum, et in omni conversatione mea magis sincerum ac tibi complacitum, atque in tua laude, contemplatione, dilectione et cultu quotidie jucundiorem ac fortiorem.

ARTICULUS XXI.

De comparatione monasticarum professionum ad invicem.

REDDAM *tibi vota mea, quæ distin-* Ps. LXV 14.
D *xerunt labia mea.* Forma professionis Regularissarum, saltem quarumdam, supra, articulo tertio, est descripta : in qua, sicut ibi expositum est, puncta sex continentur.

Porro forma professionis secundum Regulam Benedicti hæc est : Ego Frater N. promitto stabilitatem, et conversionem morum meorum, et obedientiam, coram Deo et Sanctis ejus, secundum Regulam B. Benedicti, in præsentia N. abbatis. Et juxta hunc modum diversi religiosi diversas ha-

bent formas suarum professionum. Com- A muniter tamen promittunt obedientiam cum quadam limitatione, videlicet secundum regulam suam.

Porro Cartusienses videntur in hoc ceteros religiosos excedere, quod promittunt obedientiam absolute, dicendo : Ego Frater N. promitto stabilitatem, obedientiam, et conversionem morum meorum. Unde videtur peritis, quod sicut se habet tale secundum quid ad tale simpliciter, ita se habeat aliorum religiosorum professio ad professionem Cartusiensium. Idcirco Car- B tusiensibus sanctus scripsit Bernardus : Altissima est professio vestra, cœlos penetrat, par angelis est, angelicæ similis puritati. Non enim solum promisistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, et omnis consummationis finem.

Itaque quæ in isto opusculo dicta sunt de intellectu et expositione prætactæ professionis Regularissarum, applicari possunt facillime ad omnium quoque ceterorum religiosorum professiones et con- C versationes.

ARTICULUS XXII.

Exhortatio ad matrem Regularissarum, imo et præsidentes quoslibet religiosos.

[T]it. II, 7. *TE ipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.* Ex præhabitis innotescit quantæ virtuositatis et illuminationis esse debeant Regularissæ, atque ad quam ma- D gnam perfectionem tendere obligentur ex sua professione. Sed spiritualem matrem earum oportet esse tantæ excellentiæ in Dei virtute et gratia, in vera discretione et sapientia salutari, in exercitatione interna, in vera pietate et æquitate, in caritatis fervore atque virili constantia, ut de plenitudine suæ virtuositatis et discretionis, de exuberantia suæ perfectionis, de abundantia suæ constantiæ possit suis filiabus et consororibus communicare, influere, providere, et totum conventum sibi commissum digne dirigere, salubriter gubernare, sollicite custodire, universas ac singulas publice et privatim hortari, instruere, ædificare, sicque sponsas Christi virtutibus adornare, spiritualibus profectibus decorare, ac Sponso cœlesti easdem quotidie pulchriores mente complacentioresque exhibere.

Eas quoque quæ negligenter aut perverse se habent, nec a femineis levitatibus abstinent, seriose corripiat, prout magis aut minus sunt culpabiles, et prout eas viderit posse sufferre. In qua re indiget magna discretione. Quum enim, juxta præhabita, in feminis communiter sint art. VIII. multæ defectuositates, imo et in quibusdam magnæ perversitates, oportet matrem filiarum tam diversimode dispositarum esse excellenter discretam, seriosam, mansuetam et patientem, caritativam ac piam, ut sciat defectuosas et onerosas taliter tolerare, caritative, pie ac mite, ut tamen hortetur, informet et corripiat eas discrete. Quod si aliquæ fuerint (quod Deus avertat) incorrigibiles, pertinaces, rebelles et induratæ, debet mater cum consilio prudentiorum et meliorum paci communi totius conventus providere, et turbatrices communitatis ac gregis dominici ita corrigere, ut cedant aliis in exemplum et timorem, nec similia audeant attentare, ne totus grex ex una aut paucis infectis ovibus, imo pessimis feris, inficiatur, prout supra ex verbis S. Hieronymi est pro- art. XVII. batum.

Sit itaque mater congregationis re et nomine mater et priorissa seu abbatissa, ita ut maternaliter foveat, spiritualiter pascat, pie supportet, diligenter custodiat, sollicite regat sponsas ac amicas et filias Dei, et omni modo sibi possibili ad spirituales profectus dirigat eas : pro ipsis die ac nocte cum gemitu et lacrimis exorando, eas sapienter et fervide exhortando, exemplariter coram ipsis incessabiliter conversando, et sine personarum acceptione procedendo in omnibus, excluso

omni humano timore femineoque furore. Sicque in cunctis intentionem habeat rectam, discretum rigorem, virilem constantiam, et sua caritate, pietate, prudentia, virtuositate et perfectione, filiarum suarum defectuosarum seu perversarum malitiam, duritiam, insipientiam defectuositatemque vincat, expellat, reformet.

Insuper mater spiritualis indesinenter invocet et exoret directionem et opem atque præcipuam illuminationem Spiritus Sancti, ut ab ipso dirigatur, juvetur ac doceatur in omnibus ad præsidendum et gubernandum condigne sibi commissas. Sit in omnibus timorata et humilis : imo tanto timoratior humiliorque consistat, quo gravius ac terribilius judicium imminet ei, quo pro pluribus reddere rationem tenetur, quo majori auxilio indiget Spiritus Sancti, et quo ceteris virtuosior esse atque perfectior obligatur. Consideret ergo quotidie, imo quolibet die sæpe, magnitudinem sui periculi, onus injuncti officii, districtionem divini judicii, et qualiter Sorores sibi commissæ se habeant circa Deum, et circa se invicem ac suos superiores. Ad mutuam caritatem, pacem et concordiam, ad humilitatem, diligentiam et spiritualem profectum, ad devotissimam divini Officii persolutionem, ad indesinentem cordis custodiam, ad linguæ refrenationem, eas assidue exhortetur, et ut orent omni hora ferventer pro communi bono totius Ecclesiæ, pro vivis ac mortuis, pro parentibus, propinquis et benefactoribus suis, pro infidelium repressione et conversione, pro fidelium reformatione, pro universorum salute.

Advertat mater quod S. Hieronymus ait ad matrem spiritualem : Attende, mi domina, quam gravis tibi imponitur sarcina, quæ de subditarum animabus et corporibus, de verbis earum ac moribus obligaris

A apud divinum examen reddere rationem. Cave, quæso, ne de te etiam levis suspicio possit oriri aut haberi in malo, ne dispergas et perdas quas salvare et colligere, quantum in te est, obligaris. Sic ordinata et rationi conformia mandata cunctis proponas, ut etiam depravatæ superbæque mentes animentur ad obedientiæ vias. Sic dulcis et mitis sit sermo, ut non iram, duritiam aut impatientiam excitet, sed mitiget suscitatas. Sic erga inobedientes virilis sit animus, ut omnis muliebris discedat

B mollities. Nihil quippe periculosius est in præsidente, quam vana humilitas ad correctionem circa delinquentes, præsertim circa protervos superbosque subditos. Imo, ut sanctus asserit Benedictus, Christus judex a spirituali patre ac matre requiret quidquid minus de virtuositate in subjectis personis invenerit.

Rursus ait gloriosus Hieronymus : Cave, quæ præes, ne ex regendi officio eleveris ad alta, ut imperes illicita et quæ sunt importuna et inquieta subjectis. Non enim

C ambulant in via Dei, qui in administratione regiminis honores et utilitates proprias exquirunt. Non efficeris domina, sed ministra. Nec data est tibi potestas ut inter Sorores et filias hanc eleves, hanc deprimas sicut velis ; sed quid tibi a Deo injungatur attende. Sollicitudo enim et custodia omnium rerum ac Sororum monasterii tibi committitur : quatenus ceteris Sororibus dormientibus, te deceat crebro insomnes ducere noctes, pro rebus utilibus ac necessariis domui providendis.

D Hæc igitur universa adimpleat strenue mater spiritualis, et omnis qui præest, et suum officium cum omni sancta sollicitudine et fervore semper adimplere conetur. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS TRACTATUS DE PROFESSIONE MONASTICA.

INDICES

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

IV REGUM.

TOBIÆ.

JUDITH.

JOB.

PSALMORUM.

PROVERBIORUM.

ECCLESIASTÆ.

CANTICI CANTICORUM.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

ISAIÆ.

JEREMIÆ.

THRENORUM.

MARCI.

LUCÆ.

II AD TIMOTHEUM.

AD TITUM.

AD HEBRÆOS.

JACOBI.

I PETRI.

I JOANNIS.

APOCALYPSIS.

INDEX ANALYTICUS

A

D

F

H

I

J

L

N

P

R

S

U

V

Z

INDEX GENERALIS

DE LAUDABILI VITA CONJUGATORUM.

DE LAUDABILI VITA VIDUARUM.

CONTRA AVARITIAM EPISTOLA AD QUAMDAM VIDUAM.

DE LAUDABILI VITA VIRGINUM.

INTER JESUM ET SENEM DIALOGUS. 179

INTER JESUM ET PUERUM DIALOGUS.

DE REFORMATIONE CLAUSTRALIUM.

DE REFORMATIONE MONIALIUM DIALOGUS.

DE VITA ET FINE SOLITARII LIBRI DUO.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

DE LAUDE ET COMMENDATIONE VITÆ SOLITARIÆ.

DE VITA INCLUSARUM.

DE PRÆCONIO SIVE LAUDE ORDINIS CARTUSIENSIS.

ENARRATIO IN TERTIAM REGULAM S. FRANCISCI.

DE OBEDIENTIA SUPERIORIBUS PRÆSTANDA.

EXHORTATORIUM NOVICIORUM.

DE PROFESSIONE MONASTICA.

EMENDANDA. Pag. 88 C, lin. 2 : desidiosus, *lege* seditiosus ; — 99 A' in margine : art. XVII,... art. XXVII ; — 215 A, lin. 11 : innumerabiliorum,... innumerabilium ; — 427 A', lin. 2 : annis,... annos ; — 493 B, lin. 7 : ex occupatis,... exoccupatis ; — 515 B', lin. 7 : *Sedis apostolicæ,... apostolicæ Sedis.*



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. Baudechon typographus.

Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. BAUDECHON typographus.